
IHS

dovrebbe essere!

— Aureliae Allobrogorum ex typis vignonianis, 1605 —

ex heretico Catholicus deinde factus

IVL. PACII A BERIGA IN PORPHYRII ISAGOGEN,

ET

ARISTOTELIS ORGANVM,




Commentarius Analyticus,

AD ILLVSTREM ET GENEROSVM Dominum, Dominum LADISLAVM VVELENVM, L. B. A ZEROTIN, Dominum Lundenburgi, Tribouiæ Morauorum, Hohnstadij, &c.



ILLVSTRI ET GENEROSO DOMINO, DOMINO LADISLAO VVELENO, LIBERO BARONI ZEROTINATI, Domino Lundenburgi, Tribouiæ Morauorum, Hohnstadij, &c.



IVL. PACIVS A BERIGA S. D.



VAE virtutes efficiunt Heroas, hæ mihi omnes videntur iure quodam hereditario in Tua Generosissima familia nõ solùm florere, sed etiam, instar fluminum, progressu accipere incremẽtum. Quamuis autẽ sint omnibus cõspicuæ, quippe quæ suo splẽdore fulgent: præcipuè tamen iis cũ iucunditate admirabiles, cum admiratione iucũdæ apparẽt, qui aut mentis oculis, quibus sapientiæ pulchritudo cernitur, præditi sunt, aut saltẽ in magnarum & à vulgi sensibus remotarum rerum studio versantur. Quid enim est iucundius, quid animorum nostrorum immortalitati aptius, quàm Vniuersi, quod ab ornatu nomen accepit, harmoniâ, decore, pulchritudine cognitis, mox aciem mentis ad paruum Mundum, veluti nitidissimum quoddam speculum, conuertere, ac diuinæ bonitatis effectus quasi in epitoma contemplari? Verùm enimuerò vulgares homines Vniuersi cõtractam (vt ita dicam) diuinitatem haud meliùs quàm impolita specula aspectabiles imagines repræsentant. Sed vt in excelsis montibus oriens iubar, ita in viris illustribus atque Heroicis intelligibilis Solis radij corruscant. Illustres & Heroas appello; non qui diuitiis turgidi, potentiâ, qua abutuntur, elati, falsâ atque ementiâ, vel saltem redemptâ nobilitate Thrasonicè gloriantur; sed qui maiorum suorum virtutes, erga Rempublicam & Ecclesiam merita,

erga omnes bonos, præsertim musarũ sacerdotes & alumnos, beneficentiam imitantur, æmulantur, aut etiam Deo iuuante superant. Hanc laudem, vel potiùs hunc μακαρισμὸν cùm ZEROTINATIBVS omnibus conuenire omnes adgnoscant, fateantur, prædicent: nemo mirari debet, te ex tali familia ortum, in hac iuuenili ætate non solùm eam indolem præ te ferre, sed etiam ea specimina edere, vt, si DEVS Optimus Maximus nostris ardentissimis votis annuens, diuturnam tibi vitam concesserit; speremus paucos ex omni Illustri Genere futuros, quibus tantum; neminem, cui plus Ecclesia & Respublica debeant. Quæ omnium certissima, & firmissimo fundamento innixa spes cùm Tibi summæ sit laudi: quantam gloriam res ipsa atque huius spei effectus maturiori ætati afferent? Perge, vt cœpisti, Generosissime Baro, perge Natalium splendori pietatis & omnium virtutum lucem adiungere: ne plus dignitatis à maioribus tuis accipere, quàm in illos & in totam tuam Illustrem Familiam conferre, atque adeo ad posteros quoque transmittere videaris. Neque verò tui cohortandi causâ hæc scribo; quem scio nullis monitionibus, quibus Iuuentutis animus ad virtutẽ & præclaras actiones incendi solet, locũ relinquere; sed omnia præcepta anteuertentem, ita florens ætatis tuæ ver exhibere, vt dignos ZEROTINATE fructus (quid enim ampliùs dicere possum?) Respublica suo tempore, Dei beneficio, ex T. G. se percepturã cõfidat. Ex ἀδὲλφου accedũt GEORGII SCHERACKELII, nobilissimi, ac prudentissimi, omníque laude dignissimi Viri, Ephori tui quotidianæ adhortationes: quas si quis encomia vocet; mihi videbitur à vero nõ aberrare. nã qui aliquẽ ad id quod spõte sua facit, hortatur; non tam suadet vt faciat, quàm factum commendat. Sed inter alias Generosi Animi tui egregias dotes hanc non in postremis pono, quòd viros doctos socios & charissimos habes: immo etiam eos dilectione

tuâ

tuâ prosequeris, in quibus vel vmbram eruditionis cum pietate & probitate coniunctam perspicis. Quò minùs miror Tuam Generositatem suâ beneuolentiâ me esse cómplexam, qui tuæ Illustri Familiæ ex eo tempore fui semper addictissimus, quo ab Illustri & Generoso Domino Carolo, adgnato tuo, debitæ meæ obseruantiæ testimonium qualecumque in Organi Aristotelici editioné oblatum, boni consuli animaduerti. Ita me esse affectum & ab animo comparatum, vt apud tuam quoque Generositatem testatum relinquam, & vt eius facultatis, quæ rationis vsum demonstrat, studiosi, in huius sapientiæ Peripateticæ templum per nos ingredi cupientes, non alios quàm Illustres ZEROTINATES, patronos agnoscant: Illustri tuæ Generositati hunc in idem Organum à me elucubratum commentarium do, dico, offero. Tu, pro tua mihi comperta humanitate, accipe lubens à me hoc literarium munusculum, si ex se spectetur, exiguum: si ex præstantia auctoris in quem est conscriptum, æstimetur, non contemnendum: si ex animo meo diiudicetur, maximum. Nec te moueat, quòd tuâ, qui animum ad maiora appulisti, lectione dignum nihil continere videtur: sed imitare potentissimum illum Regem, qui vulgarem aquam de manu rustici, ad offerentis voluntatem respiciens, hilari fronte suscepit. Vale Illustris Domine Biro & salue. DEVS tuam Generositatem in dies magis ac magis florentem beatámque esse velit. Ex meo museo, Kal. Martis, A.R.S. cIↄ. Iↄ. XCVII.

ELEGIA SIMONIS STENII AD Iulium Pacium Iuriſconſultum eximium & Philoſophum elegantiſſimum.

Μυρία μετρήσας πουλυφλοίσβοιο θαλάσσης
Κύματα, καὶ προφυγὼν ἔμπορος οἶδμα Νότου,
Ἄσμενος ἐν ποταμῷ πεδίων διὰ καλὰ ῥέοντι
Ἀρπιπαγοῖς φιλέει ὁλκάδος ἀμπλείην·
Ἄνθεσι τερπόμενος, λειμῶσί τε γείτοσιν ὄχθῃ,
Ὀρνίθων τ' ᾠδαῖς ἡδὺ μελιζομένων·
Οὕτω που περάσας πέλαγος συνόμων Πάκι δηρύ,
Αὐσονὶς οὓς ἐθνῶν γράψεν ἄνασσα πόλις,
Ὠκεανόν τ' ἐξηγητῶν, τῶν οὔτις ἀριθμὸν
Ῥεῖά κεν οἷός τ' ᾖ εἰς φάος ἐκφερέμεν·
Ἐκ δολιχῶν καμάτων λαβυρινθωδῶν τε πλοκάων
Τοῦ Ἀριαδνείου νήματος ἐνδεέων,
Ζητήσων ἄμπαυμα πόνων, τὸ Λύκειον ἐσέρχῃ
Ἱμερτὸν σοφίης πληθόμενον χαρίτων,
Αἷς ποτ' Ἀριστοτέλης ἐρικύδιος Ἑλλάδος ἀστὴρ
Ἤνθησεν βροτέης ἀρχὸς ἐπιστημίης·
Τούτου τὰς βίβλους ἀνελέξαο φροντίδι πολλῇ
Κεκρυπταῖς κεκυφὼς ταῖς σελίδεσσιν ἔπι,
Ὡς ἐπανορθώσῃς ἄλλοισι τύποισι παρφθὲν,
Πολλοῖς ἀρχαίοις χρώμενος ἀντιγράφοις,
Ἠδὲ νόον δείξῃς κεκρυμμένον, ὃς λάθεν ἄλλους
Εἴτε νέους γραφέων, εἴτε παλαιοτέρους.
Σιμπλίκιον νοέω, κ' Ἀμμώνιον, ἠδὲ περὶ πάντων
Δεινὸν Ἀλέξανδρον τοὺς ξενικὰς ἐμφανίσαι.
Πρόσθες τοῖς δ' Ἄραβας παραφράσας, Αὐσονίους τε,
Οἷς ἔνι λαμπρὸς ἔην ὁ Ζαβαρελλιάδης,
Καὶ δύο τῆς φύσεως πάσης εὖ εἰδότε, Θωμᾶν
Φημὶ Περεγρῖνον, Πενδάσιόν τε μέγαν.
Τούτων φοιτητὴς σὺ γνήσιος ὢν, ἀπέλαυσας
Ἀνδρῶν ἐλλογίμων πλεῖστα διδασκαλίης·
Οὐ μέν τοι φθονερὸς τελέθεις, ἀλλ' ὅττι περισσὸν
Εἰδῇς, φειδωλὴ τοῦ δέ σοι οὐδεμίη.
Μούνῳ ἐπισταμένῳ τίς ὄνησις; χρὴ θεράποντα

Μουσάων

Μουσάων μεταδοῦν' αἴ τι παρ' ἐσθλὸν ἔῃ.
Ἀλλὰ σύ, ὦ φιλότης, ὧν ἤρξαο εὖ τελέσειας,
Ἀθάνατον δόξαν μισθὸν ἀποισόμενος
Πρὸς γοῦν μισούντων λογολέσχας ἠδὲ σοφιστάς,
Ὧν ἄσπονδος ἔην ἐχθρὸς Ἀριστοτέλης.
Ἡμεῖς δ' εὐξάμεθα, Θεὸν πόλεως χώρας τε
Αἰεὶ ὑπειρεχέμεν χεῖρ' ἐπ' ἀπημοσύνῃ,
Ἠδ' ἀποξεπέμεν πολέμους τ' ἔριδάς τε μάχας τε,
Ὥστ' ἀγανῇ διάγειν πάντας ἐν ἡσυχίῃ,
Ἡ τροφός ἐστι δίκης, παιδείας θ', ὧν ἄτερ οὐδὲν
Τερπνὸν ἐν ἀνθρώπων πουλυπόνῳ βιότῳ,
Χαῖρε καὶ ὠφελέων οὐ παύεο τοὺς φιλομούσους,
Τούς τ' ἐρατῆς σοφίης ἀντιποιησομένους,
Οἷς τ' οὐδὲν τελέθει μελέδημα νεώτερον ἄλλο,
Ἢ νομικῆς μετόχους ἔμμεναι ἀγλαΐης.
Οὕτως ἀμφοτέρωθεν σοι χάρις ἔσσεται. ἢν δὲ
Μῶμός τις σε δάκῃ, οὐ μέγα θαῦμα τόδε·
Οὔτε γὰρ ἐκ πάντων γέγονεν βροτὸς, οὔτε τις ἔσται,
Ὅσπερ πᾶσιν ἁδεῖν φῶς λίπεν ἠελίου·
Οὔτε Πλάτων αὐτὸς, τοῦπερ κλέος οὐρανόμηκες·
Οὐθ', ὃν θαυμάζεις ἔνδιχ', Ἀριστοτέλης.

INTERPRETATIO LATINA.

INnumerabiles emensus resonantis maris
Fluctus, & euitato mercator æstu Noti,
Lubenter in fluuio per planiciem pulcrè decurrente
Recens fabricati nauigij amat commodam nauigationem,
Floribus oblectans se pratísque ripæ vicinis,
Auicularúmque odis suauiter cantillantium:
Sic tu Paci, vbi peragrasti latum pelagus legum,
Quas Ausonis vrbs gentium regina scripsit,
Oceanúmque interpretum, quorum nemo numerum
Facilè aliquis possit in lucem proferre:
Ex longis defatigationibus & tortuosis implicationibus
Filo Ariadneo indigentibus,
Quæsiturus requiem laborum, Lyceum ingrederis
Plenum desiderabilis & venustæ sapientiæ.
Qua Aristoteles olim gloriâ eminentis Græciæ sidus
Floruit, humanæ princeps veritatis.
Huius sanè libros recensuisti magna cum cura,
Oculis in Cecropias paginas deiectis,
Vt corrigeres ab aliorum typis neglecta,
Multis antiquis vtens exemplaribus manuscriptis,

Sensúmque monstrares abditum, qui latuit alios,
Siue recentes scriptores, siue vetustiores:
Simplicium intelligo, & Ammonium, & ante omnes
Sollertem Alexandrum in vero patefaciendo.
Adde his Arabas, & paraphrastas Italos,
In quibus illustris est Zabarella,
Et duo naturæ Vniuersæ scientes: Thomam
Dico Peregrinum, & magnum Pendasium.
Horum tu discipulus germanus cùm esses, plurimum fructus
Percepisti ex clarorum Virorum doctrina.
Non tamen inuidus es, sed quodcunque eximium
Nosti, illius apud te parsimonia nulla.
Si solus scias, quid te iuuerit? oportet famulum
Musarum communicare quid boni habeat.
Sed tu, amice, quæ inchoasti præclarè opto absoluas,
Mercedem laturus immortalem gloriam
Ab iis saltem, qui oderunt nugatores & sophistas,
Quorum implacabilis hostis erat Aristoteles.
Nos autem precabimur Deum, vt hanc vrbem & regionem
Semper sua manu protegat, & mala auertat:
Simúlque bella, litésque & pugnas,
Vt in amabili pace omnes degant:
Quæ altrix est iustitiæ eruditionísque, sine quibus nihil
Delectabile in hominum vita laboriosa.
Vale, & Musarum amantibus sine intermissione vtilem operam naua,
Et amabilem sapientiam sibi vendicantibus:
Simúlque iis, quibus nulla alia cura validior est,
Quàm vt possint esse participes regalis claritatis.
Sic vtrinque tibi gratia referetur. Quòd si
Momus aliquis te mordeat, non admodum hoc admirandum.
Neque enim ex omnibus vllus mortalis fuit, neque erit,
Qui omnibus placuerit, atque ita lucem Solis reliquerit:
Ne Plato quidem, cuius cœlo se gloriâ tollit:
Neque quem iure miraris, Aristoteles.

IVLII



IVLII PACII A BERIGA
IN PORPHYRII ISAGOGEN
Commentarius Analyticus.

ANTEQVAM ad singulos libros qui in Organo logico continentur, explicandos aggrediar, quædam de logicæ ac dialecticæ vocabulis, & de logicæ definitione, diuisione, ac methodo, nec nō de Organi inscriptione præfari operæpretium erit. Logica dicitur ἀπὸ τοῦ λόγου: cū autē λόγος sit vocabulū ὁμώνυμον, inter cetera significat orationē, rationē, & disputationē. Dialectica verò ἀπὸ τοῦ διαλέγεσθαι, quod est disputare, se, dicitur, dicta est. Qui igitur in etymologia logicæ explicanda, λόγον pro disputatione accipiunt, hi inter logicam & dialecticam nihil discriminis ponunt. Differendi autem vocabulum alij latiùs sumunt, vt omnem ratiocinationem complectatur: alij angustiùs, ad solam disputationem quæ ex probabilibus fit, coarctantes. Rursus quia λόγος modò significat orationem, modò rationem, ideo nonnulli hanc artem sermocinalem appellant, alij rationalem. Sed nostram sententiam potius aperiamus. Logica non est ars sermocinalis: nec dicitur ἀπὸ τοῦ λόγου, quatenus ὁ λόγος orationem significat: quia logica potiùs respicit ad rationem internam quæ est in mente, quàm ad orationem quæ voce profertur, teste Aristotele Posterior. Analyticor. lib. 1 cap 10. part. 7. Cùm autem ὁ λόγος tam pro ratione quàm pro disputatione accipiatur, vtraque hæc significatio logicæ conueniet. adeo vt logica sumatur vel pro arte rationali seu ratiocinatrice, vt lib 1. Topic. cap. 14. vel pro arte disserendi, vt Poster. lib. 1. cap. 22. part. 1. 22. 29. & Phys. lib. 3. cap. 7 part. 2. Priori modo totam artem complectitur. Posteriori modo idem est quod dialectica. Cùm autem τὸ διαλέγεσθαι sit disserere, ac dissertationum quatuor sint genera, didascalicum, tentatiuum, probabile, & sophisticum: Aristoteles plerumque dialecticam accipit pro ea logicæ parte, quæ argumenta probabilia tradit, & Topica quoque vocatur, vt de Interpret. ca. 12. part. 2 & Prior. lib. 1. cap. 1. part 6. & cap. 30. part 5 & Topic. lib. 1. cap. 1 part. 5. & cap. 10. 11. 12. & Lib. 8. cap. 1. part 1. & Elench. cap 2 part. 2. 3. Interdum pro tota arte logica, vt Rhetoric lib. 1 cap. 1. illo loco, περὶ δὲ συλλογισμοῦ ὁμοίως ἅπαντος, τῆς διαλεκτικῆς ἐστιν ἰδεῖν, ἢ αὐτῆς ὅλης, ἢ μέρους τινός. id est, *Æquè de omni syllogismo, dialectica est videre, vel ipsius vniuersæ, vel partis alicuius.* Itaque tam dialectica, quàm logica, modò pro tota facultate sumitur, modò pro eius parte. Sed homonymiæ vitandæ causâ interpretes Aristotelis, quos libenter sequor, logicæ appellatione totam facultatem, dialecticæ vocabulo partem eius significare solent. Hæc dicta sint de vocabulis. Sequitur definitio. Logica (vt mihi definienda videtur) est ars ratiocinandi, seu (quod idem valet) syllogismos conficiendi, vt discernatur verum à falso. In hac definitione genus est ars. Cùm enim logica sit habitus quidam animi veritatis particeps, huiusmodi verò habitus auctore Aristotele lib. 6. Ethicor. cap. 3. sint quinque intelligentia, scientia, sapientia, prudentia, & ars: logica autem nec sit intelligentia, nec scientia, nec sapientia, nec prudentia relinquitur vt sit ars. Non est intelligētia: quia intelligentia est tantùm cognitio primorum principiorum, ex quibus scientia colligitur, veluti totum esse maius sua parte. Non est scientia: quia scientia est habitus contemplatiuus, vt physica. logica verò est habitus effectiuus: quia efficit syllogismos. Non est sapientia: quia sapientia quoque est habitus contemplatiuus, constans ex intelligentia principiorum, & scientia conclusionum. Non est prudentia: quia prudentia est habitus actiuus: logica autem est habitus effectiuus. atque hæc est artis definitio, quæ conuenit ipsi logicæ, habitus cum recta ratione effectiuus. Inter actionem & effectionem hoc discrimen ponit Aristoteles: quòd actio nullum habet vlteriorem finem, sed ipsa est vltimus finis, vt actio secundùm virtutem, quæ per se est expetenda, non alterius finis gratiâ: effectio verò non est vltimus finis, sed habet alium vlteriorem finem, id est opus quod efficitur: vt ædificationis finis est domus. Quocirca cùm logica efficiat syllogismos in gratiam vlterioris finis, hoc est

ſcientiæ, merito dicitur eſſe ars. Ac fallitur Scotus, exiſtimans logicam eſſe ſcientiam. Falluntur etiam, qui putant logicam non referri ad vllum ex quinque habitibus animi ab Ariſtotele propoſitis 6. Ethic. cap. 3. ſed eſſe habitum quendam inſtrumentalem à quinque illis habitibus, quos vocant habitus principales, diſtinctũ. Falluntur, inquam: quia Philoſophus eo loco habitus inſtrumentales non prætermittit, cùm ponat artẽ, quæ eſt habitus inſtrumentalis: vt ars conficiendi frænos eſt inſtrumentum artis equeſtris, quia frænum eſt inſtrumentum equitis. atque ita logica eſt inſtrumentum philoſophiæ, quia ſyllogiſmus eſt inſtrumentum philoſophi. Ergo logica eſt habitus inſtrumentalis, id eſt ars. Atqui (inquiunt nonnulli) ars eſt principium externum, Phyſ. lib. 2. cap. 1. logica verò eſt principium internum: quia ſyllogiſmus efficitur in mente ipſius logici. Reſpondeo logicam & ſyllogiſmum eſſe in eodem intellectu, ſicut faber & lectica ſunt in eodem cubiculo. ſicut autem faber dicitur principium externum, quia non eſt in lectica ſeu ligno ex quo fit lectica: ita logicus eſt principium externum, quia non eſt in ſyllogiſmo, nec in ea materia ex qua extruitur ſyllogiſmus. Hæc dicta ſint de logicæ genere. Cui in data definitione adiunguntur duæ differentiæ, altera ſumpta à materia logicæ, altera à forma. Quod vt perſpicuè intelligatur, notandum eſt, quamlibet ſcientiam & artem habere ſubiectum in quo verſatur. Quemadmodum autem aliæ res conſtant ex materia & forma: ita etiam ſcientiæ vel artis cuiuſque ſubiectum duas habet partes: alteram materialem, id eſt rem conſideratam: alteram formalem, hoc eſt modum conſiderandi. vt phyſica verſatur in corpore naturali, quatenus eſt mobile: corpus igitur naturale eſt materia phyſicæ: & quatenus mobile, eſt forma. Scholaſtici illud vocant ſubiectum materiale: hoc, ſubiectum formale. Sic cùm medicina verſetur in corpore humano, quatenus eſt ſanabile: corpus humanum, eſt ſubiectum materiale: quatenus ſanabile, eſt ſubiectum formale. Iam verò artes ita pendent à fine, quem efficere volunt, vt inde tam ſubiectum materiale quàm formale accipiant. etenim in eo inſtrumento verſantur, quo ſe finem ſuum ſperant poſſe conſequi: & eatenus verſantur, quatenus ad illum finem conſequendum valet. Quoniam igitur logicæ finis eſt ſcientia, qua diſcernitur verum à falſo, inſtrumentum autem ad ſcientiam acquirendam & ad verum à falſo diſtinguendum, eſt ratiocinatio, quæ Græco & in ſcholis recepto vocabulo appellatur ſyllogiſmus: idcirco ratiocinatio ſeu ſyllogiſmus eſt ſubiectum materiale, in quo logica verſatur, quatenus eo verum à falſo diſcernitur. Atque hæc duo conſtituunt duas differentias in logicæ definitione poſitas: quorum vnum eſt materia, alterum eſt finis & forma. Hucuſque logicæ definitio. Subiiciamus eiuſdem diuiſiones. Hæ partim ſunt logicæ latiſſimè acceptæ, partim logicæ artis propriæ. Logica latiſſime accepta diuiditur tribus modis. Primò diuiditur in logicam naturalem & artificialem. cùm enim homo ſit animal ratione præditum, neceſſe eſt vt omnes homines naturà ſint logicæ participes: quod & Ariſtoteles lib. 1. Rhetor. cap. 1. notauit. cæterùm vt in aliis rebus, ita & in hac ars naturam adiuuat. Secundò à ſcholaſticis diuiditur in logicam docentem & vtentem. logica docens ab illis vocatur ipſa ars: vtens autem, quæ in vſu ſpectatur. ac logicus quidem docens rhetori, vtens verò oratori proportione reſpondet. Tertiò ab Auerroë diuiditur in logicam communem & appropriatam, ſeu particularem. Communem logicam Auerroës vocat artem ipſam generalem, quæ eſt omnium aliarum artium & ſcientiarum inſtrumentum: cuiuſmodi logica eſt, quæ in Organo ab Ariſtotele traditur. Appropriatam ſeu particularem appellat eam, quæ cuiuſque ſcientiæ propria eſt, & ab Ariſtotele dicitur eſſe οἷον παιδεία τις: quaſi eruditio quædam, de partibus animal. lib. 1 cap. 1. vocatur etiam τρόπος τῆς ἐπιστήμης, modus ſcientiæ ſeu modus ſciendi, Metaph. lib. 1. minore, cap. vlt. qua cognitione qui eſt ornatus, dicitur eſſe πεπαιδευμένος, eruditus, Ethic. lib. 1. cap. 3. Talis in phyſica eſt tractatus de ſubiecto, methodo, ac demonſtrationibus phyſicis: & in logica hic qui nũc eſt à nobis de ipſa logica inſtitutus, quid ſignificet, quid ſit, quas habeat partes, & vtrum ſit philoſophiæ pars an inſtrumentum. huic opponitur ἡ τοῦ πράγματος ἐπιστήμη, ipſius rei ſcientia: vt in phyſicâ cognitio corporum naturalium, & affectionum quæ in iis corporibus inſunt: & in logicâ cognitio enunciationis, & ſyllogiſmi. Logicæ artis ſex diuiſiones occurrunt. Prima diuiſio eſt in partem communem & propriam: quarum illa de ſyllogiſmo in genere, & de eius partibus tractat, hæc ſyllogiſmi varias ſpecies declarat. ita Auerroës diuidit in Procemio 1. Poſt. quem ſequitur doctiſſimus Zabarella præceptor meus lib. 2. de Natura logicæ, cap. 1. & eſt diuiſio peruulgata Latinorum, qui illam, artem veterem: hanc, artem nouam appellant,

pellant. Nam maiores nostri, quod prius erat, solebant vetus: quod posterius, nouum nominare: (qua ratione etiam Digestum vetus, & Digestum nouum dicta sunt) nec dubitatur, quin pars communis ordine prior sit quàm propria. Subdiuisionem partis propriæ suo loco declarabo. Secundò Simplicius & Ammonius in præfatione in Categorias, Logicam diuidunt in eam partem quæ agit de methodo demonstratiua, in antecedentem, & sequentem: quoniam præcipuè considerattur demonstratio, quæ est optimum ad scientiam comparandam instrumentum. antecedit autem tractatus de syllogismo generaliter accepto & eius partibus. sequuntur aliæ species syllogismi: vt dialecticus, & sophisticus. Tertiò, quia logica (vt suprà docui) in syllogismo versatur, sic diuidi potest, vt pars dicatur explicare partes syllogismi, pars agere de syllogismo cùm generaliter, tum specialiter. Partes, quatenus sunt primæ notiones, declarantur in libro Categoriarū: quatenus secundæ notiones, in libro de interpretatione. Notio est animi conceptus. prima notio est conceptus rei quatenus est: vt animalis, hominis. secunda notio est conceptus rei quatenus intelligitur, vt subiectū & attributum: nam per intellectum animal (exempli gratiâ) attribuitur homini, & homo subiicitur animali. Syllogismus in genere consideratur in Prioribus Analyticis. eius species declarantur in libris sequentibus: vt syllogismus dialecticus in Topicis & sophisticus seu captiosus in Sophisticis Elenchis. Hac diuisione tanquàm omnium optima vsus sum in editione Organi. Quartò logica in duas partes tribui potest: quarum prior libro Categoriarum contenta explicat primas notiones, quatenus ad logicum spectant: posterior, ad quam ceteri libri logici referuntur, est de secundis notionibus. Hanc diuisionem in Institutionibus logicis adhibui, tanquàm ei operi maximè accommodatam. Quintò logicam nonnulli diuidunt in Analyticum eruditionis modum, & methodum disputandi in vtramque partem: quæ diuisio esset elegans, nisi his partibus nihil esse commune assererent; atque ad priorem partem etiam libros Categoriarum, de interpretatione, & Priorum Analyticorum referrent: nam certissimum est, hos libros esse communes, & inseruire tam dialectico quàm demonstranti, cùm vterque vtatur propositionibus & syllogismis, non formâ inter se, sed tantùm materiâ differentibus. Vide Prior. lib. 1. cap. 1. partic. 6. cap. 30 partic. 1. lib. 2. cap. 23. partic. 1. Topic. lib. 1. cap. 1. partic. 12. Alioqui non esset vna ars logica sed duæ omninò distinctæ: quod vt dictu nouum, ita à veritate est alienum. Sextò quidam dialecticam diuidunt in inuentionem, & iudicium, id est, in rationem inueniendi ac disponendi. Sed secundùm Aristotelem, quem auctorem sequimur, hæc est potiùs subdiuisio quàm principalis diuisio: nec vno loco explicanda sunt huius diuisionis membra. cùm alia sit inuentio & dispositio syllogistica, de qua Aristoteles tractat libro 1. Prior. Analytic. alia inuentio & dispositio demonstratiua, de qua lib. 2. Posterio. alia dialectica, de qua in Topicis, vt constat ex lib. 8. Topic. cap. 1. alia sophistica, de qua in sophisticis Elenchis. Præterea hæc diuisio secundùm Aristotelem non est perfecta, cùm sint & aliæ partes huius artis: vt in Prioribus Analyticis tractatur de inuentione, & de dispositione præponitur tractatus *περὶ γενέσεως*, id est, de constructione syllogismorum: subiiciuntur autem tractatus de syllogismorum potestatibus, imbecillitatibus, & argumentationum omnium ad syllogismos reductione. Septimò M. Tullius in Topicis, & Quintilianus libro 5. capite vltimo, Logicam diuidunt in topicen, quæ est ars inueniendi, & criticen, quæ est ars iudicandi. Vulgò creditur hæc diuisio eadem esse atque superior, quasi iudicium pro dispositione accipiatur: ac Stoicis tribuitur, tanquam ab eis profecta. Sed vtrumque falsum esse puto. Primùm itaque dico aliud esse dispositionem, aliud iudicium, proinde hanc diuisionem à superiori differre. Nam iudicamus de his quæ iam sunt facta: disponimus, quæ facta nondum sunt: præsertim secundùm eos qui ita logicam diuidunt: quandoquidem ad iudicium referunt constructionem enuntiationum, & syllogismorum, cùm inuentio quoque tam horum quàm illarum sit. Prior. lib. 1 cap 27. 30 & Poster. lib. 2. cap 13. 14 & Topic. lib. 1. cap. 13. lib. 8. cap. 1. Adde, quòd M. Tullius, quem auctorem sequuntur, qui has diuisiones probant, in Oratore iudicium à dispositione separat, & cum inuentione coniungit. cùm enim tria dixisset esse oratori videnda, quid dicat, & quo quidque loco, & quomodo: (id est, inuentionem, dispositionem, & pronunciationem) mox de duobus primis agendum proponit, inquiens, *Ac duo breuiter prima, &c.* tum de iudicio atque inuentione loquitur ibi, *Nam & inuenire & iudicare quid dicas, &c.* postea separatim de dispositione agit illo loco, *Nouerit igitur, &c.* deinde præcepta de iudicio subiicit, cùm inquit, *Nec vero vtetur imprudenter, &c.* quibus

expositis, transit ad dispositionem ibi, *Iam verò ea quæ inuenerit, qua diligentia collocabit? quoniam id secundum erat de tribus, &c.* tàdem accedit ad explicandum quonam modo orator dicat ea quæ inuenit ac disposuit, illis verbis, *Cùm autem quid & quo loco, &c.* quod docet in duobus consistere, nempe in agendo, & in eloquendo, cùm subdit, *Quomodo autem dicatur, id est in duobus, &c.* In Topicis autem non solùm inuentionem declarat, sed etiam iudicandi artem tradit illo loco, *Expositis omnibus argumentandi locis, &c.* ibi namque agi de iudicio, nemo (vt opinor) dubitabit, qui verba illa Ciceronis in Oratore expenderit, *Nec verò vtetur inprudenter hac copia, sed omnia expendet & seliget. non enim semper, nec in omnibus causis ex iisdem eadem argumentorum momenta sunt. iudicium igitur adhibebit: nec inueniet solùm quid dicat, sed etiam expendet, &c.* Aio insuper hanc diuisionē non habere Stoicos auctores: cùm quia Diogenes Laërtius in vita Zenonis explicans Stoicorum dogmata, non hanc, sed aliam diuisionem affert: tum etiam quia (teste Cicerone in Topicis) Stoici totam inueniendi artem reliquerunt, & in sola ratione iudicandi laborarunt: quod certè non fecissent, si duas esse logicæ partes, inuētionem & iudicium, animaduertissent. Immo inuentionis locos vllos esse, ne quidem suspicari fuot, si eidem Ciceroni credimus lib. 4 de finibus. quomodo ergo potuerunt logicam in inuentionem & iudicium diuidere, cùm inuentionis nullam notitiam habuerint? Hæc de logicæ diuisione in præsentia generaliter annotasse sufficiat: nam reliqua in singularum partium expositione commodiùs adiicientur. Consequens est, vt pauca de ordine, quo logica ab Aristotele conscripta est, dicamus. Est autem ordo multiplex. Primò compositiuus à partibus syllogismi ad syllogismum, id est à libro Categoriarum vsque ad Priores Analyticos. Secundò diuisiuus à generali forma syllogismi ad singulas species, quæ à materia sumuntur, nempe demonstrationem, syllogismum dialecticum, & sophisticum, id est à Priorib. Analyticis vsque ad finem Organi. Atqui hi sunt duo ordines, quibus primæ ac summæ artis partes sunt distributæ. Quibus accedunt in specialibus tractatibus alij ordines: vt resolutiuus, dum in Prioribus syllogismus, & in Posterioribus demonstratio in sua principia resoluitur, & ex fine conditiones propositionum probantur. & inductiuus, in modis & figuris syllogismorum inquirendis. Superest, vt explicem inscriptionem logicis Aristotelis operibus communem, cur scilicet hi libri appellatione Organi contineantur. Sciendum igitur est, tres fuisse veterum de logica opiniones. Etenim Stoici asserebant logicam esse philosophiæ partem: Peripatetici organum siue instrumentum, non partem philosophiæ nominabant: Academici verò & partem & organum simul esse existimabāt. Quapropter Peripatetici opus hoc à præceptore suo Aristotele conscriptum, Organum nuncuparūt, vt hac ipsa inscriptione, logicæ naturam ostenderent, & Stoicorum atque Academicorum sententiam refellerent. Et quoniam ea quoque quæstio maximè vexata est, sitne logica pars Philosophiæ, nec ne: paucis dicam, quod sentio. Existimo hanc quæstionem esse inanem, & esse litem de verbis, non de rebus. nam Philosophiæ vocabulum est homonymum: & Philosophiæ partes non constituūt vnam scientiam, sicut partes Physices constituunt vnam scientiam Physicam: sed sunt diuersæ Philosophiæ, & diuersæ scientiæ planè seiunctæ, vt perspicuè docet Aristoteles lib. 1. Poster. Analyt. Ergo interdum Philosophia tam angustè accipitur, vt tantùm Physicam & Metaphysicam complectatur: & ita sumitur ab Aristotele lib. 3. Metaph. cap. 2. vbi ait tot esse philosophiæ partes quot sunt substantiæ. nam Physica tantùm & Metaphysica versantur in substantiis. illa in substantiis mobilibus: hæc in immobilibus: mathematicæ autē versantur in quātitatib. ideoque Aristoteles ibidem disertis verbis distinguit Philosophum à Mathematico. Alibi Philosophia latiùs accipitur, vt complectatur etiā disciplinas Mathematicas, vt lib. 5. Metaphys. cap. 1. Alibi etiam Politica Philosophia nominatur. Et lib. 1. Top. cap. 14. Aristoteles non solùm scientias contemplatiuas, sed etiam Ethicā & Logicam Philosophiæ nomine dignatur. Logica igitur est Philosophiæ pars, aut non est pars. prout hoc, aut illo modo Philosophiæ nomē accipitur. Hæc generaliter annotare volui de logica & libris logicis. Necdum autem feci mentionē Isagoges Porphyrij, quæ primo loco occurrit in Organo logico: quoniam hic liber non est pars Logicæ, sed (vt ipsa inscriptio indicat) est introductio ad logicam. Scopus enim Porphyrij non est artem aliquam tradere, sed tantùm explicare quinque vocabula, Genus, Differentiam, Speciem, Propriū & Accidens, quibus Aristoteles in opere logico, præsertim in Categoriis frequenter vtitur. Ergo Porphyrius non fungitur munere auctoris, sed interpretis, dum quinque illa vocabula nobis explanat. Quòd si logicæ pars esset,

postponi deberet libro Categoriarum: quia cùm Categoriæ sint logicæ fundamenta, primo loco poni debent. Duplex est huius Porphyriani libri inscriptio: altera sumpta à fine, dicitur enim Isagoge, quia introducit ad Categorias, & consequenter ad logicam Aristotelis: altera à materia, dicitur enim liber quinque vocum, seu de quinque vocibus, quia explicat quinque illas voces, Genus, &c. Prior inscriptio reperitur in omnibus libris Græcis scriptis & editis, quos mihi videre licuit. posterior in quibusdam Latinè excusis, & in quibusdã Græcis manu exaratis. Porrò diuiditur hic liber in tres partes. Prima continet præfationem, cap. I. Altera absolutè declarat ea quinque vocabula, cap. 2. 3. 4. & 5. In postrema, id est in reliquis sequentibus capitibus, conferuntur eædem quinque voces inter se.

IN CAPVT I.

HOc capite declarat Porphyrius subiectum, vtilitatem, & methodum huius libri: quemadmodum ex singularum particularum expositione dilucidè apparebit.

1 *Cum sit necesse.* Vt huius libri vtilitatem declaret, Primò proponit quadruplicem quinque illarum vocum vsum, siue vtilitatem, quæ in logica spectatur: quoniam ea omnia, ad quæ confert quinque vocum cognitio, logica sunt. Prima vtilitas est: quod cognitio harum quinque vocum confert ad intelligendas categorias: quoniam categoriæ, vt suo loco intelligetur, nihil aliud sunt, quàm certæ rerum classes eo ordine digestarum, vt species generibus, indiuidua speciebus subiiciantur: idque tam in substantia, quàm in accidentibus. declarantur etiam ab Aristotele categoriæ per propria, & per differentias. necesse igitur est intelligere hæc omnia vocabula, genus, speciem, differentiam, proprium, & accidens. Secunda vtilitas est: quia conferunt ad definitiones: siquidem definitio constat ex genere & differentiis: & interdum loco differentiarum ponuntur propria: definitum autem est species. Tertia vtilitas respicit diuisiones: quia diuisio fit generis in species, vel differentias, vel propria, vel accidentia: perfectissima autem diuisio est, qua genus per differentias in species diuiditur. Vltima vtilitas spectatur in demonstrationibus. vt enim intelligemus ex libro 1. Posteriorum, subiectum demonstrationis est species: attributum quod demonstratur, est proprium: medius terminus est differentia, vel definitio: veluti si probetur hominem esse aptum ad ridendum, quia est rationalis: nam homo est species: aptum ad ridendum, est proprium: rationale est differentia. Secundò cùm ait, *cùm[que] vtilis*, docet ea quatuor, ad quæ dixerat cognitionẽ quinque vocum conferre, id est, categorias, definitiones, diuisiones, & demonstrationes, esse vtilia & digna quæ à nobis cognoscantur. Nec frustra hoc docet, vt quinque vocum vtilitatem ostendat: quoniam si hęc quatuor essent inutilia, etiam cognitio quinque vocum, quæ ad ea confert, esset inutilis.

2 *Breuem tibi traditionem.* Postquàm docuit, cur agat de quinque vocibus: nunc declarat methodum, qua vsurus est in iis explicandis. Ac primùm inquit se vsurum breuitate, quę institutioni conuenit: quandoquidem diximus hunc librum non esse partem logicæ, sed introductionem ad logicam. Secundò cùm ait, *ea quæ apud priscos*, ostendit se nihil noui propositurum, sed veterum dicta collecturum, præsertim (vt ipsemet in fine capitis subiiciet) ex Peripateticorũ scriptis. Tertiò cùm ait, *ab abstrusioribus*, indicat se prætermissurum quæstiones obscuras, quæ ab aliis tractantur, ne scilicèt modum institutionis excedat. Quartò cùm ait, *simpliciores verò*, ostendit se quæstiones faciliores nec omnino prætermissurum, nec diligentissimè tractaturum, sed leuiter expositurum, talis est ea quæstio, Vnde species accipiant differentias: quæ breuiter dissoluetur cap. 3. part. 16.

3 *Ne longe abeam.* Ne temerè dixisse videatur se difficiles quæstiones prætermissurum, difficillimas quasdam de genere ac specie quęstiones indicat, quæ hoc loco dissolui non possunt. Ac primò proponit tres quæstiones: quarum prima est, vtrùm genus & species consistant extra nostrum intellectum, an sint tantùm in intellectu. quod perinde est, ac si dicamus, vtrùm sint primæ, an secundę notiones. In hac quæstione Aristoteles à Platone dissentit. nam Plato censet genera & species per se in rerum natura consistere, eáque vocat Ideas: Aristoteles autem Ideas vbique reiicit, & inquit vniuersalia non esse nisi in intellectu. Altera quęstio est, si genera & species reperiuntur extra intellectum, vt Plato existimauit, vtrùm sint res corporeę, an incorporeę. Platonici statuũt esse incorporeas. Tertia quæstio est, vtrum genus & species sint in indiuiduis, vt homo in Petro & Socrate: an cõsistant per se extra indiuidua. Plato vult ea per se consistere: sic enim statuit Ideas. Aristoteles autẽ in indiuiduis tãtùm ea

esse concedit. Secundò cùm ait, *vna abstrusissima*, duas rationes affert, cur nolit tres illas quæstiones dissoluere. Prior ratio est: quia sunt quæstiones obscurissimæ, quarum dissolutio non conuenit institutioni. Posterior ratio est: quia hæ quæstiones non pertinent ad logicam, sed ad altiorem scientiam, id est Metaphysicam Porphyrius enim in præsentia de quinque vocibus logice tractat. Hic notandum est, eandem rem tractari posse in diuersis scientiis, non tamen eodem modo. Sic homo consideratur à medico, vt est capax sanitatis & morbi: ab Ethico, vt est capax felicitatis: à Physico, vt est corpus quoddam mobile. Sic igitur genus & species diuersis modis considerantur in metaphysica & in logica. ibi quæritur, an sint primæ notiones, vt Plato existimauit: hic verò considerantur, vt secundæ notiones.

4 *Quemadmodum autem*. Reiectis quæstionibus metaphysicis, logicam propositarum quinque vocum expositionem ex veteribus auctoribus, præsertim Peripateticis sumptam pollicetur. Ait *de his*, id est, genere & specie, quorum proximè facta est mentio. Ait [*reliquis*] *propositis*, hoc est, differentia, proprio, & accidente, quæ vnà cum genere & specie fuerunt proposita in 1 part. Ait *magis ad logicen accommodatè*. Quidam vertunt *probabilius*. ego existimo hæc verba illis respondere, *alius maioris exquisitionis*, quibus significabatur metaphysica, atque ita à consideratione metaphysica logicam distingui. Ait *Peripatetici*, id est Aristotelici, qui secundum Ammonium ob hãc causam dicti sunt Peripatetici ἀπὸ τοῦ περιπατεῖν, id est, à deambulando: quia Plato deambulans in Academia docebat: ei verò Xenocrates & Aristoteles successerunt, quorum ille docuit in Academia, hic in Lycio. vnde illi vocati sunt Peripatetici ex Academia: hi verò Peripatetici ex Lycio, sed progressu temporis illi abiecto nomine actionis dicti sunt Academici: hi autem detracta loci appellatione vocati sunt Peripatetici.

IN CAP. II. DE GENERE ET SPECIE.

HActenus præfatio: sequitur expositio quinque vocum. Sumit autem Porphyrius initium à genere, quod & maxime vniuersale est, & ad rei essentiam pertinet. A genere autem non potuit separare speciem: tum quia hæc duo inter se referuntur, & ex se inuicem definiuntur: tum etiam quia coniunctæ sunt eorum diuisiones. Vt enim genus diuiditur in generalissimum & subalternum, ita species in specialissimam & subalternam: atque hæc omnia collocantur in eadem categoria. genus autem subalternum & species subalterna re idem sunt, ratione differunt, vt ipse auctor hoc capite declarabit. Porrò genus & species hic explicantur distinctione, (sunt enim vocabula homonyma) definitione, exemplis, diuisionibus, & proprietatibus.

1 *Videtur autem*. Quia genus & species sunt vocabula homonyma, priùs distinguuntur, quàm definiantur. Non omnes autem significationes proponuntur hoc capite à Porphyrio: sed eæ tantùm, quæ cùm genere logico & specie logica magnam habent affinitatem.

2 *Genus enim dicitur*. Ponit significationem primam generis, qua genus accipitur pro multitudine quadam hominum communem aliquo modo originem habentium: sicut dicitur genus Heraclidarum, quia omnes Heraclidæ ab Hercule ortum ducunt. In hac significatione accepit genus Aratus in phænomenis, vbi homines appellat Iouis genus inquiens, Τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν Veteres enim Iouem, communem hominum parentem statuerunt, vt & Porphyrius notabit part. 32. ideóque Homerus Iouem appellat πατέρα ἀνδρῶν τε θεῶν τε, patrem hominum ac Deorum. Primò Porphyrius hanc significationem proponit. Secundò cùm ait, *qua significatione*, eam exemplo Heraclidarum illustrat.

3 *Rursus & aliter*. Subiicit secundam generis significationem. Et primò generaliter eam proponit, inquiens genus sumi pro principio, ex quo plures originem ducunt: adeo vt genus in hac secunda significatione acceptum, principium sit generis in prima significatione sumpti. sicut enim Heraclidæ (exempli gratiá) vocantur genus primo modo: ita Hercules dicitur genus secundo modo. Secundò cùm ait, *siue* [*consideretur*,] diuidit genus secundo modo acceptum, in parentem & patriam: & vtriusque generis affert exempla perspicua. Quod ad parentem attinet, intellige tam patrem quàm matrem, præcipuè tamen patrem. Vide lib. 4. Metaphys (Latinis est liber 5. ego verò Græcorum Codicum distinctionem & auctoritatem sequor) cap. 28.

4 *Hæc autem significatio*. Expositis duabus ge-

bus generis significationibus, eas inter se confert, ac secundam primæ præfert duplici ratione: quarum rationum priorem affert in hac particula, posteriorem in particula sequenti. *Prior* ratio sumitur ab vsu: quia secunda significatio sæpius occurrit, & magis in vsu est, quàm prima. Ait, *a Cecrope*, primo Atheniensium rege. Ait, *& eorum affines*. Hoc significat Porphyrius, Heraclidarum vel Cecropidarum appellatione sæpe contineri non solùm eos qui descendunt ab Hercole vel à Cecrope, vt qui sunt inter se cognati; sed etiam eos qui illis adiunguntur, vt affines.

5 *At priùs vocatum*. Posterior ratio, propter quam secunda generis significatio præfertur primæ, sumitur ab origine & tempore: quia priùs vsu recepta est, quàm prima significatio. Ait, *vocatum est*. Intellige vocatum vulgò. nam in hoc capite à Porphyrio secunda significatio non est nominata ante primam, sed post primam: ideóque eam appellaui secundam, habitâ ratione contextus.

6 *Alio quoque modo*. Tandem proponit tertiam generis significationem, quæ ad logicum pertinet: eamque confert cum duabus prioribus, ostendens hanc esse illis similem. genus enim logicum est, quod complectitur multas species: est igitur simile primæ significationi; quoniam vtroque modo significatur multitudo quædam, ibi hominum & familiarum, hic, id est, in tertia significatione, specierum. Rursus est simile secundæ significationi: quia vt illa indicabat principium familiarum, ita genus logicum est principium specierum. Vnde probabile est, ideo vocatum hoc esse genus à logicis & philosophis, quia simile est duobus illis prioribus generibus.

7 *Cùm igitur tribus*. Reiectis duabus prioribus significationibus, tanquam à logica & à philosophia alienis, dicendum proponit de genere in tertia significatione sumpto.

8 *Quod etiam explicarunt*. Affert definitionem generis logicè accepti, sumptam ex Aristotele lib. 1. Top. cap. 5. part. 6. Deinde cùm ait, *velut animal*, definitioni subiicit exemplum. animal enim est genus sub se continens multas species, vt hominem, equum, bouem, &c.

9 *Nam eorum quæ attribuuntur*. Vt docere possit genus definitione suprà allata distingui ab omnibus categorematis, primùm diuisiua methodo inuenit sex categoremata genera: quinque propriè dicta genus, differentiam, speciem, proprium, & accidens vnum impropriè dictum, nempe indiuiduum. nam indiuidua propriè loquendo de nullo dicuntur, auctore Aristotele Categoriarum cap. 2. part. 2. & cap. 5. part. 1. & parte 12. id est, non per se & suapte natura, de interpretat. cap. 7. part. 1 sed ex accidenti attribuuntur, lib. 1 Prior. Analyt. c. 27. part. 3. Indiuiduum autem dicitur, quia diuidi non potest in partes subiectiuas: licèt possit fortasse diuidi in partes essentiales, vt Socrates in animam & corpus: vel integrantes, vt Socrates in caput, pectus, brachia, crura, &c. Ait, *cuiusmodi [est] Socrates, &c.* Obserua tribus modis notari iuditi dua. Primò, cùm verbo vniuersali additur nota particularis: vt quidam homo, quoddam animal. hæc à Scholasticis nominantur ind uidua vaga: quia sunt incerta. cùm enim dicis quendam hominem, sub dubio relinquis, Platonem ne intelligas, an Socratem, an alium quempiam: tantum ostendis te de vno homine loqui. Secundò per nomina propria: vt Socrates, Plato. Tertiò per pronomina demonstratiua: vt hic homo, hoc animal. hæc, quæ propriis nominibus, aut demonstratiuis pronominibus indicantur, in scholis nominantur indiuidua signata; quia pleniùs designantur, quàm indiuidua illa vaga.

10 *Ab iis igitur*. Deinceps docet Porphyrius, quomodo tradita generis definitio secernat genus ab aliis categorematis. & primùm separat genus ab indiuiduo. quia genus attribuitur multis, vt animal homini & equo: indiuiduum vni tantùm; vt hic adueniens, soli Socrati.

11 *Ab iis verò quæ pluribus*. Secundò seiungit genus à specie: quia genus attribuitur differentibus, specie, id est, formâ & naturâ. (sic enim differunt homo, equus, & bos, quibus animal attribuitur) species autem attribuitur differentibus numero tantùm; vt homo attribuitur Socrati, Platoni, & Aristoteli, qui eâdem naturâ humanâ præditi sunt: sed numero differre dicuntur, quia sunt tres diuersi homines: diuersi (inquam) id est differentes accidentibus quibusdam, vt docebit Porphyrius part. 38.

12 *A proprio autem*. Tertiò distinguit genus à proprio: quia genus attribuitur multis speciebus: (nam attribui multis differentibus specie, & attribui multis speciebus, idem valent) vt animal homini, equo, & boni: proprium autem attribuitur vni speciei, & indiuiduis sub ea specie contentis, vt aptitudo ad ridendum attribuitur soli homini, & singulis hominibus.

13 *Verum à differentia.* Quartò segregat genus à differentia, & accidente: quia genus attribuitur in quæstione quid est, id est, respondetur ad interrogationem quid aliquid sit: differentia verò & accidens attribuuntur in quæstione quale est, veluti, quid est homo? animal. qualis est homo? rationalis. rursus qualis est homo? bipes. Hic notādum est, cùm duplex sit qualitas, essentialis & accidentalis, vt cōstat ex Categoriarum cap. 5. part. 16 & 17. differentiam significare qualitatem essentialem, id est formam: accidens, qualitatem accidentalem. Quapropter cùm quis interrogat qualis res sit, si essentiam scire cupiat, respondere debes differentiam. si verò qualitatem accidentalem scire velit, aptè respondebis accidens. Rursus notandum est, quod nunc vocamus qualitatem essentialem, & quæstionem qualis essentialiter res sit, plerisque locis ab Aristotele vocari quidditatem, & quæstionem quid res sit. Vnde tertio notandum, quæstionem quid est, accipi duobus modis. Interdum enim quærit materiam: & tunc rectè respondetur genus: quia genus subit vicem materiæ. interdum autem quærit formam: & tunc respondenda est differentia: quia differentia subit vicem formæ, vt Porphyrius docebit cap. sequent. partic. 17.

14 *Quapropter genus.* Hactenus docuit nihil desiderari in definitione generis, quia per eam genus distinguitur ab aliis omnibus categorematis: consequenter docet nihil in eadem definitione superfluere, nullúmque esse verbum otiosum. Expendit igitur singula verba definitionis: & primo loco verbum *attribui pluribus*, quod non est otiosum, sed (vt supra diximus) separat genus ab indiuiduis.

15 *Ex autem quòd.* Secundò docet verbum *differentibus specie*, non esse otiosum: quia secernit genus à specie, & à proprio.

16 *Denique eo quòd.* Tertiò declarat verbum, *in quæstione quid est*, non esse superuacuum: quia separat genus à differentia, & ab accidente.

17 *Nihil igitur.* Concludit definitionem generis perfectam esse: quia nihil in ea redundat, vt probatum est in particulis 14. & 15 & nihil deest, vt demonstratum fuit 9 10. 11. 12 & 13 particulis. perfectum enim aliquid dicitur, cùm nec detrahere nec addere quicquam oportet, Aristotele teste li. 2. Ethic. c. 6. Ait, *notionis.* Hoc verbo ostendit Porphyrius se considerare genus, vt est secunda notio, & vt ad logicum pertinet, & in Scholis vocatur vniuersale post multa, id est, quod intellectus noster ex multis singularib. colligit, nam aliud est genus prima notio, id est idea Platonica, quæ vocatur vniuersale ante multa: propterea quòd Plato existimauit ideas esse sempiternas, & earum participatione singulas res existere: vt hominem esse hominem, quatenus est particeps ideæ hominis, quam Plato vocat αὐτοάνθρωπον, ipsum hominem. Eadem est aliarum rerum ratio.

18 *Species verò.* Hactenus distinctio, & definitio generis: sequitur distinctio, & definitio speciei, cuius proponuntur duæ significationes: quarum prior est, Cuiusque rei forma. Hanc significationem confirmat Porphyrius, seu declarat quodam carmine, quo species cuiusdam, id est forma, imperio digna dicitur. Eundem versum citat Athenæus lib. 13 vbi eum adscribit Euripidi, & Stobæus in sermo. de pulchritudine, apud quem pro ἄξιον, legitur ἀξίαν in numero multitudinis.

19 *Dicitur quoque.* Posterior speciei significatio est logica: & à Porphyrio hic declaratur descriptione, & exemplis. Descriptio est, τὸ ὑπὸ τὸ ἀποδοθὲν γένος, *quæ sub explicato genere [ponitur,]* id est, sub genere paulò antè definito. quod perinde est, ac si diceret, sub genere in tertia significatione sumpto. Exempla tria sunt: primum physicum ex categoria substantiæ, in qua homo est species animalis: alterum physicum in categoria qualitatis, in qua album est species coloris: tertium mathematicum ex categoria qualitatis, in qua triangulum est species figuræ.

20 *Quod si & genus.* Occupat obiectionem, quæ moueri potest aduersus allatas generis & speciei definitiones: quoniam alterū per alterum definitum fuit: quod vide ur esse absurdū: cùm definitio debeat explicare rem definitam: proinde esse notior re definita. vt igitur rectè definiretur genus per speciem, & species per genus, oporteret vtrumque esse notius & ignotius: quod esse nequit. Respondet Porphyrius ex Aristot. lib. 6. Topic. cap. 4. partic. 13 hoc speciale esse in relatis, vt alterum per alterum definiatur: quia definitio debet rei essentiam explicare: & cuiuscumque relati essentia consistit in relatione ad alterum, vt Aristoteles docebit Categoriarum ca. 7. part. 24. Quoniam igitur genus & species inter se referuntur, rectè per se inuicem definiuntur.

21 *Explicant igitur.* Colligit ex veterum dictis tres speciei logicæ definitiones: quarum duæ priores sumuntur ex relatione speciei ad genus, tertia verò ex relatione speci-

ciei ad indiuidua sub specie posita. Obiiciet aliquis Porphyrium euertere, quòd paulò ante dixit. nam dixerat speciem referri ad genus, nec posse definiri, nisi per relationem ad genus: nunc autem definit per relationem ad indiuidua, non facta mentione generis. Solutio colligitur ex iis, quæ Porphyrius subiiciet: nempe hanc posteriorem definitionem non conuenire omni speciei, sed tantùm specialissimæ: in præcedente autem particula loquebatur de generali speciei definitione, quæ omnibus speciebus conuenit.

22 *Sed hæc.* Postquàm proposuit tres speciei definitiones: docet, quod modò indicaui, duas priores conuenire omnibus speciebus, postremam verò soli speciei specialissimæ.

23 *Perspicuum verò.* Vt doceat, quod in proxima particula proposuit, id est, propositarum definitionum alias competere omnibus speciebus, vnam conuenire soli speciei specialissimæ: paulò altiùs rem repetit, ac diuidit quàlibet categoriam in tres partes: nempe in generalissima, subalterna, & specialissima. Sic à definitione generis & speciei transit ad eorundem diuisionem.

24 *Fiat autem in vna.* Traditam categoriæ diuisionem tripertitam declarat variis modis. Prima declaratio est per exempla, quæ sumuntur ex prima categoria, id est ex categoria substantiæ. nam substantia est summum genus, quod vocatur generalissimum. corpus autem, viuens, animal, & rationale animal, sunt subalterna: quia sunt species superiorum, genera inferiorum. homo est species specialissima: quia non habet sub se alias species, sed tantùm indiuidua, Socratem, Platonem, & ceteros singulos homines. Obiter hîc notandum est, cuiuslibet categoriæ appellationem esse homonymam. vt exempli gratiâ, substantia modo accipitur pro tota categoria, modò pro genere generalissimo eius categoriæ. Ait, *animal est species animati corporis.* Contradicit Aristoteles libro 4. Top. cap. 5. part. 9. vbi reprehendit eos qui dicunt animal esse speciem corporis: quia corpus, inquit, non est genus, sed est pars animalis, quod ex corpore & anima constat. Pro solutione notandum est, corpus accipi tribus modis. I. pro materia rerum animâ præditarum: nam corpus est materia: anima est forma. II. pro earum rerum genere. III. pro trina dimensione, id est, longitudine, latitudine & altitudine. In prima significatione sumitur ab Aristotele dicto loco Topico: in altera hîc à Porphyrio: in tertia verò ab Aristotele Categoriarum cap. 6. par. 2.

25 *Quocirca hæc duo.* Sequitur secunda generalissimi, subalterni, & specialissimi expositio. Cùm enim suprà 19. partic. dictum fuerit, genus & speciem esse in relatorum numero: nunc declarat Porphyrius, ad quænam hæc singula referantur: & primò docet subalterna referri tam ad superiora, quorum sunt species, quàm ad inferiora, quorum sunt genera: vt corpus est species substantiæ supra se positæ, & est genus viuentis infra se positi.

26 *Extrema verò.* Secundò docet generalissimum, quia est supremo loco, referri solùm ad inferiora, quorum est genus.

27 *Sed & [species] specialissima.* Tertiò docet speciem specialissimam referri quidem & ad genera superiora, quorum est species, & ad indiuidua sub se posita: sed tamen etiam respectu indiuiduorum vocari speciem: quia cùm sit specialissima & vltima, non potest dici genus. Hoc loco duo sunt notanda. Primò notandum, quod à Porphyrio traditur in contextu, speciem specialissimam aliter dici speciem respectu superiorum, aliter respectu inferiorum. dicitur enim species superioris generis, quoniam ab eo continetur: ac dicitur species inferiorum indiuiduorum, quoniam ea continet. Secundò notandum est, genus, esse verbum homonymùm, & præter significationes à Porphyrio suprà expositas interdum genus accipi pro specie: vt cùm aliquid diuidimus in plura genera, id est, in plures species. Sed hæc significatio diuersa est à genere, quod Porphyrius definiuit, cùm dicebat genus attribui multis differentibus specie. Quamobrem inanis est reprehensio, qua nonnulli contra hunc locum vtuntur inquientes speciem specialissimam sæpe vocari genus: quandoquidem vocatur genus homonymos: in ea verò significatione sumpto genere, in qua à Porphyrio & aliis plerumque accipitur, species specialissima non potest dici genus indiuiduorum: alioquin indiuidua differrent specie contra omnium philosophorum doctrinam, qui accidentibus tantùm, non specie, id est naturâ & essentiâ, distinguunt indiuidua.

28 *[Sic] igitur definiunt.* Sequitur tertia explanatio per definitiones. Primo loco Porphyrius affert duas definitiones generis generalissimi, quæ differunt potiùs verbis, quàm re. Genus enim generalissimum ideo non est species, vt dicitur in priore definitione: quia non habet suprà se aliud genus cuius sit species, vt dicitur in posteriore definitione.

29 *Speciem autem specialissimam.* Secun-

dò proponit tres definitiones speciei specialissimæ: quarum duæ priores parum inter se differunt, ac ferè idem valent. nam species specialissima ideo non potest diuidi in species, vt habet posterior definitio: quia non est genus, vt dicitur in prima definitione. Tertia verò definitio est ea, quæ posita fuit in partic. 21 Ergo hinc apparet confirmatio eius, quod dictum fuit in partic. 22. nempe hanc definitionem, *quod attribuitur multis differentibus numero in quæstione quid est*, esse propriam speciei specialissimæ, cui soli nunc aptatur, neque conuenire aliis speciebus. Huic postremæ definitioni officere videtur, quod ipse Porphyrius docebit part. 37. & Aristot. Categor. cap. 3 part. 1. omnia superiora omnibus inferioribus attribui. Vnde apparet, non solùm speciem specialissimam, sed etiam subalterna, immò & genus generalissimum attribui indiuiduis numero differentibus in quæstione quid est. sicut enim ad quæstionem, quid est Petrus? responderi potest homo: ita etiam responderi potest animal, & corpus, & substantia. nam Petrus est homo, & est animal, & est corpus, & est substantia. Quapropter data definitio non solùm speciei specialissimæ, sed etiam subalternis & generalissimo conuenire videtur. Pro solutione notandum est, alia dici differre genere, vt substantiam & quantitatem: alia specie, vt hominem & equum: alia numero, vt Socratem, & Platonem. Cùm dicimus differre genere, consequenter intelligimus differre etiam specie, & numero. cùm autem dicimus differre specie, significamus differre tantùm specie & numero, contineri autem sub eodem genere. Denique ea dicimus differre numero, quæ tantùm numero differunt, genere autem & specie conueniunt. Simili ratione dicendum est, propositam definitionem non conuenire generalissimo, nec subalternis: quoniam hæc non attribuuntur tantùm differentibus numero, sed etiam specie.

30 *Media verò.* Tertiò definit Porphyrius subalterna, quæ sunt & genera & species: nempe genera inferiorum specierum, & species superiorum generum: vt animal est species viuentis, & genus hominis.

31 *Vt Agamemnon.* Sequitur quarta expositio sumpta à simili, id est, à genealogiis. nam & suprà part 6. intelleximus genera esse similia genealogiis, & familiis, ac familiarum principiis. Similitudo in eo consistit; quòd sicuti primus pater (putà Iupiter secundùm Ethnicorum sententiam, vel Adamus secundùm sacrarum litterarum veritatem) est tantùm pater, non filius: ita summum genus est tantùm genus, non species. Item sicuti quidam simul sunt filij suorum parentum, & parentes suorum liberorum: ita subalterna sunt species suorum generum, & genera suarum specierum. Tandem sicut aliquis est tantùm filius, non pater; ita etiam specialissima sunt tantùm species, non genera. Est & altera similitudo, quæ sola mihi videtur in contextu proponi. sicut enim speciei specialissimæ non solùm attribuitur proximum genus, sed & alia omnia superiora: ita etiam vltimi filij non solùm pater proximus, sed etiam omnes alij maiores dicuntur parentes exempli gratiâ, homo dicitur esse animal, & viuens, & corpus, & substantia. Sic Agamemnon dicitur Atrides, id est, filius Atrei, & Pelopides, id est, nepos Pelopis, & Tantalides, id est, pronepos Tantali: & postremùm Iouis, id est, abnepos Iouis.

32 *Sed in genealogiis.* Sequitur quinta expositio, qua declarantur variæ proprietates generalissimi, subalternorum, & specialissimorum. Prima proprietas est numerus. cui proprietati rectè datur primus locus: quia proximè dictis cohæret. dictum enim modò fuit, Categoriam, id est, seriem generum & specierum, esse similem genealogiæ: nunc igitur docet Porphyrius quoddam inter hæc discrimen à numero sumptum: ac primò declarat numerum summorum generum, sub quibus omnes res continentur: quæ quidem sunt decem, vt Aristoteles in Categoriis declarabit: cùm in genealogiis non sint decem primi parentes, sed vnus primus parens: nempe, vt Ethnici statuunt, Iupiter: vt ipsa veritas, Adamus.

Ait, *quoniam ens.* Occupat quandam obiectionem. Dicere enim aliquis potuisset, Ens esse omnium rerum genus: ideóque decem illa genera, substantiam, quantitatem, &c. non esse summa genera, sed species entis. Respondet Porphyrius hæc vocari entia homonymos. proinde ens non esse genus: quoniam omne genus est synonymum, non homonymum. Quæ dicantur synonyma, & quæ homonyma, declarabitur cap. 1. Categor. Illud in præsentia notandum est, Porphyrium impropriè loqui. nam reuera Ens nec est genus synonymum, nec est vocabulum homonymum: sed est medium quid inter synonymum & homonymum, vt Aristoteles docet libro 3. Metaphys. (Latinis est liber 4.) cap. 2. Ea namque dicuntur communia synonymos, quæ significant naturam quandam cōmunem æquè subiectis omnibus attributam:

attributam: vt animal æquè dicitur de homine, equo, & leone. ea verò dicuntur communia homonymos, quæ sunt pura vocabula, nullam naturam communem significantia: vt canis significat quoddam sydus, & quadrupes animal, & piscem: nec significat aliquid illis commune. nonnulla verò significant naturam communem, non æquè ab omnibus subiectis participatam. & hoc duobus modis contingit. quædam enim talia dicuntur per relationem ad vnum quidpiam: vt putà salubria dicuntur tam cibus, qui valet ad sanitatem tuendam, quàm bonus color, qui est sanitatis indicium: vtraque, inquam, dicuntur salubria, quia referuntur ad sanitatem, sed diuersis modis. ita commune est ens: nam quantitas, qualitas, & reliqua accidentia, non dicuntur entia per se, sed merito substantiæ, in qua insunt. substantia verò est Ens per se. Denique sunt quædam ratione analogiæ communia: vt commutata proportio est communis magnitudinibus & numeris. quod exemplum habebimus ab Aristotele libro 1. Poster. cap 5. part. 4.

33 *Sed specialissima.* Exposito numero generalissimorum, deinceps loquitur de numero specialissimorum: quorum numerus est quidem maximus ac nobis incognitus, finitus tamen: nam omnes species finitæ sunt: quoniam actu sunt, infinitum verò actu esse non posse Aristoteles probat lib. 3. Physic. cap. 7. & 8. De numero subalternorum Porphyrius nihil dicit: quia facile colligitur ex iis, quæ tradit de generalissimis & specialissimis. nam quò magis à generalissimo recedis, eò maiorem numerum inuenies. itaque subalterna sunt plura generalissimis, & pauciora specialissimis. sed & subalternorum certus numerus afferri nequit.

34 *Indiuidua verò.* Tandem loquitur de numero indiuiduorum, quæ ait esse infinita, nempe secundùm Philosophos, qui existimarunt mundum esse æternum, principio & fine carentem, adeò vt infiniti (exempli gratiâ) homines præcesserint, & infiniti futuri sint.

35 *Idcirco cùm vsque.* Hactenus prima proprietas generum & specierum, id est, numerus: sequitur secunda, id est, scientia & scientiæ ordo. Hæc proprietas ex prima colligitur. nam quæ pauciora sunt, vt generalissima, primo loco discuntur. quæ sunt plura, vt sunt subalterna, sequenti loco disci debent. quæ verò sunt infinita, vt indiuidua, sunt prætermittenda, quoniam infinita non possunt scientiâ comprehendi. hæc Porphyrius confirmat auctoritate Platonis in Philebo.

36 *Descendentes igitur.* Sequitur tertia proprietas, id est, vis vniendi vel diuidendi. In Categoriis namque, quod superius est, inferiora coniungit & vnit. quæ verò sunt inferiora, superius diuidunt, vt homo, equus, bos, vno communi animalis genere continentur: & animal, quod vnum est, in eas multas species diuiditur.

37 *Iam verò cùm quid sit genus.* Sequitur quarta proprietas, nempe attributio & subiectio. de qua regulas quasdam affert Porphyrius. Primò autem breui epilogo colligit, quod suprà docuit. Ait, *quandoquidem dictum sit.* Coniunge lib. 4. Top. cap. 3. part. 4. & obserua hanc proprietatem conuenire generi, non speciei specialissimæ. nam species specialissima potest habere vnum indiuiduum: vt in specie Solis vnus est Sol, & in specie mundi vnus mundus. genus autem semper habet multas species: quia diuiditur per differentias oppositas, quibus diuersæ species constituuntur & nisi multæ species sint, non vocabitur genus, sed species. Secundò cùm ait, *genus quidem*, tradit primam regulam: Superiora inferioribus attribuuntur, non contrà superioribus inferiora. Intellige superiora & inferiora in eadem Categoria. Tertiò cùm ait, *Oportet enim*, datam regulam ex eo confirmat, quòd vel attribuuntur æqualia æqualibus, vel maiora minoribus, non minora maioribus: in singulis enim Categoriis, quæ sunt superiora, sunt maiora, id est magis vniuersalia. quæ verò sunt inferiora, sunt minora, id est, magis particularia. vt in Categoria substantiæ animal est suprà hominem, quia latiùs patet quàm homo, cùm sub se contineat non solùm hominem, sed etiam equum, bouem & alias species. Æqualia verò dicuntur ea, quæ reciprocantur, & æquè latè patent: vt homo, & aptus ad ridendum. Quartò cùm ait, *Quibus autem*, dat alteram regulam, Cui species attribuitur, eidem attribuitur eiusdem speciei genus, & illius generis genus vsque ad genus generalissimum. Coniunge Categor. cap. 3. part. 1. & Prior. lib. 1. c. 1. part. vlt. Quintò cùm ait, *nam si verè*, regulam proximè traditam confirmat exemplo sumpto ex Categoria substantiæ. Sextò cùm ait, *cùm enim semper*, coniungit dictas regulas, afferens tertiam regulam compositam ex prima & secunda. nam ita superiora attribuuntur inferioribus, sicut dictum fuit in prima regula, vt species specialissima attribuatur indiuiduo, genus subalternum attribuatur non solùm speciei, sed etiam indiuiduo, genus generalissimum attribuatur & subalterno vel subalternis, & specialissimis, & indiuiduis, quemadmodum dictum est in secunda regula. Ait, *Species.*

Sub specialissima. Ait *genus*. Sub. subalternū. Septimò cùm air, *nam generalissimum*, tertiam regulam confirmat à natura generalissimi, subalterni, specialissimi, & indiuidui.

38 *Indiuiduum autem dicitur.* Quia sæpius mentionem fecit indiuidui, & proximè dixit omnia superiora attribui indiuiduis: nunc exemplis & definitione declarat, quid sit indiuiduum. Primò autem affert exempla pertinentia ad particulare signatum vel proprio nomine, vt Socrates: vel alia demonstratione, vt hic qui accedit. Quid autem Scholasticis sit indiuiduum signatum, & quid à vago differat, exposui suprà ad partic. 9. Secundò cùm ait, *quæ autem huiusmodi*, exempla allata confirmat per definitionem indiuidui, quæ illis exemplis conuenit. quod non tam facit eorum exemplorum confirmandorum causâ, quàm vt afferat definitionem, & eam cum præcedentibus connectat. Indiuiduum igitur definitur, quod constat ex multis proprietatibus: quæ etsi singulæ in aliis reperiri possunt, ramen omnes simul, siue illarum collectio in vno illo indiuiduo reperitur. vtputà Socrates est philosophus, Atheniensis, Sophronisci filius: sed neque solus est philosophus, neque solus Atheniensis, neque solus Sophronisci filius. sed si omnes has proprietates coniunctim accipias, in solo Socrate eas reperies, & per eas distinguitur Socrates ab omnibus aliis hominibus. veluti quia est philosophus, seiungitur ab idiotis, quia Græcus, à Barbaris. & ita de ceteris proprietatibus est dicendum. Hic obserua, indiuidua sub eadem specie contenta, non differre naturâ vel formâ, sed tantùm accidentibus seu proprietatibus. Meritò igitur indiuidua à Philosophis non vocantur species: quia species significat naturam, vel formam.

39 *Continentur igitur.* Redit ad proprietates generum & specierum & obiter indiuiduorum explicandas: & affert quintam & vltimam proprietatem, id est, habere rationem totius vel partis quod enim superius est, inferiora continet, quasi totum partes. vt animal est totum quoddam: homo, equus & bos sunt eius partes. Hic obserua, triplex esse totum, proinde & tria esse genera partium. totum enim est (vt cum Scholasticis loquar) vel essentiale, vel integratum, vel prædicationis: & similiter partes sunt vel essentiales, vel integrantes, vel subiectiuæ. exempli gratiâ, cùm animal constet ex corpore & anima: animal est totum essentiale, corpus autem & anima sunt partes essentiales, quæ constituunt essentiam animalis, cuius materia est corpus, forma verò est anima. Rursus animal constat capite, brachiis, ventre, cruribus, & ceteris eiusmodi partibus, quæ vocantur integrantes: & animal hoc respectu est corpus integratum: integrum enim animal est, quod ex omnibus his partibus constat. Denique animal continet multas species: vt hominem, equum, bouem: quæ vocantur partes subiectiuæ: quia subiiciuntur animali: & hac ratione animal est totum attributiuum, seu totum prædicationis: quoniam his speciebus attribuitur. In præsentiâ igitur apud Porphyrium intellige totum attributiuum, & partes subiectiuas.

40 *De genere igitur.* Epilogo concludit Porphyrius hoc caput de genere & specie: & tam ex hoc epilogo, quàm ex propositione habita in prima particula, & ex toto tractatu exposito apparet, vnum esse caput de genere & specie, non duo, vt vulgò diuidunt, seu potiùs dilaniant Porphyrium.

IN CAPVT III. DE DIFFERENTIA.

GENVS & speciem rectè sequitur differentia: cùm quia genus in species diuiditur per differentias oppositas, tum etiam quia hæc tria Categoremata pertinent ad rei naturam & essentiam explicandam: reliqua duo, quæ posteriùs declarabuntur, sunt accidentia. Est quidem differentia naturâ prior, quàm species. sed quia species refertur ad genus, & quædam species sunt etiam genera, nempe subalternæ: ideò doctrinæ ordo postulauit, vt species cum genere coniungeretur, simúlque explicaretur, proinde præferretur differentiæ. Genere igitur & specie expositis, nunc Porphyrius differentiam declarat distinctione, (quia est vocabulum homonymum) collatione, (confert enim & varias differentias inter se, & differentias cum subiectis) etymologiâ, vsus enarratione, & definitione.

1 *Differentia verò.* Incipit à distinctione differentiæ, vt obseruet eandem methodum, qua in superiori capite vsus est: quia scilicet priùs tollenda est per distinctionem homonymia, quàm definitio proponatur. Hic distinctiones duæ à Porphyrio proponentur. Prima distinctio est trimembris: quòd alia est differentia communiter dicta, alia propriè dicta, alia maximè propriè. Primo igitur loco hanc distinctionem proponit in hac particula: deinde singula membra

bra explanabit in particulis sequentibus.

2 *Communiter enim* Explicat differentiam communiter sumptam, definitione, & exemplis. In summa, hæc differentia nihil aliud est, quàm accidens separabile à subiecto, vt stare, se. etc. itque impropriè vocatur differentia. & propriè pertinet ad Categorema accidentis, de quo dicetur cap. 5. Huius igitur differentiæ Porphyrius primò definitionem affert. ad quam notandum est, Porphyrium, exemplo Aristotelis, definire concretum tanquam notius, vt ex eo appareat definitio abstracti, hoc est, definire id quod differt; quia per argumentum à coniugatis ex ea definitione facilè colligitur definitio differentiæ. sicut enim id quod communiter differt, est id quod qualicunque discrimine seu varietate differt: ita illud discrimen, siue illa varietas, est differentia communiter dicta. Secundò cùm ait, *differt enim Socrates*, subiicit exempla: quæ partim spectantur in diuersis, vt in Socrate & Platone: partim in eodem, vt in solo Socrate: hac enim ratione differre potest alter ab altero, & idem à se ipso.

3 *Propriè verò differre.* Similiter definitione & exemplis declarat differentiam propriè dictam, quæ nihil aliud est, quàm accidens inseparabile, vt nares simas habere.

4 *Maximè autem propriè.* Exponit differentiam maximè propriè dictam, quæ est forma rei. Hæc sola significatio constituit Categorema differentiæ. Atque hanc solam intelligebat Porphyrius 1. cap. vbi proponebat agendum de genere, differentia, &c.

Ait, *specifica differentia.* Cur specifica appelletur, ipse Porphyrius docebit part. 14.

Ait, *rationali qualitate*, Qualitatis verbum est homonymum. quandoque enim significat quodcumque accidens: plerumque Categoriam qualitatis, quæ est species accidentis: interdum verò significat qualitatem substantialem, id est, formam rei, vt hic, & superiori cap. partic. 13. & cap. 12. part. 3. & Categor. cap. 5. parte 16. & 17. & Top. lib. 6. capite 6. partic. 11.

5 *Vniuersaliter igitur.* Expositis tribus significationibus differentiæ, nunc eas inter se trifariam confert. Prima collatio sumitur ab effectu: vbi notatur similitudo, & discrimen. Primò autem ponit similitudinem: quia omnis differentia alicui rei adiuncta facit eam rem ab aliis rebus variam. Secundò cùm ait, *sed quæ*, ponit discrimen: quòd licèt omnes differentiæ res distinguant: tamen differentia primo vel secundo modo accepta, facit res tantùm diuersas: differentia verò specifica facit res omnino alias: nempe quia duæ priores differentiæ sunt accidentia, postrema verò significat rei essentiam.

6 *Sanè quæ faciunt.* Secunda collatio sumitur à nomine & appellatione. Hic est discrimen: quia primo vel secundo modo accepta, dicitur simpliciter differentia, id est, non vocatur differentia specifica: tertio autem modo nominatur differentia specifica, quia speciem constituit. Ait, *simpliciter differentia*, id est, sine adiunctione. Caue tamen putes differentiam primo vel secundo modo acceptam, non recipere vllam adiunctionem, quia possunt appellari differentiæ accidentales: sed tantùm intellige non recipere hanc adiectionem, vt vocentur specificæ. Primò ponit hoc discrimen. Secundò cùm ait, *nam animali*, adiungit exempla, quibus non solùm hoc secundum, sed etiam primum discrimen explicatur.

7 *Atque ex his differentiis.* Tertia collatio ab vsu sumpta, facit tertium discrimen: quia differentia vltimo modo accepta, ponitur in diuisione generis & in definitione speciei: (vtputà rationale & irrationale diuidunt animal: homo autem definitur animal rationale) differentia verò primo vel secundo modo accepta, declarat tantùm rei subiectæ affectionem quandam, id est, accidens aliquod, putà alborem, vel nigrorem: sed nec in diuisionibus, nec in definitionibus adhibetur.

8 *Rursus ab initio.* Hucusque prima differentiæ distinctio: sequitur altera bimembris: quòd aliæ sunt differentiæ separabiles à subiecto, in quo insunt, vt simitas à naso: aliæ separabiles, vt sanitas, & morbus. Primò ponit hanc diuisionem. Secundò cùm ait, *nam moueri*, eam declarat exemplis.

9 *Inseparabilem autem.* Subdiuidit differentias inseparabiles in duo membra. nam aliæ sunt per se, id est, essentiales: (hæ sunt, quas suprà vocauimus differentias maximè propriè dictas) aliæ verò sunt ex accidenti, quas suprà nominauimus differentias propriè dictas. quæ verò in præcedenti particula vocatæ sunt differentiæ separabiles, superiùs nominabantur differentiæ communiter dictæ. Primò hanc subdiuisionem in contextu ponit. Secundò cùm ait, *nam rationale*, eam exemplis illustrat.

10 *Quæ igitur per se.* Declarat tria discrimina inter membra secundæ distinctionis. Primum sumitur ab vsu: quia differentiæ per se dictæ, ponuntur in definitionibus: reliquæ non item. Secundum discrimen sumitur ab effectu: quia differentiæ

per se faciunt res omnino alias, vt ratio facit hominem esse aliud quàm equum: reliquæ autem differentiæ faciunt tantùm res diuersas ratione quorundam accidentium: veluti quia sedere & stare diuersa sunt, quamuis idem homo modò stet, modò sedeat.

11 *Et quæ sunt per se.* Tertium discrimen sumitur ab intentione & remissione, quam differentiæ per se non admittunt: vt homo non potest esse magis & minùs rationalis: sed potest esse magis & minùs albus, vel habere nares magis aut minùs simas. Primò ponit hoc discrimen. Secundò cùm ait, *etenim neque genus*, probat differentias per se nec intendi nec remitti: & obiter idem probat de genere: quia quod ad hoc eadem est generis & differentiæ ratio: quia genus & differentia ponuntur in rei definitione, proinde constituunt rei essentiam: consequenter non intenduntur, nec remittuntur: quia rei essentia non intenditur, nec remittitur. Tertiò cùm ait, *aduncum verò*, exemplis probat differentias accidentarias intendi & remitti.

12 *Cùm igitur tres.* Hactenus exposuit auctor duas distinctiones differentiæ: deinceps agit de differentia per se & maximè propriè dicta, quæ sola constituit categorema differentiæ. nam reliquæ (vt suprà monui) sunt accidentia. Primò autem præmunitionis causâ ex superioribus repetit differentiæ diuisionem bimembrem, quæ simul cum subdiuisione constituit tres species differentiæ: id est, differentiam separabilem, differentiam inseparabilem essentialem & per se, ac differentiam inseparabilem accidentalem. Dum ait esse tres species differentiæ, abutitur speciei vocabulo: nam hæ non sunt veræ species, sed diuersæ significationes verbi homonymi. Secundò cùm ait, *rursus differentiarum*, incipit agere de differentiis per se, quarum nomen, vsum, ac definitiones enarrabit. Initiò declarat nomen siue eius appellationem, id est, cur vocetur differentia specifica. cùm enim aliàs diuidat genus, aliàs constituat speciem: & aliæ dicantur diuidere genus, aliæ constituere speciem: mirari aliquis possit, cur omnes vocentur specificæ. hoc autem ideò fit: quia nulla differentia diuidit genus, quæ non constituat aliquam speciem: proinde omnes possunt specificæ appellari. Hoc vt auctor doceat, partim confert plures differentias cum vno subiecto, partim vnam differentiam cum pluribus subiectis. Prior collatio hic habetur: posterior in partic sequen. Quod ad priorem attinet. Porphyrius ostendit, alias esse eiusdem subiecti constitutiuas, alias diuisiuas. Tertiò cùm ait, *veluti cùm hæ*, eam constitutiuarum & diuisiuarum distinctionem declarat exemplo. vtputà sit subiectum, animal: sint differentiæ animalis sex: animatum, sensu præditum, rationale, rationis expers, mortale, immortale. duæ primæ constituunt animal: quia animal nihil aliud est, quàm corpus animatum sentiens. duæ sequentes diuidunt animal: quia omne animal aut est rationale, vt homo: aut rationis expers, vt bestia. similiter duæ postremæ diuidunt animal: quoniam omne animal aut est mortale, vt homo. aut immortale, vt angelis.

13 *Sed hæ differentiæ.* Nunc confert vnam differentiam cum pluribus subiectis: ac primò inquit eandem differentiam esse diuisiuam superioris generis, & constitutiuam inferioris speciei. Secundò cùm ait, *Animal enim*, id declarat exemplo differentiarum diuidentium animal, quæ easdem constituunt certas species animalium. Tertiò cùm ait, *sic etiam*, adiungit alterum exemplum differentiarum diuidentium substantiam supremam, id est summum & generalissimum genus: nam hæ quoque differentiæ constituunt certas substantiæ species, vt in contextu dilucidè explicatur.

14 *Quoniam igitur.* Ex dictis colligit omnes huiusmodi differentias, quæ scilicet sunt differentiæ per se, rectè vocari specificas: quia etsi diuidunt genera, tamen omnes etiã efficiunt aliquam speciem.

15 *Atque harum maximè.* Hactenus docuit, cur differentia specifica nominetur: sequitur eiusdem differentiæ vsus: quoniam in definitionibus, & diuisionibus adhibetur, vt suprà fuit expositum part. 7 & 10.

16 *Quas etiam definientes.* Nomine & vsu differentiæ specificæ expositis, definitionem inquirit: ac varias inueniens veterum definitiones, vnam tantùm probat. Prima definitio, *qua species superat genus*, conuenit differentiæ, quatenus distinguit speciem à suo genere: quia scilicet differentia in superiori genere tantùm potestate inest, non actu: in specie verò inest actu. Hæc definitio non est perfecta: quia non conuenit soli differentiæ, sed etiam proprio: æquè enim species superat genus proprio, atque differentiã: vt homo æquè superat animal aptitudine ad ridendum, atque ratione. Primò Porphyrius dat hanc definitionem. Secundò cùm ait, *nam homo*, eam declarat exemplo. Tertiò cùm ait, *quandoquidem animal*, probat differentiam in genere inesse tantùm potestate. Aut enim actu inest, aut potestate, aut nullo modo. Non inest autem actu: quia

cùm genus differentiis oppositis diuidatur, vt animal rationali & irrationali, opposita simul essent in eodem: verbi gratiâ animal esset rationale & irrationale: quod est absurdum. Rursus falsum est, differentiam nullo modo inesse in genere: quia cùm omnis species habeat in se differentiam per quam constituitur, necesse est vt eam accipiat à genere sub quo continetur: alioquin eam acciperet ex nihilo, quod est absurdum. Restat igitur, vt dicamus genus differentiam potestate continere.

17 *Sic quoque eam.* Secunda differentiæ definitio, *quæ pluribus & differentibus specie attribuitur in [quæstione] quale quid est*, conuenit differentiæ, quatenus est categorema. Primò Porphyrius ponit hanc definitionem. In qua dum differentia dicitur attribui pluribus, separatur ab indiuiduis. Illa autem verba *differentibus specie*, seiungunt differentiam à specie, & à proprio. Ceterùm hæc non est bona definitio: quia nec soli differentiæ conuenit, nec omni. Non soli: quia conuenit etiam accidenti, ipso Porphyrio teste suprà cap. proxim. partic. 13. Et vana est interpretum distinctio inter quæstionem quale quid est, & quæstionem quale est, dum inquiunt differentiam attribui in quæstione quid est, accidens verò in quæstione quale est. nam Porphyrius hanc distinctionem non adgnoscit: immò disertis verbis ait accidens attribui in quæstione quale quid est, suprà cap. prox. partic. 13. & infrà cap. 10. part. 5. & cap. 16. partic. 2. Rursus hæc definitio non conuenit omni differentiæ, quia non conuenit vltimæ differentiæ: quæ constituit speciem specialissimam. & quamuis apud interpretes dubitetur, sintne an non sint huiusmodi vltimæ differentiæ: reuera tamen eas negare non debemus: quia necesse est esse aliquam propriam formam vltimæ speciei, vt hominis atque ea erit vltima differentia, velut rationale. Auctoritate etiam Aristotelis probari hæc sententia potest ex lib. 1. de partibus animal. cap. 2. & lib. 6. Metaph. cap. 12. Sed Porphyrius in toto hoc opere has differentias ferè silentio præteriit, quemadmodum & Aristoteles in Topic. propterea quòd obscuræ sunt, & latent, vixque inueniri possunt: vnde logicæ tyronibus non sunt proponendæ: & ab iis qui dialecticè disputant, non considerantur. Secundò cùm ait, *Rationale enim*, exemplo confirmat differentiam attribui in quæstione quale quid est. Tertiò cùm ait, *cùm enim*, rationem affert, cur differentia attribuatur in quæstione quale quid est, genus verò in quæstione quid est: videlicet quia genus subit rationem materiæ, ac differentia rationem formæ: illæ autem duæ quæstiones ita inter se distinguuntur: vt quid est, quærat materiam: quale quid est, quærat formam. Quod dictum est, genus obtinere locum materiæ: differentiam formæ: in substantiis obtinet. in accidentibus verò è contrario genus est forma, & differentia vicem subit materiæ: vt cùm simitas definitur curuitas narium: & eclipsis, defectus luminis in Luna. Ait, *communia & specialia*. hæc duo vocabula accipit ex ἀφθάλλον.

18 *Describunt etiam ita.* Tertia definitio, *quod naturalem vim habet separandi ea quæ sub eodem genere [collocantur,]* id est, species sub eodem genere contentas, conuenit differentiæ, quatenus speciem à specie secernit. Hæc quoque definitio est imperfecta, vt ipse Porphyrius mox docebit partic. 20. nam species inter se distinguuntur etiam propriis, & accidentibus. vt cygnus & coruus distinguuntur à colore: quoniam ille est albus, hic niger. Item homo & equus distinguuntur à proprietate: quoniam homo est aptus ad ridendum, equus ad hinniendum. Quod ad seriem contextus attinet, primò Porphyrius hanc definitionem ponit. Secundò cùm ait, *Nam rationale*, eam exemplo explanat.

19 *Explicant etiam ita.* Quarta definitio est tertiæ similis, id quo singula differunt: & est eodem modo imperfecta. Primò ponit hanc definitionem. Secundò cùm ait, *Nam homo*, eam declarat exemplo differentiæ Rationalis. Tertiò cùm ait, *Item rationale*, eandem explicat exemplo differentiæ Mortalis.

20 *Qui verò diligentius.* Vult afferre quintam ac perfectam definitionem. Ac primò docet tertiam definitionem esse imperfectam. Ideò autem de hac nominatim loquitur: quia vult, huic aliquid adiiciendo, definitionem perfectam tradere. Secundò cùm ait, *sed quod ad essentiam*, vt eam definitionem perficiat, adiicit hanc clausulam, *quod ad essentiam & ad quidditatem confert, quódque est rei pars*, tribus verbis eandem rem significans. nam conferre ad rei essentiam conferre ad quidditatem, & esse rei partem, (subaudi essentialem) pro eodem accipiuntur. Tertiò cùm ait, *nam aptum naturâ*, probat dictam adiectionem esse necessariam, & sine ea definitionem esse imperfectum: quòd alioqui definitio conueniret etiam proprio. nam & proprium separat speciem à specie, vt aptitudo ad ridendum seiungit hominem à bruto.

21 *Ac de differentia.* Breui epilogo finem imponit huic capiti de differentia.

IN CAP. IV. DE PROPRIO.

A Categorematis essentialibus transit ad accidentalia. nam & proprium, est species accidentis, cùm accidens in commune & proprium diuidatur. Appellatione igitur proprij significat Porphyrius accidens proprium: & appellatione accidentis significat accidens commune. Vnde notandum est, hoc vocabulum *Proprium*, esse homonymum. nam (præter distinctionem, quam Porphyrius in contextu docebit) aliter accipitur proprium, cùm opponitur communi: aliter, cùm opponitur improprio. Græci planius hæc distinguunt, dum opponunt τὸ κύριον τῷ ἀκύρῳ, καὶ τὸ ἴδιον τῷ κοινῷ. Sic Porphyrius part. 6. huius capitis dixit κυρίως ἴδια, quod nos vertimus *propriè propria*. In præsentia proprium dicitur, non quod improprio, sed quod communi opponitur. nam & proprium & accidens non impropriè dicuntur accidentia. sed hoc est commune multis speciebus, illud verò est vnius proprium. Sed rursus notandum est, quando dicimus cum Porphyrio proprium vni speciei attribui, nos loqui de proprio speciei specialissimæ. Ceterùm etiam generibus generalissimis conueniunt quædam proprietates, quas Aristoteles in Categoriis docebit: & similiter aliæ competunt subalternis. præterea indiuidua habent etiam suas proprietates teste ipso Porphyrio cap. 2. part. 38. Sicut igitur suprà non considerauit omnem differentiam, ita hic non agit de omni proprio, sed de proprio speciei specialissimæ.

1 *Proprium autem diuidunt.* Proprium quoque, vt vocabulum homonymum, distinguitur in quatuor significata: quorum vltimum constituit Categorema Proprij: cùm tria reliqua veriùs dicantur accidentia, quàm propria.

2 *Nam[proprium est] & quod soli.* Primam proprij significationem declarat definitione, & exemplis. Primò igitur proprium definit, Quod conuenit soli alicui speciei, id est speciei specialissimæ. Secundò cùm ait, *vt homini*, dat duo exempla propriorum eidem subiecto competentium. nam hominis hoc modo proprium est tam esse medicum, quàm geometram.

3 *Et quod accidit.* Eâdem methodo, id est, definitione & exemplo, declarat secundam significationem primæ quodammodo oppositam: quia primo modo proprium dicitur, quod conuenit soli, non omni: secundo modo, quod conuenit omni, non soli: vt omnis homo est bipes: non tamen solus, quia etiam aues sunt bipedes.

4 *Et quod soli.* Eâdem methodo explicat tertiam significationem, quæ primam & secundam coniungit. nam hoc modo proprium dicitur, quod & soli & omni conuenit: non tamen semper, sed aliquando. vt omnes & soli homines in senectute canescunt.

5 *Et quartò.* Eâdem methodo explanat quartam significationem, quæ aliquid addit tertiæ ratione temporis. hoc enim modo proprium dicitur, quod omni & soli & semper conuenit, vt homini aptitudo ad ridendum.

6 *Atque hæc propriè.* Seiungit vltimam significationem à tribus reliquis, hac proprietate: quòd proprium in postrema significatione acceptum reciprocatur cum eo cuius est proprium: vt omnis homo est aptus ad ridendum, & omne aptum ad ridendum est homo: (coniunge lib. 1. Top. cap. 5 part 5. & cap. 8. part. 2.) reliqua verò non reciprocantur: vt omnis medicus est homo, sed non omnis homo est medicus. rursus omnis homo est bipes, non omne bipes est homo. item omne canescens est homo, non omnis homo canescit.

IN CAPVT V. DE ACCIDENTE.

A Ccidens commune, id est, quod pluribus ac diuersis speciebus contingit, hoc capite explicatur definitionibus, diuisione, & exemplis. Sed in primis notandum est, cùm accidens substantiæ siue essentiæ opponatur, vtrumque esse vocabulum homonymum: ita vt quod est accidens vno modo, sit essentia in altera significatione. Ergo substantia & accidens, modò accipiuntur absolutè, modò comparatè. Absolutè substantia dicitur, quicquid est per se: vt animal, homo, lapis. accidens verò, quod non per se est, sed meritò substantiæ, in qua inest: vt album, nigrum, quæ sunt accidentia corporis: & scientia, vel ignorantia, quæ sunt accidentia animi. Hoc modo substantia & accidens accipiuntur in Categoriis. & in hac significatione dicimus vnam esse Categoriam substantiæ, nouem Categorias accidentium. Cùm autem hæc vocabula comparatè accipiuntur, id est, cùm aliquid dicitur esse alterius essentia, vel alteri accidere: tunc substantia siue essentia dicitur, quod ali-

quam

quam rem constituit & perficit; vt genus & differentia constituunt speciem: accidens verò, quod præter rei essentiam accedit. In qua significatione non solum album & nigrum dicuntur accidere subiecto, sed etiam species accidit generi, vt Auerroës doctè tradidit. nam homo (exempli gratiâ) quamuis per se consideratus, sit substantia, & quamuis respectu singulorum hominum significet eorum essentiam, sine qua singuli homines esse nequeunt: tamen accidit animali: quia animal sine homine esse potest, licet homo sine animali esse nequeat. Vnde apparet, quod absolutè est substantia, posse comparatè esse accidens. Contrà quod absolutè est accidens, comparatè potest esse essentia: vt color accidit corpori: non tamen est accidēs respectu alboris & nigroris, immo est eorum genus, proinde eorum essentia. Hoc igitur loco accidens à Porphyrio sumitur in secunda significatione, in qua est Categorema distinctum à genere, differentia, specie, & proprio: cùm accidens in prima significatione sit Categoria distincta à substātia. Porro si quis differētiā inter Categorema & Categoriā scire auet, Categorema est nomen secundæ notionis: (Categoremata enim dicuntur genus, species, &c.) Categoria verò est nomen primæ intentionis: Categoriæ namque vocantur, substantia, quantitas, qualitas, &c. Rursus vnum quodque Categorema rem vnam significat, putà genus, vel differentiā. Categoria verò multa complectitur, id est, seriem generum, specierum, & indiuiduorum, à genere generalissimo vsque ad infima indiuidua.

1 *Accidens verò est.* Proponit primam definitionem accidentis; *quod adest & abest sine subiecti interitu.* In hac definitione adesse & abesse intellige, non reipsâ, sed per intellectum: alioquin hæc definitio non conueniret omnibus accidentibus. quædam enim accidētia reipsâ non possunt separari à subiecto: vt albor à cygno, & niue: nigror à coruo & AEthiope. Rursus quædam non possunt adesse sine subiecti interitu: vt mors: nam qui moritur, interit. possumus tamen morientem intelligere: ergo mors adest sine subiecti interitu, id est, mors. non obstat, quo minùs hominem morientem intelligamus esse hominem. Alia est ratio differentiæ: quoniam homo (exempli gratiâ) non solùm reipsâ non est homo nisi sit animal rationale, sed etiam intelligi non potest quin rationalis intelligatur, & si velles hominem rationis expertem fingere per intellectum, fingeres hominem non hominem: quoniam homo per rationem est homo. Sensus igitur definitionis à Porpyrio traditæ est, accidens esse id, cum quo & sine quo subiectum intelligi potest. Atque hanc interpretationem sequens part. confirmabit.

2 *Diuiditur autē.* Primò suprà dictæ accidentis definitionis opponit eiusdem diuisionem. cùm enim quædam accidentia sint separabilia, vt somnus & vigilia ab animali, quædam inseparabilia, vt albor à cygno & niue: quomodo poterit verum esse, quod generaliter in definitione dictum fuit, accidens posse abesse à subiecto? Secundò cùm ait, *Sed potest intelligi*, allatam obiectionem dissoluit, inquiens omnia accidentia per intellectum posse a subiectis separari, quod in scholis dicitur abstrahi, licet quædam reipsâ non separentur. Hac ratione conciliatur diuisio accidentis cum eiusdem definitione: quoniam in diuisione accidentia realiter dicuntur separari vel non separari à subiecto: in definitione autem significamus omne accidens separari per abstractionem intellectus. Obiiciet aliquis, si hic sit sensus definitionis, hanc definitionem conuenire etiam proprio: nam & proprium potest abstrahi per intellectum. Hanc obiectionem præceptor noster Zabarella, hunc locum enarrās soluebat per distinctionem abstractionis in priuatiuam & positiuam. Priuatiuam vocabat eam, quæ tantùm priuat subiectum aliquo accidente, ita vt intellectus consideret subiectum non habitâ ratione accidentis. vt in definitione hominis nec aptitudo ad ridendum, nec somnus aut vigilia ponuntur: proinde intellectus noster, dum hominem definit, abstrahit à proprietatibus & accidentibus. Sed non fingit in subiecto contrarias proprietates vel contraria accidentia: putà non fingit hominem ineptum ad ridendum. Positiuam autem abstractionem, eam nominabat, quæ nō solùm abstrahit ab accidēte, quod in subiecto inest, sed etiā fingit in subiecto contrarium accidens: veluti si intellectus fingat coruum album, aut cygnum nigrum. Accidens igitur commune à proprio differt quòd accidens commune potest abstrahi tam positiuè quam priuatiuè proprium autem priuatiue tantùm. non etiam positiuè. Porphyrius autem vtramque abstractionem intellexit in definitione accidentis, vt ipsemet eam explicat: dum dicit posse intelligi coruum album, quæ est abstractio positiua & AEthiopem abiecto colore, quæ est abstractio priuatiua. Ex dictis colligimus discrimen inter differentiam, proprium, & accidens. nam differentia, cùm

gnificat formam & essentiam rei, nullo modo abstrahi potest, nec reipsa, nec per intellectum: accidens verò separabile potest abstrahi omnibus modis, tam re, quàm per intellectum: accidens autem inseparabile potest abstrahi vtroque modo per intellectum, id est priuatiuè & positiuè, re ipsa non abstrahitur: denique proprium, quod mediam naturam habet inter differentiam & accidens commune, vtpote quod est accidens fluens à rei forma, nec reipsa nec positiuè per intellectum, sed tantum priuatiue abstrahi potest.

3 *Sic etiam definiunt.* Subiicit secundam definitionem accidentis, similem primę sumptam ex 1. Top cap. 5 pa. t. 8. Ait igitur accidens esse, quod contingit inesse & non inesse: non quod possit esse accidens sine subiecto: cùm (vt in scholis dicitur) accidentis esse sit inesse: sed quia subiectum esse potest sine accidente. accidens enim non est necessarium, lib. 1. Poster. cap 6. partic. t. quòd verò non est necessarium, contingere dicitur & potest esse ac non esse 1. Prior. cap. 13. partic. 4.

4 *Et quod neque.* Hæc est tertia & vltima accidentis definitio, sumpta ex dicto cap. 5. part 8 lib. 1. Top. Ait, *semper autem in subiecto inhæret*, id est, non potest esse sine subiecto; quamuis (vt suprà dixi) subiectum possit esse sine ipso accidente.

IN CAP. VI. DE COLLATIONE QVINQVE vocum.

EXpositis separatim. Hactenus exposuit singula categoremata absolutè, & per se: deinceps vult ea inter se conferre, vt intelligamus, quatenus sunt similia, vel diuersa. atque hoc explicandum proponit in hac particula.

2 *Commune igitur.* Expositurus quinque vocum communitates ac differentias, primùm in hoc capite omnes inter se confert, ac docet quid omnibus sit commune, vel quibusdam proprium: postea in singulis capitibus binas voces comparabit, vt genus & differentiam, genus & speciem, &c. In hac igitur partic. ponit communitatem, cuius ratione omnia categoremata conueniunt, quoniam omnia multis attribuuntur.

3 *Sed genus attribuitur.* Communitati subiicit differentiam quandam & primò constituit tria membra. quædam enim attribuuntur. multis speciebus & indiuiduis vt genus, differentia, & accidens commune: nonnulla indiuiduis tantum, vt species, subaudi, specialissima: alia vni speciei & indiuiduis sub ea contentis, vt proprium. Intellige proprium speciei specialissimæ, de quo solo Porphyrium loqui, notaui suprà in prin. cap. 4. Secundò cùm ait, *nam animal*, exemplis perspicuis explicat & confirmat ea quæ dixit de singulorum categorematum attributione. Ait, *sed primum*. Obserua notabile discrimen inter proprium, & accidens. proprium enim proficiscitur à forma, & est effectus formæ communis: accidens verò est à materia, cuius diuersitas constituit diuersa indiuidua. Hinc Aristoteles lib. 9 Metaphys (Latinis est 10) c. p pen. inquit hominem esse album per accidens; quatenus indiuiduum, vt Callias, est album.

IN CAP. VII. QVO CONFERTVR GENVS CVM DIFferentia.

HOc capite explicat tria generi & differentiæ communia, & septem inter ea differentias.

1 *Commune [est] generis.* Prima communitas est: quòd tam genus quàm differentia sub se continent multas species, licèt differentia pauciores quàm genus complectatur. Intellige speciem generis diuisiuam: nam constitutiua non continet pauciores species quàm genus. verbi gratiâ animalis differentia constitutiua est Sensitiuum: diuisiua, Rationale. ergò tam sensitiuum quàm animal suo ambitu, complectitur omnes animalium species: rationale autem tantùm angelum & hominem continet, non etiam bruta. Item excipe differentiam vltimam, quæ diuidit vltimum genus & constituit infimam seu specialissimam speciem: hæc enim differentia sub se habet vnam speciem, sed à Porphyrio prætermittitur, vt notaui ad cap. 3. partic 17.

2. *Et quæcumque attribuuntur.* Secunda communitas est: quòd quæcunque attribuuntur generi vel differentiæ, eadem attribuuntur etiam iis quæ generi vel differentiis subiiciuntur. Huc spectat regula attributionum, quam habebis Categor. cap. 3. partic. 1. & Prior. Analyt cap. 1. partic. vltima. Primùm Porphyrius hoc tradit de genere. Ait, *vt genus est*: hoc est, quatenus est res quædam, non quatenus est vox. nam animali (exempli gratiâ) hæc attribuuntur, esse generis neutri, &

tri, & esse trisyllabum: quæ equo & boui sub animali contentis non attribuuntur. Ceterum impropriè loquitur, dũ ait attribui generi quà est genus. etenim si quid generi attribuitur, genus ei subiicitur: propriè, verò, quatenus attribuitur, genus dicitur: quatenus autẽ subiicitur, species potiùs quàm genus nominatur. Secundò cùm ait, *& quæcumque*, eãdem attributionis regulam, quam de genere tradidit, differentiæ accommodat. Ait, *vt differentia est*. Hæc verba sunt eodem modo exponenda, quo suprà exposui verba, *vt genus est*. nempe dicuntur attribui differentiæ vt est differentia, quæ ei attribuuntur, vt est res quædam, non vt est vocabulum, vt rationali, quatenus est differentia, id est, quatenus est res, attribuitur vti ratione: eidémque, vt est vocabulum, attribuitur esse fœminei generis: homini verò, qui sub rationali continetur, ratione quidem vti attribuitur: esse autem fœminei generis, non attribuitur. Tertiò cùm ait, *cùm enim animal*, prolato exemplo ostendit dictam regulam generi conuenire. Quartò cùm ait, *cunque rationale*, aliò exemplo probat eandem regulam conuenire differentiæ.

3 *Sed & hoc*. Tertia communitas est: quòd sublato genere vel sublata differentiâ tolluntur simul species subiectæ: quod Porphyrius perspicuo exemplo confirmat.

4 *Proprium autem generis*. Expositis communitatibus subiicit discrimina, quæ erunt septem. Primum discrimen non solùm separat genus à differentia ex sententia Aristotelis 4. Topic. cap 6. part. 2. & 15. sed etiam ab aliis categorematis: quia genus pluribus attribuitur quàm cetera categoremata. quod ita demum verum est, si accipiantur differentia, species, proprium & accidens sub genere contenta, vt mox Porphyrius de differentia monebit, & de aliis supplere necesse est. Nam differentia constitutiua animalis, vt sensitiuum: & proprium animalis, vt vigilare vel dormire, tam latè patet, quàm animal: ac de iis omnibus dicuntur, de quibus animal dicitur: color autem, quod est accidens, pluribus attribuitur quia non solis animalibus, sed etiam rebus inanimatis inest. Secundò cùm ait, *nam animal*, exemplis datum discrimen confirmat. accidentis tamen nullum exemplum affert: sed tantùm generis, differentiæ, speciei, & proprij. Tertiò cùm ait, *Oportet autem*, monet, vt quæ nunc dicta sunt, accipiantur de differentia generis, quæ sub genere ponitur. non de constitutiua, quæ genere est superior: quod nos paulò ante de omnibus categorematis cũ genere collatis notauimus. eodemq; modo differentiam accipi suprà debere, ad 1. partic. monuimus.

5 *Præterea genus*. Secundum discrimen est: quòd genus continet, ac differentia continetur. nam genus potestate continet differentias, (intellige diuisiuas, vt suprà) non actu, sicut expositum fuit cap 3 partic. 16.

6 *Præterea genera*. Tertium discrimen est: quòd genus naturâ est prius quàm differentia eius diuisiua. Non loquitur enim de differentia constitutiua, sed tantùm de diuisiua, vt suprà.

7 *Idcirco*. Quartum discrimen ex tertio colligitur. nam quia genus est prius differentia: hinc est, quòd sublato genere tolluntur differentiæ, sublatis autem differentiis non tollitur genus. Intellige differentias diuisiuas, non constitutiuas. & tolli, non reipsa, sed per intellectum, vt mox ex verbis contextus eliciam. Primò Porphyrius ex suprà dictis colligit hoc discrimen. Secundò cùm ait, *sublato enim animali*, traditam doctrinam exemplo illustrat & confirmat. Ait, *licèt omnes tollantur*, &c. Non potest quidem re ipsa esse animal, si neque rationale sit, neque rationis expers: sed in intellectu esse potest: quoniam rationale & irrationale pertinet ad eius diuisionem: prius autem definimus animal, quàm diuidamus. cùm igitur animal definimus substantiam animatam sentientem, animal est in nostro intellectu: rationale verò & irrationale nondum est in intellectu. Idcirco Porphyrius rectè ait, *in eligitur*.

8 *Præterea genus* Quintum discrimẽ sumitur à diuersis modis attribuendi: quod fuit expositum suprà cap 1. partic. 13.

6 *Præterea in quaque*. Sextum discrimẽ est: quod vna species habet vnum genus: subaudi, proximum, id est non potest habere multa genera proxima: potest tamen habere multas differentias proximas, id est superioris proximi generis diuisiuas, & generi illi speciéique interiectas. Exempla habes in contextu.

10 *Ac genus quidem*. Septimum discrimen, quòd genus subit rationem materiæ, differentia formæ, expositum fuit supra cap. 3 partic. 17.

11 *Cùm autem*. Ostendit se præcipuas communitates ac differentias inter genus ac differentiam exposuisse. cùm aliæ quoque adiungi possint. Exempli causâ verumque ponitur in definitione, vt dictum fuit cap. 3. part. 17. & repetitur ab Aristot. 6. Top. cap. 4. part. 5. sed priori loco ponitur genus, postea subiiciuntur differentiæ, vt discemus ex 2. Poster. cap. 13. part. 18. 19. 20.

IN CAP. VIII. QVO CONFERTVR GENVS CVM specie.

TRES generis & speciei cõmunitates, septem verò differentias exponit.

1 *Genus & species.* Prima communitas est: quòd tam species, quàm genus multis attribuitur. Primò ponit hanc communitatem. Ait *vt dictum est*, cap 2.part.9.& præterea in generis & speciei definitionibus. & insuper cap. 6. part.2 atq; ad hunc postremũ locum puto Prophyriũ in præsentia respicere. Secũdò cùm ait, *Accipiatur autẽ*, docet quomodo in hoc capite species accipiatur, nempe quatenus est species. Ergo hic considcratur non solùm species specialissima, sed etiam subalterna. illa vno modo considerari potest, nimirum vt species: hæc autem duobus modis, id est, vel vt genus, vel vt species: sed in præsentia spectatur, quatenus est species, non quatenus genus.

2 *Commune etiam.* Secunda communitas est: quòd vtrumque est prius iis quibus attribuitur: vt genus est prius speciebus, & species indiuiduis.

3 *Et vtrumque esse totum quiddam.* Tertia communitas est: quòd vtrumque habet rationem totius. siue enim conferas genus cum specie, genus est totum, & species est eius pars: siue conferas speciem cum indiuiduo: species est totum, & indiuiduum est eius pars: vt expositum est cap.2. part.39.

4 *Differunt autem.* Hactenus communitates: sequuntur differentiæ. Prima differentia est: quòd genus continet speciem, non continetur à specie: vt animal continet hominem & equum, non continetur ab homine vel equo. Intellige continere potestate, sicut totum attributiuum continet partem subiectiuam: ceteroqui species actu in se cõtinet genus vt partem essentialem: quia constat ex genere & differentia, vt dictum fuit cap.3 partic.17.

5 *Genus enim.* Secunda differentia est: quòd genus attribuitur pluribus quàm species.

6 *Præterea opus est.* Tertia differentia est: quòd genus est naturâ prius quàm species.

7 *Et vna tollunt.* Quarta differentia ex præcedenti colligitur: quòd sublato genere tollitur species, non contrà. nisi enim sit animal, non est homo. sed etiamsi homo non sit, tamen animal esse potest, vt equus & leo.

8 *Ac genera quidem.* Quinta differentia est: quòd genus attribuitur speciei synonymos: species generi nequaquam. Ea dicuntur attribui synonymos, quorum & nomen & definitio attribuitur subiecto, vt c.1. Categor. explicabitur. sic animal homini, cuius est genus, attribuitur synonymos: quia tam nomen quàm definitio animalis homini attribuitur. rectè enim dicimus, homo est animal. nec minùs rectè, homo est corpus animatum sentiens, quæ est animalis definitio. Ait, *non item species generibus.* Non negat speciem attribui synonymos, quasi alia ratione attribuatur, vt homonymos: sed significat speciem nullo modo attribui generi: nam species est sub genere: inferiora autem superioribus non attribuuntur, sed subiciuntur, vt dictum fuit cap.2. partic.17. Si obiicias speciem attribui generi in huiusmodi enunciationibus, aliquod animal est homo, aliquod animal est equus: respondebo, *aliquod animal*, non esse genus hominis & equi. aliud enim est animal: aliud est aliquod animal. illud est genus: hoc verò, genus dici nequit.

9 *Præterea genera.* Sexta differentia sumitur à comprehensione. nam genus potestate plura comprehendit quàm species, id est, latiùs patet, ac pluribus attribuitur: species verò actu plura comprehẽdit quàm genus: quia non tantùm ex genere constat, sed etiam ex differentia, tamquàm partibus essentialibus.

10 *Præterea nec species.* Septima differentia est: quod dicitur genus generalissimũ, non dicitur genus specialissimum: contrà dicitur species specialissima, non species generalissima.

IN CAP. IX. QVO CONFERTVR GENVS CVM proprio.

TRES generis & proprij communitates, & quinque differentias explanat.

1 *Generi cum proprio.* Prima communitas est: quòd vtrumque sequitur speciem, id est, posita specie ponitur genus, & proprium. Primò ponit hanc communitatem. Secundò cùm ait, *nam si quid*, perspicuo exemplo eam declarat.

2 *Item æquè.* Secunda communitas est quod vtrumque suis subiectis æquè attribuitur, id est, genus speciebus, & proprium indiuiduis. Primò ponit hanc communitatem. Secundò cùm ait, *homo enim*, exemplo eam illustrat.

3 Com-

3 *Commune etiam,* Tertia communitas secundum Porphyrium est, quòd vtrunque attribuitur synonymos. Ac genus quidem synonymos attribui, iam dictum est suprà cap. 8. partic 8. De proprio autem meritò dubitari quis possit, an sententia Porphyrij vera sit: nam definitio proprij non conuenit subiecto. vt simum non definitur nasus curuus, sed narium curuitas, auctore Aristotele Elench. cap. 31. partic. vlt. nasus autem dici non potest esse nasi curuitas. Denique proprium de subiecto non dicitur synonymos, sed paronymos, vt ἀπὸ τῆ γελαστικῆ γελαστικὸς, à risibilitate risibilis. Vereor ne Porphyrium deceperit, quod Aristoteles tradit 5. Top. cap 4. parti[illegible].

4 *Differunt autem.* Expositis communitatibus, subiicit differentias. Prima differentia est, quòd genus est prius proprio.

5 *Ac genus quidem.* Secunda differentia est: quod genus semper attribuitur multis speciebus, proprium vni speciei. lege notata ad cap. 2. partic. 37. & ad cap. 6. partic. 3.

6 *Praeterea proprium reciprocatur.* Tertia differentia est: quòd genus cum specie non reciprocatur: proprium autem cum ea, cuius est proprium, reciprocatur. Primo ponit hanc differentiam. Secundò cùm ait, *neque enim,* eam exemplis confirmat.

7 *Praeterea proprium inest.* Quarta differentia est: quòd genus inest in specie tota & semper, non tamen sola: proprium verò in tota, sola, & semper. vt animal semper inest omni homini, non tamen soli homini, sed & equo, & boni: aptitudo verò ad ridendum inest omni homini, & soli, & semper.

8 *Praeterea propria.* Quinta differentia est: quòd sublato genere tollitur species, vt dictum est cap. 8 part. 7. consequenter tollitur proprium, quod sine subiecta specie esse nequit: sublato autem proprio non tollitur genus. Vt sublato animali tolliter homo, proinde tollitur aptitudo ad ridendum, quę in solo homine inest: sublata verò aptitudine ad ridendum, non tollitur, sed manet animal.

IN CAP. X. QVO CONFERTVR GENVS CVM ACcidente.

VNAM communitatem, & quatuor differentias ponit inter genus & accidens.

1 *Generis & accidentis.* Prima communitas est: quòd & genus & accidens multis attribuũtur. Primò ponit hãc cõmunitatem Ait, *vt dictũ est.* c. 2. par. 9. & c. 6. par. 2. Secundò cùm ait, *sive sit* ostendit hoc conuenire omnibus accidẽtibus, tam separabilibus, quàm inseparabilibus. quod cõfirmat exẽplo motus & nigroris: quorum illud est accidens separabile: hoc in coruo, AEthiope, ebeno, est accidens inseparabile.

2 *Differt autem.* Prima differentia est: quod genus est prius speciebus: accidens verò est speciebus posterior, Genus esse prius speciebus, non probat in praesentia: quia iam probauit cap. 9. part. 6. Accidens autem esse posterius, illis verbis, *non etiamsi, &c.* ita probat: Subiectum accidentis est prius accidente: atqui species est subiectum accidentis: ergo species est prior accidente.

3 *Ac genus quidem.* Secunda differentia est: quòd genus aequaliter attribuitur, vt dictum est cap. 3. part. 11. & cap. 9. part. 2. accidens verò inaequaliter: nam aliud alio est candidius (exempli caussa) vel atrius.

4 *Et accidentia.* Tertia differentia est: quòd accidentia consistunt in substantiis indiuiduis, sine quibus esse nequeunt: genera verò & species sunt priora indiuiduis.

5 *Et genera.* Quarta differentia tradita fuit etiam suprà cap. 2. part. 13. quòd genus attribuitur in quaestione quid est: accidens verò in quaestione quale quid est, vel quomodo se habet.

IN CAP. XI DE NVMERO COLLATIONVM.

POSTQVAM contulit genus cum reliquis categorematis, prius quàm differentiam & reliqua similiter consideret, de numero omnium collationum agit, vt intelligamus in sequentibus vocibus pauciores collationes explicandas superesse, nec esse mox conferendam differentiam cum genere: quoniam haec collatio non differt à suprà tradita collatione generis cum differentia. Notandum est, Porphyrium in toto hoc capite loqui tantùm de differentia, non de communitate. sed quia eadem est ratio communitatis: idcirco generaliter inscripsi hoc caput de numero collationum, non specialiter de numero differentiarum. Item notandum est, differentiae seu colationis verbum hic generaliter accipi: vt vna collatio seu differentia dicatur, quae est inter duo categoremata, licèt haec multis modis inter se comparentur. verbi caussa vna est inter genus & speciem, altera inter genus & differentiam. Sed singula haec collationum

genera diuiduntur in multas species:

1 *Quid igitur.* Prauam quandam rationẽ dinumerãdarum collationum ponit, quæ alicui primâ fronte probari possit. sunt enim quinque categoremata, genus, differentia, &c. quorum vnumquodque cum aliis quatuor confertur. cùm igitur quinque quater conferantur, fiunt viginti collationes: siquidem quinque quater accepta, faciunt viginti.

2 *Verùm non ita est.* Reiicit dictam numerandi rationem, aliámque meliorem declarat, quia decem comparationes inueniuntur. Ac primò summatim hoc proponit, in singulis progressibus adimi vnam collationem: quia singula categoremata conferuntur cum sequentibus, nec repetitur collatio sequentium cum præcedentibus. vnde in primo categoremate inueniuntur quatuor collationes cum quatuor sequentibus categorematibus: in secundo tres cum tribus sequentibus: in tertio quatuor cum sequentibus duobus: in quarto vna cum quinto: in quinto nulla, quia nullum est categorema vltra quintum. Ait, *in secundo.* in secundo categoremate, id est in differentia, quæ secundum inter categoremata locum obtinet. Ait, *vna differentia*, quæ scilicet est inter differentiam & genus, *deficiat*, id est, non sit ampliùs explicanda, *quia iam sumpta est*, id est, tunc fuit exposita, cùm genus cum differentia conferebatur: nihil enim interest, vtrùm genus cum differentia conferatur, an differentia cum genere. Ait, *in tertio*, id est, in specie, *duæ* differentiæ seu collationes reliquentur, tamquàm suprà expositæ: quarum altera est inter speciem & genus, altera inter speciem & differentiam. illa namque erit exposita, quando genus conferetur cum specie: hæc, vbi differentia conferetur cum specie. Ait, *in quarto tres* id est, in proprio tres collationes omittentur, quoniam erunt antea expositæ, vna cum genere, altera cum differentia, tertia cum specie. Ait, *in quinto quatuor*, id est, in accidente omittentur omnes quatuor collationes: quia priùs traditæ erũt, prima cum genere, altera cum differentia, tertia cum specie, quarta cum proprio. Secundò cùm ait, *nam quò genus*, quod breuiter & summatim dixerat, distinctiùs elucidare incipit, sumpto initio à genere, in quo ostendit quatuor differentias seu quatuor collationes considerari. Tertiò cùm ait, *differentia verò*, distinctè ostendit tres differentiæ collationes enarrandas superesse. Quartò cùm ait, *rursus quemodo*, probat duas superesse collationes speciei declarandas. Quintò cùm ait, *Proprium verò*, ostendi proprium habere vnam collationem cum accidente, quæ exponenda supersit. Sextò cùm ait, *cum igitur quatuor*, ponit complexionem, quia colligit distinctè numerum singularum collationũ, & totius summæ, & quid iam expositum sit. Numerus singularum collationum est: quod genus habet quatuor collationes, differentia tres, species duas, proprium vnam. summa est decem collationum. expositæ sunt quatuor, quæ spectantur inter genus & quatuor reliqua categoremata. quocirca sex collationes examinandæ supersunt, de quibus in sequentibus capitibus agetur.

IN CAP. XII. QVO CONFERTVR DIFFERENTIA cum specie.

HOc capite duas cõmunitates ac quinque differentias docet inter differentiã & speciem:

1 *Communem igitur.* Prima communitas est, quòd vtrumque æquè attribuitur, non alius magis, aliis minùs. Primò ponit hanc communitatem. Deinde ibi, *hominis enim*, exemplis eam illustrat.

2 *Commune etiam.* Secunda communitas est, quòd vtrũque semper adest iis quibus attribuitur: vt differentia speciei & indiuiduis, & species indiuiduis. Primò ponit hanc communitatem. Secundo ibi, *semper enim*, eam declarat exemplis.

3 *Proprium autem.* Hactenus communitates: sequuntur discrimina. Primum discrimen est: quòd differentia attribuitur in quæstione quale quid est, species in quæstione quid est, vt sæpius dictum fuit. Primò ponit hoc discrimen. Secundò cùm ait, *nam & si homo*, occupat obiectionem quandam. nam homo, qui est species, videtur significare quale quid: vt Aristoteles inquit Categor. cap. 5. part. 16. Respondet Porphyrius hanc significationem non esse ex natura speciei, quatenus est species, sed quatenus species in se præter genus habet etiam differentiam: vnde potiùs differentiæ conuenit, quàm speciei.

4 *Præterea differentia.* Secundum discrimen est: quòd differentia sæpe attribuitur multis speciebus: species verò (subaudi, specialissima) attribuitur solis indiuiduis. Nota aduerbium *sæpe*: quod indicat Porphyrium non ignorasse quasdam esse vltimas differentias, quæ vni speciei attribuuntur, licèt propter earum obscuritatem, quia difficile-

difficillimè inueniuntur, eas prætermiſerit, vt notaui ad cap 3 part. 17. vbi dixi has differentias à Porphyrio in toto hoc opere ferè præteriri, vſus aduerbio *ferè*, propter hunc locum: quia Porphyrius hic innuit differentiam non ſemper attribuit multis ſpeciebus: nam ſi hoc ſemper eſſet, male diceretur ſæpe eſſe, ſi credimus Ariſtoteli 2. Top. cap. 6. partic 4.

5 *Præterea differentia.* Tertium diſcrimen eſt: quòd differentia eſt prior ſpecie & hoc probatur ex alio diſcrimine: quia differentia ſublata tollit ſpeciem, non contrà ſpecies differentiam, vt Porphyrius exemplo confirmat.

6 *Præterea differentia.* Quintum diſcrimen eſt: quòd multæ differentiæ coniunguntur ad ſpeciem conſtituendam: vnde ſolemus definitiones conſtituere ex genere & differentiis: ſpecies verò ita non coniungentur: vt Porphyrius exemplis confirmat. Et quia dicere aliquis poſſet equam & aſinum coniungi ad mulum procreandum, reſpondet hanc eſſe indiuiduorum coitionem, non ſpecierum compoſitionem: neque enim ex ſpecie aſini & ſpecie equi conficitur mulus, ſed ex coitu cuiuſdam equæ & cuiuſdam aſini gignitur quidam mulus.

IN CAPVT XIII. QVO CONFERTVR DIFFERENTIA cum proprio.

DVAS communitates, & duo diſcrimina proponit inter differentiam & proprium.

1 *Differentia & proprium.* Prima communitas eſt, quòd æqualiter attribuuntur ſuis ſub eſtis; non aliis magis, aliis minùs. Primò ponit hanc communitatem. Deinde cùm ait *æquè enim*, eam exemplis illuſtrat.

2 *Commune etiam.* Secunda communitas eſt, quòd vtrumque ſemper & omni adeſt ei cui attribuitur, id eſt, differentia ſpeciebus & indiuiduis: proprium ſpeciei cuius eſt proprium, & indiuiduis ſub ea ſpecie contentis. Intellige adeſſe re ipſa: quia nec ſpecies nec indiuidua poſſunt eſſe ſine differentia vel ſine proprio ceterùm per intellectum ſeparantur à proprio, non à differentia, vt expoſui ſuprà cap 5 part. 2. Primò ponit hanc communitatem. Secundò cùm ait, *quamuis enim*, occupat obiectionem quandam, cuius ſolutione intelligimus quomodo accipiendum ſit, quod dictum eſt, differentiam & proprium ſemper ineſſe: nempe ſemper inſunt ſecundùm naturalem aptitudinem, non ſemper ſecundùm actum. vt homo naturâ ſemper eſt bipes, & aptus ad ridendum; ſed actu non ſemper eſt bipes, nec ſemper ridet. Aptum ad ridendum, eſt proprium quarto modo. bipes eſt proprium ſecundo modo, vt ſuprà cap. 4. partic. 3. vel exemplum differentiæ, vt Categor. cap 3. partic. 2. & alibi ſæpe.

3 *Proprium autem.* Hucuſque communitates differentiæ & proprij: ſequuntur eorum diſcrimina. Primum diſcrimen eſt: quòd differentia multis ſpeciebus, proprium vni ſpeciei attribuitur. Hoc ideo verum eſt: quia Porphyrius neque differentiam vltimam, quæ conſtituit ſpeciem ſpecialiſſimam, neque proprium ſuperiorum generum, ſed tantùm differentias ſuperiores, & proprium ſpeciei ſpecialiſſimæ conſiderat. ceterùm differentia vltima vni ſpeciei & proprium ſuperiorum generum multis ſpeciebus attribuitur.

4 *Ac differentia.* Secundum diſcrimen eſt: quòd differentia cum ſpecie non reciprocatur, ſed latiùs patet: proprium autem reciprocatur. vt rationale dicitur de homine, nec reciprocatur, quia dicitur etiam de angelo: adeo vt omnis homo ſit rationalis, non tamen omne rationale ſit homo. proprium autem reciprocatur, vt expoſitum fuit cap. 4. part. vlt. exempli cauſâ, omnis homo eſt aptus ad ridendum; & quicquid aptum eſt ad ridendum, eſt homo.

IN CAP. XIV. QVO CONFERTVR DIFFERENTIA CVM accidente.

DVAS communitates, ac tria diſcrimina differentiæ & accidentis explanat.

1 *Differentia.* Prima communitas eſt, quòd vtrumque pluribus attribuitur, vt dictum iam fuit cap 2. part. 9. & cap 6. part 2.

2 *Item commune.* Secunda communitas ſpectatur inter differentiam & accidens inſeparabile, (omiſſo accidenti ſeparabili) quòd vtrumque ſemper adeſt ſpeciei ſubiectæ Intellige adeſſe re ipſa nam per intellectum accidens inſeparabile à ſubiecto abiungitur, vt expoſitum fuit cap 6. part. 2. Primò ponit hanc communionem. Secundò cùm ait, *nam & bipes*, eam exemplis declarat.

3 *Differunt autem.* Primum diſcrimen eſt; quòd differentia continet ſpeciem, ſed

inuicem non continetur, quia semper latiùs patet quàm species, vt sæpius expositum fuit: accidens verò partim continet, partim continetur, id est, partim latiùs, partim angustiùs patet, quàm species. quatenus enim multis speciebus attribuitur, vt albor lacti, niui, cygno, eas species dicitur aliquo modo continere. quatenus autẽ eadẽ species continet accidentia contraria, eatenus accidentia continentur, quoniam species latiùs patet: vt aqua continet calorem & frigus, quia non omnis aqua est calida, vel nõ semper est calida: sed partim aqua est calida, partim frigida. Continere.n. & cõtineri, hoc loco nihil aliud est, quàm latiùs, vel angustiùs patere. Primò Porphyrius declarat proprietatem differentiæ, quæ continet, non continetur: & eam proprietatem exẽplo confirmat. Secundò cùm ait, *accidentia verò* explicat proprietatem accidentis. Ait, *sunt in pluribus*. subaudi, speciebus, seu subiectis: vt albor inest in cygno, lacte, & niue. Ait, *plurium*. Ne intelligas accidentia diuersa, vt alborem, & calorem: sic enim discrimen inter differentiam & accidens euanesceret: quia species etiam differentias dici posset hoc modo continere, vt homo differentias rationalis & mortalis: sicuti dictũ fuit cap. 7. partic. 9. Intellige igitur accidentia contraria, quæ non possunt simul esse: vnde fit, vt species aliquo modo latiùs pateat quàm accidens: sicut aqua latiùs patet quàm calidum, quatenus continet etiam frigidum: cùm alia sit aqua calida, alia frigida. Hunc locum interpretes non intellexerunt.

4 *Ac differentia quidem.* Secundum discrimen est, quòd differentia æqualiter attribuitur, non aliis magis, aliis minùs: vt omnia rationalia sunt æquè rationalia: accidens verò inæqualiter attribuitur: aliud: enim est candidius: aliud minùs candidum: & aliud calidius, aliud minùs calidum.

5 *Et differentiæ contrariæ.* Tertium discrimen est: quòd differentiæ contrariæ, vt rationale & irrationale, non commiscentur, id est, non coniunguntur actu: accidẽtia verò contraria commiscentur, vt album & nigrum in rubro aut viridi constituendo.

6 *Tot [sunt] communitates.* Breui epilogo finem imponit secundæ generali collationi, quæ est inter defferentiam & alia categoremata.

IN CAPVT XV. QVO CONFERTVR SPECIES CVM proprio.

1 *Quà verò species.* A differentia transit ad speciem considerandam, quę est tertium categorema: ac docet eam tãtum cum proprio & accidente esse conferandam: nam cum reliquis categorematis suprà comparata fuit, id est cum genere ca. 8. & cum differentia cap. 12.

2 *Speciei cum proprio.* Duæ sunt speciei & proprij communitates, ac quatuor differentiæ. Prima communitas est, quòd inter se reciprocantur. Primò ponit hanc communitatem. Secundò cùm ait, *si quid enim*, eam exemplo declarat. Tertiò cùm ait, *ipsum vero*, ex suprà traditis repetit proprium esse accipiendum secundum naturalem potestatem, non secundum actum. Ait, *sæpe dictum est*, nempe cap. 4. part. 5 & cap. 13. part. 2.

3 *Hoc etiam commune.* Secunda communitas est, quòd tam species quàm proprium attribuuntur subiectis suis æqualiter, non aliis magis, aliis minùs.

4 *Differt autem.* Primum discrimen est: quòd species potest esse aliorum genus, nempe cùm est species subalterna: sed proprium non potest esse aliorum proprium, quia vni speciei conuenit, vt sæpe dictum fuit.

5 *At species quidem.* Secundum discrimen est, quòd species est prior proprio.

6 *Præterea species.* Tertium discrimen est: quòd species semper significat actum: proprium, sæpe significat potestatem, vt & suprà dictum fuit. Primo ponit hoc discrimen. Secundò cùm ait, *Socrates enim*, adiungit exemplum.

7 *Præterea quorum.* Quartum discrimen sumitur à definitionibus: alia namque est definitio speciei, alia proprij.

IN CAP. XVI. QVO CONFERTVR SPECIES CVM accidente.

VNAM communitatem tradit, ac quatuor differentias speciem ab accidente discriminat.

1 *Speciei & accidentis.* Primò ponit vnam communitatem antea non semel traditam, præsertim cap. 2. part. 9. & cap. 6. part. 2. Secundò cùm ait *Raræ autem*, ostendit paucas esse alias communitates speciei & accidentis, quia plurimũm inter se differunt. Possent tamen & aliæ quædam adiungi: vt quia tam species quàm accidens inseparabile semper adsunt subiecto.

2 *Propria verò.* Primum discrimen est: quòd species attribuitur in quæstione quid est, accidens verò (vt sæpius dictum est) in quæstione quale quid est, vel quomodo se res habet. Ait, *in quorum est species*, id est, indiuiduis.

3 *Et quamque.* Secundum discrimen est: quòd in indiuidua substantia, vt Callia, est vna species, vt homo: accidentia verò multa: tam separabilia, vt motus, somnus: quàm inseparabilia, vt cicatrix, cæsius oculorum color, &c.

4 *At species.* Tertium discrimen est: quòd species est naturâ prior accidentibus: quoniam est eorum subiectum: ac prius est subiectum, quam ea, quæ subiecto accidunt.

5 Quartum discrimen est: quòd species attribuitur æqualiter, vt Plato & Socrates sunt æquè homines: accidens verò inæqualiter, vt Plato est candidior, vel procerior Socrate. Primò tradit hoc discrimen. Deinde cùm ait, *etenim Æthiops*, dat exemplum accidentis, id est nigroris, qui in alio Æthiope est intensior, in alio remissior: quoniam alius magis, alius minùs niger est.

IN CAP. XVII: QVO CONFERTVR PROPRIVM CVM accidente.

CONFERT proprium cum accidente inseparabili: ac duabus communitatibus ostendit hæc esse similia: tribus autem differentiis diuersa: finemque operi imponit.

1 *Restat vt de proprio.* Ostendit vnam proprij collationem explicandam superesse, videlicèt cum accidente. nam suprà collatum fuit cum specie cap 15. & cum differentia cap. 13 & cum genere cap. 9.

2 *Commune igitur.* Prima communitas est: quòd subiectum neque sine proprio re ipsa consistit, neque sine accidenti inseparabili: quamquàm per intellectum ab vtroque abstrahi potest, vt fuit expositum cap. 5. part. 2. Primò tradit hanc communitatem. Secundò cùm ait, *vt enim*, eam declarat exemplis.

3 *Ac quemadmodum.* Secunda communitas est: quòd tam proprium quàm inseparabile accidens insunt omni & semper: vt aptitudo ad ridendum homini, & nigror Æthiopi.

4 *Differunt autem.* Primum discrimen est: quòd proprium inest vni speciei, accidens inseparabile multis. exempla sunt in contextu. Accidens quoque separabile multis speciebus inest, vt motus homini, equo, & boui. sed Porphyrius breuitatis causâ tantùm accidens inseparabile cum proprio conferre instituit.


5 *Præterea proprium.* Secundum discrimen est: quòd proprium cum specie reciprocatur, vt sæpius dictum fuit: accidens autem, licèt inseparabile, non reciprocatur: nam omnis Æthiops est niger, non tamen omne nigrum est Æthiops.

6 *Et propriorum.* Tertium discrimen est: quòd proprium æqualiter attribuitur: accidens, quamuis inseparabile, aliis magis, aliis minùs inest. hæc suprà exposita fuere.

7 *Sunt & alia.* Obiectionem quandam diluit. posset enim aliquis obiicere, quòd imperfecta sit Porphyrij doctrina, quia non omnes communitates & differentias exposuit. verbi gratiâ, non docuit commune esse proprio & accidenti, quòd sine subiecto esse nequeunt, & quòd subiectum sine eis intelligi potest. Respondet Porphyrius se non instituisse omnes communitates & differentias categorematum exponere: sed tot, quot sufficiant ad ostendendum ea partim esse similia, partim dissimilia: ad hoc autem traditam doctrinam abundè sufficere. Ait, *abundè sufficiunt.* in Græco verbo ἐξαρκοῦσι, præpositio ἐξ auget verbi significationem.



IVLII PACII A BERIGA IN ARISTOTELIS CATEgorias Commentarius Analyticus.



Res omnes considerari possunt duobus modis: nempe vt sunt, & vt intelliguntur. Exempli gratiâ, si spectes hominem quatenus est, dices eum esse animal rationale, mortale, aptum ad ridendum, &c. Si vero eum consideres, quatenus intelligitur, dices esse subiectum aptitudinis ad ridendum, esse speciem animalis, atributum Æthiopi. quoniam igitur res prius sunt, quàm à nobis intelligantur: idcirco prior illa rerum intelligentia & consideratio, vocatur prima notio, seu prima intentio: posterior autem appellatur secunda notio, seu secunda intentio. Sic dicimus hominem, animal, rationale, mortale, & id genus alia, esse primas notiones: genus autem, speciem, attributum, subiectum, &c. esse secundas notiones. Ac primæ quidem notiones sunt res consideratæ prout sunt: secundæ autem notiones sunt res consideratæ, non vt sunt, sed tantùm vt à nobis intelliguntur. vnde apparet, primas notiones secundarum esse fundamenta quibus secundæ nituntur. Cùm igitur logicus versetur in secundis notionibus, cuiusmodi sunt subiectum, atributum, propositio, syllogismus, demonstratio, definitio, & cætera quæ in logica tractantur: certè non debet ignorare fundamentum secundis notionibus substratum, id est primas notiones. Quod animaduertens Aristoteles, initio Organi logici posuit hunc librum Categoriarum, quo explicat nobis res omnes, non tam vt sunt in rerum natura, quàm vt sunt categoriæ, id est, sub ratione attribuendi & subiiciendi: proinde quatenus sunt fundamenta secundarum notionum: quò scilicet rectiùs in sequentibus libris explicare possit ipsas secundas notiones, atque ex eis efficere, quod sibi proposuit efficiendum, nempe syllogismum, & demonstrationem, quod est quasi logicum quoddam ædificium. quam enim rationem habent in ædificio fundamenta, eandem in Logica & Organo logico habet liber Categoriarum.

Ex dictis colligitur, subiectum & scopus huius libri. Subiectum huius libri sunt decem categoriæ, id est rerum classes, ad quas ferè omnia quæ sunt, reducuntur, hoc ordine collocata, vt indiuidua speciebus, species suis generibus subiiciantur. Non enim categoriæ sunt summa rerum genera, sed (vt etiam Porphyrius docuit) sunt classes, in quibus generalissimum, subalterna, specialissima, adde & indiuidua, collocantur recto ordine; vt scilicet attributa superiorem, subiecta inferiorem locum obtineant. Differentiam omitto: quoniam à Categoriis omnibus seiungitur cap. 5. part. 13. Differt igitur Categoria à Categoremate: nam qui categoriam dicit, multa dicit, ex quibus quasi partibus Categoria tamquàm totum quiddam constat: qui verò categorema dicit, vnum quiddam significat, vt genus, vel differentiam, vel speciem. Est & alterum discrimen: quia cùm de categoriis loquimur, respicimus ad primas notiones, vt ad substantiam, vel quantitatem, vel qualitatem: cùm de categorematis, ad secundas, vt genus, speciem, &c. Scopus huius libri est iacere fundamentum ædificij logici, seu declarare simplices terminos, quà significant res & primas notiones, seu declarare vocabulorum significationes primas. quicquid enim horum dixeris, in idem recidet. Diuiditur hoc opus in tres partes. Prima continet principia quædam, id est, definitiones cap. 1. diuisiones cap. 2. & regulas cap. 3. Secunda pars explicat Categorias. primùm autem omnes breuiter declarantur cap. 4. deinde singulæ diligentiùs; videlicet substantia cap. 5. quantitas cap. 6 relata cap. 7. qualitas cap. 8. reliquæ sex Categoriæ cap. 9. Tertia pars quædam exponit ad Categorias, id est ad res omnes, pertinentia, quorum sæpe facta fuerat mentio in Categoriis enarrandis. hæc autem sunt, Opposita, quæ considerantur cap. 10. Contraria cap. 11. Prius & Posterius cap. 12. Simul cap. 13. Motus cap. 14. & Habere cap. 15.

IN CAP. I. CONTINENS ALIQVOT DEFINITIONES.

ANTEQVAM Categorias declaret, more mathematicorum, præmunit Aristoteles principia quædam, inter quæ primum locum tenent definitiones.

1 *Homonyma dicuntur.* Quia decem summis generibus ac decem categoriis Ens attribuitur homonymos, vt didicimus ex Porphyrio cap. 2. partic. 33. meritò Aristoteles primo loco declarat homonyma: declarat autem definitione, & exemplis. Primò tradit definitionem, in qua ponit duas conditiones: quarum altera est, vt habeant nomen commune: altera, vt non habeant definitionem communem ad illud nomen accommodatam. vt homo pictus & homo viuus habent nomen hominis commune: verùm hominis definitio, animal rationale mortale, non conuenit homini picto, sed tantùm vero seu viuo homini. Dixi cum Aristotele non esse definitionem communem quæ sit ad illud nomen homonymos commune accommodata. nihil enim prohibet, quominùs homonyma habeant aliquam definitionem communem, accommodatam alteri nomini, ratione cuius non sunt homonyma, sed synonyma. vt puta sydus, quadrupes, & piscis, homonymos vocantur canes, quia nulla est definitio canis ipsis omnibus conueniens: sed synonymos vocantur corpora, quia eadem definitio corporis est ipsis communis, non minùs quàm ipsum corporis nomen commune est. atque hoc ipsum Aristoteles in suis exemplis innuit, vt notabo ad sequen. partic. Nunc obseruandum est, & ipsum nomen commune vocari homonymum, (vulgò in scholis æquiuocum æquiuocans) vt nomen canis: & ipsas quoque res diuersas eo nomine significatas, dici homonymas, (vulgò in scholis æquiuoca æquiuocata) vt sydus, animal quadrupes, & piscem: Aristotelem autem in præsentia non definiuisse nomen homonymos commune, sed ipsas res significatas: ex hac tamen definitione facile colligi posse definitionem nominis homonymos communis. nam si res homonymæ sunt, quæ significantur eodem nomine, nec habent vnam communem definitionem ad illud nomen accommodatam: certè nomen homonymum est, quod est multis commune, nec potest communiter definiri. Secundò cùm ait, *quemadmodum & homo*, dat exempla rerum homonymarum.

2 *Synonyma autem.* Definitioni & exemplo homonymorum subiicit definitionem & exemplum synonymorum: quia vt categoriæ continentur sub Ente homonymos: ita singularum attributiones, generum scilicet de speciebus, & specierum de indiuiduis, quin etiam differentiarum de speciebus, sunt synonymæ. Primò definitionem affert: vbi & definitum & definitio sunt notanda. Quod ad definitum attinet, obserua hic similiter definiri res synonymas, non commune vocabulum, id est, (vt scholastici loquuntur) vniuoca vniuocata, non vniuocum vniuocans. In definitione obserua requiri duas conditiones: prior est, vt sit nomen commune: posterior, vt sit etiam definitio communis ad illud nomen accommodata. Secundò cùm ait, *quemadmodum & homo*, adiungit exemplum. vbi obserua Aristotelem vti eodem exemplo hominis & animalis, quo & in præcenden. part. vsus est: vt doceat, quod suprà notaui, eadem esse homonyma & synonyma, si cum aliis atque aliis comparentur. vt animal dicitur homonymos de homine viuo & de picto: synonymos autem de homine & boue.

3 *Denominata verò.* Tertius locus recte tribuitur paronymis seu denominatis, quæ spectantur in solis accidentibus, in quibus hoc cernere licet, concreta denominari ab abstractis, vt fortem à fortitudine, grammaticum à grammatica. Vocamus enim accidentia concreta, ea quæ dicuntur connotare, id est innuere subiectum: vt fortem, album, grammaticum. Abstracta verò appellamus, quæ omnino abstrahunt à subiecto: vt alborem, fortitudinem, grammaticam. Plerumque igitur concreta denominantur ab abstractis: hoc tamen non semper contingit, vt docebo post expositam definitionem, & exempla denominatorum. nam hæc quoque declarantur eadem methodo, qua homonyma & synonyma, id est, definitione, & exemplis. Primò igitur ponit definitionem: vbi similiter expendenda sunt definitum & definitio. Quod ad definitum attinet, obserua definiri denominata, id est, accidentia concreta, quæ denominantur ab abstractis, vt modò exposui. In definitione obserua duas poni conditiones. Prior est, vt accidens concretum accipiat appellationem ab abstracto, sicut albus dicitur albus ab albore: alioquin non dicentur denominata. exempli gratiâ ὁ σπουδαῖος dicitur ἀπὸ τῆς ἀρετῆς, id est probus à virtute: sed ab ea non denominatur, quia non sumit appellationem à virtute. quòd si à virtute virtuosus diceretur: tunc virtuosus denomi-

naretur à virtute. Altera conditio est, vt accidens abstractum & accidens concretum differant casu, id est, terminatione siue vltima syllaba: debet enim vocabuli principium esse idem, finis diuersus: vt videre est in grammatica & grammatico, necnon in fortitudine & forti. quòd si vocabulum sit omnino idem, vt mulier dicitur grammatica ab arte grammatica, non est denominatio, sed homonymia: nam grammatica homonymως dicitur de muliere & de arte. Ex his apparet, accidentia concreta non semper denominari ab abstractis: interdum enim dicuntur paronymως, id est, denominantur, vt grammaticus à grammatica: interdum homonymως, vt grammatica mulier à grammatica arte: interdum neutro modo, quia nulla est in vocabulo communitas, vt σπουδαῖος ἀπὸ τῆς ἀρετῆς.

IN CAP. II. QVOD DVAS DIVISIONES CONTINET.

TRIBVS definitionibus subnectit duas diuisiones, alteram verborum, alteram rerum.

1 *Eorum quæ dicuntur.* Deinde verba in simplicia, & composita: & vtrumque membrum exemplis declarat. Eandem diuisionem repetet cap. I. de interpretatione, vt hoc modo connectat cum librum cum Categoriis.

2 *Eorum quæ sunt.* Diuidit res omnes in quatuor genera: singula autem membra declarat, non vtens propriis rerum appellationibus, sed circumscribens quibusdam proprietatibus. Primum diuisionis membrum est substantia vniuersalis: quæ non est in subiecto, quia est substantia: dicitur autem de subiecto, quia est vniuersalis. vt homo non est in subiecto, sed est subiectum diuersorum accidentium: ac dicitur de subiecto, nempe de indiuiduis seu singulis hominibus sub se positis. Alterum membrum est accidens particulare: quod est in subiecto, quia est accidens: & de subiecto non dicitur, quia est particulare: vt quædam grammatica. Tertium est accidens vniuersale: quod est in subiecto, quia est accidens, & dicitur de subiecto, quia est vniuersale. vt grammatica est in subiecto, id est in homine: & dicitur de subiecto, id est de hac & de illa grammatica: puta de grammatica Prisciani, & Carisij. Quartum membrum est substantia particularis: quæ nec est in subiecto, quia est substantia: nec dicitur de subiecto, quia est particularis. Etenim in subiecto sunt accidentia, non substantiæ: de subiecto autem dicuntur vniuersalia, non particularia. Aristoteles igitur quatuor illa membra exponit descriptionibus, & exemplis: sed propria singulorum nomina prætermittit, quæ nos supplemus. Sed vt meliùs expositæ descriptiones intelligantur: notandum est, subiecti vocabulum esse homonymum: quod aliter accipitur, cùm dicitur de subiecto: aliter, cùm dicitur in subiecto. Illud scholastici appellant subiectum de quo, vel subiectum prædicationis; quia particulare est subiectum, de quo prædicatur vniuersale: hoc autem vocant subiectum in quo, aut subiectum inhærentiæ: quia substantia est subiectum, in quo insunt & inhærent accidentia. Huius subiecti inhærentiæ definitio ab Aristotele inseritur per parenthesim illis verbis, *in subiecto*, &c. in qua definitione ponit tres conditiones. Prima est, vt aliquid in altero esse dicatur: quia subiectum vocamus, in quo alterum inest, id est, cùm accidentia insunt in substantia, vt color in corpore. Altera conditio est, vt non sit pars: eius in quo est: aliud enim est, esse in toto aliud, esse in subiecto. vt cubiculum est in ædibus, & manus est in homine, non vt accidens in subiecto, sed vt pars in toto. Tertia conditio est, vt non possit esse sine subiecto, in quo est: nam accidens non potest esse sine substantia, vt albor sine corpore. atque hæc vltima particula seiungit ea quæ sunt in subiecto, ab eis quæ sunt in loco, aut in tempore. hæc enim, tempore elapso, aut loco mutato, eadem manent. vt cùm aqua ex puteo hauritur, manet eadem aqua, & nos sumus hodie iidem, qui eramus heri.

Ait, *Omnino autem indiuidua.* Tradit duas regulas de indiuiduis, pertinentes ad diuisionem expositam. Prior regula est: Nullum indiuiduum dicitur de subiecto: quia hoc est proprium vniuersalium, vt dicantur de particularibus subiectis: Indiuidua verò, vt Socrates, Plato, hoc album, hæc grammatica, non sunt vniuersalia, nec habent aliquid sub se positum, sed extremo loco in Categoriis collocantur, vt didicimus ex secundo capite Porphyrij. Posterior regula est: Quædam indiuidua sunt in subiecto. Cùm dicat quædam esse in subiecto, indicat esse etiam nonnulla, quæ non sunt in subiecto. nam substantiæ indiuiduæ, vt Plato, & Socrates, non sunt in subiecto: accidentia verò indiuidua sunt in subiecto, vt hoc album est in hoc corpore, & hæc gram-

matica est in Prisciano. Ait, *indiuidua & [quæ sunt] vnum numero.* Hæc accipe *ἐν ἀδιαλήπτῳ*, id est, pro eodem. quod enim indiuiduum est, vnum numero est. Indiuidua non dicuntur de subiecto, nisi impropriè, & ex accidenti, vt notaui ad cap. 2. Porphyrij, partic 9.

IN CAP. III. QVO TRADVNTVR TRES REGVLAE.

PROPONIT tres regulas primam de attributione, alteram de differentiis generum omnino diuersorum, vltimam de differentiis generum subalternorum, id est, quorum alterum sub altero collocatur.

1 *Cum alterum.* Prima regula est: Quæcunque dicuntur de aliquo attributo, eadem dicuntur de eius subiecto. Coniunge cap. 2. Porph. part. 37. Primò ponit hanc regulam. Secundò cùm ait, *vt homo*, eam declarat exemplo. nam homo est attributum, quod dicitur de Platone vt de subiecto. quoniam igitur animal attribuitur homini, attribuitur etiam Platoni: & sicut dicimus hominem esse animal, ita etiam dicimus Platonem esse animal.

3 *Heterogeneorum.* Sequitur secunda regula: Eorum generum, quæ sunt prorsus diuersa, etiam differentiæ sunt diuersæ. Intellige tam differentias constitutiuas, quàm diuisiuas: quoniam in vtrisque regula Aristotelis vera reperitur. Exempla tamen affert tantùm differentiarum diuidentium: quia magis de his dubitari poterat. quis enim dubitet aliam esse differentiam constituentem animal, quæ proinde est forma animalis: aliam, quæ constituit scientiam? sed dicimus etiam diuidentes differentias esse diuersas. Exempli gratiâ animal diuiditur in terrestre, volucre, & aquatile: scientia verò per has differentias diuidi non potest. Quod ad seriem contextus attinet, primò ponit hanc regulam, in qua inquit differentias esse specie diuersas, vt ostendat se loqui de differentiis essentialibus, quæ constituunt species: ideóque inter se non differunt tantùm accidentibus quibusdam, sed differunt essentialiter, tamquam formæ diuersæ: alia namque forma est Rationale, quod diuidit animal: alia forma est (exempli gratiâ) Naturalis aut Mathematica, quæ differentia scientiam diuidit. Secundò cùm ait, *vt animalis*, exemplo datam regulam illustrat. In hoc exemplo duo sunt diuersa genera, animal & scientia, quæ diuersimodè & per diuersas differentias diuiduntur.

3 *Subalternorum.* Sequitur tertia regula. Differentiæ constituentes aliquod genus, non ei tantùm attribuuntur, sed & omnibus speciebus ei generi subiectis. Veluti corporeum, quæ est differentia diuidens substantiam, (dicimus enim aliam esse substantiam corpoream, aliam incorpoream) & constituens corpus: hæc (inquam) differentia non solùm attribuitur corpori, sed etiam viuenti, & animali, & homini. nam omne viuens est corporeum: & omne animal est corporeum: & omnis homo est corporeus. Quamuis autem in contextu Aristoteles videatur simpliciter & generaliter loqui de differentiis, vt in præcedenti particula, tamen sensus regulæ ostendit hic agi solùm de differentiis constitutiuis: quia differentia diuisiua non attribuitur generi quod diuidit, sed potiùs ei subiicitur.

IN CAP. IV. DE DECEM CATEGORIIS.

HACTENVS exposuit Aristoteles principia quædam, quæ vulgò vocantur Anteprædicamenta: nunc aggreditur ad ipsas Categorias explicandas: ac primùm diuidit simplicium vocabulorum significata in ipsas decem Categorias, de quibus deinceps est tractaturus: vt ostendat hanc esse occasionem agendi in Organo logico de decem Categoriis: quia significationes omnes simplicium verborum ad eas referuntur: logicus autem verba considerat, non quasi grammaticus vt sunt verba, sed vt significant res ipsas.

1 *Eorum quæ sine.* Enumerat decem significationes verborum, quas vocant decem Categorias, id est, attributiones. Idem numerus Categoriarum habetur lib. 1. Topic. cap. 9. quamquam ibi sub alia ratione considerantur, vt tunc docebo, cùm ad eum locum peruenero. sed lib. 4 Metaph. cap. 7. omittuntur duæ, nempe habere, & situm esse; quæ omittuntur etiam 1. Posterior. cap. 22. part. 14. & lib. 5. Phys. cap. 1. part. 1. quo loco etiam Categoria Quando, ab emendatioribus exemplaribus abest. Quocirca non videtur esse exquisita, sed rudi Mineruâ tradita entis diuisio in decem Categorias. summa diuisio (vt opinor) est quadripertita, aut enim est ens per se, id est Substantia, aut per accidens: quod vel est absolutum, vel relatum. si absolutum, aut à substantiæ materia ortum ducit, & est diuisibile, nempe

Quantitas: aut à forma, & est indiuisibile, nimirum Qualitas. si relatum, constituit categoriam, Ad aliquid. ad quam sequentes facilè referuntur. nam vbi significat relationem inter locum & rem locatam: Quando, relationem inter tempus & rem temporalem: Situm esse, relationem partium corporis: Agere & Pati, relationem inter agens & patiens. Quatuor igitur sunt categoriæ præcipuæ: sed ex quartæ diuisione plures oriuntur. & quia postremæ non sunt ita præcipuæ, & ad relata reduci possunt, idcirco harum nonnullæ interdum ab Aristotele prætermittuntur. Ceterùm numerus decem categoriarum diuisiua methodo sic inuenitur: Ens aut est primum, aut à primo ortum. Quod est primum: aut est per se, & constituit categoriam substantiæ: aut ex accidenti: & hoc subdiuiditur: quia vel fluit à materia substantiæ, & est diuisibile, vel à forma, & est sui naturâ indiuisibile. illud quantitatis, hoc qualitatis categoriam constituit. Quod à primo ortum est, à substantia cum quantitate, vel cum qualitate, vel cum relatione ortum ducit. Quantitatis duæ species spectantur, locus & tempus. Ex substantia, quatenus est in loco, nascitur categoria Vbi: ex eadem, quatenus est in tempore, categoria Quando. Ex substantia iuncta qualitati oriuntur Agere & Pati: nam substantia per qualitatem agit & patitur: vt pomû per calorem calefacit, aut calefit. Denique quod ad substantiam cum relatione attinet: ex relatione partium corporis inter se oritur categoria situs, & ex relatione corporis ad corpus externum prodit categoria Habere.

2 *Est autem substantia.* Exemplis declarat singula illius enumerationis membra, id est, singulas categorias. Ait, *vt typo dicam*, id est, vt explicem rudi Mineruâ. sicut enim typus non est ipsa res, sed imago rei: ita dicitur typo tradi, quæ non est vera scientia, sed quasi imago quædam scientiæ: qualis est, quæ affertur per exempla: quoniam exempla ita docent, vt nihil probent: vnde fit, vt etiam fictis exemplis sæpe vtamur.

3 *Singula autem.* Docet se rectè retulisse categorias ad simplicia vocabula, eas distinguens ab orationibus verum aut falsum significantibus.

IN CAPVT V. DE SVBSTANTIA.

CVm typo & leuiter ac tantùm per exempla superiori capite categorias exposuerit: deinceps singulas diligentiùs declarat. Inter Categorias autem primus locus debetur substantiæ: quia sola est per se, cùm reliqua sint ex accidenti, & meritò substantiæ. Hoc caput diuiditur in tres partes. Prima vsque ad part. 5. continet substantiæ diuisionem, & membrorum expositionem. In secunda, à partic. 5. vsque ad part. 12. habentur quinque collationes, quibus substantiæ inter se & cum accidentibus conferuntur. In tertia, à partic. 12. vsque ad finem capitis declarantur sex substantiæ proprietates. Si descriptionem substantiæ scire aues, est ens per se: vel, quod non est in subiecto. verùm hæc descriptio, quam habuimus cap. 2. part. 2. non soli substantiæ conuenit, sed etiam differentiæ, vt dicetur part. 13. huius capitis.

1 *Substantia autem.* Cùm substantia sumatur vel pro tota categoria continente genera, species, & indiuidua: vel pro solo genere generalissimo huius categoriæ: in præsentia sumitur pro tota categoria: ideòque nec describitur, nec diuiditur vt genus in species, sed diuiditur vt totum in partes. Substantiæ namque categoriam partitur Aristoteles in genera, species, & indiuidua. hæc vocat primas substantias: illa, secundas substantias. In hac particula proponit definitionem, & exempla primarum substantiarum. Ac primò ponit definitionem primæ substantiæ: vbi duo sunt notandi, definitum, & definitio. Quod attinet ad definitum, Aristoteles indiuidua vocat primas substantias. Alibi verò hoc primarum substantiarum nomen tribuit Deo & intelligentiis à materia abiunctis, vt cap. 13. de Interpret. part. vlt. Has autem primas substantias, id est, indiuiduas, inquit esse maximè propriè, & primùm, & maximè substantias. Sunt maximè propriè substantiæ, quoniam eis potissimùm conuenit etymologia substantiæ, quæ dicitur à substando: vnde quæ maximè substat, id est, subiicitur aliis rebus, est maximè substantia: tales autem sunt primæ & indiuiduæ substantiæ, quæ sunt subiectum omnium aliarum rerum: quamquam alio modo subiiciuntur primis substantiis, alio modo accidentibus, vt explicabitur part. 3. & 4. Sunt primùm substantiæ, seu primæ substantiæ: quoniam ex eis per intellectum colliguntur genera & species. Denique sunt maximè substantiæ: quia maximè sunt per se: cùm non solùm non sint in alio, vt accidentia: sed etiam non sint de alio, vt genera & species. Definitio fuit exposita suprà cap. 2. part. 2. Secundò cùm ait, *vt quidam homo, et quidam equus*, subiicit duo exempla vagorum indiuiduorum. possumus autem nos supple-

te exempla particulariũ ſignatorum: qualia ſunt, hic homo, hic equus, Socrates, Bucephalus.

2 *Secunda autem.* A primis ſubſtantiis tranſit ad ſecundas: & primò earum definitionem ac diuiſionem tradit. Secundas enim ſubſtantias definit genera & ſpecies, in quibus primæ ſubſtantiæ ſunt. Obſerua ſubſtantias primas eſſe in ſecundis, non vt in ſubiecto, (ſic enim eſſent accidentia) ſed vt particularia in vniuerſalibus, vel (vt in ſcholis loquimur) vt partes ſubiectiuæ in toto attributiuo. Item nota hæc verba, *in quibus ſpeciebus inſunt quæ primùm ſubſtantiæ dicuntur*, ideò eſſe adiecta, vt excludantur genera & ſpecies, quæ reperiuntur in Categoriis accidentium. vt color eſt genus alboris, & albor eſt ſpecies coloris: ſed color & albor non ſunt ſecundæ ſubſtantiæ: quia primæ ſubſtantiæ non ſunt in colore & albore: immo color & albor ſunt in primis ſubſtantiis, tamquam in ſubiectis, ideóque ſunt accidentia. Tandem nota, ex hac definitione haberi diuiſionem ſecundarum ſubſtantiarum in ſpecies, & genera: eſt enim definitio, quam Cicero in Topicis diuiſionis appellat. Secundò cùm ait, *vt quidam homo*, perſpicuis exemplis declarat, quod proximè dixit.

3 *Iam verò perſpicuum.* Hactenus diuiſio ſubſtantiæ, atque expoſitio membrorum: ſequuntur variæ collationes. In primis vult conferre primam ſubſtantiam cum omnibus aliis rebus: ac docere, quia hæc eſt aliarum rerum ſubiectum, ſine ea non poſſe alias res conſiſtere. Vt autem faciliùs hoc doceat, proponit duas præmunitiones. Prima præmunitio eſt, Ea quæ de ſubiecto dicuntur, ei ſubiecto attribui ſynonymos, id eſt, tam ſecundùm nomen, quàm ſecundùm definitionem. Primò tradit hanc regulam. Secundò cùm ait, *vt homo*, eam exemplo hominis & animalis confirmat.

4 *Eorum verò.* Altera præmunitio eſt, Ea quæ in ſubiecto ſunt, illi ſubiecto non attribui ſynonymos: quod probatur per definitionem ſynonymorum hoc modo: Quæcunque attribuuntur ſynonymos, attribuuntur etiam ſecundùm definitionem: atqui ea quæ ſunt in ſubiecto, non attribuuntur ſecundùm definitionem: ergo non attribuuntur ſynonymos. Huius argumentationis maior propoſitio patet ex definitione ſynonymorum. Minor probatur per inductionem: quoniam eorum quæ ſunt in ſubiecto, id eſt accidentium, quædam attribuuntur ſecundùm nomen ſolùm, non ſecundùm definitionem: alia nec ſecundùm nomen, nec ſecundùm definitionem. Dicuntur attribui ſecundùm nomen accidentia in concreto, vt album. neutro autem modo attribui accidentia in abſtracto, vt albor. Dicimus enim corpus eſſe album, non dicimus corpus eſſe alborem. Sed neque albi, neque alboris definitio conuenit corpori: quia ſiue album ſiue alborem dicas, ſpeciem accidentis dicis: corpus autem non eſt accidens, ſed ſubſtantia.

5 *Cætera verò.* Abſolutis præmunitionibus, ſic argumentatur: Quod eſt ſubiectum omnium aliarum rerum, ſine eo aliæ res eſſe non poſſunt: atqui primæ ſubſtantiæ ſunt ſubiectum omnium aliarum rerum: ergo ſine primis ſubſtantiis reliquæ res eſſe non poſſunt. Huius ſyllogiſmi Ariſtoteles omittit maiorem propoſitionem: minorem autem proponit in primis verbis huius particulæ. Deinde cùm ait, *quod quidem ex ſingulis*, eam minorem probat per inductionem: ex qua apparet, reliqua omnia vel dici de primis ſubſtantiis vt de ſubiectis, vel eſſe in primis ſubſtantiis vt in ſubiectis. verbi gratiâ, animal & homo dicuntur de ſingulis hominibus: colores autem ſunt in ſingulis corporibus. Tandem cùm ait, *Ergo niſi*, infert ipſam concluſionem.

6 *Secundarum verò.* Confert ſpecies cum generibus: & duplici argumento probat ſpecies eſſe magis ſubſtantias, quàm genera. Primum argumentum ſumitur ex 23. loco tertij libri Topici. ſyllogiſmus ita extruitur: Quod propiùs ad primam ſubſtantiam accedit, eſt magis ſubſtantia: ſed ſpecies magis accedit ad primam ſubſtantiam, quàm genus: ergo ſpecies eſt magis ſubſtantia, quàm genus. Huius quoque argumentationis Ariſtoteles omittit maiorem propoſitionem, & in primis verbis ponit concluſionem. Deinde cùm ait, *quoniam eſt propius*, ponit minorem propoſitionem. Cùm autem ſubiicit, *ſi quis enim explicet*, probat eam minorem. hæc probatio ſyllogiſticè ſic extrui poteſt: Quod apertiùs & magis perſpicuè declarat primam ſubſtantiam id magis accedit ad primam ſubſtantiam: ſed ſpecies apertiùs & magis propriè declarat primam ſubſtantiam, quàm genus: ergo ſpecies magis accedit ad primam ſubſtantiam, quàm genus. Huius proſyllogiſmi ſimiliter maior propoſitio, tamquàm clara, prætermittitur in contextu. Concluſionem autem habuimus, quando minorem propoſitionem ſyllogiſmi principalis habuimus, quæ per hunc proſyllogiſmum probatur. Supereſt proſyllogiſmi aſſumptio, quæ proponitur his verbis, *ſi quis enim explicet.* Tandem cùm ait, *veluti*

quendam hominem, minorem prosyllogismi probat inductione imperfecta, id est allatis quibusdam exemplis, in quibus apparet primam substantiam apertiùs & magis propriè declarari per speciem, quàm per genus.

7 *Praeterea prima.* Quòd species sint magis substantiae quàm genera, superiori particula probauit ex eo, quòd propinquiores sunt primis substantiis, qui erat 23. locus tertij Top. nunc eandem conclusionem probat ex loco 24. eiusdem libri. Syllogismus ita extruitur: Quod est similius primae substantiae, est magis substantia: sed species est similiot primae substantiae, quàm genus: ergo species est magis substantia, quàm genus. Maior propositio, quae in contextu omittitur, patet ex dicto loco 24. tertij Topic. Minor probatur in contextu, quia primae substantiae subiiciuntur aliis rebus, & similiter species subiicitur generi, non genus speciei. Conclusio ponitur in fine contextus, illis verbis, *quare ex his.*

8 *Ipsarum autem.* Conferuntur autem hic à Philosopho species specialissimae inter se: vt intelligamus eas omnes esse aequè substantias quod probatur ratione, quia omnes aequè attribuuntur primae substantiae: & exemplis, quia aequè homo attribuitur Socrati, & equus Bucephalo.

9 *Pariterque in primis.* Nunc conferuntur indiuidua inter se: & haec quoque dicuntur esse aequè substantiae: quod confirmatur exemplis alicuius hominis & alicuius bouis.

10 *Meritò igitur.* Iam confert secundas substantias cum aliis rebus, id est, cum accidentibus: &, ne quis haec appellet tertias substantias, duplici argumento probat nomen substantiae produci solùm ad genera & species, non etiam ad accidentia. Primum argumentum est: quia sola genera & species declarant naturam primae substantiae. Syllogismus ita extruitur: Ea sola quae declarant primam substantiam, sunt secundae substantiae, seu sunt substantiae post primas: atqui sola genera & species declarant primam substantiam: ergo sola genera & species vocantur secundae substantiae. Hic syllogismus ducitur ex loco 39. tertij Top. id est, ab vsu & effectu secundarum substantiarum: qui quidem est, vt declarent naturam primae substantiae. Quod attinet ad seriem contextus, Aristoteles in primis verbis proponit problema demonstrandum. Deinde cùm ait, *quandoquidem ex his*, ponit minorem propositionem. Tertiò cùm ait, *nam si quis explicet*, eam minorem probat per inductionem. Postremò cùm ait, *quamobrem meritò*, infert conclusionem.

11 *Praeterea primis.* Sequitur alterum argumentum, quod tale est: Ea sola praeter primas substantias, dici possunt substantiae, quae sunt primis substantiis similia. atqui sola genera & species, non etiam accidentia, sunt similia primis substantiis: ergo sola genera & species, non etiam accidentia, possunt appellari secundae substantiae. Maior propositio omittitur in contextu, & pendet ex dicto loco 24. tert. Topici. Minor probatur in contextu ab etymologia substantiae: quoniam substantia dicitur à substando, quia substat seu subiicitur: vnde primae substantiae sunt maximè substantiae, quia maximè substant, vtpote quae omnibus aliis rebus subiiciuntur: sic igitur genera & species dicuntur secundae substantiae, quia subiiciuntur accidentibus: accidentia verò non substant, sed in subiectis substantiis insunt. Conclusio in contextu praetermittitur: quia repetenda est ex particula praeced. cui haec particula cohaeret. Sed videtur falsum esse, quod diximus, accidentia non substare seu non subiici. Primùm enim opponi potest, quòd albor & nigror subiiciuntur colori: nam color illis attribuitur. item Grammatica & musica subiiciuntur scientiae. & multa alia eiusmodi exempla proferri possunt, in quibus accidens accidenti subiicitur, nempe species suo generi. Respondeo, in his exemplis accidentia esse subiecta attributionis, seu subiecta de quibus: in argumento autem Aristotelis intelligi subiectum inhaerentiae, seu subiectum in quo. Rursus opponi potest, quòd accidens potest esse subiectum inhaerentiae: vt cùm dicimus alborem dissipare aspectum, & nigrorem congregare aspectum: item angulos esse aequales, lineam esse rectam, vel obliquam. Denique omnes mathematicae disciplinae in quantitatibus versantur, & earum affectiones demonstrant. Respondeo, accidens accidenti attribui, vt albori vim dissipandi visum, non tanquam subiecto, sed tamquam causae: perinde enim est, ac si dicamus corpus album ratione alboris dissipare aspectum. Eadem ratio est in omnibus aliis exemplis.

12 *Commune autem.* Post substantiae diuisionem & varias collationes, tandem proponit Philosophus aliquot proprietates substantiae: docet tamen non omnes esse veras proprietates, id est, non omnes conuenire soli & omni substantiae. Prima proprietas est, non esse in subiecto: de qua dictum fuit cap. 2. part. 2. Primò ponit hanc proprietatem. Secundò cùm ait, *nam prima*, per inductionem probat eam inesse omni substantiae.

13 *Hoc autem non est.* Ostendit eandem proprietatem non conuenire soli substantiæ, sed etiam differentiæ. vnde perspicuum est, differentiam separari ab omnibus Categoriis. Cùm enim dicatur non esse in subiecto, seiungitur ab accidentibus, quoniam omnia accidentia sunt in subiecto. Rursus cùm dicat Aristoteles hanc proprietatem non inesse soli substantiæ, sed conuenire etiam differentiæ, manifestè differentiam segregat à categoria substantiæ. Quò igitur referemus differentias essentiales & specificas? Sciendum est, has differentias per se non esse in vlla categoria, cùm categoria sit series tantùm generum & specierum & indiuiduorum: merito tamen specierum, (id est, quatenus differentiæ constituunt species, & insunt in speciebus, tamquam partes specierum) referuntur ad categoriam substantiæ: quia tota species est in hac categoria. Vt cùm homo sit in categoria substantiæ, etiam partes eius, materia & forma, animal & rationale, sunt in eadem categoria. Hinc habetur responsio etiam ad alteram quæstionem, an materia prima sit in categoria substantiæ. respondendum enim est, non esse in hac categoria per se, sed (vt scholastici loquuntur) reductiuè, id est merito totius seu compositi in quo inest.

14 *Porro ne nos conturbent.* Occupat obiectionem, quæ fieri posset aduersus id quod dictum fuit, hanc proprietatem, non esse in subiecto, conuenire omni substantiæ. Obiectio talis est: Partes substantiarum sunt in subiecto; vt manus, vel pes in homine: sed partes substantiarum sunt substantiæ: ergo quædam substantiæ sunt in subiecto. Solutio est per negationem maioris propositionis: quia partes sunt in toto, non in subiecto. Quod Aristoteles probat per definitionem τοῦ esse in subiecto traditam cap 2. part. 2. vbi definiebantur in subiecto esse, quæ non sunt vt partes in toto. Sic igitur argumentari possumus: Quod est in toto, non est in subiecto: partes substantiæ sunt in toto: ergo non sunt in subiecto. Hanc particulam accipio tam de partibus essentialibus, vt de materia & forma, quàm de partibus integrantibus, vt capite, brachiis, manibus, pedibus hominis.

15 *Inest autem.* Sequitur secunda substantiæ proprietas, id est attribui synonymus: quæ nec soli substantiæ conuenit, sed etiam differentiæ: nec omni substantiæ, quia prima substantia nulli attribuitur. Hæc est sententia huius particulæ: ex qua apparet, Aristotelem loqui de attributione per se. nam prima substantia per accidens attribuitur, vt notaui ad Porphyrij Isagog. cap. 2. partic. 9.

16 *Omnis verò substantia.* Tertia proprietas est, significare hoc aliquid, id est rem certam, quæ (vt ita dicam) digito demonstrari possit. Hæc proprietas non conuenit omni substantiæ, sed soli primæ. Primò hanc proprietatem proponit. Secundò cùm ait, *in primis igitur*, ostendit eam conuenire primæ substantiæ. Tertiò cùm ait, *sed in secundis*, probat eam non conuenire secundis substantiis. nempe quia in præsentia sumit angustissimè verbum, hoc aliquid. nam latiùs acceptum conuenit omni substantiæ, vt Phys. lib. 1. cap. 8. partic. 12. & de anima lib. 2. cap. 1. partic. 3. & Metaphys. lib. 6. cap. 2. Latissimè sumptum tribuitur non solùm substantiæ, sed etiam accidenti, vt Phys. lib. 1. cap. 8 partic. 3.

17 *Nec verò simpliciter.* Soluit tacitam obiectionem. cùm enim in particula præcedente dixerit genera & species non significare hoc aliquid, sed quale quid, videtur genera & species reduxisse ad accidentia. nam qualitates sunt accidentia. Pro solutione huius obiectionis distinguit Philosophus inter qualitatem essentialem & qualitatem accidentalem: ac docet genera & species substantiarum significare qualitatem essentialem, accidentia verò qualitatem accidentalem. Qualitatis igitur vocabulum est homonymum, & capitur tribus modis. Primò complectitur tam substantiam, quàm accidens, vt hic. Secundò sumitur pro quouis accidente, vt lib. 1. Poster. cap. 22. partic. 9. Tertiò pro qualitate propriè dicta, ac distincta ab aliis nouem categoriis, vt cap. 8. huius libri.

18 [*Hoc*] *quoque substantiis.* Quarta proprietas est, non habere contrarium. In hac particula Aristoteles per inductionem probat hanc proprietatem inesse omni substantiæ.

19 *Hoc verò substantiæ.* Nunc ostendit eandem quartam proprietatem non conuenire soli substantiæ. Et primò probat eam conuenire etiam quantitati, propositis quibusdam exemplis: nam quantitati duorum vel trium cubitorum nihil est contrarium. Secundò cùm ait, *nisi quis multum*, obiicit contraria exempla, id est quædam quanta, quæ videntur habere aliquid contrarium. nam multum & paucum, nec non magnum & paruum videntur esse quanta, & esse inter se contraria. Falsum igitur esse videtur, quod dictum fuit, quantitati nihil esse contrarium. Tertiò tùm ait, *sed definitorum*, obiectionem proximè allatam, quæ sume-

batur à multo & pauco, item à magno & paruo, soluit (vt Græci loquuntur) διὰ τῆς ἀνταναφορᾶς, siue (vt scholastici loquuntur) per fiduciariam reprobationem, nempe dato & non concesso quod in obiectione sumptum fuit. nam etiamsi concedamus multum & paucum, item magnum & paruum, esse quanta, & esse contraria: tamen hæc obiectio nostræ sententiæ non officit; quia ostendebamus eam proprietatem, (nempe non habere contrarium) non conuenire soli substantiæ, sed etiam quantitati. quamuis igitur concedamus omnibus eam proprietatem non conuenire omnibus quantis: tamen vt probetur non conuenire soli substantiæ, sufficit, si ostendatur conuenire quibusdam quantis. Hoc autem Aristoteles ostendit per distinctionem quanti, inquiens aliud esse definitum, vt duo, tria, bicubitum, tricubitum; aliud indefinitum, id est, quod non exprimit certam quantitatem, vt magnum, paruum, multum, paucum. Quare etiamsi fateamur quantitates indefinitas, vt magnum & paruum, recipere contrarietatem: tamen verum est, quantis definitis nihil esse contrarium: proinde verum est, hanc proprietatem non conuenire soli substantiæ. Hæc est solutio, qua Aristoteles hoc loco vtitur. aliam verò adhibebit capite seq. διὰ τῆς ἐνστάσεως, id est, per instantiam, negans id quod sumebatur in obiectione, & ostendens magnum & paruum, item multum & paucum, nec esse quanta, nec esse contraria.

20 *Videtur autem substantia.* Quinta proprietas est, non dici magis vel minùs, seu non contendi nec remitti. Primò hanc proprietatem proponit. Secundò cùm ait, *Non dico substantiam*, occupat obiectionem, ex cuius solutione intelligitur, quomodo accipienda sit hæc proprietas. Obiectio est: quia supra dictum fuit, species esse magis substantias quàm genera, & indiuidua esse magis substantias quàm genera & species: ergo in substantia reperiuntur magis & minùs. Soluit Aristoteles hanc obiectionem: quia suprà conferebantur inter se diuersæ substantiæ: quarum alia erat superior in Categoria, vt genus; alia inferior, vt indiuiduum: hic verò consideratur vna substantia; quæ idipsum quod est, semper æqualiter est. Tertiò cùm ait, *veluti si hæc*, datam solutionem atque expositionem exemplis & collatione eum accidentibus comprobat, nam si hæc substantia, putà Socrates, est homo semper est æquè homo, & æquè animal: nec dicitur magis vel minùs homo, nec magis vel minùs animal se ipso vel alio quopiam: sicut dicitur magis vel minùs albus. Quartò cùm ait, *Quare substantiæ*, concludit hanc proprietatem conuenire substantiæ. Verùm autem hæc proprietas soli substantiæ, an aliis quoque rebus conueniat, Aristoteles non declarat. sed cùm in sequenti capite eam attributurus sit etiam quantitati, inde apparet non competere soli substantiæ.

21 *Sed maximè proprium.* Sexta proprietas substantiæ est, cùm vna & eadem numero sit, posse contraria suscipere: vt eadem aqua modò est calida, modò frigida. Hanc proprietatem docet Aristoteles per inductionem conuenire omni & soli substantiæ. Primo igitur ponit hanc proprietatem. Secundò cùm ait, *cuiusmodi in aliis*, ostendit eam aliis rebus non conuenire. Tertiò cùm ait, *Substantia verò*, probat eam conuenire substantiæ. Obiiciet aliquis hanc proprietatem non posse conuenire omni substantiæ, sed tantùm indiuiduis. Cùm enim indiuidua dicantur inter se numero differre, vt Socrates & Plato: consequenter vnum indiuiduum, vt Socrates, est vnum numero. genus autem vel species non videtur vnum numero dici posse: siquidem aliud est numero differre, vel idem esse, aliud specie, aliud numero. Respondeo non tantum quod est indiuiduum, dici vnum numero, nec tantùm indiuidua differre numero, sed species etiam & genera, vt constat ex lib. 1. Poster. cap. 5. part. 5. & lib. 1. Top. c. 7. part. 2. Sicut enim numerando distinguimus & in numero ponimus Socratem, Platonem, Aristotelem, Diogenem, &c. cùm numeramus indiuidua: ita etiam numeramus species, vt species animalis, hominem, equum, bouem: item genera, substantiam, qualitatem, &c. Non est igitur proprium indiuiduorum differre numero, sed differre tantùm numero, nam species, vt homo, equus, bos, differunt numero & specie: genera verò, vt substantia, quantitas, qualitas, differunt & numero & genere. Rursus indumentum & vestimentum est nomen speciei, & nihilominùs est vnum numero. Sic definitio & definitum, vt homo & animal rationale mortale. Ergo etiam secunda substantia, vt corpus, vel animal, potest dici vnum numero: & recipit contraria, vt alborem, & nigrorem.

22 *In nulla autem.* Diligentiùs expendit, quod suprà dixit, sextam proprietatem conuenire soli substantiæ: & contra hoc obiicit, quasi eadem proprietas etiam orationi & opinioni conueniat: quia modò sunt veræ, modò falsæ. veluti si dicas aut putes Socratem sedere: dum Socrates sedet, est oratio & opinio vera: eo autem surgente, fit falsa.

23 *Sed & si quis.* Duobus modis sol-

uit-

uit propositam obiectionem. Prima solutio est in hac particula διὰ τῆς ἀντιπαραστάσεως: quia etiamsi concedamus orationem & opinionem suscipere contraria, tamen aliter suscipiunt, quàm substantia. cùm enim aqua (exempli gratiâ) ex calida fit frigida, mutatio fit in ipsa aqua recipiente contrarias qualitates: cùm autem oratio vel opinio ex vera fit falsa, mutatio non fit in ipsa oratione vel opinione, sed in aliqua re externa, vt in Socrate, qui, cùm sederet, surrexit. Proprium igitur solius substantiæ est, per sui mutationem recipere contraria.

24 *Sed & si quis.* Affert eiusdem obiectionis alteram solutionem διὰ τῆς ἐνστάσεως, docens orationem & opinionem non suscipere contraria. quod ita probat: Quicquid contraria suscipit, mutatur: atqui oratio & opinio, cùm ex veris falsæ fiunt, non mutantur: ergo non suscipiunt contraria. Quod attinet ad seriem contextus. Primò Aristoteles proponit hanc solutionem, id est, negat opinionem & orationem suscipere contraria. Secundò cùm ait, *nam oratio*, vt probet suam sententiam, præmunit & explicat, quomodo orationes & opiniones fiant ex veris falsæ: ac docet eas non suscipere aliquam nouam affectionem, sed nouam affectionem fieri in alia re externa, vt in Socrate surgente. nam mutatio est in Socrate, non in oratione, vel opinione de Socrate. Tertiò cùm ait, *quare suscipere*, ponit problema seu conclusionem probandam, id est, opinionem & orationem non suscipere contraria. Quartò cùm ait, *cùm nulla contraria affectio in ipsis fiat*, proponit minorem propositionem, nempe opinionem & orationem non recipere nouam affectionem, seu (quod idem valet) non mutari. Maiorem autem propositionem omittit, quam ego suppleri. Quintò cùm subiicit, *substantia vero*, ostendit substantiam recipere contraria: & illam argumentationem, quæ modò proposita fuit de oratione & opinione, non habere locum in substantia: quia substantia mutatur, & nouam affectionem suscipit: proinde rectè dicitur suscipere contraria.

25 *Quare proprium.* Concludit hanc esse veram substantiæ proprietatem, quæ sexto & vltimo loco exposita fuit.

26 *Hæc de substantia.* Breui epilogo imponit finem huic capiti.

IN CAP. VI. DE QVANTO.

Svbstantiam recto ordine sequitur Quantitas, vt pote quæ inter omnia accidentia maximè accedit ad naturam substantiæ: adeò vt in mathematicis fungatur vice substantiæ, & accipiatur pro subiecto. Habet etiam multas proprietates communes cum substantia, veluti non recidere contrarium, non intendi nec remitti. Hanc Categoriam Aristoteles declarat duabus diuisionibus generis generalissimi, & definitione atque exemplis singularum specierum, ac tribus proprietatibus. Confer hoc caput cum cap. 13. lib. 4. (Latinis est 5.) Metaphys. vbi similiter agitur de quantitate. Si descriptionem cupis, quam Aristoteles prætermittit: Quantum est accidens, quod per se in partes diuiditur. vel, quod oritur à materia substantiæ. Cùm enim substantia ex materia & forma constet: ex illa oritur quantitas, ex hac verò qualitas. idcirco quantitas per se est diuisibilis: qualitas autem, indiuisibilis: quia diuisio est à materia, vnio à forma.

1 *Quanti autem.* Omittit definitionem quanti, quam suprà tradidi, fortasse propter magnam difficultatem & vexatam quæstionem, an quantum sit commune synonymum, quod possit generaliter definiri: quæ disputatio excedit fines logicos & omnino est metaphysica. Quapropter incipit à diuisione. non diuidit autem totam Categoriam, vt initio capitis præcedentis diuisit Categoriam substantiæ: sed hîc diuidit genus generalissimum in proximas species. Proponit igitur duas quanti diuisiones. Primò quantum aut est discretum, cuius partes aliquo communi termino non copulantur, vt numeri quinarij partes, tria & duo, non connectuntur communi aliquo termino: aut continuum, cuius partes communi termino coniunguntur, vt partes lineæ coniunguntur puncto. Secundò omne quantum constat ex partibus (siquidem omne quantum est diuisibile) aut habentibus, aut non habentibus positionem inter se. Vt dicantur partes quanti habere inter se positionem, tres conditiones requiruntur. Prima, vt illæ partes alicubi sitæ sint: vt partes lineæ vel superficiei sunt sitæ in plano. Altera, vt illæ partes sint continuæ, id est, communi aliquo termino connectantur. Tertia, vt partes illæ permaneant: sicut partes lineæ vel superficiei permanent: partes autem temporis non permanent, quia tempus continenter fluit: vnde licèt tempus sit continuum, tamen eius partes non dicuntur habere positionem inter se.

2 *Discretum est.* Redit ad priorem diuisionem: & primò enumerat duas species quanti discreti. Prima species est numerus, qui ab Euclide lib. 7. definitur τὸ ἐκ μονάδων συγκείμενον πλῆθος, id est, ex vnitatibus constans multitudo, nam vnitas non est nume-

rus: sed principium numeri: sicut punctum non est linea, sed principium lineæ. Secunda species est sermo. Hic notanda est distinctio sermonis: qui aut est ἐνδιάθετος, aut προφορικὸς, aut γεγραμμένος, id est, aut internus, qui mente & cogitatione concipitur: aut prolatus, qui voce profertur: aut scriptus, qui literis continetur. hoc autem loco sumitur sermo in secunda significatione, quatenus voce profertur, vt ipse Aristoteles declarabit parte 4. Præterea notandum est, sermonem hic latiùs accipi, vt significet etiam verbum vnum: quamuis propriè loquendo, verbum seu nomen & sermo siue oratio distinguantur, vt in libro de Interpretat. cap. 4. & passim. Insuper notandum est, Aristotelem libro 4. Metaph. cap.13. vbi enumerat species quanti, omittere sermonem: fortasse quia numeri appellatione eo loci etiam sermonem comprehendit: numerum enim ibi accipit pro multitudine, vt Auerroi videtur: sermo autem nihil aliud est, quàm multitudo syllabarum. Hic autem numerus sumitur angustiùs, vt differat à sermone siue ab oratione. Hæc de duabus speciebus quanti dicta sint. Secundò cùm ait, *Continuum* [*est*,] enumerat quinque species quanti continui. Prima species est linea, quæ ab Euclide lib. 1. Elemenr. definitur longitudo sine latitudine. Secunda species est superficies, quæ etiam vocatur superficium, & ab Euclide 1. Elem. definitur, quod longitudinem & latitudinem tantùm habet. Tertia species est corpus. Cùm autem corpus tribus modis accipiatur, vt exposui ad cap. 2. Porphyrij, part. 24. hoc loco sumitur pro quantitate habente tres dimensiones, id est, longitudinem, latitudinem. & altitudinem: quod etiam vocatur σῶμα, solidum. Quarta species est locus, quam Aristoteles dict. cap.13. lib. 4. Metaph. prætermittit: ni fallor, quia libro 4. Physicorum probat locum nihil aliud esse, quàm superficiem corporis ambientis. vnde cùm superficies & terminet corpus in quo est, & ambiat aliud corpus quod in se continet: (vt interna superficies vasis terminat intrinsecùs ipsum vas, & ambit aquam vase contentam) in Metaphys. superficies sub vtraque consideratione proponitur: adeò vt ibi appellatione superficiei contineatur etiam locus. in præsentia verò superficiem tantùm terminantem intelligit, non etiam ambientem: proinde locum à superficie meritò distinguit. Quinta & vltima species est tempus, quod hic numeratur in quantis per se, cùm dicto capite 13. lib. 4. Metaph. Aristoteles doceat motum ac tempus non esse quanta per se, sed ex accidenti. Potes hæc loca conciliare, distinguens duas temporis considerationes. Aut enim tempus spectatur ratione partium successiuarum, vt ratione præteriti, præsentis, & futuri: aut quatenus significat spatium ab eo mobili, quod est causa efficiens temporis, confectum, vt tempus diurnum est spatium motus primi mobilis. Primo modo tempus est quantum per se: altero modo, per accidens, & ratione motus. Primam igitur considerationem hic accipe: alteram 4. Metaphys.

3 *Nam partium.* Incipit probare singulas species suprà enumeratas, id est, eas referri ad quanta continua vel discreta, prout suprà dictum fuit. & in primis probat numerum esse discretum. non probat esse quantum: quia id per se patet. probat autem esse discretum ex definitione quanti discreti: nam quantum discretum est, cuius partes communi termino non coniunguntur: numeri autem partes communi termino non coniunguntur: ergo numerus est quantum discretum. Hic syllogismus est ex duabus affirmantibus in secundâ figurâ, vtilis, quia maior propositio reciprocatur, vt alibi explicabitur. In contextu habemus primò minorem propositionem. Deinde illis verbis, *vt si vt quinque*, eius minoris probationem per exempla. Postremò ibi, *quare numerus*, conclusionem.

4 *Itidémque sermo.* Probat sermonem esse quantum discretum. Primò proponit dictum problema, sermonem esse quantum discretum. Secundò cùm ait, *nam sermonem*, sic probat esse quantum. Quod sub mensuram cadit, est quantum: atqui hoc sub mensuram cadit, quoniam eum metimur syllabâ longâ & breui. ergo sermo est quantum. Huius syllogismi maior propositio in contextu desideratur. Tertiò cùm ait, *sermonem, inquam, voce prolatum*, indicat de quo sermone in præsentiâ loquatur, id est, de sermone qui consistit in voce, non in mente, vel scriptura. Quartò cùm ait, *nullo enim*, sermonem esse discretum, probat eodem modo, quo id probauit de numero, id est, per definitionem quanti discreti, hoc modo. Quantum discretum est, cuius partes communi termino non coniunguntur: atqui sermonis partes communi termino non coniunguntur: ergo sermo est quantum discretum. Huius syllogismi tantùm minor propositio in contextu habetur.

5 *At verò linea.* A quantis discretis transit ad continua: & primò ex definitione continui probat lineam esse continuam hoc modo: Quantum continuum est, cuius partes communi termino coniunguntur: atqui lineæ

lineæ partes communi termino coniunguntur, nempe puncto: ergo linea est quantum continuum. In contextu conclusionem,& minorem propositionem ponit, maiorem prætermittit.

9 *Et superficiei.* Ex eadem definitione probat superficiem esse continuam hoc modo: Quantum continuum est, cuius partes communi termino coniunguntur: atqui superficiei partes communi termino coniunguntur, nempe lineâ: ergo superficies est quantitas continua. Sola minor propositio est in contextu.

7 *Idémque in corpore.* Per eandem definitionem demõstrat corpus esse continuum. & similiter solam minorem propositionem expressè ponit.

8 *Eiusmodi est.* Per eandem definitionem probat tempus esse continuum. Primò exprimit conclusionem, in qua obiter mentionem facit loci, de quo in seq. partic. Secundò ibi, *nam præsens*, ponit minorem propositionem, maiori omissa.

9 *Rursus locus.* Locum esse continuum sic probat: Corpus locatum est continuum: ergo etiam locus est continuus. Probatur consequentia: quia singulæ partes corporis occupant singulas partes loci: adeò vt eadem sit continuitas partium corporis, & partium loci. Intellige partes in loco esse quodam modo, id est potestate, non actu: nam actu sunt in toto, non in loco. vide Physic. lib. 4. cap 7. partic. 7. & 8.

10 *Præterea alia.* Exposita priore quanti diuisione, repetit posteriorem, vt huius quoque singula membra declaret: ac deinceps primùm expendit quantitates habentes positionem partium: & à definitione talis quantitatis probat singulas species ad hoc genus referri, nempe lineam partic. 11. superficiem partic 12. corpus & locum part. 13.

14 *Sed in numero.* Transit ad ea quanta, quæ non habent partium positionem: cuiusmodi in primis docet esse numerum, & tempus. id autem probat à definitione quantitatis habentis partium positionem. Series contextus hæc est. Primò de numero sic argumentatur: Quod habet positionem partium, eius partes sunt alicubi sitæ & inter se connectuntur: atqui numeri partes non sunt alicubi sitæ, nec inter se connectuntur: ergo numerus non habet positionem partium. Huius syllogismi in contextu ponitur tantùm in primis verbis conclusio: & ibi, *vel sitas esse*, additur minor propositio: prætermittitur autem maior, vtpote manifesta ex suprà exposit. Secundò cùm ait, *nec [partes] temporis*, idem probat de tempore, simili syllogismo, qui ita erigitur. Id enim partes non permanent, non habet positionem partium: sed partes temporis non permanent: ergo tempus non habet positionem partium. In contextu primùm habetur conclusio illis verbis, *nec partes temporu*, supple, habent positionem inter se. Deinde minor propositio, illis verbis, *quia nulla*, &c. Postremò maior propositio ibi, *quod autem non permanet*. Porrò maior propositio manifesta est ex definitione quantitatis habentis partium positionem. Minor est per se nota, quòd tempus semper fluit, nec vnquam permanet. Tertiò cùm ait, *sed potius ordinem*, occupat obiectionem, quæ de tempore afferri poterat: quòd priùs est tempus præteritum, postea præsens, tandem futurum: vnde videntur partes temporis certo quodam modo disponi: proinde habere positionem. Respondet Aristoteles, hanc non esse positionem partiũ, sed ordinẽ partium. Postremò cùm ait, *& in numero*, eandem obiectionem occupat & soluit similiter in numero: quia numeri quoque partes habent ordinem, non positionem.

15 *Eadem est sermonis.* Similiter docet sermonem carere partium positione. Syllogismus ita extruitur: Quod habet positionem partium, eius partes permanent. atqui sermonis partes non permanent: ergo sermo non habet positionem partium. In contextu habemus primò comparationem sermonis cum numero & tempore, quòd eadem est omnium ratio, quia scilicet omnia hæc positione partium carent. Secundò ibi, *quia nulla*, ostendit Philosophus esse eandem rationem: quia partes sermonis non manent, quemadmodum nec partes temporis. Tertiò cùm ait, *quare non potest*, extruit dictum syllogismum, cuius ponit conclusionem, & minorem propositionem, maiore prætermissa.

16 *Alia igitur.* Concludit posteriorem diuisionem rectè traditam fuisse.

17 *Atque hæc sola.* Enarratis septem speciebus quanti, numero, oratione, linea, superficie, corpore, loco, ac tempore: nunc docet plures species quanti non esse: atque ita, cùm distinxerit species quanti inter se, nunc separat quantum ab aliis rebus. quam methodum etiam cap. præcedente obseruauit. Quòd autem hæ solæ sint verè species quanti, & hæc sola sint quanta per se, probat per inductionem, vt album dicitur multum, non per se, sed quia magna est superficies album continens: superficies autem per se dicitur quanta.

18 *Præterea quanto.* Hactenus diuisio-

net quanti: sequuntur proprietates, quæ similiter separat quantum ab aliis Categoriis. quod Aristoteles significat aduerbio illo *Praeterea*: quasi dicat, præter eam probationem & inductionem proximè expositam, quantum etiam per proprietates deinceps explicandas seiungi ab aliis categoriis. Prima proprietas est, non habere contrarium: de qua, vt & de aliis proprietatibus, videndum est an conueniat omnibus, & an solis quantis. Sed an solis conueniat, Aristoteles non docet: quia supponit nos esse memores eius, quod præcedenti capite docuit, hanc proprietatem conuenire etiam substantiæ. An autem conueniat omnibus quantis, cùm hanc quæstionem attigerit in 17. partic. cap. præceden. nunc prolixiùs declarat tam in quantis definitis, quàm in indefinitis. Itaque in hac particula primò hanc proprietatem proponit. Secundò cùm ait, *etenim in*, docet hanc proprietatem conuenire omnibus quantis definitis, quæ scilicet significant certam quantitatem, vt duorum vel trium cubitorum.

19 *Nisi fortè*. Deinceps expendit quanta indefinita, quæ non significant certam quantitatem, sed incertam, vt multum, parum: magnum, paruum. Et cùm ipse sentiat nullum quantum habere contrarium: nunc obiicit hæc, quæ videntur esse contraria, nempe multum & parum, magnum & paruum. Hæc obiectio reducenda est ad syllogismum tertiæ figuræ, quò meliùs sequentes solutiones intelligantur. Syllogismus igitur est: Multum & parum, item magnum & paruum, sunt contraria: atqui hæc, multum, &c. sunt quanta: ergo quædam quanta sunt contraria.

20 *At horum nullum*. Obiectionem in præcedenti particula allatam soluit, euertens minorem propositionem, id est, probans multum & parum, item magnum & paruum, non esse quanta, sed relata. hoc autem probat duobus modis. Prius argumentum in hac particula sumitur à rerum ipsarum natura, id est à natura quanti, & relatorum. sic enim argumentatur: Quæ non spectantur per se, sed ad alterum referuntur: non sunt quanta, sed relata: atqui multum, &c. non spectantur per se, sed ad alterum referuntur: ergo non sunt quanta, sed relata. Huius syllogismi ponit Philosophus in contextu conclusionem & minorem propositionem, omissa maiore, quæ manifesta est ex natura quanti, & relatorum. nam hæ categoriæ sic distinguuntur: quòd quantitates, sicut etiam qualitates, sunt accidentia absoluta: quæ verò referuntur ad aliquid, sunt relata. Secundò cùm ait, *vt mons*, quibusdam exemplis, & sylogismo hypothetico à destructione consequentis ad destructionem antecedentis probat eam dictæ minoris propositionis partem quæ est de magno & paruo: sic enim argumentatur: Si magnum & paruum dicerentur per se, non diceretur mons paruus & milium magnum: sed dicitur mons paruus, & milium magnum: ergo magnum & paruum non dicuntur per se. Hypothetica propositio per se manifesta est. cùm omnis mons, quantumuis paruus, sit multò maior quocumque milij grano quantumuis magno. Minor patet ex communi vsu loquendi. Huius prosyllogismi initiò ponit minorem propositionem. & ibi, *ergò ad alterum sit relatio*, infert conclusionem: denique ibi, *quia si per se*, adiungit maiorem propositionem. Tertiò cùm ait, *rursus in vico*, simili prosyllogismo vtitur de multis & paucis: nam si multa & pauca dicerentur per se, non diceremus paucos homines esse Athenis, & multos in vico: nec paucos in theatro, & multos in ædibus: sed hæc sæpe dicimus: ergo, &c. Huius secundi prosyllogismi tantùm minor propositio exprimitur in contextu.

21 *Præterea bicubitum*. Cùm in præcedente particula ex natura quanti & relatorum probauerit multum & parum, item magnum & paruum, non esse quanta, sed relata: nunc idem probat à significatione vocabulorum. sicut enim quanta & relata sunt res diuersæ, ita etiam ipsa vocabula vim diuersam habent. nam vocabula, quæ quantum significant, sunt absoluta. quæ verò ad aliquid, sunt relata. cùm igitur magnum, &c. significationem relatam habeant, quia magnum dicitur respectu parui &c. certè sunt relata, non quanta.

22 *Præterea sine*. Eiusdem obiectionis aliam solutionem affert per negationem & euersionem maioris propositionis. & quemadmodum suprà duplici argumento probauit multum & paucum, necnon magnum & paruum non esse quanta: ita duplici argumento probat ea non esse contraria. Primum argumentum ducitur à relatorum natura. Syllogismus ita extruitur. Quod ad alterum refertur, non habet contrarium: atqui multum & parum, necnon magnum & paruum, ad aliud referuntur: ergo non habent contrarium. Maior patet ex distinctione contrariorum & relatorum, de qua infrà cap. 10. Minor patet ex dictis in duabus proximis particulis. Ideóque hæc minor in contextu supprimitur, ac tantùm ponitur in primis verbis,

bis conclusio. Deinde ibi, *quod enim per se*, maior propositio.

23 *Praeterea si magnum.* Sequitur alterum argumentum probans magnum & paruum &c. non esse contraria. Est autem syllogismus hypotheticus ducens ad duas absurditates, nempe contraria esse in eodem subiecto, & idem esse sibi ipsi contrarium. Est igitur syllogismus compositus, qui potest in duos vel quatuor resolui, arguens à destructione consequentium ad destructionem antecedentium. Syllogismus compositus ita concipitur: Si magnum & paruum, item si multum & parum sunt contraria, erunt duo contraria in eodem subiecto, & erit idem sibi ipsi contrarium: atqui haec sunt falsa & absurda: ergo magnum &c. non sunt contraria. Minor, id est propositio categorica, est manifestè vera. Maior, id est hypothetica, declaratur exemplis: quoniam eadem res respectu minoris vocatur magna, & respectu maioris dicitur parua. Quod attinet ad seriem contextus, Aristoteles primò ponit propositionem hypotheticam, in qua tantùm facit mentionem magni & parui, breuitatis causa omittens multa & pauca, quae facilè à nobis suppleri possunt, & in conclusione ab ipso quoque Aristotele nominabuntur. Secundò cùm ait, *accidit enim*, probat eam propositionem hypotheticam, sicut dixi. Tertiò cùm ait, *sed nihil videtur*, euertit alterum ex duobus consequentibus, id est, docet absurdum esse, si quis dicat contraria simul esse in eodem subiecto: & soluit obiectionem, quae fieri poterat ex cap. de substantia partic. 21. vbi dictum fuit substantiam suscipere contraria: quia non simul suscipit, sed diuersis temporibus: vt aqua non est simul calida & frigida; sed modò calida, modò frigida. Quartò cùm ait, *eadem quoque*, probat alteram partem propositionis hypotheticae, id est consecutionem secundae absurditatis, quòd idem sibi ipsi contrarium esset. Quintò cùm ait, *sed fieri nequit*, euertit alterum consequens, & ait idem non posse sibi contrarium esse. Sextò cùm ait, *non est igitur*, concludit magnum, &c. non esse contraria. Septimò cùm ait, *quare etiam*, concludit se obiectionem in 19. partic. allatam, rectè soluisse per negationem minoris propositionis, sicut exposui ad partic. 22.

24 *Maximè verò.* Hactenus prima obiectio contra primam proprietatem, & eiusdem obiectionis solutiones: nunc additur & altera obiectio, similiter ostendens eam proprietatem non conuenire omni quanto. Syllogismus ita extruitur: Locus recipit contrarietatem: locus autem est species quanti: ergo quoddam quantum recipit contrarietatem. Maior probatur exemplo: quia locus superus & locus inferus sunt contrarij, vt confirmatur ex eo quòd contrariorum definitio maximè his conuenit: immò ex his sumpta videtur: quoniam contraria dicuntur, quae cùm sint in eodem genere, plurimùm inter se distant: summus autem & infimus locus maximè inter se distant. vnde cùm volumus maximum discrimen notare, hyperbolicè dicimus ea distare vt coelum à terra. Quod attinet ad seriem contextus, primò ponitur conclusio. Deinde ibi, *nam superum*, loco minoris ponit Aristoteles probationem ipsius minoris: reliquas argumentationis partes omittit. Sed notare oportet, Aristotelem haec omnia proponere, non quasi vera, sed tantùm vt probabilia. idcirco nihil affirmat: sed vtitur verbo videri, cùm ait, *contrarietas videtur in loco esse*, & mox, *contrariorum definitionem videntur ab his ducere*. Item, non tam ex sua quàm ex aliorum sententia loquitur: nam ait, *dicentes*: &, *videntur ducere*: &, *contraria definiunt*. Itaque haec disputandi tantùm causâ proponuntur. & est obiectio, quae reuera solui potest: quamuis Aristoteles in contextu eam ideò non soluat, quia solutio colligi potest ex antè dictis. nam suprà & infrà, seu superum & inferum sunt relata: proinde non sunt contraria: dicitur enim locus superus respectu inferi, & inferus respectu superi. Ergo ad syllogismum principalem respondendum est per negationem minoris, & negandum contrarietatem esse in loco. Ad probationem respondendum est per distinctionem distantiae. alia namque est distantia loci, alia essentiae & naturae. res enim eiusdem naturae, quamuis remotissimis locis ponantur, tamen non erunt contrariae. quae verò contrariae sunt, etiamsi sint propinquae, nihilominùs sunt contrariae. Immo dici solet, contraria iuxta se posita magis elucescere, id est, contrarietatem magis apparere, vbi contraria propinqua sunt, aut simul considerantur. Praeterea in verbis notandum est, Aristotelem non absolutè dicere maximam esse distantiam inter medium seu centrum & extremitatem mundi: quia duplo maior est distantia inter duas extremitates, vt inter polum arcticum & antarcticum. verùm ait distantiam à medio sumptam, tum demum esse maximam, cùm ab eo medio, id est, à centro mundi, progredimur vsque ad mundi extremitatem. nam à centro maior distantia sumi non potest. Postremò notandum, non affirmare Aristotelem

alios sumpsisse definitionem contrariorum ex locis supero & infero. videntur (inquit) ducere: videntur, inquam, propter homonymiam verbi *distantia*, sed revera non ducunt.

25 *Non videtur autem.* Sequitur secunda quanti proprietas, non intendi nec remitti. Hanc Aristoteles per inductionem probat conuenire omni quanto. An conueniat soli, non docet. sed iam suprà cap. 4. part. 10. didiçimus eam conuenire etiam substantiæ.

26 *Sed maximè.* Tertia & vltima proprietas est, dici æquale vel inæquale. Primò Aristoteles proponit hanc proprietatem. Secundò cùm ait, *dictorum enim*, per inductionem probat eam conuenire omni quanto. Tertiò cùm ait, *cetera verò*, similiter per inductionem probat eam conuenire soli quanto. Quartò cùm ait, *quare maximè*, ex eo quod probauit hanc proprietatem conuenire omni & soli quanto, concludit eam esse veram quanti proprietatem.

IN CAP. VII DE RELATIS.

VT materiam quantitas, ita formam qualitas sequitur naturali ordine. vtrumque enim est accidens absolutum: quorum illud à materia substantiæ proficiscitur, hoc autem à forma. nec dubium est, quin accidentia absoluta, cuiusmodi sunt quantum & quale, præferri debeant relatis: vnde & 4. Metaphysic. Aristoteles primùm loquitur de qualitate & quali cap. 14. postea de relatis cap. 15. in hoc tamen libro præponit relata qualitati, non alia ratione, quàm quòd in capite de quanto sæpius relatorum mentionem fecit. Hoc igitur loco, vt & multis aliis locis, doctrinæ ordo à naturæ ordine est diuersus: quia in doctrinæ ordine non tam spectatur, quid in rerum natura sit positum, quàm discentibus quid sit commodius. Porrò de relatis agit Philosophus primùm ex aliorum sententia: deinde quid ipse sentiat, exponit. In vtraque autem parte nititur relata explicare descriptione, exemplis, & proprietatibus.

1 *Ad aliquid.* Proponit definitionem relatorum ab aliis traditam: quæ quidem peruulgata fuisse videtur ætate Aristotelis. Multi eam Platoni tribuunt: à quibus dissentit Simplicius. Hæc autem definitio eò peccat, quòd magis ad verba, quàm ad res ipsas respicit. nam relata hìc definiuntur, quæ dicuntur esse aliorum, &c. Aristoteles autem postea definiet, quorum essentia in relatione ad alterum est constituta. Iam verò & definitio & definitum sunt expendenda. Quod ad definitum attinet: notandum est, Aristotelem non definire relationem, sed relata, quæ vocat ad aliquid. ideo inquit, *Ad aliquid ea dicuntur.* nam in omni relatione sunt semper duo termini: vt pater & filius, dominus & seruus. & hi duo termini interdum habent diuersa nomina, vt in modò dictis exemplis; (nam aliud est nomen patris, aliud nomen filij: & aliud domini, aliud serui) quandoque habent idem nomen, vt frater est fratris frater, & æquale est æquali æquale: sed nihilominus sunt duo termini. vt duo fratres. Inter hos duos terminos vnus est respectus, qui vocatur relatio. quamquàm hic respectus bifariam accipi potest, vt adscensus & descensus. vnde interdum duo nomina sortitur: vt relatio, quæ est inter dominum & seruum, vocatur dominium & seruitus. interdum verò est vnum nomen: vt æqualitas est respectus inter æqualia, fraternitas inter fratres, societas inter socios. Sicut autem vna est Categoria quantitatis & quanti, vna qualitatis & qualis ita etiam vna est relationis & relatorum. Hæc dicta sint de definito. In definitione ait Aristoteles relata aut dici aliorum, id est referri in genitiuo casu, vt pater est filij pater, & dominus est serui dominus: aut quocumque alio modo referri, id est, vel in alio quocumque casu: veluti in datiuo, vt æquale est æquali æquale: in accusatiuo, vt verberans verberatum verberat: in ablatiuo, vt maius est minore maius: (Græca tamen lingua ablatiuo caret) aut in nullo casu, vt magnum dicitur respectu parui, sed non dicitur magnum parui, nec magnum paruo, nec in alio casu.

2 *Vt μεῖζον.* Exemplis traditam definitionem illustrat. & primum in hac particula affert exempla eorum quæ in patrio casu referuntur. Sed primum exemplum commodè in linguam Latinam transferri nequit: quia nomen comparatiuum, vt μεῖζον, apud Græcos regit genitiuum, apud Latinos ablatiuum.

3 *Vel quocumque.* Deinceps proponit alia exempla eorum, quæ vel in nullo casu, vel in alio quàm genitiuo casu referuntur.

4 *Sed & recubatio.* Occupat tacitam obiectionem: quia recubare, stare, & sedere non sunt in Categoria relatorum, sed situs: atque hæ videntur species positionis, ergo malè dictum fuit in partic. 2. positionem esse in relatorum numero. Aristoteles occurrit huic obiectioni, negans, recubitare, stare, sedere, esse species positionis. distinguit

guit enim inter recubationem quæ est species positionis, & recubare quod à recubatione denominatur. Idem intellige de statione & stare, de sessione & sedere. Inter hæc igitur distinguitur: quia non est necesse vt in eadem Categoria collocentur denominans & denominatum. in his enim exemplis denominans est in Categoria relatorum, vt recubatio: denominatum autem est in Categoria situs, vt recubare. Hæc puto ab Aristotele proponi, non vt vera, sed ex aliorum sententia. & omnino existimo denominans & denominatum esse in eadem Categoria, vt qualitatem & quale, alborem & album, nigrorem & nigrum, quantitatem & quantum. positio autem reuera non est in Categoria relatorum, sed situs.

5 *Inest autem.* Deinceps proponit quatuor proprietates relatorum. Prima est, recipere contrarietatem. quam proprietatem conuenire relatis probat quibusdam exemplis: quia virtus vitio repugnat, & scientia ignorantiæ. Sed retinendum est, quod paulò antè notaui, Aristotelem hic loqui ex aliorum sententia nam suprà cap. proximo, part. 22 ex sua sententia dixit, quod ad aliud refertur, non habere contrarium. virtus autem & vitium, necnon scientia & ignorantia non sunt relata, sed qualitates. Si quis quærat, cur Aristoteles multa verba in explicanda aliorum falsa sententia consumat: respondebo hanc sententiam fuisse ab Aristotele examinandam propter duas causas. Vna est: quia tunc temporis erat peruulgata, & maximè recepta: ne temerè videretur nouam sententiam proponere. quamquàm hac sua diligentia non potuit hanc calumniam vitare quidam enim notant Aristotelem, quasi subtiliùs quam veriùs reprehendentem in hoc capite antiquorum definitionem. Altera causa est: quia hæc antiquorum sententia non vacat vtilitate: nec est absurda, si rectè intelligatur: id est rectiùs quàm ipsi antiqui intellexerunt. ideóque hanc sententiam ipse quoque Aristoteles alibi retinet & in hoc libro, c. de oppositis, & in Topicis. sicut enim proprium apud Prophyrium quatuor modis dicebatur, sed vltimum tantùm erat verè proprium: & differentia tribus modis dicebatur, sed vltima tantùm erat vera differentia: ita etiam hic relata duobus modis accipi possunt, verbotenus, & reipsâ. vulgò in scholis dicuntur relata secundum dici, & relata secundum esse hæc sunt vera relata distincta à cæteris Categoriis. illa verò latiori significatione & impropriè dicuntur relata, adeo vt etiam alia accidentia possint eò referri, nam quæ nullam aliam essentiam habent, quàm in relatione ad alterum constitutam, vt pater & filius, sunt vera relata secundum esse. quæ verò habent propriam naturam, præter quam hoc accedit vt ad alterum aliquo modo referantur, non sunt verè relata, sed nominantur relata secundum dici. vt scientia per se habet suam naturam, quatenus est qualitas quædam, id est habitus animi: præter quam hoc habet, vt referatur ad rem scibilé: dicitur enim scientia rei scibilis: ergo scientia est relatum secundum dici. Quoniam igitur huiuscemodi relatorû secundum dici suus est, præsertim in disputationibus, vsus: idcirco sunt cognoscenda.

6 *Non tamen in omnibus.* Refellit dictam proprietatem: quia non conuenit omnibus relatis, vt docet exemplo dupli & tripli, quibus nihil est contrarium. & generaliter sciendum est quod paulò ante notaui ex partic. 22. praeced cap. nihil esse contrarium veris relatis secundum esse. Adde, quod hæc proprietas non conuenit solis relatis, sed etiam qualitati & quali. nam albor & nigror sunt qualitates contrariæ, id est colores contrarij: item album & nigrum sunt qualia, id est, colorata contraria.

7 *Videntur autem.* Sequitur secunda relatorum proprietas, intendi & remitti: quam Aristoteles declarat aliquot exemplis: inter quæ est æquale, quasi magis & minus æquale dicatur. Sed quoniam hæc sententia est falsa: aut dicendum est, quod suprà notaui, Aristotelem hic loqui ex aliorum sententia: aut eum accipere æquale impropriè, & in lata quadam significatione: vt ea complectatur, quæ sensui videntur æqualia, cùm tamen ipsa sint inæqualia.

8 *Sed non omnia.* Refellit secundam proprietatem: quia non inest omnibus relatis, vt duplo. Adde, quòd non inest solis relatis, sed etiam qualibus. dicitur enim alterum altero (exempli gratiâ) candidius, aut minus candidum. Non est igitur vera proprietas cùm nec omnibus, nec solis relatis conueniat.

9 *Omnia verò.* Sequitur tertia proprietas, referri ad id quod reciprocatur, id est, ad id quod inuicem refertur. vt pater refertur ad filium, & retrò filius ad patrem. Hanc proprietatem Aristoteles aliquot exemplis declarat. in quibus hoc est discrimen notandum; quòd in quibusdam mutua relatio fit in eodem casu, vt dominus ad seruum, & seruus ad dominum referuntur in patrio casu: in aliis casus est diuersus: vt cùm scientia dicitur esse rei scibilis scientia,

& scibile dicitur scientiá scibile: prior relatio fit in genitiuo casu, posterior in ablatiuo, Græcè in datiuo.

10 *Verùm aliquando.* Occurrit tacitæ obiectioni, quæ proponi potest contra secundam proprietatem relatorum: quòd ala refertur ad auem, cùm dicatur esse auis ala. contrà auis ad alam non refertur: quia non dicitur auis alæ, nec auis ala, nec vllo alio modo refertur. ala igitur refertur ad id quod non reciprocatur, id est, quod non inuicem refertur ad alam. quare non videtur ea proprietas conuenire omnibus relatis. Aristoteles hanc obiectionem soluit, inquiens alam non referri ad auem, sed ad alatum. quod ex eo probat: quia sunt quædam animalia alata, quæ non sunt aues, vt muscæ, vespæ, & alia eiusmodi insecta. Denique ait Philosophus toties relata reciprocari, quoties rectè conferuntur, id est, quoties rectè sumuntur termini relationis: vt termini relationis sunt ala & alatum, non ala & auis.

11 *Ac fortasse interdum.* Aduersus allatam solutionem, qua dictum fuit sumendos esse veros terminos relationis vt fiat reciprocatio, oritur dubitatio, quòd interdum deest nomen, ad quod commodè fiat relatio. vtputà clauus si referatur ad nauem, non reciprocabitur. sed non occurrit aliud nomen, ad quod referatur reciprocè. Item si caput referatur ad animal, & dicatur esse animalis caput: non reciprocabitur: sed hic quoque non occurrit commodum nomen, ad quod fiat relatio quæ reciprocetur. Hæc est dubitatio: ad quam Aristoteles respondet nouum nomen esse fingendum. vt in dictis exemplis dicendum est clauum esse clauati clauum, & caput esse capitati caput. sic enim reciprocabitur: quia clauatum est clauo clauatum, & capitatum est capite capitatum. Ait: *cùm multa animalia capite careant,* vt vermes, & cancri, & conchylia.

12 *Ac fortasse potest.* Cùm dixerit noua nomina interdum fingenda esse: nunc docet rationem eorum fingendorum, iubens vt à nomine vsitato & recepto alterum deducatur: veluti à clauo clauatum, à capite capitatum. Cùm igitur sint duo termini relationis: si alter nomen habet, alter nomine caret: hic ab illo est denominandus.

13 *Quæcunque igitur.* In hac particula ostendit nulla relata reciprocari, si termini malè accipiantur. Exempli gratiá certum est, seruum esse relatum: si igitur referas seruum ad dominum, quia dominus & seruus sunt veri termini relationis, fiet reciprocatio: dicetur enim seruus, domini seruus: & dominus, serui dominus. quòd si pro domino accipias hominem: cùm homo sit nomen substantiæ, non relationis: reciprocatio locum non habebit: sed tantùm dicere poteris, seruum esse hominis seruum, non contrà hominem esse serui hominem. Ait, *si ad aliquod accidens adhibeatur.* Suprà docui accidens capi duobus modis, & substantiam similiter duobus modis: id est, vel per se & absolutè, vt cùm album dicitur accidens: vel respectu alterius: vt species (secundùm Auerroëm) accidit generi, quia cùm genus sine specie esse possit, in hac significatione dicere possumus hominem accidere animali. Hæc posterior significatio in præsentia debet accipi. nam Aristoteles accidentia vocat hominem & bipedem: quia domino accidunt, id est, sunt extra naturam & essentiam domini. In summa, relatio facienda est ad verum terminum, non ad ea quæ illi accidunt: vt seruus est referendus ad dominum, non ad hominem, vel bipedem, quæ domino accidunt.

14 *Quòd si aptè.* Declarat quando rectè vel secus facta fit relatio. Et primò rectè factam relationem declarat definitione, & exemplis. Definitio hæc est: Relatio rectè est facta, cùm facta est ad id, quo manente & reliquis omnibus sublatis ipsa relatio manet. Hæc definitio illustratur exemplis: verbi gratiá seruus refertur ad eum qui est dominus, bipes, aptus ad ridendum, & homo. sed demptis his omnibus, esse bipedem, esse aptum ad ridendum, & esse hominem: si tantùm maneat dominus, relatio quoque manebit, & dicetur eius esse seruus recta igitur relatio est, quæ fit domini ad seruum.

15 *Quòd si minùs aptè.* Similiter definitione & exemplis exponit relationem malè conceptam. talis enim est, cùm refertur ad id quo manente, aliisque demptis, non manet relatio: veluti si seruus referatur ad hominem: nam si maneat homo, & desinat esse dominus, eius seruus amplius non dicetur: malè igitur seruus ad hominem refertur.

16 *Quare oportet.* Concludit, rectè faciendam esse relationem, vt relata reciprocentur.

17 *Videntur autem.* Sequitur quarta relatorum proprietas, id est, simul esse naturâ. hanc Aristoteles confirmat quibusdam exemplis: vt dupli & dimidij, necnon domini & serui. hæc enim ita se habent, vt vno posito alterum ponatur, & vno sublato alterum tollatur.

15 *Sed non in omnibus.* Proprietas illa, simul

simul esse naturâ, non conuenit solis relatis. nam etiam differentiæ oppositæ, quæ diuidunt idem genus, vt rationale & irrationale, sunt simul natura, vt Aristoteles docebit cap. 13 partic. 3. sed hoc in præsentia prætermittit: tantùm quærit, an conueniat omnibus relatis: ac docet non conuenire omnibus: nempe quia accipit relata secundùm antiquos verbotenus: nam vera relata, prout ab Aristotele posteriùs definientur, omnino sunt simul naturâ. Quòd autem hæc relata, quæ vulgò vocantur secundum dici, non omnia sint simul naturâ, probat Philosophus duplici argumento sumpto à scientia & scibili, & duplici argumento sumpto à sensu & sensibili. Summa vtriusque rationis hæc est: Scientia & scibile non sunt simul naturâ, quia scibile est prius scientiâ: item sensus & sensile non sunt simul natura, quia sensile est prius sensû: atqui scientia & scibile, item sensus & sensile, sunt relata: ergo quædam relata non sunt simul naturâ. Minor propositio, id est, hæc esse relata, patet ex supra traditis. Maior, id est scibile esse prius scientiâ, & sensile sensu, probanda superest. Quòd scibile sit prius scientiâ ad quam refertur, probat Aristoteles duobus argumentis. Prius in hac particulâ sumptum ab experientia, est inductio: si quis enim consideret singulas res scibiles, intelliget omnes aut saltem plerasque priùs fuisse scibiles, quàm earum scientia fuerit inuenta.

19 *Præterea scibile.* Posterius argumentum, quo probatur, scibile esse prius scientiâ, ex eo sumitur quod scibile potest esse sine scibili: sublato enim scibili tollitur scientia, non contrà. Syllogismus ita extruitur: Quod sublatum, alteram rem tollit, & eâ sublatâ non tollitur, id est ea re prius: atqui scibile sublatum, scientiam tollit, & ipsum scientiâ sublatâ non tollitur: ergo scibile est prius scientiâ. Huius syllogismi Aristoteles in contextu omittit conclusionem, quia repetenda est ex præcen. partic. omittit etiam maiorem propositionem, quia manifesta est, & facilè suppleri potest. Primò autem ponit minorem propositionem. Deinde cùm ait, *quia nisi*, exponit eandem minorem. Tertiò cùm ait, *vt circuli*, confirmat eam minorem exemplo tetragonismi, id est quadraturæ circuli: quæ secundùm quosdam est res scibilis, cùm tamen iidem fateantur eam nondum sciri: vnde apparet esse rem scibilem ante scientiam. Tertiò cùm ait, *Præterea sublato*, probat eandem minorem propositionem: quia sublato animali tollitur scientia; manent autem multa scibilia, vt plantæ & lapides: sublatâ igitur scientiâ manet scibile. Simili argumento probari potest, sublato scibili tolli scientiam: quia sublato scibili tollitur animal, quandoquidem etiam animal est scibile; sublato autem animali tollitur scientia: ergo sublato scibili tollitur scientia.

20 *Similis est ratio.* Postquàm probauit scibile esse prius scientia, consequenter probat sensile esse prius sensu. vtitur autem hic quoque duobus argumentis: quorum prius ex eo sumitur, quòd sensili sublato tollitur sensus, non contrà. Syllogismus eodem modo extruitur, quo syllogismus partic. 19. nam forma est eadem: materia tantùm est diuersa, quatenus ibi sumitur scientia & scibile, hic verò sensus & sensibile. itaque syllogismus ita extruitur: Quod sublatum rem tollit, eâ verò sublatâ non tollitur, est ea re prius: atqui sensile sublatum tollit sensum, sensu verò sublato non tollitur: ergo sensile est sensu prius. Quod attinet ad seriem contextus, Primo Aristoteles ait idem dicendum esse de sensu & sensili, quod suprà dictum fuit de scientia & scibili. Deinde incipiens hoc diligentiùs explicare, illis verbis, *nam sensile prius sensu videtur esse*, proponit problema demonstrandum. Tertiò cùm ait, *sensile enim*, ponit minorem propositionem syllogismi, maiorem omittens vt manifestam. Quartò cùm ait, *nam sensus*, aggreditur ad probandam minorem propositionem. Et quoniam minor duabus constat partibus: dicebatur enim, sublato sensili tolli sensum, & sublato sensu non tolli sensile: hic probat priorem partem, hoc modo: Sensili sublato tollitur corpus: corpore sublato tollitur sensus: ergo sensili sublato tollitur sensus Sed videamus analysim huius prosyllogismi, vt omnia verba contextus rectè intelligantur. Cùm Aristoteles ait, *nam sensus*, ponit fundamentum quoddam, per quod probatur maior propositio huius prosyllogismi cùm enim sensus circa corpus & in corpore sit, non potest esse sine corpore. Dicitur sensus esse circa corpus, tamquàm obiectum: nam quæcumque sensibus obiciuntur, corpora sunt: veluti quæ videntur, & quæ tanguntur. Dicitur autem esse in corpore, vt in subiecto. sola enim animal a sentiunt: animalia verò sunt corpora. Ergo & quod sentit, est corporeum: & quod sentitur, similiter est corporeum: proinde sensus sine corpore esse non potest. Illa autem verba, *sensili verò sublato tollitur etiā corpus*, cótinét minoré propositioné prosyllogismi. Postea illâ parenthesi, *siqui-*

dem, &c. probatur eadem minor propositio. Deinde ibi, *& si corpus*, adiungitur maior propositio. Tandem ibi, *quare sensile*, infertur conclusio, quæ probanda erat, sublato sensili tolli sensum. Quintò cùm ait, *Sensus autem*, accedit ad probandam alteram partem minoris propositionis syllogismi principalis, id est, sublato sensu non tolli sensile: & ita argumentatur: Sublato animali manet sensile: sublato autem animali tollitur sensus: ergo &c.

21 *Praeterea sensus.* Sequitur alterum argumentum, quo probatur sensile esse prius sensu: quia sensile est ante animal: quattuor enim elementa sensibilia sunt, & priora sunt animalibus, vt simplicia compositis: sensus autem non est ante animal, cùm solum animal sentiat.

22 *Sed dubitari.* Hactenus locutus est Philosophus ex aliorum sententia, & secundum definitionem relatorum peruulgatam: qua veteres non tam rerum essentiam spectabant, quàm dictionem: & definiebant relata secundum dici: nunc incipiens ex sua sententia loqui, definitioni relatorum suprà expositæ obiicit: quòd non conuenit solis relatis, sed etiam quibusdam substantiis, id est partibus secundarum substantiarum. Nam manus (exempli gratiâ) id ipsum quod est, alterius dicitur, id est, manus alterius dicitur, nempe manus eius qui manum habet. Vt hoc meliùs doceat, considerat diuisionem substantiæ in primam & secundam, & vtriusque diuisionem in totalem & partialem: & singula hæc quatuor membra examinat, vt tandem inueniat membrum illud, cui data definitio relatorum conuenit. Quod attinet ad seriem contextus, primò proponit hanc quæstionem, an definitio relatorum conueniat quibusdam substantiis. Deinde cùm ait, *sanè in primis*, docet eam definitionem non conuenire primis substantiis, siue ipsæ totæ accipiantur, vt quidam homo, siue earum partes, vt quædam manus. Tertiò cùm ait, *nam quidam homo*, duobus exemplis probat eam definitionem non conuenire totis primis substantiis. Quartò cùm ait. *eadem [est] ratio*, duobus similiter exemplis probat eam definitionem non conuenire partibus primarum substantiarum. Quintò cùm ait, *itidémque [se res habet] & in plerísque*, tribus exemplis ostendit eam definitionem non conuenire secundis substantiis totalibus, vt homini, boui, ligno. Sextò cùm ait, *verùm de quibusdam*, ostendit eam definitionem conuenire partibus secundarum substantiarum: vt capiti, & manui. nam caput dicitur capitati caput, vt suprà dictum fuit partic. 11. & similiter manus dicitur alicuius manus.

23 *Ergo si satis.* Ait Philosophus, obiectionem à se propositam contra definitionem relatorum non posse solui, sed omnino effici hoc absurdum, quòd quædam substantiæ sint ad aliquid, nisi recedamus à supradicta relatorum definitione, quæ non est propria eorum quæ verè & secundùm suam essentiam referuntur.

24 *Si verò non satis.* Affert veram definitionem relatorum, sumptam non ab eo quod dicitur, sed ab ipsa rei essentia. secundum quam definitionem soluitur obiectio antè proposita: & vitatur absurdum illud, partes substantiarum esse relata: quoniam Aristoteles relata definit, Quorum essentia in eo est constituta, vt ad alterum referantur: partes verò substantiarum, vt manus, dicuntur quidem esse alterius, sed non habent essentiam suam in eo constitutam. Primùm enim per se & secundùm suam essentiam sunt id quod sunt, vt manus est manus, & caput est caput: deinde iis præter essentiam accidit vt dicantur esse aliorum, vtputà caput dicitur capitati caput. Alia ratio est verorum relatorum: nam pater (exempli gratiâ) non habet aliquam essentiam per se: quia nec potest intelligi, nisi per relationem ad filium.

25 *Prior autem.* Docet Philosophus priorem definitionem relatorum, non vt definitionem afferri debere, sed vt proprietatem quæ inest omnibus relatis, non tamen solis, quandoquidem conuenit etiam partibus substantiarum.

26 *Atque ex his.* Proponit alteram relatorum proprietatem, nempe relatorum altero planè & perfectè cognito alterum quoque planè & perfectè cognosci, nec posse cognosci alterum sine altero. Hanc proprietatem conuenire omnibus relatis bifariam probat, syllogismo in hac partic. & inductione in partic. sequen. Syllogismus sumitur à relatorum definitione, & ita extruitur: Id cuius essentia posita est in relatione ad alterum, non potest sine altero cognosci: atqui relatorum essentia posita est in relatione ad alterum: ergo relata non possunt sine altero cognosci. In contextu primò habemus conclusionem. Deinde ibi, *ac perspicuum*, inquit Aristoteles hanc conclusionem colligi ex his, idest ex sequentibus propositionibus, quæ nituntur definitione relatorum. Tertiò illis verbis, *quoniam si quis nouit*, ponitur minor propositio. Tandem ibi, *etenim si omnino*, adiungitur maior propositio.

27 *Sed & in singulis.* Eandem conclusio-

clusionem, id est secundam proprietatem conuenire omnibus relatis, probat Aristoteles per inductionem.

28 *Sed caput.* Postquàm ostendit dictam proprietatem conuenire omnibus relatis: nunc docet eam non conuenire alicui substantiæ: vt inde appareat, manum, & caput, ceteráſque substantias, quas veteres non seiunxerunt à relatis, rectè à relatis separari: itemque appareat secundam proprietatem conuenire solis relatis. nam si cui præter relata conueniret: partibus secundarum substantiarum, vt manui & capiti, conueniret: atqui his non conuenit: ergo nulli alij rei, quàm relatis conuenit.

29 *Fortaſſis autem.* Testatur obscuritatem huius tractatus de relatis, & repudiat temeraria imperitorum iudicia, atque ait non esse inutile de his dubitare, priusquàm aliquid certi statuatur. Ex hoc loco malè colligunt de omnibus rebus esse dubitandum: cùm Aristoteles vtatur pronomine demonstratiuo, ac dicat ὑπὲρ ἑκάστου αὐτῶν, *de his singulis.* Nec enim valet consequentia: Vtile est dubitare ac disputare de relatis: ergo vtile est dubitare ac disputare de omnibus rebus. quædam enim esse, de quibus non est disputandum, ipse etiam Aristoteles disertè docet lib. 8. Top. c. 9 part. 2.

IN CAP. VIII. DE QVALITATE ET QVALI.

ETsi naturæ ordine quantitatem mox sequitur qualitas: tamen de relatis sermonem Aristoteles interiecit ob rationem suprà expositam. Ergo & relatorum Categoriâ explicatâ dicendum iam est de qualitate & quali. Idem accidens in abstracto vocatur qualitas, vt albor: in concreto quale, vt album. Vna igitur est Categoria qualitatis & qualis: sicut vna est quantitatis & quanti. Hoc caput in quatuor partes tribuitur. In prima Aristoteles describit & diuidit qualitatem. In secunda describit qualia. In tertia qualitatis & qualis proprietates enarrat. In vltima soluit quandam obiectionem: quia visus fuerat relata quædam collocasse in hac categoria. Lege de hac Categoria etiam caput 14. lib. 4. Metaphysic. qui Latinis est liber 5.

1 *Qualitatem appello.* Describit qualitatem per quale, id est, accidens abstractum per concretum: quia concreta nobis sunt notiora, vtpote magis exposita sensui: vt album notius est, quàm albor. Ait igitur qualitatem esse, ex qua dicuntur quales, vt ab albore dicuntur albi. quomodo autem qualia dicantur à qualitatibus, explicandum erit part 10. & sequentibus.

2 *Qualitas autem.* Descriptioni qualitatis subiicit diuisionem in quatuor species.

3 *Vna igitur.* Incipit explicare primam speciem qualitatis: & in hac particula ponit eius nomen, vocátque habitum & affectionem. Habitus & affectio etsi inter se differunt, vt in sequentibus particulis explicabitur, tamen non sunt diuersæ species, sed vna & eadem: cùm quia omnis habitus dici potest affectio, licèt non contrà omnis affectio possit dici habitus, vt intelligemus ex 6. part. huius cap. tum etiam quia eadem qualitas fit ex affectione habitus, ita tamen vt maneat eadem qualitas. Exempli gratiâ cùm quis aliquam scientiam discit, putà logicam: scientia illa ab initio est affectio: sed eadem scientia, postquàm est in animo confirmata, & (vt ita dicam) radices egit, adeo vt non facilè amitti possit, tunc vocatur habitus: nec tamen est alia scientia, nec alia qualitas, quàm ab initio erat.

4 *Habitus ab affectione.* Duas differentias declarat inter habitum & affectionem: primam in hac & sequenti particula, alteram in part. 6. Prima differentia est: quoniam habitus est diuturnior & permanentior, quàm dispositio. quod confirmat quibusdam perspicuis exemplis.

5 *Perſpicuum autem.* Eandem primam differentiam, quam confirmauit exemplis, nunc confirmat à communi vsu & ratione loquendi. Solent enim omnes vocare habitum, cùm est diuturnus & permanens: affectionem autem, cùm facilè amoueri potest.

6 *At verò habitus.* Sequitur altera differentia. quia latiùs patet affectio, quàm habitus: cum omnis habitus dici possit etiam affectio, non contrà omnis affectio possit appellari habitus.

7 *Alterum genus.* Transit ad secundam speciem qualitatis, id est naturalem facultatem vel imbecillitatem: quam variis exemplis declarat. Non sunt autem hæ duæ separatæ species qualitatis, sed vna & eadem species: propterea quòd eadem qualitas diuerso respectu nominari potest & facultas & imbecillitas. quod enim (exempli gratiâ) facultatem habet vt facilè secetur, imbecillitatem habet ad resistendum secanti. Item quod habet potestatem ægrotandi, imbecillitatem habet ad resistendum iis rebus quæ

morbos inducunt. Ait *alterum genus*. Genus hic accipit pro specie, vt & infrà part. 14. & 18. & aliis locis: nam supra partic. 3. speciem appellauit. Est autem peruulgata significatio, licèt à Porphyrio fuerit prætermissa, qua genus pro specie accipitur. Quamquàm hæc, de quibus nunc loquimur, etiam propriè genera dici possunt, respectu inferiorum specierum. sunt enim quatuor genera qualitatum, ad quæ reducuntur omnes qualitatum species.

8 *Tertium genus*. Sequitur tertia species qualitatis, id est, patibilis qualitas & passio. Patibilis qualitas & passio hic pro eodem accipiuntur: aliàs quædam dicuntur esse passiones, quæ non sunt qualitates, vt dicetur 13. partic. huius cap. Porro quoniam Aristoteles multis verbis explicat hanc speciem qualitatis, operæpretium est ordinem contextus notare. Cùm igitur qualitatum aliæ insint in corpore, vt calor & frigus; aliæ in animà, vt iracundia, & amentia. Aristoteles, vt faciliora obscurioribus præponat, incipit à qualitatibus corporeis: & in hac particula proponit aliquot earum exempla, id est, dulcedinem, amarorem, &c. Inter hæc refert etiam calorem & frigus, quæ supra partic. 4. retulerat ad primam speciem qualitatis. vnde videtur has species confundere. Pro solutione dicendum est, calorem & frigus, quatenus certo modo afficiunt subiectum in quo sunt, adeò vt subiectum ab eis dicatur calidum vel frigidum, hac ratione referri ad primam speciem qualitatis, & esse affectiones quasdam: quatenus autem sensum afficiunt passione aliqua, referri ad patibiles qualitates & passiones, quæ est tertia species qualitatis.

9 *Hæ igitur*. Quæ in præcedenti particula enumerauit, dulcedinem, amarorem, &c qualitates esse probat ab ipsa qualitatis definitione. Syllogismus talis est: Ea, à quibus dicuntur qualia, sunt qualitates: ab his autem, dulcedine, &c. dicuntur qualia: ergo hæc sunt qualitates. Minor probatur per inductionem. quoniam à dulcedine dicitur mel dulce, & ab albore corpus album, &c. In contextu habemus primò conclusionem. Deinde ibi, *namque ea*, minorem propositionem. Tandem ibi, *vt mel*, probationem minoris. maior autem omittitur vt manifesta ex part. 1. huius capitis.

10 *Patibiles autem*. Postquàm docuit dulcedinem, amarorem, &c. esse qualitates, nunc docet, cur dicantur qualitates patibiles: ac declarat non omnes ob eandem rationem nominari patibiles qualitates, sed rationem esse duplicem. Prima ratio sumitur ab effectu: vt dicantur patibiles qualitates, quia passione aliqua sensum afficiunt: vt dulcedo & amaror afficit gustum. non enim mel (exempli gratiâ) dicitur dulce, quia ipsum aliquid patiatur, sed quia per dulcedinem agit in sensum, & ea dulcedine afficit gustum. Idem dicendum de aliis similibus qualitatibus.

11 *Albor verò*. Altera ratio, cur dicatur patibilis qualitas, sumitur à causa efficiente: quia scilicet nonnullæ qualitates nascuntur ex aliqua passione: vt rubor ex verecundia, pallor ex metu. Eadem ratio est alboris, & nigroris, & cæterorum colorum. Hoc loco occurrit dubitatio. Sicut enim dulcedo & amaror afficiunt gustum: ita albor & nigror afficiunt aspectum: cum albor dicatur dissipare aspectum, nigror congregare. cur ergo non dicuntur & hæ patibiles qualitates ab effectu, quia passionem in sensu gignunt? Respondeo, quia causa efficiens est prior effectu, ideoque colores prius ex passione producuntur, quàm passionem in sensu gignant; meritò dici patibiles qualitates à passione à qua efficiuntur: & cùm inde hanc appellationem nactæ sint, non posse ampliùs eam accipere ab effectu quem producunt. Alia ratio est superiorum illarum qualitatum, vt dulcedinis, & amaroris. cum enim non gignantur à passione aliqua, quandoquidem mel (exempli causâ) sine sui passione recipit dulcedinem: non possunt ab efficiente passione quæ nulla est, patibiles qualitates nuncupari: proinde necesse est, vt eam appellationem sumant ab effectu, id est, à passione, quam in sensu generant. Quod attinet ad seriem contextus, Primò Aristoteles proponit suam sententiam, quòd colores dicuntur patibiles qualitates, eò quòd proueniunt ab aliqua passione. Secundò cùm ait, *multæ igitur*, incipit probare eam sententiam: & proponit quosdam colores, quos manifestum est effici ab aliqua passione, vt ruborem à pudore, pallorem à metu. Tertiò cùm ait, *quare si quis*, colligit idem esse dicendum de aliis coloribus, qui naturâ insunt, licèt passio, à qua producuntur, lateat: vt cùm quis naturâ est ruber, aut pallidus. cùm enim affectio naturalis & accidentaria, vt rubor naturalis & rubor accidentarius, sint similes: probabile est, à simili causa produci. Sicut igitur rubor accidentarius procedit à passione accidentaria, id est à pudore: ita probabile est, ruborem naturalem procedere à passione naturali, quæ est pudori similis.

12 *Quæcumque igitur*. Separat patibiles quali-

qualitates à passionibus: ne categoria, quæ vocatur Pati, confundatur cum qualitate cùm autem alia corpori accidant, alia animæ: Aristoteles vtrobique distinctionem ponit, constituens tria genera; patibilem qualitatem naturalem, cum qua quis nascitur: patibilem qualitatem fortuitam, quæ casu aliquo euenit alicui iam nato; & passionem, quæ non est qualitas. Patibilis qualitas naturalis est in corpore, vt rubor pallórve naturalis: in animo, vt naturalis amentia. Patibilis qualitas fortuita est in corpore, vt pallor ex morbo contractus: in animo, vt amentia ex morbo. Passio in corpore est, vt pallor ob metum, rubor ob verecundiam: in animo, vt ira. In hac particula Philosophus primò generaliter definit, quæ symptomata nomen patibilium qualitatum mereantur: & inquit ea esse talia, quæ non possunt facile amoueri. Secundò cùm ait, *sive enim*, loquitur de patibilibus qualitatibus corporeis naturalibus. dat exemplum palloris aut nigroris ab ortu contingentis: & à definitione qualitatis probat hæc esse qualitates, quoniam iis symptomatibus præditi, ab eis denominantur quales, id est, vocantur pallidi, aut nigri. Tertiò cùm ait, *sive ob longum*, tractat de patibilibus qualitatibus corporeis fortuitis, vt pallore ob morbum, & nigrore ob æstum, si firmiter permaneant, nec facile amoueantur. similitérque probat hæc esse qualitates, quia definitio qualitatis eis conuenit, hoc est, quia denominantur ab eis quales, nimirum pallidi, vel nigri. Quartò cùm ait, *Quæcumque verò*, generaliter definit passiones, quæ non sunt qualitates: ac tales inquit esse eas, quæ facile amouentur: probat autem non esse qualitates, quia definitio qualitatis eis non conuenit, cùm ab eis non denominentur quales. Quintò cùm ait, *neque enim erubescens*, dat duo exempla passionum corporearum fortuitarum, id est, palloris ob metum, & ruboris ob verecundiam: quas non esse qualitates eodem argumento ostendit, quoniam ab eis non denominantur quales, id est, pallidi, vel rubri.

13 *Similiter etiam.* Eandem distinctionem inter patibilem qualitatem & passionem accommodat accidentibus animæ, & primò generaliter tradit in anima reperiri tam patibiles qualitates, quàm passiones, quę inter se differunt. Secundò cùm ait, *nam quæcumque*, accedens ad tria illa, quæ dixi, genera singillatim definitionibus atque exemplis declaranda, ita exponit patibiles qualitates naturales. Tertiò cùm ait, *similiter quæcumque*, similiter explanat patibiles qualitates fortuitas. Quartò cùm ait, *quæ v[illegible]ib ius*, similiter explicat passiones, quæ non sunt qualitates.

14 *Quartum verò.* Sequitur quarta species qualitatis, id est figura seu forma rei externa: nam forma interna est essentia, non qualitas: & quatenus referenda sit ad Categoriam substantiæ, quamuis simpliciter non sit in ea Categoria, docui ad partic. 13. cap. 5. Inter figuram autem & formam externam alij aliter distinguunt. Mihi placet Iamblichi distinctio: vt figura dicatur in rebus mathematicis, forma in rebus naturalibus: nisi malimus hæc pro eodem accipere & [illegible]. Hanc speciem Aristoteles declarat exemplis confirmatis à definitione qualitatis, quia ex huiusmodi figuris vel formis res dicuntur quales, vt à rectitudine dicitur linea recta, & ab obliquitate linea obliqua.

15 *Rarum autem.* Expositis veris speciebus qualitatis, proponit Aristoteles ea, quæ videri possunt pertinere ad hanc categoriam, cùm reuera sint in categoria situs, quia significant certam positionem partium. Primum est Rarum, cuius partes à se inuicem distant. Alterum est Densum, cuius partes sibi inuicem sunt propinquæ. Tertium est Læue, cuius partes ita sunt dispositæ, vt nulla supereminea. Vltimum est Asperum, cuius quædam partes supereminent, quædam altitudine superantur. Hic oritur dubitatio: nam si hæc quatuor, densum, rarum, &c. non sunt qualitates, eò quòd significant positionem partium: eâdem ratione dicendum videtur, rectum & obliquum non esse qualitates, vt in superiori partic. Aristoteles affirmauit, quia partium positione distinguuntur: partes enim lineæ rectæ in neutrum latus inclinant, vt partes lineæ obliquæ. Respondeo rarum à denso, & asperum à læui differre tantum partium positione: rectum verò ab obliquo non tantùm positione partium, sed etiam specie. est enim eadem figura, (putà quadrata siue circularis) & idem corpus (putà cubicum vel globosum) siue densitas siue raritas, item siue asperitas, siue læuitas ei tribuatur: figuram autem rectilineam ab ea quæ obliquis lineis constat, specie differre, nemo negabit, qui geometriam primis labiis degustarit.

16 *Fortasse autem.* Affert excusationem, ne fortè ab aliquo reprehendatur, quasi omiserit aliquam speciem qualitatis: & ait se aut omnes proposuisse, aut saltem præcipuas, quæ maximè sunt in vsu. Si quis quærat, cur Aristoteles non diligentius in-

quæsierit, an sint aliæ species qualitatis; respondebo hanc exquisitionem excedere logicam facultatem, in qua explicantur Categoriæ rudi Minerua ad iuniorum captum, cùm ad primam philosophiam diligentior earum expositio pertineat.

17 *Qualitates itaque.* Epilogo concludit primam partem huius capitis, quæ fuit de qualitatis diuisione, ac speciebus.

18 *Qualia verò.* Adhuc de qualitate: consequenter dicẽdum de quali. Definit igitur Aristoteles quale: & quemadmodum supra definiuit qualitatem per quale, ita nunc definit quale per qualitatem. Supra namque dixit qualitates esse à quibus dicuntur qualia: nunc ait qualia esse, quæ dicuntur à qualitatibus. Hæc ratio explicandi videtur esse absurda: nam definitio debet sumi ex notioribus, quoniam ad rem notificandam adhibetur: non potest autem idem esse notius & ignotius. Pro solutione huius obiectionis notandum est, Aristotelem hic vti regressu, (sic enim in scholis vocitur) quo similiter vtitur duobus primis libris Phys. nec non 8 Phys. Explicabo hunc regressum: de aliis suo loco dicendum est. Initio qualia erant notiora qualitatibus: quoniam qualia percipiuntur sensibus, qualitates verò per abstractionem intellectus: constat autem ea esse notiora, (vt ait Aristot. t. Phys. cap 1.) quæ sunt propinquiora sensui, cùm omnis nostra cognitio sumat originem à sensu. videmus enim res albas, aut nigras: non cernimus ipsum alborem, aut nigrorem per se. rectè igitur Aristoteles initio huius capitis descripsit qualitatem per quale, vt declararet ignotius per notius. Postea verò quàm ad hanc vsque particulam multa verba fecit de qualitatibus, per eam negotiationem intellectus (sic enim in scholis vocatur) qualitas est nobis effecta notior, quàm quale. proinde Aristoteles rectè regreditur à qualitate ad quale: & cùm supra sit vsus ordine doctrinæ à notioribus nobis, nunc vtitur naturali ordine à notioribus naturâ. Naturâ enim qualitas est prior & notior quali: exempli causâ albor est prior & notior albo, vt causa suo effectu.

19 *Pleraque igitur.* Exponit traditam qualium definitionem: & primùm ponit exempla eorum qualium, quæ denominantur à qualitatibus, vt album denominatus ab albore.

20 *Quædam verò.* Secundò affert exempla eorum qualium quæ ideo non denominantur, quòd qualitas, à qua dicuntur, nomine caret. Sic à naturali facultate currendi, quæ non habet proprium nomen, dicitur aliquis cursorius, id est ad currendum aptus. Plura exempla sunt in contexto.

21 *Interdum verò.* Tertio tradit exemplum, in quo quale à qualitate proprium nomen habente non denominatur: sed aliunde accipit appellationẽ. cuius rei nulla ratio afferri potest, præter communem loquendi vsum, penes quem (vt ait Horatius) est arbitrium & vis & norma loquendi. Sic igitur ἀπὸ τῆς ἀρετῆς non dicitur ἀρεταῖος, sed σπουδαῖος, id est à virtute non dicitur virtuosus, sed probus seu virtute præditus.

22 *Qualia igitur.* Ex allata in tribus particulis expositione concludit rectam esse qualium definitionem, quam habuimus in particula 18.

23 *Inest autem.* Sequitur tertia pars capitis de proprietatibus qualitatis & qualis. Prima proprietas est, habere contrarium. Hanc conuenire & qualitati & quali, docet Aristoteles exemplis perspicuis.

24 *Sed non in omnibus.* Ostendit primam proprietatem non conuenire omnibus qualitatibus vel qualibus. Potuit autem afferre exempla ex quarta specie qualitatis: nam triangulo, aut quadrato nihil est contrarium: sed his exemplis omissis, proponit colores medios, vt flauum, pallidum, rubrum, quibus ait nihil esse contrarium. Intellige nihil esse contrarium per se. alioquin cùm extrema sint inter se contraria, vt album & nigrum, media verò sint quodammodo extrema, etiam media sunt contraria extremis, vt Aristoteles docet lib. 5. Phys. cap. 1. & lib. 2. Eth. cap. 8. Sic rubrum (exempli gratiâ) quatenus habet in se aliquid albi, est contrarium nigro. & quatenus habet aliquid nigri, est contrarium albo.

25 *Præterea si contrar orum.* Sequitur secunda proprietas, Si ex duobus contrariis alterum sit in hac Categoria, alterum quoque in eadem collocatur. Veluti cùm album & nigrum sint contraria, album autem sit quale: necesse est etiam nigrum esse quale. Hanc proprietatem Aristoteles probat per inductionem. Sed notandum est, hanc quoque proprietatem non conuenire omnibus qualitatibus & qualibus: quia iam diximus quibusdam nihil esse contrarium.

26 *Recipiunt autem.* Sequitur tertia proprietas, intendi & remitti. Hanc proprietatem prolatis exemplis docet Aristoteles conuenire qualibus, siue in diuersis, siue in eodem subiecto considerentur. In diuersis: veluti Socrates Platone est iustior. In eodem subiecto: veluti idem Socrates modò est magis, modò minùs iustus.

27 *Non omnia.* Ostendit tertiam proprietatem.

prietatem non conuenire quibusdam qualitatibus, licet conueniat qualibus, quæ ab eis qualitatibus denominantur. vt puta conuenit Grammatico, & sano: non grammaticæ, vel sanitati.

28 *Triangulus verò.* Ostendit eandem tertiam proprietatem non conuenire quartæ speciei qualitatis, vt triangulo, quadrato, & circulo. Et quia poterat aliquis obiicere circulum magis dici de circulo quàm de triangulo, aut triangulum magis de quadrato quàm de circulo: quia triangulus est similior quadrato, quàm circulus: cùm triangulus & quadratum constent lineis rectis, & habeant aliquot angulos, quorum neutrum de circulo dici potest: ideo soluit Philosophus hanc obiectionem, negans circulum magis dici de circulo, quàm de triangulo, aut triangulum magis de quadrato quàm de circulo. Et vt falsum id esse ostendat, regulam nobis tradit, per quam diiudicare possimus, an aliquid magis & minùs quibusdam attribuatur. Regula est, nihil attribui quibusdam magis & minùs, nisi adsint duæ conditiones. Vna est, vt attributi definitio conueniat omnibus subiectis. Altera est, vt eadem definitio alij magis, alij minùs insit. Secundum hanc regulam dicendum est, circulum non dici magis de circulo quàm de triangulo: quia definitio circuli non conuenit vtrique, sed tantùm circulo, non triangulo. Rursus negandum est, triangulum magis dici de quadrato, quàm de circulo: cùm trianguli definitio neque conueniat quadrato, neque circulo. Ex his apparet, aliud esse, si dicamus aliquid esse similius vni quàm alteri: aliud, si dicamus magis attribui vni quàm alteri. nam triangulus est similior quadrato, quàm circulo: non tamen magis dicitur de quadrato, quàm de circulo: immo de neutro dicitur.

29 *Nihil igitur.* Concludit tres expositas proprietates non esse veras proprietates, quia non conueniunt omnibus qualitatibus & qualibus, vt suprà ostensum fuit. Adde, quòd Aristoteles prætermisit, tanquàm nobis notum ex cap præcedenti, has proprietates non conuenire huic soli Categoriæ, sed etiam relatis, dummodò accipiantur relata secundum dici. nam veris relatis hæ proprietates non conueniunt. & fortasse hæc fuit causa, cur Aristoteles in præsentia noluerit vti hoc argumento ad impugnandas has proprietates.

30 *Similia verò.* Proponit quartam proprietatem, quæ soli huic Categoriæ, & omnibus in ea contentis conuenit, vt per inductionem demonstrari potest, ideóque est vera proprietas, nempe dici simile vel dissimile. Omnis enim similitudo vel dissimilitudo sumitur à qualitate. nam quæ essentiâ differunt, non tam dissimilia, quàm differentia siue alia dicuntur. Vt enim dicebat Porphyr. cap. 3. partic 10. differentia accidentalis varium facit, differentia verò essentialis facit aliud.

31 *Non oportet.* Sequitur quarta & vltima pars capitis, in qua proponitur & soluitur dubitatio quædam. in superiori namque cap. dictum fuit scientiam esse ad aliquid, quia refertur ad scibile: hoc autem capite diximus grammaticam, quæ sine dubio est scientiæ species, esse qualitatem: quoniam ab ea denominantur quales, id est, grammatici. vnde videntur confundi Categoriæ. Hæc obiectio non videtur habere locum secundum definitionem relatorum Aristotelicam: secundum quam scientia non est ad aliquid, quia non habet essentiam constitutam in relatione ad scibile, sed in eo potiùs quod est animi qualitas quædam. Sed obiectio sumitur secundum definitionem veterum, secundum quam scientia est ad aliquid, quia dicitur esse scientia rei scibilis. quare dubitatur, quomodo hîc grammatica collocetur in Categoria qualitatis.

32 *Ferè enim.* Propositæ obiectionis duas solutiones affert. Prior est in hac partic. fieri posse, vt genus (veluti scientia) sit ad aliquid, species autem (veluti grammatica) sit qualitas. Hæc sententia potest admitti in relatis secundum dici, prout relata à veteribus sunt definita. Quòd si vera relata accipias, necesse est, ad eandem Categoriam referre genus & speciem. Cùm enim species sub suo genere collocetur: manifestum est, sub quo genere generalissimo collocatur hoc genus, sub eodem collocari etiam speciem. Vide lib. 4. Top. cap. 4. part. 13 14 & 15. Quod attinet ad seriem & analysim contextus, Aristoteles in primis verbis proponit hanc solutionem: quòd non confunditur Categoria, nec ponitur idem in diuersa Categoria: sed genera ponuntur in Categoria relatorum, & species in Categoria qualitatis. Deinde cùm ait, *nam scientia,* incipit declarare & confirmare hanc solutionem exemplo scientiæ & eius specierum: quia scientia est ad aliquid, & eius species sunt qualitates: & in primis probat scientiam, quæ est genus, esse ad aliquid, sumpto argumento à definitione relatorum. Syllogismus ita extruitur: Quod alterius esse dicitur, est ad aliquid: atqui scientia dicitur alterius, nempe rei scibilis. ergo scientia est ad aliquid. Huius syllogismi in contextu habemus conclusionem: & ibi, *alte-*

cuius enim, minorem propositionem. maior autem, tanquàm manifesta, omittitur.

Tertiò cùm ait, *singulorum autem*, probat species scientiæ non esse ad aliquid Syllogismus ab eadem definitione sumptus, ita extruitur: Relata, id quod sunt, dicuntur esse alterius: species autem scientiæ, vt grammatica & musica, id quod sunt, non dicuntur alterius: ergo non sunt relata. In contextu habemus huius syllogismi minorem, propositionem: & ibi, *vt grammatica*, eiusdem minoris expositionem per exempla grammaticæ & musicæ: & ibi, *nisi fortè*, prolepsin, id est solutionem tacitæ obiectionis pertinentis ad eandem minorem propositionem: quia grammatica & musica videntur dici alterius: sed non dicuntur alterius id quod sunt, id est non dicitur grammatica alicuius grammatica, aut musica esse alterius musica, sed esse alterius scientia. proinde in hac relatione sumitur genus, nempe scientia. Item habemus in contextu eiusdem syllogismi conclusionem ibi, *quare singula*. Maior autem propositio in hoc quoque syllogismo est prætermissa. Quartò Aristoteles cùm ait, *dicimur autem quales*, probat species scientiæ esse qualitates. Probatio sumitur à definitione qualitatis hoc modo: Qualitates sunt, à quibus dicuntur quales, vt à grammatica grammatici: ergo species scientiæ sunt qualitates. Huius quoque syllogismi habemus in contextu minorem propositionem ibi, *dicimur autem*: & eiusdem confirmationem ibi, *quoniam has habemus*: & conclusionem ibi, *quocirca qualitates*. Maior autem hic quoque prætermittitur.

33 *Præterea si idem.* Sequitur altera eiusdem obiectionis solutio, videlicèt non esse absurdum, si eadem res, vt scientia, ponatur in diuersis Categoriis, vt in relatis & in qualitate. Intellige rem eandem subiecto, non omnino eandem: quia Categoriæ realiter inter se distinguuntur. Scientia igitur, quatenus per se spectatur, & est habitus quidam, ponitur in Categoria qualitatis, & est genus grammaticæ & musicæ: quatenus verò ad rem scibilem refertur, est in Categoria relationis. nam in hoc accidente, quod vocamus scientiam, duæ res sunt: nempe esse absolutum, quod est qualitas; & esse relatum, quod est ad aliquid.

IN CAP. IX. DE ACTIONE, PASSIONE, ET RELIQVIS Categoriis.

Expositis quatuor Categoriis, quæ primum locum obtinent, id est Substantia, Quantitate, Relatis, & Qualitate, reliquas sex à quatuor illis ortas perstringit paucis. Ex substantia namque cum qualitate oriuntur duæ Categoriæ, Agere & Pati: quia substantia per qualitatem agere & pati dicitur, vt per calorem ignis calefacit, & aqua calefit. Ex substantia verò cum quantitate oriuntur aliæ duæ Categoriæ. Vbi & Quando: id est, ex substantia cum ea specie quantitatis quæ vocatur locus, nascitur Categoria vbi, quæ significat locationem substantiæ corporalis: & ex substantia cum altera specie quantitatis quæ appellatur tempus, oritur Categoria Quando. Itidémque ex substantia cum relatione nascuntur duæ postremæ Categoriæ, Situm esse & Habere: quarum illa significat respectum partium corporis inter se: veluti cùm aliquis dicitur stare, eò quòd omnes corporis partes rectè sunt dispositæ, ita vt caput summum locum, venter medium, pedes infimum obtineant: hæc autem significat respectum corporis ad corpus externum quo circundatur, vt corpus humanum vestimento.

1 *Agere & pati.* Declarat duas Categorias, Agere & Pati propositis duabus earum proprietatibus: quarum altera est, habere contrarium: altera, contendi & remitti. Hæ proprietates non conueniunt his Categoriis solis, sed etiam qualitatibus & qualibus, vt didicimus ex cap. præced. Nec conueniunt iis omnibus, quæ ad Categorias agere & pati referuntur: quia generare, generari, alere, ali, legere, scribere, &c. eiusmodi, neque contrarium quicquam habent, neque intenduntur aut remittuntur.

2 *Nam calefacere.* Exemplis declarat primam proprietatem actionis & passionis.

3 *Et intentionem.* Similiter exemplis declarat secundam proprietatem.

4 *Tot igitur.* Epilogo breui concludit tractatum de Actione & Passione.

5 *Dictum est autem.* De Categoria situs ait sufficere, quod suprà dictum fuit cap. 7. part. 4.

8 *Quod verò ad reliquas.* De tribus reliquis Categoriis similiter ait sufficere, quæ dicta fuerunt cap. 4. part. 2. Ea tamen breuiter hic repetit: nempe exempla, quibus hæ Categoriæ declarantur.

7 *De propositis.* Breui epilogo imponit finem tractatui de Categoriis.

IN CAP. X. DE OPPOSITIS.

POstquàm decem Categorias exposuit, cõsequenter quædam eorum accidentia declarat. Categoriis accidunt quatuor. I. Oppositio, cuius species est contrarietas. Nam substantia recipit contraria, vt dictum est cap. 5 part. 2. in relatis secundum dici, in qualitate, in actione, & in passione contrarietatem posuimus. relata quoque omnia sunt inter se opposita. II. Esse prius, vel posterius, vel simul: vt de relatis dictum est, quædam esse priora vel posteriora, vt scientiam esse priorem scibili: quædam simul esse, vt duplum & dimidium. III. Motus, qui spectatur in quatuor Categoriis, substantia, quantitate, qualitate, & vbi, vt posteriùs explicabitur. IV. Habere, quod non solùm cernitur in Categoria quæ vocatur Habere, sed & in aliis, vt cùm dicimus habere quantitatem, vel qualitatem, &c. vt in vlt. capite declarabitur. Hoc capite Aristoteles oppositorum genera exponit exemplis, descriptionibus, & variis collationibus, seu distinctionibus. Confer hoc caput cum cap. 10 lib 4. Metaphys.

1 *Iam de oppositis.* Proponit dicendum de oppositis.

2 *Dicitur autem.* Quatuor oppositorum genera enumerat, quæ deinceps declarabit.

3 [*Sic*] *autem opponitur.* Rudi Mineruâ declarat singula oppositorum genera propositis quibusdam exemplis: postea subiiciet diligentiorem expositionem. Eadem methodo vsus est in Categoriis enarrandis. nam cap. 4. breuem declarationem afferebat per exempla: cap. 5. & sequentibus enarrabat diligentiùs. ideóque hic vtitur eadem clausula, qua vsus est dicto capite 4. & alibi sæpe, *ὡς τύπῳ εἰπεῖν*, *vt typo dicam*, id est, vt rudi & pingui Minerua explicem. Porrò cùm reliqua exempla hîc allata, sint perspicua: vnum est, quod dubitatione non caret, cùm ait Philosophus contraria esse malum & bonum: quia Metaphysici sciunt ens & bonum reciprocari: proinde malum nihil aliud esse, quàm priuationem boni: vnde bonum & malum videntur opponi, non vt contraria, sed vt habitus & priuatio. Pro solutione notandum est, bonum & malum accipi duobus modis, vt & suprà diximus de substantia & accidente: primò absolutè & per se: secundò per relationem ad alterum: quod enim alicui bonum est, alteri malum esse potest. Si per se spectentur: malum est priuatio boni. Sed in altera consideratione malum est ens aliquod rei non conueniens: vt venenum est homini malum. Et hac ratione contraria dicuntur bonum & malum.

4 *Quæcumque igitur vt ad aliquid.* Resumit singula oppositorum genera distinctiùs & perfectiùs explicanda. & primo loco agit de relatis: quæ declarat per illam proprietatem, quam veteres quasi definitionem relatorum tradiderunt, vt expositum fuit cap. 7. Et cùm ait, *vt duplum*, subiicit aliquot exempla relatorum perspicua.

5 *Quæcumque igitur opponuntur.* Per eandem relatorum proprietatem secernit contraria à relatis, vtens hoc syllogismo: Relata, idipsum quod sunt, sui inuicem dicuntur. at contraria, idipsum quod sunt, sui inuicem non dicuntur: ergo contraria non sunt relata: & contrà relata non sunt contraria: quia propositio vel conclusio vniuersalis negans reciprocatur. In contextu habemus primò maiorem propositionem. Secundò ibi, *quæ verò*, minorem propositionem. Tertiò ibi, *neque enim bonum*, probationem minoris per exempla. Postremò ibi, *quare hæ*, conclusionem syllogismi.

6 *Quæcumque verò contraria.* Diuidit contraria in immediata & mediata: & vtraque declarat tam definitione, quàm exemplis. Primò igitur affert definitionem contrariorum immediatorum: & ait contraria immediata esse, quorum alterum necesse est inesse in subiecto apto ad recipiendum. vt sanitas vel morbus necessariò est in homine: quia sunt contraria medio carentia. neutrum verò est in lapide: quia lapis non est subiectum capax sanitatis & morbi.

7 *Quorum autem.* Secundò proponit definitionem contrariorum mediatorum, id est, quorum alterum in subiecto ad recipiendum apto inesse necesse non est. vt album & nigrum sunt contraria: & neutrum necesse est inesse in corpore animalis: quia potest esse rubrum, aut alius coloris.

8 *Vtputà naturâ.* Tertiò addit exempla contrariorum immediatorum: nempe sanitatem & morbum in animali: item par & impar in numeris. Atqui Galenus in arte medica constituit medium quoddam inter corpus sanum & corpus ægrum, quod

vocat corpus neutrum. Sed Galenus, vt medicus, pinguiùs loquitur, & ad sensum respicit: cum reuera corpus, quod ille neutrum appellat, sit corpus ægrotum. Verùm quia morbus minùs apparet: medicus, tanquàm artifex (vt à scholasticis appellatur) sensatus, non ægrum, sed neutrum corpus vocat.

9 *Quorum verò.* Quartò subiicit exempla contrariorum mediatorum.

10 *In nonnullis.* Subdiuidit contraria mediata: quòd alia medium habent nominatum, alia medium nomine carens. Exempla in contextu perspicua sunt. Ex hac particula colligitur diuisio quædam medij contrariis interiecti. quædam enim dicuntur media per participationem extremorum: & hæc solent esse nominata: vt rubrum & viride, quæ componuntur ex contrariis coloribus albo & nigro. alia sunt media per negationem extremorum: & hæc sæpe nomine vacant: vt infans nec est iustus nec iniustus.

11 *Priuatio autem.* Transgreditur ad priuationem & habitum: de quibus plura docet. In hac particula ostendit ambo spectari in eodem subiecto: vt cùm oculus sit subiectum aspectus, erit etiam subiectum cæcitatis. & cùm lapis non possit videre, non potest etiam dici cæcus.

12 *Tunc verò dicimus.* Vt aliquid dicatur esse priuatum aliquo habitu, docet Aristoteles requiri tres conditiones. Prima exposita est 10 præceden. partic. vt subiectum sit aptum ad habitum recipiendum. ideóque lapis non dicitur cæcus, vt modo notaui. reliquæ duæ conditiones hic adiiciuntur. Altera enim conditio est, vt priuatio attribuatur ei parti, in qua potest esse habitus. sic homo dicitur cæcus, si oculis non videat: nec propterea dicitur cæcus, quòd manu, aut pede non videat. Tertia conditio est, vt tunc temporis habitus absit, cùm naturâ inesse potest: idcirco catulus recèns natus non dicitur cæcus, quia videre non potest ante nonum diem.

13 *Iam verò priuatum esse.* Confert priuatum esse cum priuatione, & habere habitum cum habitu. ac primùm docet hæc differre: quod ita probat. Sumit exempli caussâ aspectum & cæcitatem: & vtitur syllogismo hypothetico à destructione consequentis ad destructionem antecedentis, hoc modo: Si cæcitas & cæcum essent idem, attribuerentur eidem subiecto: sed consequens est falsum: ergo & id, ex quo consequitur. Maior propositio est locus Topicus, qui traditur Topicor. lib. 7. cap. 1. partic. 15. Minor, id est falsitas consequentis, probatur exemplo hominis, qui dicitur cæcus, non tamen dicitur cæcitas. Quod ad verba contextus attinet, Primò Aristoteles proponit generalem conclusionem de priuatione & habitu, ac de eo quod est priuatum esse, vel habere habitum: nempe hæc inter se differre. Secundò cùm ait, *nam aspectus*, proponit exemplum aspectus & cæcitatis, & eius quod est habere aspectum, vel esse cæcum: & de his ponit conclusionem, quòd differunt, sicut exposui. adeò vt iam duas conclusiones posuerit, priorem generalem, posteriorem speciálem, cuius exemplo vult generalem confirmare. Tertiò cùm ait: *nam si cæcitas*, proponit hypotheticam propositionem syllogismi probantis dictam conclusionem specialem. Quartò cùm ait, *atqui homo*, loco minoris propositionis, id est, categoricæ, ponit eius probationem.

14 *Sed & hæc.* Postquàm declarauit differentiam inter habitum & habere habitum, nec non inter priuationem & priuatum esse: nunc docet similitudinem, nempe quòd habere habitum & esse priuatum opponuntur eodem modo, quo habitus & priuatio. termini igitur sunt diuersi, sed mutua terminorum oppositio est eadem. Eandem esse oppositionem docet Aristoteles exemplis perspicuis.

15 *Id quoque.* Obiter contradicentium, de quibus posteriùs tractabit, hic mentionem interiicit: vt doceat, in his quoque locum habere eandem similitudinem, & eandem differentiam, quam in proximis particulis declarauit in priuantibus. In hac particula exponit tantùm differentiam.

16 *Sed & hæc.* Consequenter declarat similitudinem: quæ est perspicua ex iis, quæ suprà diximus de priuantibus.

17 *Priuationem autem.* Reuertitur ad priuantia: quæ à relatis seiungit duplici argumento. Primùm vtitur eodem argumento, quo suprà partic. 5. distinxit contraria à relatis, id est, per eam proprietatem, id ipsum quod est, dici alterius: quæ proprietas attribuitur solis relatis, non contrariis, neque priuantibus. Vtitur ergo loco Topico à se tradito lib. 7. Top. cap. 1. partic. 15. qui sumitur ab attributo. cùm enim aliquid alteri attribuitur, alteri non attribuitur: necesse est hæc duo esse diuersa. Syllogismus ita extruitur: Relata, id quod sunt, alterius esse dicuntur: priuantia verò, id quod sunt, alterius esse non dicuntur: ergo priuantia non sunt relata. In contextu habemus primò conclusionem. Deinde ibi, *quia id ipsum*, minorem propositionem. Tertiò ibi, *nam aspectus*,

spectum, eius minoris probationem per exempla. Maior autem propositio, tamquam manifesta, omittitur.

18 *Praeterea quaecumque.* Sequitur alterum argumentum ex eodem loco Topico distinguens priuantia à relatis: quoniam dici ad ea quae reciprocantur, attribuitur relatis, non etiam priuantibus. Syllogismus poterat extrui categoricè in secunda figura, nempe in Camestres, vt praecedens syllogismus. sed Aristoteles hic, vt & suprà partic. 13. vtitur syllogismo hypothetico à destructione consequentis ad destructionem antecedentis, hoc modo: Si priuantia essent relata, referrentur ad ea quae reciprocantur: atqui hoc est falsum: ergo & illud. Hypothesis probatur ex proprietate relatorum, quae fuit exposita cap. 7. part. 9. Quod ad seriem contextus attinet: primò habemus relatorum proprietatem, quae valet ad probandam dictam hypothesim. Secundò inde colligitur hypothesis, ibi, *quare etiam.* Tertiò subiicitur propositio categorica, id est, destructio consequentis, ibi, *sed non reciprocatur.* Conclusio verò est repetenda ex praecedente partic.

19 *Neque idem vt contraria.* Cùm distinxerit priuantia à relatis: nunc ea distinguit à contrariis, duplici argumento: quorum primum sumitur à speciebus contrariorum: quia contraria vel sunt mediata, vel immediata, vt exposuimus partic. 5. & sequentibus: priuantia verò nec sunt contraria media, nec contraria immediata: ergo nullo modo sunt contraria. Quoniam autem in hoc argumento explicando Aristoteles vtitur prolixitate, singulas huius particulae clausulas distinctè & ordine explanabo. Primò proponit conclusionem demonstrandam, id est, priuantia non esse contraria. Secundò cùm ait, *nam contrariorum*, vt ostendat priuantia differre à contrariis, primùm sumit proprietatem contrariorum, quam postea ostendet non conuenire priuantibus. & cùm alia sint contraria mediata, alia immediata: incipit ab immediatis: quorum proprietas haec est, necesse esse vt alterutrum insit in subiecto ad recipiendum apto, vt didicimus ex partic. 6. Tertiò cùm ait, *inter quae autem*, subiungit proprietatem contrariorum mediatorum, quòd neutrum necesse est inesse in subiecto ad recipiendum apto: quia potest inesse medium, vt didicimus ex partic. 7. & partic. 9. Addit tamen Aristoteles hic exceptionem, id est, excipit ea quae vnum tantùm ex contrariis necessariò recipiunt. Exempli gratiâ, inter calidum & frigidum est interiectum tepidum: calor igitur & frigus sunt contraria mediata. non tamen dicere possumus neutrum necessariò inesse igni: immo calor semper & necessariò igni inest. & sicut ignis non potest esse frigidus, sic non potest esse tepidus. quòd si frigus reciperet, etiam teporem reciperet. Proprietas igitur contrariorum mediatorum ita est alternatè concipienda: Aut contrariorum alterum necessariò semper inest, vt calor igni: aut potest vtrumque abesse; vt album & nigrum potest abesse à panno, qui potest esse rubeus, aut viridis. Hactenus docuit proprietates contrariorum: & tota haec doctrina conficit maiorem propositionem syllogismi Aristotelei. deinceps vult ostendere nullam illarum proprietatum conuenire priuantibus, atque ita erigere minorem propositionem: cui tandem subiiciet conclusionem: adeò vt syllogismus breuiter ita concipi possit: Omnia contraria sunt eiusmodi, vt vel sit necesse alterum inesse &c. atqui nulla priuantia sunt eiusmodi: ergo nulla priuantia sunt contraria. Quartò igitur, cùm ait, *in priuatione autem*, generaliter proponit eam minorem propositionem, id est, proprietates contrariorum non conuenire priuantibus, postea singillatim hoc explicaturus. Quintò enim cùm ait, *non enim semper*, ostendit proprietatem contrariorum medio carentium non conuenire priuantibus. Argumentatio talis est: Contraria immediata sunt eiusmodi, vt semper necesse sit alterum inesse in subiecto ad recipiendum apto: priuantia verò non sunt eiusmodi: ergo priuantia non sunt contraria immediata. Ambae propositiones ex praedictis patent. In contextu habemus minorem propositionem huius prosyllogismi ibi, *non enim semper*: & minorem probationem exemplo caeci, ibi, *quia quod naturâ*: & conclusionem ibi, *quapropter haec*, omissa maiore propositione. Sextò cùm ait, *sed neque*, probat priuantibus non inesse proprietatem contrariorum mediatorum. Argumentatio talis est: Contraria mediata sunt eiusmodi, vt suprà exposui: priuantia verò non sunt eiusmodi: ergo priuantia non sunt contraria mediata. Huius argumentationis seu prosyllogismi habemus conclusionem ibi, sed neque: & minorem ibi, *quoniam necesse*: & probationem eius minoris exemplo caeci & videntis, ibi, *cùm enim*: & alteram partem minoris propositionis, ibi, *nec horum*: (nam minor est bipertita: & prior pars est de contrariis mediatis, quorum vtrumque potest abesse à subiecto: posterior pars de iis, quorum vnum necessariò sem-

per inest in subiecto, vt calor in igne) & probationem eius secundæ partis minoris propositionis eodem exemplo cæci & videntis, ibi, *non [est] enim necesse*: & maiorem propositionem ibi, *contrariorum verò*. Septimò cùm ait, *quare manifestum*, subiicit generalem conclusionem, quòd priuantia nullo modo sunt contraria.

20 *Preterea in contrariis.* Eandem distinctionem priuantium & contrariorum probat altero argumento sumpto ex eodem loco Topico, id est, quia mutua mutatio conuenit contrariis, non etiam priuantibus. Syllogismus ita extruitur: Contrariorum inter se mutatio vicissim fieri potest: priuantium autem fieri non potest: ergo priuantia non sunt contraria. Quod ad verba contextus attinet, Primò ponit Aristoteles maiorem propositionem, quòd contraria inter se vicissim commutantur: addita exceptione eorum, quibus vnum ex contrariis necessariò inest, vt & suprà diximus de igne, in quo non fit mutatio ex calido in frigidum, sed semper manet calidus. Secundò cùm ait, *nam & quod est sanum*, probat illam maiorem exemplis. Tertiò cùm ait, *In priuatione verò*, subiungit minorem. Quartò cùm ait, *nam etsi ab habitu*, exponit eam minorem, docens fieri quidem mutationem ab habitu ad priuationem, sed non vicissim à priuatione ad habitum. Quintò cùm ait, *neque enim qui cæcus*, probat eam minorem exemplis.

21 *Quæ verò opponuntur.* Transgreditur ad contradicentia: quorum hanc proprietatem tradit, quòd semper alterum est verum, alterum falsum: & per hanc proprietatem seiungit contradicentia ab omnibus aliis oppositis. Primò igitur proponit hanc proprietatem, tamquam conuenientem omnibus & solis contradicentibus: quod ita demum verum est, si enunciationes sint eiusdem de eodem, semotâ homonymiâ, amphibologiâ, & omni sophistica captione, vt declarabitur lib. de interpretat. cap. 6. partic. 5. & cap. 8. item sint definitæ, id est, altera vniuersalis, altera particularis, vt omnis homo est iustus, non omnis homo est iustus: vel ambæ singulares, vt, Socrates est iustus, Socrates non est iustus: non indefinitæ, vt, homo est iustus, homo non est iustus: sicut explicabitur lib. de interpretat. cap. 7. partic. 8. 9. 10.

22 *Nec enim in contrariis.* Secundò ostendit eam non conuenire oppositis simplicibus. quod probat variis exemplis. Opposita simplicia appello, quæ sunt sine complexione, vt sanitas, morbus, sanum, ægrotum. Hic non potes dicere alterum esse verum, alterum falsum. immo neutrum est verum, & neutrum falsum: quia veritas & falsitas non insunt in simplicibus terminis, sed in affirmationibus & negationibus, quæ ex illis terminis componuntur, vt Aristoteles docuit cap. 4. partic. vlt.

23 *Verùm enimuerò.* Tertiò ostendit eandem proprietatem non conuenire enunciationibus contrariis. quod docet exemplo harum enunciationum, Socrates valet, Socrates ægrotat. quamuis enim ambæ simul veræ esse non possint, tamen possunt esse simul falsæ, vt Socrate mortuo: nam qui mortuus est, nec valet, nec ægrotat. Non est igitur semper altera vera, altera falsa: siquidem aliquando simul falsæ sunt.

24 *In priuatione autem.* Quartò ostendit eandem proprietatem non conuenire enunciationibus priuantibus: quod probat exemplo harum enunciationum, Socrates videt, Socrates est cæcus: nam & hæ simul falsæ esse possunt, vt quando Socrates non est, aut quando nondum est aptus ad videndum.

25 *Verùm in affirmatione.* Quintò ostendit eandem proprietatem conuenire contradicentibus, vt in hoc exemplo, Socrates ægrotat, Socrates non ægrotat. Cùm enim Socrates est: sine dubio aut verum est eum ægrotare, aut eum non ægrotare. cùm autem Socrates non est: tunc falsum est eum ægrotare, & verum est eum non ægrotare: quia qui non est, non ægrotat. quapropter semper vera est aut affirmatio, aut negatio.

26 *Quare his solis.* Concludit hanc esse veram proprietatem, quæ omnibus & solis contradicentibus conuenit. Ait *his solis*, supple, & omnibus, vt ex antè expositis patet.

IN CAP. XI. DE CONTRARIIS.

SVperiori capite Aristoteles egit de omnibus oppositorum generibus: hoc autem capite specialiter loquitur de contrariis, quorum sex proprietates declarat.

1 *Bono contrarium.* Proponit primam contrariorum proprietatem, quod bono aduersatur malum, id est, quicquid bono aduersatur, malum est: quia bonum bono contrarium esse nequit. Ne ita intelligas hanc proprietatem, quasi Aristoteles diceret, omne bonum habere aliquid contrarium. Primò proponit Aristoteles hanc proprietatem. Secundò cùm ait, *atque hoc manifestum*, eam confirmat inductione.

2 *Malo autem.* Secunda proprietas est: quòd malo interdum malum, plerumque autem bonum aduersatur, id est, quod malo aduersatur, interdum est malum, plerumque autem est bonum. In contextu Aristoteles primò hanc proprietatem proponit, quòd modo bonum, modò malum malo repugnat. Deinde cùm ait, *nam defectui*, declarat eam proprietatem exemplis. nam defectio est malum: cui aduersatur & excessus, qui similiter est malus, & mediocritas, quæ est bona. Veluti profusioni contraria est tam auaritia, quàm liberalitas. Ait igitur Aristoteles hic, & apertiùs lib. 2. Eth. Nicom. cap. 8. extrema esse inter se contraria, vt profusionem & auaritiam: mediocritatem autem vtrique extremo esse contrariam, vt liberalitatem profusioni & auaritiæ. Quomodo igitur Aristotelicum illud axioma, Vnum vni est contrarium, verum esse potest? Intelligendum est, vnum vni sub vna & eadem ratione aduersari. vni autem plura sub diuersis rationibus. Exempli gratia, profusio & auaritia inter se opponuntur, vt exsuperantia & defectio: Vtrumque autem liberalitati opponitur, non vt exsuperantia, vel defectus, sed alia diuersa ratione, eáque vna, id est, vt malum bono, siue vt ἀσυμμετρία, symmetriæ. Vide Ammonium hic. Tertiò cùm ait, *in paucis*, docet raro opponi malo malum, sæpe autem opponi malum malo. Hæc sententia videtur falsa esse, quòd raro & in paucis opponatur malo malum: quandoquidem in omnibus habitibus moralibus hoc cernere licet, non solùm virtutem vitiis, sed etiam vitia sibi inuicem aduersari, vt profusionem & auaritiam, vt audaciam & ignauiam. Quod Aristoteles vniuersaliter verum esse docet libro 2 Eth. Nicom. capite 7. Respondeo, pauca ab Aristotele in præsentia dici, non absolutè, sed ex relatione ad alterum membrum, in quo sunt plura. iam enim cap. de relatis ostensum fuit, pauca & multa, non esse vocabula absoluta, sed relata: ideóque dici paucos homines in ciuitate esse, multos in ædibus. Pauca igitur esse in quibus malum malo aduersatur, per relationem dicitur ad ea quæ sunt multo plura, in quibus bonum malo contrarium est. Cùm enim duo sint extrema vitiosa, & vna sit virtus media, omnidque inter se opponantur: apparet, in eodem habitus genere duas esse oppositiones boni & mali, vnam malorum inter se. verbi gratia, liberalitas & profusio sunt contraria, vt bonum & malum: rursus liberalitas & auaritia sunt contraria, vt bonum & malum. profusio & auaritia sibi inuicem aduersantur, vt duo vitiosa extrema.

3 *Præterea non necesse.* Sequitur tertia contrariorum proprietas, Non est necesse contraria simul esse in rerum natura. Hanc proprietatem ostendit Aristoteles conuenire contrariis simplicibus, vt sanitati & morbo, item albori & nigrori.

4 *Præterea si Socratem.* Eandem tertiam proprietatem producit ad contraria complexa: veluti, Socrates valet, Socrates ægrotat: quibus hanc proprietatem conuenire probat ex alia contrariorum proprietate, quæ est numero quarta, nempe quòd contraria non possunt simul esse in eodem subiecto: vnde si verum est Socratem bene valere, falsum est Socratem ægrotare. In hac quarta proprietate intellige subiectum prorsus idem numero, ita vt etiam pars vna & eadem consideretur. nam alius homo est albus, alius niger: & Æthiops est albus dentes, niger cutim.

5 *Manifestum verò.* Quinta proprietas est, quòd contraria sunt in eodem subiecto. Hic intellige idem subiectum, non numero, (alioquin hæc proprietas quartæ contradiceret) sed (vt ipse Aristoteles explicat) specie, vel genere. Exempla perspicua sunt in contextu. nam his tribus modis idem dici docet ipse Aristoteles 1 Top. cap. 7.

6 *Necesse.* Sexta proprietas est, quòd contraria vel sunt in eodem genere, vel in contrariis generibus, vel sunt contraria genera. Exempla perspicua sunt in contextu. Obserua multis modis aliquid dici esse in aliquo. nam aliud est, esse in subiecto, de quo in partic. præced. aliud, esse in genere, de quo in hac particula. Sunt & alij modi de quibus lib. 4. Phys. cap. 3. Quod attinet ad exempla contextus: dum Aristoteles ait bonum & malum esse genera contraria, nec esse in aliquo genere, ne intelligas bonum & malum esse nouas categorias præter decem suprà expositas: sed intellige bonum & malum non esse in aliquo certo genere, quia sunt vocabula multiplicia, & vagantur per omnes categorias. nam bonum aut est substantia, vt Deus: aut quantitas, vt mediocritas: aut qualitas, vt virtus: aut in alia categoria, vt Aristoteles docet lib. 1. Ethic. cap. 6.

IN CAP. XII. DE PRIORI.

TRansgreditur ad secundum Categoriarum accidens, id est, Prius & posterius vel simul esse. Hoc capite docet, quot modis aliud alio Prius dicatur, totidémque mo-

dis dicitur Posterius: quoniam Prius & Posterius sunt relata. Coniunge lib. 4. Metaph. cap. 11.

1 *Prius aliud.* Initio proponit quatuor Prioris modos peruulgatos.

2 *Primum et maximè.* Primò dicitur aliquid prius tempore, quod est vetustius, vt bellum Troianum bello Punico.

3 *Secundò quod.* Secundò prius dicitur ratione consecutionis, id, quo posito alterum ponitur, altero tamen posito ipsum non ponitur. Exemplum est in contextu. nam vnum est prius duobus: quia posito vno non ponuntur duo, cùm possit esse vnum tantùm: positis autem duobus ponitur vnum, quandoquidem duo constant ex duabus vnitatibus.

4 *Tertiò ratione.* Tertiò dicitur prius ordine, quod primo loco est collocandum. Exempla tria sunt in contextu. Primum est, quòd elementa sunt priora descriptionibus. Elementa intellige, principia mathematica, vt definitionem puncti, lineæ, circuli. Descriptiones autem hic & alibi Aristoteles vocat demonstrationes mathematicas: quoniam omnes repræsentantur, & explicantur per descriptiones, putà linearum, triangulorum, circulorum. Reliqua duo exempla perspicua sunt.

5 *Præterea quæ.* Quartò dicitur prius dignitate. quam significationem docet Aristoteles esse maximè impropriam.

6 *Qui igitur.* Ait quatuor prædictos modos esse peruulgatos, & ferè omnibus notos. ideóque in prima particula dixit proprium accipi quadrifariam.

7 *Sed præter modos.* Addit quintum modum, id est, prius naturâ, vt causa est prior effectu, quamuis tempore simul sint. Exemplum ponit Aristoteles in re quæ est, & vera oratione quæ de ea re profertur. nam hominem ambulare, & veram esse orationem quòd homo ambulat, sunt simul tempore, non simul naturâ: quia res est causa cur oratio sit vera, & omnis causa est prior suo effectu. Ad hoc exemplum vide, quæ tradit Aristoteles capite vlt. lib. 8. Metaphys.

8 *Quare quinque.* Concludit, quinque modis aliquid dici prius altero. Sed hi quinque possunt ad tres referri. Prius enim dicitur vel tempore, vel ordine, vel naturâ. Quod autem est naturâ prius, subdiuiditur: quia vel non reciprocatur secundum existendi consecutionem, vel est dignius, vel est causa.

IN CAP. XIII. DE MODIS SIMVL.

PRiori & posteriori, de quibus in præcedenti capite dictũ fuit, opponitur (etiamsi aliter Alberto videatur) aduerbium Simul, de quo in præsentia dicendum est.

1 *Simul autem.* Ponit primam significationem aduerbij Simul: quia dicuntur esse aliqua simul tempore.

2 *Naturâ verò.* Secunda significatio est, qua duo dicuntur simul naturâ, quia reciprocantur, nec alterum est causa alterius, vt duplum & dimidium. Hic obiter notetur dissensus Aristotelis & Rami. Nam Aristoteles censet in relatis neutrum esse causam alterius, quia non potest idem eiusdem esse causa & effectus, alioqui esset eodem prius & posterius, cùm iam dictum sit causam esse naturâ priorem suo effectu. Ramus autem lib. 1. Dialecticæ, cap. 14. inquit relata significare mutuas causas.

3 *Ea quoque.* Tertia significatio potest adiungi secundæ. nam hoc modo dicuntur simul naturâ, quæ in diuisione eiusdem generis sibi inuicem opponuntur: vt differentiæ, vel species, in quas genus diuiditur. Sic naturâ simul sunt rationale & irrationale, nec non homo & brutum.

4 *Genera verò.* Ex dictis colligit genera esse priora speciebus, quia non reciprocantur secundùm consecutionem, qua alterum ex altero colligitur, id est, posita specie ponitur genus: species igitur supponit genus. contrà posito genere non ponitur species. Rectè enim arguitur: Est homo, ergo est animal. non rectè, Est animal, ergo est homo. Intellige priora esse genera speciebus, non ratione secundarum, sed ratione primarum notionum: id est, non quatenus sunt genera & species, sed quatenus sunt (exempli gratiâ) animal & homo.

5 *Simul igitur.* Epilogo concludit significationes aduerbij Simul.

IN CAP. XIV. DE MOTV.

TErtium Categoriarum accidens est motus: cuius primùm declarat sex species: postea docet, quid motui in genere, & quid singulis speciebus motus opponatur. Notandum est, motum & mutationem in præsentia pro eodem accipi: ideóque ortum & interitum enumerari inter species motus, cùm sint potiùs mutationes, quàm veri motus, vt Aristoteles docet lib. 5. Phys. cap. 2.

1 *Motus species.* Enumerat sex species motus, quæ in diuersis Categoriis spectantur: nempe ortus & interitus, seu generatio & corruptio, in substantia: auctio & deminutio in quantitate: variatio in qualitate: loci mutatio in categoria vbi. Ortus enim est motus à non esse ad esse. Contra interitus est motus ab esse ad non esse. Auctio est motus à minori quantitate ad maiorem. Deminutio verò e contrario à maiore ad minorem. Variatio est motus à qualitate in contrariam qualitatem, vt à calore ad frigus, vel à frigore ad calorem. Tandem loci mutatio est motus à loco ad locum oppositum: vt ascensus est motus à loco inferiori ad superiorem: contrà descensus est motus à loco superiore ad inferiorem. Ex his patet, in omnibus motibus spectari duos terminos, nempe terminum à quo, & terminum ad quem, & præterea subiectum quod motionem recipit. vt cùm aqua ex calida fit frigida: aqua est subiectum; calidum est terminus à quo; frigidum est terminus ad quem.

2 *Aliis igitur.* Ponit distinctionem inter dictas species motus, inquiens reuera esse species diuersas, ita vt non possit earum aliqua ad aliam quampiam referri, sed sint omnes separatæ.

3 *In variatione.* Aduersus id quod proximè dixit, dubitationem proponit: quia variatio videri alicui potest non esse species motus à ceteris distincta.

4 *Hoc autem verum.* Duplici argumento, (quorum vtrumque sumitur ex loco. lib. 7 Top. c. cap. 1. part. 17.) probat variationem differre ab aliis speciebus motus. Primum est in hac particula, in qua extruitur syllogismus hypotheticus, arguens ab euersione consequentis ad euersionem antecedentis. nam si variatio non differret ab aliis mutationibus, ab eis numquam separaretur, siquidem nihil separatur à semetipso: atqui ab aliis mutationibus separatur: ergo ab illis omnibus differt. Quod attinet ad seriem contextus, primò Aristoteles viam sibi parans ad veritatem probandam, negit contrariam sententiam esse veram, licèt alicui vera videri possit, vt dictum fuit in præceden. partic. Secundò cùm ait, *ferè enim*, ponit hoc principium, quo in argumentatione est vsurus, Variationem fieri sine aliis motibus. Tertiò cùm ait, *etenim neque augeri*, exemplis probat principium modò acceptum, quod est fundamentum futuræ argumentationis. Quartò cùm ait, *quare diuersa*, profert conclusionem probandam. Quintò, cùm ait, *nam si esset*, ponit maiorem syllogismi propositionem hypotheticam. Tandem cùm ait, [*quod*] *tamen*, subiicit minorem, per quam euertitur consequens hypotheseos.

5 *Itidem etiam.* Sequitur alterum argumentum, quo probatur variationem differre ab aliis motibus. Est autem hoc argumentum superiori quodammodo oppositum. sicut enim suprà Aristoteles argumentabatur ex eo, quòd variatio separatur ab aliis motibus, id est, quædam variantur sine alio motu: ita nunc arguit ex eo, quòd alij motus separantur à variatione, id est, quædam augentur, vel alio motu mouentur, quæ non variantur. Hoc confirmat Aristoteles exemplo quadrati, quod gnomone adiecto augetur: fit enim quadratum maius, sed non variatur, quia manet quadratum.

6 *Iam verò simpliciter.* Hactenus distinxit species motus: nunc docet, quid motui opponatur: & ait motui generaliter accepto opponi quietem generaliter acceptam, & singulis speciebus motus opponi singulas species quietis, vt motui secundum locum, quietem secundum locum: item singulis motibus opponi motus contrarios. opponuntur enim inter se ortus & interitus, item accretio & deminutio, nec non contrariæ motiones secundum locum, vt ascensus & descensus. Notandum est, cùm dicimus quietem esse motui contrariam, vt dicit Aristoteles in principio huius particulæ, contrarium sumi latiùs & impropriè pro opposito. nam quies non opponitur motui, vt contrarium contrario, sed vt priuatio habitui, vt docet Aristot. lib 5. Phys. cap. 6. partic. 1 Vnde notandum etiam est, aliud esse quietem, aliud immobilitatem. quemadmodum enim non dicitur cæcum, nisi quod est capax aspectus, vt lapis non dicitur cæcus: ita non dicitur quiescere, nisi quod est mobile: id verò, quod moueri non potest, non quiescens sed immobile appellatur.

7 *Reliqua verò.* Quod in superiori particula docuit de aliis speciebus motus, id est, singulis opponi quietem & contrarium motum, id ait esse obscurius in variatione: sed nihilominus in hac quoque obtinere ostendit: quia variationi opponitur vel quies in qualitate, vel mutatio in contrariam qualitatem, vt dealbationi denigratio.

IN CAP. XV. ET VLT. DE MODIS HABENDI.

CVM non solùm habendi verbo sæpe Aristoteles vsus fuerit: veluti cùm di-

xit alios plus,alios minùs habere sanitatis,vel iustitiæ, cap 8 part 27. sed etiam vnam Categoriam hac appellatione notauerit, vel nemine monente apparet distinguendas esse significationes & modos habendi: vt intelligatur, quænam significationes pertineant ad Categoriam Habere,vel ad alias Categorias. Confer hoc cap.cum 23.lib 4.Metaphys.

1 *Habere multis.* Proponit homonymiam verbi Habere.

2 *Vel enim vt habitum.* Proponit primum habendi modum, qui refertur ad Categoriam qualitatis.

3 *Vel vt quantum.* Sequitur tertius modus pertinens ad quantitatem.

4 *Vel vt ea.* Tertius modus,qui vnà cum sequenti constituit Categoriam Habere, differt à sequenti,vt totum à parte Habemus enim vel circa totum, aut ferè totum corpus, vt vestimentum:aut circa partem corporis,vt annulum in digito.

5 *Vel vt in parte.* Hic est quartus modus, quem diximus pertinere ad Categoriam Habere.

6 *Vel tanquam partem.* Quintus modus est, habere partem. Sunt autem varia genera partium. nam aliæ sunt partes essentiales, vt corpus & anima sunt partes animalis: aliæ integrantes, vt caput & manus & pedes &c. sunt partes animalis:aliæ subiectiuæ,vt homo & brutum sunt partes animalis. Si partes spectentur quatenus partes sunt,essentiales referuntur ad substantiam, integrantes ad quantitatem,subiectiuæ ad relata.

7 *Vel vt in vase.* Sextus modus refertur ad Categoriam Vbi.

8 *Vel vt possessionem.* Septimus modus pertinet ad Categoriam relatorum.hoc enim modo aliquis dicitur rem habere, id est, esse eius rei dominus.

9 *Dicitur etiam.* Octauus modus secundùm Aristotelem est maximè improprius, cùm dicitur vir habere vxorem, aut vxor virum. Eodem modo dicimus habere patrem, vel fratrem. Et hunc modum puto referendum ad Categoriam relationis. Ait, *nihil aliud significamus, quàm simul habitare.* Ignorauit Aristoteles ius, quod habet maritus in corpus vxoris, & vxor in corpus mariti: ac matrimonium accipit, vt Ethnici accipiebant,pro sola cohabitatione,quam pro libitu dissoluebant, facto etiam fine iusta causa diuortio.

10 *Fortasse autem.* Occupat obiectionem, quæ fieri posset, quasi non omnes significationes verbi *Habere* essent expositæ: & ait, quamuis fortasse aliæ quędam significationes adiungi possint, sufficere tamen harum expositionem, quæ maximè sunt in vsu.

IVLII





IVLII PACII A BERIGA
IN ARISTOTELIS LIBRVM DE INTERPRETATIONE
Commentarius Analyticus.

IACTIS fundamentis in libro Categoriarum, vt incipiat Logicum ædificium extruere, id est, syllogismum, transit Philosophus à primis notionibus ad secundas, in quibus Logicus versatur. Et primùm compositiua methodo progreditur à partibus syllogismi ad syllogismum: postea methodo diuisiua progredietur à genere, siue à generali forma syllogismi, ad singulas species, quæ à materia sumuntur, hoc est, ad demonstrationem, quæ ex propositionibus necessariis: syllogismum dialecticum, qui ex probabilibus: & sophisticum, qui ex sophisticis & fallacibus constat. De partibus syllogismi est hic liber, qui inscribitur *De interpretatione*. De syllogismo in genere sunt pro Priora Analytica. De tribus illis syllogismi speciebus, demonstratione, & ceteris reliqui libri, id est, Posteriora Analytica, Topica, & Elenchi. Hic est Aristotelis ordo admirabilis, quo nullus melior excogitari potest. partes enim toti, ac genus speciebus præferri debet. Cùm autem syllogismi partes aut sint simplices, vt nomina & verba: aut ex his simplicibus compositæ, vt propositiones siue enunciationes: vtræque appellatione interpretationis continentur. Interpretatio namque est vox, quæ animi sensa, & per ea res ipsas ex instituto significat. Ex instituto sunt quæ Græci dicunt κατὰ συνθήκην: vt rerum vocabula, quæ non sunt à naturâ constituta, vt sentit Cratylus apud Platonem, sed arbitrio hominum imposita: Reliqua explicabuntur ad primum caput. Subiectum igitur huius libri est Interpretatio, tam simplex, quàm composita. Scopus autem est explicare partes syllogismi, non quatenus actu constituunt syllogismum, sed quatenus per se spectantur, & interpretantur animi nostri sensa. Quod vt rectiùs intelligatur: notandum est, tam simplices quàm compositas syllogismi partes duobus modis considerari: primò per se, deinde vt actu sunt partes in toto. Vnde etiam oriuntur diuersæ appellationes. Et vt incipiam à simplicibus: simplex interpretatio per se considerata, id est, quatenus interpretatur simplicem animi conceptum, dicitur Nomen & Verbum. vt autem est pars enunciationis, vocatur subiectum vel attributum. denique vt est pars syllogismi, nominatur terminus maior, vel minor, vel medius. Similiter interpretatio composita, si per se spectetur, quatenus verum aut falsum enunciat: appellatur enunciatio: quà verò est pars syllogismi, vocatur propositio, quatenus proponitur examinanda & probanda, dicitur problema: tandem quatenus est syllogismo probata, nominatur conclusio. Hic liber diuiditur in sex tractatus. Primus est de interpretatione in genere, quod vno capite absoluitur. Alter est de simplicibus interpretationibus, id est, de nomine, cap 2. & de verbo, cap 3 Reliqui sunt de interpretatione composita. Nam in tertio tractatu agitur generaliter de oratione, cap. 4. De enunciatione, quæ est orationis species, cap. 5. De affirmatione & negatione, quæ sunt species enunciationis, cap. 6. Deinde in quarto tractatu specialiter explanantur enunciationes puræ, id est, quæ modo vacant Et vt sciamus, quomodo hæ enunciationes diuidant verum à falso, primò declarantur aliquot earum diuisiones, cap. 7. 8 9. & 10. Secundo agitur de earum attributis componendis vel diuidendis, cap. 11. In quinto tractatu declarantur enunciationes modificatæ, cap. 12 & 13. In vltimo tractatu, id est vltimo capite, dissoluitur quæstio quædam de enunciationibus contrariis.

IN CAP. I. DE INTERPRETATIONE.

HOc capite Aristoteles proponit ea quæ sunt hoc libro explicanda, atque interpretationis naturam generaliter decla-

rat, & eiuſdem diuiſionem ſubiungit.

1 *Primùm oportet.* Proponit ſubiectum huius libri. Cùm autem ſubiectum (vt Scholaſtici loquuntur) aut ſit materiale, aut formale, id eſt, aut res conſiderata, aut modus conſiderandi: in hac particula proponit ſubiectum materiale: nomen, verbum, & orationem, & orationis ſpeciem, enunciationem: & enunciationis ſpecies, affirmationem & negatiuuem. Hoc loco notandum primò eſt, cùm vnum ſit ſubiectum in quaque ſcientia, tamen Ariſtotelem hic videri proponere multa ſubiecta: nempe quia poſſunt eſſe multa ſubiecta, quæ in communi aliqua ratione vniantur. ſic enim fit vnum ſubiectum, vt in præſentia hæc omnia, nomen, verbum &c. conſiderantur vt interpretationes, vt explicabo ad ſequentem particulam. Ergo vnum eſt ſubiectum, Interpretatio, quod ſub ſe multa continet. Poſſumus etiam diſtinctiùs explicare, quomodo hæc vniantur: quia nomen & verbum ſunt ſpecies dictionis: reliqua autem ſunt ſpecies orationis: adeo vt habeamus tantùm duo ſubiecta, dictionem & orationem: vel potiùs dictionem & enunciationem, quoniam oratio hic non conſideratur per ſe, ſed vt genus enunciationis, cùm ſcopus Philoſophi ſit agere de enunciatione. Et rectè ſunt duo ſubiecta: quia partes ſyllogiſmi, de quibus in præſentia tractatur, ſunt in duplici differentia. nam aliæ ſunt ſimplices, nempe dictiones: aliæ compoſitæ, id eſt enunciationes. & ſicuti ex dictionibus fiunt enunciationes, ita ex enunciationibus fiunt ſyllogiſmi. quare tam dictionès, quàm enunciationes referuntur ad ſyllogiſmum, & ſub vna vtriſque communi ratione conſiderantur, id eſt, vel quatenus interpretantur ſenſa animi noſtri, vt in hoc libro, vel quatenus ſunt partes ſyllogiſmi, vt in libris ſequentibus. Secundò notandus eſt ordo, quo Ariſtoteles vtitur in his ſubiectis enumerandis. Primùm enim ponit ſimplicia, poſtea compoſita. & inter ſimplicia primum locum dat nomini, quia nomen eſt ſimplicius verbo, vt explicabitur in duobus ſequentibus capitibus. Quod verò ad compoſita attinet, non vtitur ordine ab vniuerſali ad particularia, ſed contrà à particulari ad vniuerſale: quamquàm in iis explicandis progredietur ab vniuerſali ad particularia. Hic enim primò ponit negationem & affirmationem: poſtea enunciationem, quæ eſt genus affirmationis & negationis: tandem orationem, quæ eſt genus enunciationis. Quid ita? quia præcipua eſt cognitio ſpecierum, & ab vniuerſalibus ad ſpecialia progredimur, tamquàm à confuſis ad diſtincta, tendentes ſemper ad vltimum finem, id eſt ad perfectam & diſtinctam ſpecierum cognitionem. Priùs igitur ea proponit, quæ præcipuè cognoſcere volumus, id eſt ſpecies: deinde ſubiicit genus, quod horum gratiâ erit explicandum, proinde priori loco declarandum.

2 *Quæ igitur.* Poſtquàm propoſuit ſubiectum materiale, nunc proponit ſubiectum formale. Nomen enim & verbum & enunciatio non conſiderantur à Logico vt vocabula quædam grammaticè, ſed quatenus animi noſtri conceptiones interpretantur. In hac igitur particula Philoſophus declarat quomodo ea, quæ in præceden. part. enumerauit, ſint interpretationes: & ait ea, quæ ſunt in voce, id eſt ea nomina, verba, & reliqua ſuprà enumerata, quæ voce à nobis proferuntur, eſſe notas, id eſt interpretationes, paſſionum quæ ſunt in animo, id eſt eorum omnium, quæ animo & mente concipimus. huiuſcemodi namque animi conceptiones vocat Ariſtoteles paſſiones: quoniam intellectus, dum intelligit, quodammodo patitur, quemadmodum & ſenſus patitur ab obiectis in quibus verſatur, ſicut explicatur in libris de anima. quamquàm enim intellectus non tantùm patitur, ſed etiam agit circa ea quæ intelligit: tamen quia intelligere eſt pati, 3. de anima cap 4. meritò Ariſtoteles animi conceptiones vocat paſſiones. Deinde ait, *ea quæ ſcribuntur*, id eſt nomina & verba &c. quæ ſcriptis comprehenduntur, eſſe notas nominum, verborum &c. quæ voce proferuntur. Hæc omnia eò ſpectant, vt intelligamus, quamuis in hoc libro agatur de vocibus (nam nomen definitur vox cap. ſequen. in pr. & ſimiliter oratio dicitur vox cap. 4. in pr.) tamen hæc non conſiderari vt voces, ſed vt interpretationes, id eſt vt ſymbola paſſionum animi, quæ his vocibus repræſentantur: adeo vt idem ſit agere de vocibus, vel de literis, vel de animi conceptionibus: ad has tamen præcipuè ſit reſpiciendum, cùm cetera, id eſt voces, aut ſcripturæ, in harum gratiam conſiderentur. quocirca Logica dicitur reſpicere ad ſermonem internum, non ad ſermonem externum lib. 1. Poſter. cap. 10. partic. 7. Hinc etiam fit, vt eadem ſit oratio, non ſolùm ſiue ſcribatur ſiue voce proferatur, ſed etiam ſi diuerſis linguis proferatur. Veluti cùm Ariſtoteles ait hanc enunciationem, *πᾶς ἄνθρωπός ἐστι ζῶον*, eſſe vniuerſalem affirmantem: non minùs ait hanc enunciationem, omnis homo eſt animal, eſſe vniuerſalem affirmantem. quamuis enim vo-

ce,

ces diuersæ sint: tamen ea quæ sunt in voce, sunt eadem, quatenus repræsentant eundem animi conceptum. Ex hac particula duo colliguntur. Primò colligitur, nominibus non significari immediatè res ipsas, sed per animi conceptionem. quodlibet enim nomen significat aliquem mentis conceptum, consequenter significat rem, quæ per eum conceptum repræsentatur, vt imago in speculo. Secundò colligitur prima conditio interpretationis. duæ namque conditiones sunt, quæ eius essentiam ac definitionem constituunt. Vna est, quòd interpretatio significat animi conceptum. altera conditio subiicitur in partic. seq.

3 *Atque vt literæ.* Proponit alteram conditionem interpretationis, quòd scilicet non est à natura, sed ex instituto, id est, quia constituta est pro libero hominum arbitrio. vt hæc vox, *homo*, significat hominis conceptum, non naturaliter, sed quia vsu ita receptum est. Vnde etiam vocabulorum significationes sæpe mutantur, prout vult vsus.

Quem penes arbitrium est, & ius & norma loquendi, vt ait Horatius.

Falsa enim est Cratyli sententia apud Platonem existimantis prima nomina esse naturalia. Quòd autem hæc sint ex instituto, Aristoteles ex eo probat, quòd non sunt eadem apud omnes homines. Syllogismus ita extrui debet. Naturalia sunt apud omnes homines eadem: vt ignis æquè vrit apud Persas, atque apud Romanos, quia naturaliter vrit: quæ verò sunt in voce, aut scripturâ, nomina, verba &c. non sunt apud omnes homines eadem: ergo non sunt naturalia, sed ex instituto. Minor propositio per se manifesta est. Maior non est omnino necessaria, sed tantùm probabilis, & plerumque vera, vt docet Philosophus Ethic. lib. 5. cap. 7. potest autem confirmari permultis exemplis: vt, quia ignis eodem modo vbique vrit: & aqua vbique eodem modo madefacit. Sed Aristoteles hæc omnia exempla pulcherrime ad duo capita refert, quæ cum ipsa interpretatione sunt coniunctissima, id est, sunt ea quæ per interpretationem significantur. nam ea, quæ significantur, sunt naturalia, & apud omnes eadem: quæ verò significant, sunt ex instituto, non apud omnes eadem. Vt hoc perspicuè appareat, considerat Aristoteles & confert inter se eadem tria, quæ considerauit in præced. partic. scripturam, voces, & animi conceptiones: quibus addit quartum, id est, res ipsas extra animum nostrum constitutas. hæc quatuor sunt hoc ordine disposita, vt scriptura repræsentet vocem, vox conceptum animi, conceptus animi rem ipsam. vtputà in rerum natura est equus: huius imaginem & simulacrum quoddam habeo in animo: eùmque significo, cùm dico, aut scribo *equus*. Ex his quatuor, duo illa sunt naturalia, res & animi conceptiones: reliqua duo, ex instituto, voces & scripturæ: quia non sunt apud omnes eadem, nec perpetuò manent eadem, sed progressu temporis mutantur. Vnde notandum est, ideo Logicam apud omnes gentes & omni tempore esse eandem: quia respicit ad conceptus animi, & ad res significatas, quæ semper & vbique sunt eædem. grammatica verò non est apud omnes eadem: quia respicit ad voces, non ad res ipsas. Exempli gratiâ, cœlum logicè idem est Græcis & Latinis. quicquid enim de cœlo Græcè dixeris, idem Latinè dici poterit: & contrà. grammaticè verò non est idem: quia Græcis est masculini generis, Latinis generis neutrius. Ex dictis habemus definitionem interpretationis: cuius omnes partes sunt in contextu, id est, partim in hac, partim in præceden. partic. Interpretatio namque est vox, quæ animi nostri sensa, & per ea res ipsas quarum simulacra sunt animi sensa, significat siue interpretatur.

4 *Ac de his quidem.* Diligentiorem expositionem eorum quæ intelliguntur, reiicit in libros de anima, vbi est proprius locus de his agendi. hic autem obiter Aristoteles ea attigit, quatenus faciunt ad naturam interpretationis intelligendam.

5 *Quemadmodum autem.* Expositis conditionibus, quæ constituunt naturam & definitionem interpretationis, inde colligit etiam eiusdem interpretationis diuisionem: & ostendit, quemadmodum animi conceptiones sunt in duplici differentia, (quædam enim sunt simplices, veri & falsi expertes; veluti si quis animo concipiat hominem, aut bouem: quædam autem sunt compositæ, proinde veræ aut falsæ, veluti si quis animo concipiat hominem esse animal, aut esse lapidem) ita etiam esse quasdam simplices interpretationes, quæ nec veræ sunt nec falsæ, vt nomen *homo*, & verbum *currit*: alias compositas, quæ sunt veræ aut falsæ, vt hæ orationes, homo currit, homo est animal, homo est lapis. Ait *in compositione & diuisione*. Compositionis vocabulo videtur significari affirmatio, quæ cōponit attributum cum subiecto, vt homo currit: diuisionis autē vocabulo indicari negatio, quæ diuidit & separat attributum à subiecto, vt, homo non currit. Sed puto compositionis ac diuisionis vocabula patere latius, quàm

affirmationis ac negationis. nam affirmatio & negatio spectantur in voce, compositio & diuisio tam in voce quàm in mente.

6 *Ipsa igitur*. Cùm diuiserit interpretationem in simplicem & compositam: nunc subdiuidit simplicem in nomen & verbum. Primò igitur docet nomina & verba significare simplicia νοήματα, proinde esse interpretationes simplices, veri & falsi expertes. Secundò cùm ait, *vt homo*, id confirmat exemplo hominis, & albi: quorum illud significat substantiam, hoc significat accidens. Tertiò cùm ait, *cuius [rei] signum*, idem confirmat exemplo hircoceruí, quod nomen rem quæ non est significat: vnde posset alicui videri falsum significare: quoniam hircoceruus non reperitur in rerum natura: re ipsa tamen nec verum nec falsum per se significat, nisi verbum affirmatum vel negatum adiiciatur. nam hæc oratio, hircoceruus est, falsa est: hæc autem oratio, hircoceruus non est, vera est. apparet igitur hircoceruum per se, nec verum nec falsum significare. Ait, *esse aut non esse*. His appellationibus esse & non esse, omnia verba complectitur: nam ambulare, significat ambulantem esse: currere, currentem esse. non alia est ceterorum verborum ratio. Vide inf. cap. 12. partic. 2. & Prior. lib. 1 cap. vlt. partic. 3 Ait, *vel simpliciter, vel secundùm tempus*. id est, vel in tempore præsenti, vel præterito, vel futuro. Qui in tempore præsenti affirmat aut negat: is simpliciter dicit esse vel non esse, vt homo currit. qui verò vtitur verbo præteriti vel futuri temporis, non simpliciter dicit esse vel non esse, sed fuisse, vel non fuisse, vel fore, vel non fore: quodammodo tamen ratione temporis dicit esse vel non esse, quatenus præteritum & futurum à præsenti pendent, & à præsentis fluxu fiunt. verbi gratiâ qui dicit, Bellum Troianum fuit, non dicit bellum Troianum simpliciter esse, sed fuisse: quodammodo tamen dicit esse, respectu scilicet eius temporis quo erat. Similiter qui dicit, Socrates cras curret, non simpliciter dicit Socratem esse currentem, sed in tempore futuro. Quod quidam considerant, præsens non esse verum tempus, sed confinium quoddam seu copulam temporis præteriti & temporis futuri, subtilius mihi videtur, quàm vt huic loco conueniat.

IN CAP. II. DE NOMINE.

Adhuc de interpretatione generaliter dictum fuit, & ipsa quoque interpretatio diuisa est in species: deinceps explicantur singulæ species, & primùm simplices, nomen & verbum. Præponitur nomen verbo: quia nomen significat absque tempore, verbum autem adsignificat tempus, vt posteriùs intelligetur. Hoc igitur caput primùm definit nomen, & eam definitionem enarrat: postea nomen infinitum, & casum nominis à perfecto & propriè dicto nomine distinguit.

1 *Nomen igitur*. Proponit definitionem nominis: in qua pro genere ponitur *vox significans ex instituto*: quæ verba perinde valent, ac si diceretur interpretatio. nam hæc verba, *vox significans ex instituto*, constituunt definitionem interpretationis. Intellige autem significari conceptus animi, & per eos conceptus res ipsas, vt superiori capite fuit expositum. Hinc notandum est, nihil referre, vtrùm in definitione ponatur genus proximum, an genus remotum vnà cum differentiis perficientibus definitionem generis proximi, vt Aristoteles docet 6. Topic. cap 5. part 6. Deinde in definitione nominis adduntur duæ differentiæ, quæ separant nomen ab aliis duabus speciebus interpretationis, id est, à verbo, & ab oratione. Dum enim ait, *sine tempore*, separat nomen à verbo, quod adsignificat tempus. Exempli gratiâ si dicas, *currit*, significas cursum in tempore præsenti. at si dicas *cursus*, significas eundem cursum simpliciter & sine adsignificatione temporis. Hoc loco, pro interpretatione huius discriminis inter nomen & verbum, notare oportet, aliud esse significare tempus: aliud verò, adsignificare tempus. multa namque nomina significant tempus, vt hora, dies, mensis, annus, & hoc ipsum nomen tempus: sed nullum nomen significat tempus, id est non significat, quo tempore fit ea res quam significat. vt cùm dicis *album*, non significas quando fit album: & cùm dicis *cursus*, non declaras quando fit ille cursus: & cùm dicis horam vel mensem, non explicas quando fit illa hora vel ille mensis. cùm autem dicis *currit*, vel *currebat*, vel *curret*, significas cursum esse nunc, vel antea fuisse, vel postea fore. Denique idem est discrimen inter significare & adsignificare tempus, quod est inter speciem illam quantitatis quæ vocatur tempus, & Categoriam Quando. Vltima differentia posita in definitione nominis, nempe *cuius nulla pars significat separatim*, seiungit nomen ab oratione, cuius partes, quæ sunt nomina & verba, separatim significant: nominis autem partes, id est syllabæ, nihil significant. Hinc intelligere possumus, cùm omnis artifex resoluat in principia simplicissima & indiuidua

nidua (vt Physicus non tantùm resoluit corpus naturale in quatuor elementa, sed etiam in materiam & formam: & geometra resoluit vsque ad punctum, arithmeticus vsque ad vnitatem) cur Logicus resoluat syllogismum vsque ad simplices dictiones, nomina, & verba: hæc autem vlterius non resoluat, vt grammaticus, in syllabas & literas. cùm enim Logicus consideret partes syllogismi quatenus significant, non debet resoluere in syllabas & literas, quæ nihil significant: hac enim ratione etiam categoremata prætermittit.

2 *Nam in nomine.* Declarat duas particulas positas in definitione nominis: & primùm eam, quam vltimo loco posuit, id est, *cuius nulla pars significat separatim*: ac docet, nominum compositorum, in quibus maius erat dubium, etiam si plures syllabæ simul accipiantur, nullam partem per se & à ceteris separatam, aliquid significare hoc autem duobus exemplis confirmat: in quorum altero res est euidentior, in altero obscurior. Primò expendit nomen Κάλλιππος, id est Callippus, quod est nomen viri proprium, & dicitur ἀπὸ τοῦ κάλλους, pulchritudine, & ἵππου, equo. apparet autem syllabas ἵππος in nomine Κάλλιππος, nihil significare, quamuis per se & separatim significent equum: quandoquidem Κάλλιππος est nota vnius simplicis conceptus, id est eius viri, qui hoc nomine appellatur: & ridiculum esset dicere eum qui vocat Callippum, vocare equum. Alterum exemplum plus habet difficultatis. nam ἐπακτροκέλης, teste Suida, est nauigij prædatorij genus, medium inter ἐπακτρίδα & κέλητα. vnde in hoc vocabulo videtur τὸ κέλης aliquid significare: quare idem sit ἐπακτροκέλης, quod ἐπακτρὶς καὶ κέλης. quod tamen falsum est: quia verbum ἐπακτροκέλης, etsi est nomen compositum, tamen vnum simplicem conceptum significat, hoc est, vnum illud nauigij genus, quod est medium inter ἐπακτρίδα & κέλητα. Addamus exemplum Latinum. Sit (exempli gratià) nomen compositum, *omnipotens*. illud, *potens*, per se videtur aliquid significare. quod tamen falsum est. aliud enim est *potens*, quod est nomen per se: aliud est *potens*, quod est pars nominis *omnipotens*. Sententia enim Aristotelis est, cùm *omnipotens* componatur ex duobus vocabulis, *omne* & *potens*: tamen hæc in compositione ita confundi, vt fiant partes constituentes vnum nomen significans vnam rem: quemadmodum elemēta in corporibus mixtis constituendis, ita commiscentur, vt rem vnam constituant. Alioquin nomen *omnipotens*, non significat vnam rem, sed duas, nempe omnia, & potentem proinde non esset nomen vnum. Idem dicendum de omnibus alijs nominibus compositis. Quod ad seriem contextus attinet, primò Aristoteles generaliter & simpliciter hanc doctrinam illustrat exemplo nominis Κάλλιππος. Secundò cùm ait, *Sed non vt*, exemplo nominis ἐπακτροκέλης, declarat proprietatem nominum compositorum, per quam distinguuntur à simplicibus. simplicium enim nominum partes nec per se acceptæ, aliquid significant, nec in nomine consignificant: nemo enim est tam stultus, qui putet in verbo *sustineam us*, syllabas illas, *sus*, *tinea*, *mus*, significare suem, tineam, murem. sed compositorum partes, quamuis per se nihil significent, tamen in dictione, cuius sunt partes, consignificant, vt κέλης in nomine ἐπακτροκέλης, & *potens* in nomine *omnipotens*. Illud non est ignorandum, partes nominum compositorum interdum æqualiter consignificare, vt in Græco nomine ἐπακτροκέλης, Latino *hircoceruus*, Gallico *aigre-doux*: interdum inæqualiter; vt in nomine, *omnipotens* τὸ *potens* ita consignificat, vt penè significet, alteram partem manifestiùs est non significare. nam qui dicit *omnipotens*, non vult omnia dicere. sed eum qui omnia potest. atque hoc dicere vult sub ratione vnius conceptus, & tamquàm vnum quid.

3 *Ex instituto.* Examinat alteram differentiam positam in nominis definitione, id est, *ex instituto*. Et primò ostendit eam nomini attribui. Sciendum est, quosdam existimasse nomina & verba esse à natura, vt videre est apud Platonem in Cratylo. Aristoteles verò ait ea esse ex instituto: quia etsi vox ipsa, putà hæc vox *animal*, dici potest naturalis, quatenus linguâ & alijs naturalibus instrumentis profertur; tamen non est nomen naturale: quia non accepit à natura vt esset nomen, certum animi conceptum, & certam rem significans, sed ab hominibus: adeo vt tum demum cœperit esse nomen, cùm per homines factum est nota certi conceptus & certæ rei. Quod quidem manifestum est in linguis, quarum recens est initium, vt in Gallica, Italica, Hispanica. nam harum linguarum vocabula non erant nomina, antequam vsu reciperentur. Sic etiam in lingua Latina, & alijs accidit. exempli gratià, vocabulum *homo*, antequàm lingua Latina esset in vsu, vel antequàm Latini vterentur hoc vocabulo, (scimus enim linguas in dies mutari, & oriri noua vocabula, alia verò exolescere, vt & Horatius testatur) non erat nomen: & si quis

tunc dixisset *homo*, nihil dixisset, non magis quàm si dixisset *blitiri*: nunc verò est nomen, & significat certum animi conceptum, ac certam rem, quia Latini auctores effecerunt vt esset eius conceptus & eius nota. Secundò cùm ait, *significant enim*, docet eam differentiam, *ex instituto*, separare nomen à vocibus naturalibus, quales sunt voces brutorum animantium, quibus bruta varios affectus ostendunt. aliter enim canis latrat, cùm aliquem persequitur: aliter, cùm percutitur: & aliter aliis casibus. sed huiuscemodi voces sunt naturales & eiusmodi naturales voces etiam in hominibus notari possunt, vt ea quæ vocantur aduerbia vel interiectiones dolendi, exultandi, & similes. Ait *soni illiterati*. Articulatus & literatus idem valet: itidémque inarticulatus & illiteratus. Dicitur enim sonus articulatus, qui habet articulos syllabarum: adeo vt scribi possit, vt nomen aut verbum: inarticulatus verò, qui non habet articulos syllabarum, ideóque scribi nequit, vt sibilus, canis latratus suis cantus. Ait, *significant aliquid*, id est affectum aliquem, vt latratus canis interdum significat canem dolere, interdum alium affectum. Ait, *veluti belluarum* hominum quoque sunt huiusmodi soni illiterati, vt sibilus.

4 *Non homo verò.* Hactenus exposuit verum & perfectum nomen: deinceps exponit nomen infinitum, & casum nominis, quæ sunt nomina aliquo modo, minùs tamen perfecta: adeo vt nomen sit in eorum numero, quæ dicuntur prædicari per prius & posterius. In hac partic. primò Aristoteles ait hoc vocabulum *non-homo*, non esse nomen. Quod ait *non-homo*, vt exempli caussâ dictum accipe. nam eadem ratio est omnium aliorum nominum, quibus præfixa est negatio, vt non-album, non animal. Et cùm ait non esse nomen, intellige non esse nomen absolutè: quia non est nomen perfectum, & propriè dictum, sed dicitur nomen cum adiectione, id est nomen infinitum. Secundò cùm ait, *atqui non est*, docet apud veteres nullam fuisse appellationem, quâ hæc vocabula, *non-homo*, *non-animal*, significarentur. idque confirmat [illegible], dum ait, *quia nec est oratio, nec negatio.* Dicere enim aliquis potuisset esse orationem, vel esse negationem, cùm quis dicit *non-homo*, vel *non-animal*: quia negat hominem, vel animal. Sed reuera non est negatio: quia omnis negatio est vera aut falsa: nomen autem infinitum nec est verum nec falsum per se: sed oportet aliquid aliud addere, quod faciat enunciationem. Veluti si dicas, lapidem esse non hominem, verum dices. si Socratem esse non-hominem, falsum. Rursus si non-hominem esse rationalem, falsum enunciabis. si non-hominem non esse aptum ad ridendum, negatio erit vera. Tertiò cùm Aristoteles ait, *sed esto*, ipse fingit appellationem, & vocat nomen infinitum. Logicis enim & Philosophis, immo omnibus artificibus licet fingere vocabula, quibus res, in quibus versantur, declarent: eaque vulgò vocantur vocabula artium. nulla enim est ars, nulla scientia, quæ non habeat propria vocabula, quibus alij homines in ea significatione non vtuntur. Et in libro quoque Categoriarum, cap 7. docebat Aristoteles rationem fingendi noua nomina relata. Rationem autem huius appellationis, id est, cur vocetur nomen infinitum, hanc affert quod enim tam latè patet, vt complectatur tam entia quam non entia, illud est infinitum: tale autem vocabulum est non homo, vel non-animal: ergo est infinitum. Maior est manifesta. minor etiam non est obscura. nam lapis est non-homo, arbor est non-homo, ignis est non-homo, Chimæra est non homo, hircoceruus est non-homo: atque ita infinita exempla afferri possunt eorum quæ sunt vel non sunt, & appellatione non hominis continentur. Huius syllogismi habemus in contextu tantùm conclusionem ibi, *sed esto*: & minorem ibi, *quia similiter.*

5 *Philonis autem.* Postquàm à vero nomine separauit nomen infinitum, nunc similiter à vero & perfecto nomine seiungit casum nominis. Casus nominis appellat Aristoteles, quos Stoici, & Stoicos secuti grammatici casus obliquos appellant: quia per inflexionem cadunt, id est oriuntur à recto nomine. Quem autem Stoici & grammatici rectum casum nominant, Aristoteles non appellat casum, sed nomen, vt hoc loco. interdum vocat nominis appellationem, vt lib. 1. Prior. cap. 36. part. vlt. vbi legendum est *κλήσεις*, id est appellationes, non *πτώσεις*, id est inflexiones. In hac igitur partic. primò Aristoteles proposito exemplo genitiui & datiui casus, vt Philonis & Philoni, docet hæc non esse nomina, sed casus nominis. Deinde cùm ait, *definitio autem*, ostendit ea esse aliquo modo nomina, quatenus recipiunt definitionem nominis: sunt enim voces significantes ex instituto sine tempore &c. deficiunt tamen à vero nomine, quoniam adiecto verbo EST, vel alio simili, non efficiunt enunciationem, nec significant verum vel falsum, vt vera nomina. Nam si dicas, *homo est*, verum dicis. si dicas, *homo non est*, falsum dicis.

dicto. hæc autem oratio, *hominis est*, vel *hominis non est*, nec est vera, nec falsa, nisi aliud addatur. vt *hominis est proprium videre*, vera est oratio. *hominis est proprium latrare*, falsa est. Quænam autem verba, quæ impersonalia vocantur, obliquo casui adiuncta enunciant; vt, Socratem pœnitet, Socratem pudet.

IN CAP. III. DE VERBO.

HOc capite verbum explicatur definitione, exemplo, & distinctione verbi infiniti, casus verbi, & copulæ verbalis à verbo perfecto & propriè dicto.

1 *Verbum autem.* Definit verbum. sed in hac definitione, studio breuitatis, omittit genus, quod est repetendum ex definitione nominis, id est, vox significans ex instituto, siue (vt vno verbo dicam) interpretatio. Quamquàm etiam possumus hanc particulam aliter interpretari, vt dicamus non definiri verum & perfectum verbum, ne cogamur supplere genus, quod dixi, sed describi verbum latiùs acceptum, prout complectitur non solùm casum verbi & verbum infinitum, sed etiam copulam verbalem, quæ non est species interpretationis, vt docebo ad part. vltim. huius cap. Sed prior interpretatio mihi magis arridet. Primùm quia appellatione verbi simpliciter prolati, intelligendum est verbum perfectum. reliqua mox Aristoteles negabit esse verba. Deinde quia non puto Philosophum alia methodo voluisse vti in explicando verbo, quàm vsus sit in capite præced. in enarrando nomine. Nec nouum est, vt in definitione aliquid tacitè sit repetendum ex præcedentibus. nam omnes hoc admittunt etiam in definitione orationis, de qua dicendum erit initio sequen. cap. Omisso igitur genere, quod commune est verbo cum nomine, & quod suprà exposuimus, ponit Aristoteles tres differentias: quarum prima est adsignificare tempus, per quam seiungitur verbum à nomine, vt docui ad cap. præcedens. Altera differentia est, quòd nulla pars verbi significat per se. i. nulla syllaba per se. per quam differentiam separatur verbum ab oratione. Sed hæc differentia communis est etiam nomini, vt suprà audiuimus. Tertia differentia est, esse notam eorum quæ de altero dicuntur, id est, esse notam attributi, seu habere vim connectendi attributum cum subiecto de quo dicitur. Notandum est, omne verbum habere tres vires: nam significat, adsignificat, & consignificat. significat rem aliquam: adsignificat tempus: consignificat nexum attributi cum subiecto: quæ consignificatio dici etiam potest adsignificatio, vt in vlt. partic. huius capitis. dicitur enim adsignificatio respectu verbi, cuius principali significationi accedit: dicitur autem consignificatio respectu orationis, in qua verbum cum aliis orationis partibus coniungitur, atque ita nexum partium orationis consignificat. veluti cùm dico, *homo currit*, verbum *currit*, significat cursum, & adsignificat tempus præsens, & connectit cursum cum homine. verbum igitur *currit*, dicitur nota eius quod de altero dicitur, id est ipsius cursus, qui dicitur de homine: nec potes vllum verbum proferre, quod non præ se ferat eam connexionem. nam si ambulat: est aliquis ambulans: cum illo igitur connectitur ambulatio Sed copula verbalis habet tantùm duas vires, id est adsignificandi tempus, & connectendi attributum cum subiecto, vt discemus ex vltima particula.

2 *Dico autem.* Declarat quasdam particulas positas in definitione verbi: & primùm exponit differentiam illam, *adsignificare tempus*: & prolatis exemplis, docet quid sit adsignificare tempus, & quomodo distinguatur hac ratione verbum à nomine. nam *valetudo* significat certum accidens absque significatione temporis: *valere* autem significat idem accidens in tempore præsenti.

3 *Et est semper.* Declarat vltimam differentiam positam in definitione verbi, omissa expositione secundæ, quia iam fuit exposita in præced. cap. Ait igitur verbum semper esse notam attributi quod de altero dicitur, id est, vel dicitur de subiecto, vt vniuersale de particulari: vel est in subiecto, vt accidens respectu substantiæ Exempli gratiâ, in hac oratione, *homo currit*, attribuitur accidens substantiæ: & dicitur cursus de homine, non vt de subiecto, quia homo non est species cursus, sed vt in subiecto. In hac autem oratione, *homo est animal*, esse animal attribuitur homini, tamquàm subiecto de quo. nam subiectum in quo, & subiectum de quo, debent hic propriè accipi, vt in cap. 2. Categoriarum.

2 *Non valet.* Separat verbum infinitum à verbo propriè dicto, sicut suprà separauit nomen infinitum à nomine. Primò igitur proponit duo exempla verbi infiniti, quæ negat esse verba, id est verba perfecta & simpliciter: sunt enim verba cum adiectione aliqua, id est verba infinita. Deinde cùm ait, *& si adsignificat*, *nomen...*

ὧν μὲν γὰρ, non affert rationem eius quod dixit, vt prima facie videntur verba Græca indicare: ſed occupat obiectionem quandam, & ait non eſſe verbum, licèt ei videatur conuenire definitio verbi: ei namque attribuuntur illæ differentiæ, adſignificare tempus, & ſemper de aliquo eſſe, id eſt ſemper eſſe notam attributi, quod connectitur cum ſubiecto: reuera tamen non eſt verbum, ſed ei conuenit definitio verbi. nam verbum eſt interpretatio ſignificans animi conceptum: verbum autem infinitum non omnino ſignificat certum conceptum, cùm poſſit accommodari infinitis entibus & non entibus. veluti ſi dicas, *non currit*, ſignificas quoduis ens vel non ens præter curſum. Quapropter coniunctio *γὰρ*, hoc loco, vt & alibi interdum, non eſt cauſalis, ſed aduerſatiua: quomodo etiam à Latinis accipitur aliquando coniunctio *Nam*. Tertiò Ariſtoteles cùm ait, *huic verò differentiæ*, docet veteres non habuiſſe propriam aliquam appellationem, qua ſepararent verbum infinitum à vero verbo. Et quod ait *differentiæ*, ſic explica, id eſt, rei differenti, quæ ſcilicet differt à vero & perfecto verbo. Quartò cùm ait, *ſed eſto*, ipſe fingit nouam appellationem, & vocat verbum infinitum, ſicut ſuprà vocauerat nomen infinitum. Poſtremò cùm ait, *quia ſimiliter*, affert rationem eius appellationis, quia tale verbum infinita complectitur, tam entia, quàm non entia.

5 *Similiter valuit.* Seiungit caſum verbi à verbo propriè dicto. Vnde notandum, dici verum & perfectum verbum, quod eſt temporis præſentis in modo indicatiuo, cuiuſcumque ſit perſonæ, vel numeri, vt, curro, curris, currit, currimus, curritis, currunt. reliqua omnia dicuntur caſus verbi, id eſt, quæ ſunt alius modi quàm indicatiui, vel alius temporis quàm præſentis. Ariſtoteles tamen in contextu tantùm loquitur de aliis temporibus, non de aliis modis: quoniam in aliis modis res eſt apertior: &, ſi non omnia verba indicatiui modi ſunt propriè verba, multò minùs quæ in aliis modis efferuntur, propriè verba dici poterunt. Quod attinet ad verba temporis præteriti vel futuri: vt differentiæ ratio inter hæc & vera verba intelligatur, notandum eſt, reliqua tempora à præſenti pendêre. ideò namque (exempli gratiâ) verè dicimus, *Græci vicerunt Troianos*: quoniam aliquando in tempore præſenti verè dici poterat, *Græci vincunt Troianos*. iidémque verè dicimus, *Lutetia Regi parebit*, quoniam aliquando verè dicetur in tempore præſenti, *Lutetia Regi paret*. Tempus igitur præſens eſt præcipuum: & res tunc eſt, cùm in tempore præſenti eſt. quod autem *fuit*, non eſt amplius: & quod erit, nondum eſt. Quare cùm dicis (exempli gratiâ) *currebat*, minùs quodammodo ſignificas curſum, quàm cùm dicis *currit*: conſequenter verum & perfectum verbum eſt, quod rem ſignificat in tempore præſenti.

6 *Ipſa igitur.* Diſtinguit à verbo copulam verbalem: quia verbum ſignificat aliquam rem: vt verbum *currit*, ſignificat curſum: copula autem verbalis nullam rem ſignificat, ſed tantùm habet vim connectendi attributum cum ſubiecto. vt in hac oratione, *homo eſt album*, illa copula verbalis, *eſt*, nullam rem ſignificat, tantùm coniungit album cum homine. hic eſt certiſſimus, (vt mihi quidem videtur) & perſpicuus huius particulæ ſenſus, quem miror omnes interpretes latuiſſe, cùm omnes norint naturam copulæ verbalis, & intelligant eam non eſſe verum verbum, nec debuerit eius expoſitio ab Ariſtotele prætermitti. Primò igitur Ariſtoteles ſumit hoc fundamentum, quòd omnia vera verba ſignificant aliquam rem: hinc enim ſeiunget verbum à copula, quæ nullam rem ſignificat. Et ſi placet eringere ſyllogiſmum, ita extrui debet: Omne verbum aliquam rem ſignificat: copula autem verbalis nullam rem ſignificat: ergo copula verbalis non eſt verbum. In contextu omittitur concluſio. Maior propoſitio ponitur in principio particulæ. minor colligitur ex illis verbis, *nemque enim*, &c. Sed quia Philoſophus quibuſdam interiectis progreditur à maiore propoſitione ad minorem: nec ſeruat formam ſyllogiſticam: idcirco vt ſingula clariùs explicarem, dixi Ariſtotelem primò ſumere hoc fundamentum, ex quo efficitur maior propoſitio, quòd omnia verba ſignificant aliquid. Ait autem verba per ſe dicta, id eſt, ſeorſim ab oratione, eſſe nomina & ſignificare aliquid, id eſt, eſſe nomina alicuius rei, quam ſignificant. vt *currere*, eſt nomen curſus: & *legere*, eſt nomen ſignificans lectionem Ideò autem ait verba eſſe nomina, quamuis diſtinguat verba à nominibus: quia nomen continetur in verbo, vt minor quantitas in maiore, & vt facultas animæ vegetatiua vel ſenſitiua in rationali, (& vt vtar exemplo Ariſtotelis in libris de anima) vt triangulus in quadrato. Etenim ſi nomini addas adſignificationem temporis, ex nomine fiet verbum: ſicuti ſi τοῖς ſex addas quatuor, fient decem. Vt igitur addendo quatuor, non permis ſex; nec tamen ampliùs dicuntur ſex, ſed decem; ſed qui habet decem, rectè dicitur habere ſex: ita

ita si nomini addas adsignificationem temporis, non omnino desinit esse nomen, quamuis propriè non vocetur nomen, sed verbum. Secundò cùm ait, *nam qui dicit*, confirmat illud fundamentum siue illam maiorem propositionem. Probatio talis est: Quod significat aliquem simplicem animi conceptum, est nomen: atqui verbum significat aliquem simplicem animi conceptum: ergo est nomen. Maiorem huius syllogismi intellige de nomine latè accepto, vt complectatur omnem dictionem aliquid significantem: proinde complectatur etiam verbum. Sed hæc maior in contextu prætermittitur. Conclusionem autem habuimus in verbis præcedentibus. Minor ponitur in his verbis, *nam qui dicit*, &c. Ait, *qui dicit*: subaudi, verbum. Ait, *dianœam sistit*, id est, rei per verbum significatæ conceptum ita in animo auditoris imprimit, vt auditoris dianœa (quæ est animæ humanæ facultas, vt scholastici loquuntur, discursiua) acquiescat ei significationi, tamquàm rem satis intelligens. Quare hoc ipsum explicans Philosophus subicit, *& qui audiuit, acquieuit*. res enim, quæ verbo significatur, certa est ac definita: adeò vt intellectus noster non vagetur, nec vlteriùs quærat, quænam ea res sit, vt quærit audito verbo infinito. Nam si dicas, *non currit*, intelligo quid est quod non significas, quia non significas cursum: sed non intelligo quid significes: ideòque animus meus non quiescit, sed suspensus manet, ignorans quænam sit ea res, quæ non est cursus. Si verò dicas, *currit*, intelligo quæ sit res eo verbo significata, nempe cursus. Secundò cùm ait, *sed verùm*, declarat qualis sit ea significatio, quam verbo tribuit: & ostendit verbum nec affirmare nec negare: proinde significare conceptum simplicem, non compositum: alioquin esset oratio, non nomen. Quod igitur ait, *verùm sit, an non sit*, perinde valet, ac si diceret affirmationem vel negationem. nam affirmatio significat rem esse: negatio significat rem non esse. Et cùm ait, *nondum significat*, eò respicit, quòd verbum adiecto nomine affirmat, vel negat: veluti *homo currit*: sed quamdiu solum & per se accipitur, nondum affirmat aut negat. Tertiò cùm ait, *neque enim*, occupat tacitam obiectionem, ex cuius solutione colligitur minor illa propositio syllogismi à me suprà extructi, Copula verbalis nullam rem significat. Diximus enim verba non significare rem esse, vel non esse, id est, nec affirmare nec negare. contra hoc opponi potest, quòd verbum *esse* significat esse, ergo affirmat: & verbum *non esse*, significat non esse: ergo negat. Respondet Aristoteles, tantum abesse, vt *esse* sit affirmatio, & *non esse* sit negatio, vt ne quidem sint verba: siue (vt aliis verbis dicam eandem sententiam) tantum abesse vt *esse* & *non esse* significent animi conceptum compositum, vt ne quidem significent vllam rem simplicem. Hoc enim est, quod Aristoteles ait non esse signum rei, id est, non significare vllam rem. nam loquitur de *esse*, & *non esse*, quod est copula verbalis, nec habet aliam vim quàm cõnectendi attributum cum subiecto, & interdum adsignificandi tempus. Quartò cùm ait, *nec si ipsum*, occupat alteram obiectionem. Posset enim aliquis dicere: esto verbum *esse* nullam rem significare: tamen participium *ens*, sine dubio aliquid significat: nam significat id quod est, & est quasi genus decem Categoriarum. Respondet Aristoteles: Immo nequidem *ens* aliquid significat, dummodò intelligas ens nudum, de quo in præsentia loquor. Vnde obseruandum est, vocabulum *Ens* esse homonymum: quemadmodum & verbum *sum, es, est*, à quo deriuatur, est homonymum. Cùm enim dico, *Homerus est*, falsum dico. cùm autem dico, *Homerus est bonus poeta*, verum dico, vt Aristoteles docebit cap. II. part. 10. Ergo aliter accipitur verbum *est*, in illa oratione, *Homerus est*: aliter in hac, *Homerus est poeta*. in illa namque est verbum significans esse ens: in hac verò est mera copula, non significans esse ens, sed tantùm connectens poëtam cum Homero, vt significetur Homerum esse poëtam, non Homerum esse ens. Ergo si sumas participium *Ens* à verbo *sum*, significat aliquid. si verò sumas participium *ens* à copula *sum*, nihil significat. & hoc est, quod Aristoteles vocat *ens nudum*, id est, purum vocabulum, & puram copulam, quæ nullam rem significat. Quintò cùm Aristoteles ait, *id enim*, declarat quod modò dixit, infinitum *esse*, aut participium *ens*, si sumatur nudum, id est, pro mera copula, non esse verbum, & nullam rem significare: quia (inquit Philosophus) *nihil est*, id est, nullam rem significat: *sed compositionem quandam adsignificat*, id est, habet vim componendi & coniungendi attributum cum subiecto. vt cùm dico, *homo est albus*: copula *est*, connectit album cum homine. Sed hanc compositionis adsignificationem ait Aristoteles non posse intelligi *sine compositis*, id est, extra enunciationem. cùm enim dicitur, *homo est albus*, facilè intelligimus quomodo per copulam est, connectatur attributum cum subiecto. quòd si simpliciter dicatur, *est*: non ita possumus intelligere, quomodo

illud *est*, habeat vim connectendi alterum cum altero.

IN CAP. IV. DE ORATIONE.

A Simplicibus interpretationibus transit ad compositam quæ ex illis simplicibus constat, id est, à nomine & verbo ad orationem. Non exposuit alias quas Grammatici partes orationis appellant. nam præpositiones, coniunctiones, interiectiones, aduerbia, non sunt interpretationes, quia non significant aliquem animi conceptum, sed tantùm habent vim consignificandi: ideóque vulgò vocantur syncategoremata: & reuera partes orationis non sunt, sed tantùm vincula quædam partium orationis, quemadmodum claui non sunt pars nauis, aut armarij. Articuli quoque in iis linguis, quæ habent articulos, vt in lingua Græca, per se nihil valent, sed aliis vocabulis adhærent, præsertim nomini & verbo. Participium est pars verbi: quoniam adsignificat tempus. Pronomen refertur ad nomen, quia non adsignificat tempus. Progrediendum igitur est ad orationem. quam hoc capite Aristoteles elucidat definitione, ac diuisione.

1 *Oratio est vox.* Definit orationem ex genere & differentia. Genus est *interpretatio*: seu (quod idem valet) *vox significans ex instituto*, vt suprà diximus in definitione nominis. Hic tamen in plerisque exemplaribus omittitur verbum *ex instituto*, quod nec Ammonius adgnoscit. sed Aristot. in tertia particula videtur apertè indicare se hoc verbum non omisisse, ibi inquiens se antea dixisse orationem esse ex instituto: quod certe alibi non dixit, nisi in hac prima particula. Si quis vulgatam lectionem sequatur, vt verbum *ex instituto*, ab hac partie. absit, illud supplere cogetur: ac dicere debebit Aristotelem breuitatis causá id prætermisisse, quod facilè ex antedictis possit repeti. nam si partes orationis sunt ex instituto, necesse est ipsam orationem esse ex instituto: adeo vt dum Aristoteles id dixit, hoc quoque videatur quodammodo dixisse: Differentia in definitione adiungitur, qua oratio separatur à simplicibus interpretationibus: nempe quòd partes orationis per se acceptæ significant aliquid: sunt enim nomina & verba: partes autem nominum & verborum nihil per se significare, suprà dictum fuit.

2 [*Significat, inquam*] *vt dicto.* Declarat eam differentiam positam in definitione orationis, quòd partes eius seorsum aliquid significant. Declaratio autem est duplex: quarum altera in hac, altera in sequen. partic. proponitur. Quod ad priorem attinet, Aristoteles docet qualis sit harum partium significatio, & ait eas non significare conceptum compositum, sed simplicem; quia nec affirmant, nec negant. Sit (exempli gratiâ) hæc oratio, homo currit: *homo*, per se nec affirmat, nec negat, sed significat simplicem hominis conceptum. Itidémque verbum *currit*, per se acceptum, nec affirmat, nec negat, sed significat simplicem cursus conceptum. Hic occurrit dubitatio propter orationes compositas, quarum partes affirmant, vel negant. Exempli gratiâ, huius orationis, Cùm principes philosophantur, respublica est beata, hæc pars, *respublica est beata*, affirmat. cur igitur Aristoteles ait partem orationis nec affirmare, nec negare? Respondeo Aristotelem non tradere regulam de partibus orationis, quòd nec affirment nec negent: sed explanare definitionem orationis, in qua nihil poni debuit, quod non sit commune omnibus orationibus: alioquin definitio esset minùs angusta, nec complecteretur omnes species orationis. quoniam igitur nulla est oratio, quæ non habeat partes aliquas significantes conceptum simplicem: idcirco hæc simplex significatio partium, quæ communis est omnibus orationibus, ponitur in definitione orationis. Significatio verò affirmationis vel negationis non potest attribui partibus quarumcumque orationum, sed solùm partibus quibusdam quarumdam orationum compositarum: proinde talis significatio debuit prætermitti. Vnde etiam notandum est, Aristotelem non esse locutum de omnibus partibus orationis, sed de quibusdam. dixit enim id in præceden. partic. *cuius aliqua pars*, &c. non dixit, *omnis pars*. Ergo hæc aliqua pars, de qua Aristoteles loquitur, nec affirmat nec negat. Alia verò erit pars affirmans vel negans, quæ obiicie batur, de qua Aristoteles non loquitur ob rationem expositam. Hæc est prima Aristotelis declaratio.

3 *At verò hominis.* Affert alteram eiusdem differentiæ declarationem, per quam docet distinctionem orationis à nomine. Docet igitur, cur in definitione orationis dixerit aliquam partem significare separatim, cur (inquam) dixerit, *aliquid*: quia non solùm reperiuntur quædam orationes, quarum partes affirmant vel negant, vt suprà exposui, sed etiam omnis oratio

habet

habet quaſdam partes nihil ſignificantes. Non dico ſyncategoremata; quia non ſunt partes orationis: ſed dico ſyllabas, quæ ſunt partes nominum & verborum: proinde ſunt partes orationis ex nomine & verbo conſtantis. Vnde oratio ſeiungitur à nomine: quia omnes partes nominis ſunt ſyllabæ, Ideóque omnes per ſe nihil ſignificant: partes autem orationis dici poſſunt vel ſyllabæ, quæ nihil ſignificant; vel nomina & verba, quæ aliquid ſignificant. Ait, *ſed nunc eſt tantùm vox*, id eſt, cùm ita ſumitur ſeparatim, eſt pura vox, nihil ſignificans. Ait, *vt dictum eſt*, cap 2 part. 2.

4 *Iam verò omnis.* Nunc loquitur de differentia illa, *ex inſtituto*, de qua iam dixi ad primam particulam. Vnum hìc ſupereſt notandum, Ariſtotelem negare orationem eſſe inſtrumentum: non quòd oratio non ſit inſtrumentum, quo animi conceptus ſignificentur: ſed quia reſpicit ad veteres, qui orationem putabant eſſe inſtrumentum naturale, vtentes (ſi Ammonio credimus) hoc ſyllogiſmo: Quicquid eſt inſtrumentum naturalis facultatis, eſt à natúra, non ex inſtituto: atqui oratio eſt inſtrumentum naturalis facultatis: ergo oratio eſt à natura, non ex inſtituto. Maior probatur per inductionem. naturale eſt enim inſtrumentum facultatis videndi, id eſt oculus: & facultatis audiendi, id eſt auris, &c. Minor ſecundum veteres patet: quia oratio eſt inſtrumentum quo vtitur naturalis facultas edendæ vocis. Sed hanc minorem Ariſtoteles rectè negat: nam oratio eſt vox: inſtrumentum autem edendæ vocis non eſt vox, ſed id per quod vox editur, vt pulmo, & aſpera quæ vocatur arteria.

5 *Enunciatiua autem.* Hactenus definitio orationis, & definitionis expoſitio: ſequitur diuiſio. Hìc admirabili breuitate Ariſtoteles vtens, pauciſſimis verbis ſummo cum artificio diuidit orationem in ſpecies per differentias: ac definit eam ſpeciem, de qua in hoc libro agendum eſt, id eſt, enunciationem, quam propoſuit in prima partic. primi capitis. Diuiſio hæc eſt: Omnis oratio vel ſignificat verum aut falſum, vel eſt veri & falſi expers. illa vocatur enunciatio: hæc ſubdiuiditur in deprecatiuam, imperatiuam, optatiuam, & reliquas orationes, de quibus agere non eſt huius loci. Enunciatio definitur, oratio verum aut falſum ſignificans, vt homo currit, homo non currit.

6 *Cetera igitur.* Cùm diuiſerit orationem in ſpecies, reiectis aliis ſpeciebus tamquàm à Logica alienis, & ad rhetoricam vel poëticam (adde, vel grammaticam) magis pertinentibus, dicendum proponit de enunciatione: in qua explicanda conſumetur reliqua pars huius libri.

IN CAP. V. DE ENVNCIATIONE.

CVm ſuperiori capite definitionem enunciationis tradiderit, nunc eiuſdem conditiones, & diuiſiones declarat.

1 *Prima autem.* Explicat primam enunciationis conditionem, quòd ſcilicet attribuitur per prius & poſterius: adeò vt non ſit genus verè ſynonymum: quia ſub ea ſpecies non æquè continentur: ſed aliæ ſunt priores, id eſt, quæ ſunt ſimpliciores: aliæ poſteriores, id eſt, quæ ſunt magis compoſitæ. Primus igitur locus datur ſimplici affirmationi, ut homo currit: ſecundus ſimplici negationi, vt homo non currit: tertius enunciationibus compoſitis, veluti ſi homo currit, mouetur.

2 *Sed omnem.* Sequitur altera enunciationis conditio: nempe quòd neceſſariò conſtat ex verbo, vt homo currit: aut caſu verbi, vt homo currebat. Rectè omittit verbum infinitum: quia quod per ſe acceptum dicebatur verbum infinitum, idem, cùm in enunciatione attribuitur, eſt verum verbum negatum, vt homo non currit. Cùm autem diximus verbum aut caſum verbi, intellige etiam copulam verbalem, aut caſum copulæ verbalis: idem enim valet, homo currit, & homo eſt currens. item, homo currebat, & homo erat currens, infrà cap. 12. parte 2.

3 *Cur igitur.* Ex dictis oriuntur tres quæſtiones. Prima eſt, quomodo definitio dicatur eſſe vna oratio: puta hæc hominis definitio, animal terreſtre bipes. Etenim neque eſt vna, vt affirmatio ſimplex, neque vt negatio ſimplex, neque vt enunciatio compoſita: quia cùm careat verbo & caſu verbi, nec affirmat nec negat, & omnino non eſt enunciatio: & nullam coniunctionem in ſe continet: ſed omnes eius partes ſunt diſcretæ, animal, terreſtre, bipes, ſine copula &, vel alia ſimili. Reſpondet Ariſtoteles, huius quæſtionis ſolutionem petendam eſſe ex alio loco, id eſt, ex lib. 6 Metaph. cap. 12. hic enim de enunciatione agitur, & tantùm docendum eſt, cur dicatur vna enunciatio, non cur alia quæuis oratio vna eſſe dicatur: definitio verò eſt quidem vna orátio, ſed non eſt enunciatio.

4 *Est autem una.* Sequitur secunda quæstio, quæ sit enunciatio vna, & quomodo distinguatur à multis. Respondet Philosophus vnam & multas accipi bifariam, id est, ratione significationis, vel ratione coniunctionis ac disiunctionis. Hinc oriuntur quatuor membra. Primò est enunciatio vna, quia vnum significat, vt, homo currit. Secundò est enunciatio vna per coniunctionem, veluti, homo tam est rationalis, quàm aptus ad ridendum. Tertiò sunt enunciationes multæ, quia multa significant, veluti, canis est substantia, si canis communiter accipiatur, vt complectitur sydus, & animal quadrupes, & piscem. Quartò sunt enunciationes multæ, quia sunt disiunctæ, veluti, homo est rationalis, homo est aptus ad ridendum.

5 *Ergo nomen.* Sequitur tertia quæstio, quomodo enunciatio vna & simplex distinguatur à nomine & verbo; & quomodo dicatur quædam enunciatio simplex esse, quædam composita: cùm nomen & verbum sint interpretationes simplices, omnis autem enunciatio sit interpretatio composita, vt cap. 1. expositum fuit. Respondet Aristoteles, alio modo nomen & verbum dici interpretationes simplices, alio modo enunciationem dici orationem simplicem. nomen enim & verbum significant vnum simplicem conceptum, veri & falsi expertem: enunciatio verò simplex significat vnum conceptum compositum, id est, vnum de vno, videlicet vnum attributum de vno subiecto: enunciatio verò composita significat multos conceptus compositos, vt mox exponam. Ait igitur Aristoteles nomen & verbum esse tantùm dictionem, id est, simplicem terminum, qui nec affirmat, nec negat: quoniam is qui sic aliquid voce exprimit, id est, qui profert nomen aut verbum, non enunciat, siue interroganti respondeat, siue vltrò loquatur. nam si interrogatus, quis accedit? respondeat, *Socrates*: non affirmat vno illo nomine *Socrates*. sed affirmat enunciatione constante ex nomine expresso *Socrates*, & verbo, quod ex interrogatione tacitè repetitur, nempe *accedit*: vt perinde sit, ac si diceretur, *quis accedit? Socrates accedit.* Idem est, cùm verbum exprimitur, & nomen subauditur: veluti, quid agit Socrates? legit. nam & hic ex proximo repetitur & suppletur *Socrates.* Sic igitur res habet in nomine & verbo, vt semper significent vnum conceptum simplicem, si per se accipiantur: non autem enuncient, id est, non significent conceptum compositum, nisi expresse vel tacitè aliquid adiungatur. Enunciationum alia est ratio: dicitur enim alia enunciatio simplex siue vna, alia composita. Simplex siue vna dicitur, quæ significat vnum de vno: siue affirmatiuè, quo casu dicitur enunciare aliquid de aliquo, veluti homo currit, quia coniungit cursum cum homine; siue negatiuè, tuncque dicitur enunciare aliquid ab aliquo, veluti homo non currit, quia separat cursum ab homine. Enunciatio verò composita dicitur, quæ constat ex multis enunciationibus simplicibus, & significat multos compositos conceptus. quod quidem trifariam contingit. aut enim enunciantur multa de vno, veluti Cicero est orator & philosophus: aut vnum de multis, veluti Socrates & Plato sunt philosophi: aut multa de multis, veluti Socrates & Plato sunt philosophi Athenienses.

6 *Ac simplex.* Vnius & simplicis enunciationis duas diuisiones breuissimè proponit: ac primò eam diuidit in affirmationem & negationem. hoc enim est, quod ait, aliam enunciationem significare aliquid esse, id est, affirmare; aliam aliquid non esse, id est, negare. Secundò cùm ait, *pro temporum diuisione*, indicat alteram diuisionem à temporis diuisione sumptam: aut enim est enunciatio de præterito, vt homo currebat: aut de præsenti, vt homo currit: aut de futuro, vt homo curret.

IN CAP. VI. DE AFFIRMATIONE, ET NEGATIONE, & contradictione.

EX iis quæ proposita fuerunt in principio primi capitis supersunt enarranda affirmatio & negatio, de quibus agitur hoc capite, quod superiori pulchrè cohæret. proximè enim diuisimus enunciationem, quia significat esse vel non esse: vnde oriuntur hæ duæ enunciationis species, affirmatio, & negatio. docet igitur Philosophus, quid sit affirmatio, & quid sit negatio. item agit de oppositione, quæ affirmationi & negationi accidit: & declarat, an hæc oppositio sit, & quid sit.

1 *Affirmatio est.* Affirmationem definit enunciationem alicuius de aliquo, id est, attributi de subiecto. Hæc definitio constat ex genere proximo, id est, enunciatione: & differentia, quæ separat affirmationem à negatione. Artificiosè autem dixit *alicuius de aliquo*, vtens verbis generalibus quæcumque tempora complectentibus. nam si dixisset, affirmatio est enunciatio quæ significat aliquid esse, visus alicui fortasse fuisset

excludere enunciationes præteriti vel futuri temporis: etsi is quoque, qui dicit fuisse aut fore, quodammodo dicit esse, vt in calce primi capitis exposui.

2 *Negatio verò*. Subiicit negationis definitionem: cuius expositio patet ex iis quæ diximus de definitione affirmationis. Negatio dicitur enunciatio alicuius ab aliquo: quia separat attributum à subiecto, vel in præterito, vel in præsenti, vel in futuro tempore.

3 *Quoniam autem*. Expositis enunciationis speciebus, affirmatione & negatione, declarat oppositionem, quæ est inter eas species: quoniam huius declaratio valet ad distinguendum verum & falsum. Obseruans autem methodum, quam ipse præscripsit initio secundi Posteriorum, primùm tractat in hac particula quæstionem an sit, deinde in sequen. partic. quæstionem quid sit: sequentia verò capita pertinent ad quæstionem qualis sit. Quod igitur sit oppositio inter affirmationem & negationem, seu quòd omnis affirmatio habeat negationem oppositam, & omnis negatio affirmationem oppositam, probat duplici enthymemate subordinato: quia consequens primi enthymematis, est antecedens in secundo enthymemate. sic enim argumentatur: Enunciare possumus tam verum quàm falsum, & tam esse quàm non esse, siquidem possumus affirmare & negare: Ergo quicquid aliquis affirmauit, alius potest negare: & quicquid aliquis negauit, potest alius affirmare: Quare omnis affirmatio habet negationem oppositam, & omnis negatio affirmationem oppositam. Consecutiones satis manifestæ sunt. Primum antecedens ponitur in primis verbis contextus. Primum autem consequens ibi, [*idcirco*] *quodcumque*. Alterum consequens ibi, *quare manifestum*. In primo antecedente constituendo Aristoteles ait, quod est, posse dici non esse: hæc est negatio falsa. & quod non est, posse dici esse: hæc est affirmatio falsa. & quod est, posse dici esse: hæc est affirmatio vera: & quod non est, posse dici non esse: hæc est negatio vera. Et quoniam his verbis locutus tantùm est de tempore præsenti, esse vel non esse: idcircò addit idem esse in aliis temporibus, quibus tempus præsens est interiectum, id est, idem esse in tempore præterito vel futuro. possumus enim dicere non fuisse, quod fuit: putà non fuisse bellum Troianum: vel fuisse, quod non fuit, veluti Græcos victos fuisse à Troianis. & ita de ceteris. Reliqua verba huius particulæ sunt manifesta.

4 *Atque hoc esto*. Postquàm docuit esse oppositionem, siue esse affirmationem & negationem oppositas: nunc ponit proprium nomen huius oppositionis, simúlque definitionem, atque ait contradictionem esse affirmationem & negationem oppositas. Notandum est, contradictionis verbum sumi tribus modis apud Aristotelem. Primò pro duabus enunciationibus sibi inuicem contradicentibus. Secundò pro oppositione illa, quæ spectatur inter duas enunciationes contradicentes. atque hæc secunda significatio differt à prima, vt relatio differt à relatis, & contrarietas à contrariis: nam termini siue enunciationes duæ sunt, inter quas est vna oppositio seu contradictio. Tertiò contradictio sumitur pro vna enunciatione alteri contradicente, veluti hæc enunciatio, *non omnis homo est albus*, dicitur contradictio illius, *Omnis homo est albus*. Cùm autem, in quauis significatione contradictio explicetur, parum interfit, quia ex vnius expositione facilè patet ceterarum expositio, Aristoteles hîc definit contradictionem primo modo acceptam. Præterea notandum esse, oppositionem esse genus contradictionis, quod continet etiam alias species, vt didicimus ex lib. Categor. cap. 10. inter alias oppositiones quædam dicuntur contraria. contrariorum autem quædam sunt simplicia, vt album & nigrum: quædam complexa seu composita, vt omnis homo est iustus, nullus homo est iustus. atque hæc quoque sunt affirmatio & negatio oppositæ. vnde videtur hæc definitio latiùs patere quàm definitum; siquidem conuenit etiam enunciationibus contrariis, quæ separabuntur à contradicentibus, cap. seq. Notandum igitur est, cùm dicimus opponi vt affirmationem & negationem, per excellentiam quandam nos intelligere solam contradictionem: vt Categor. dicto cap. 10. particula 2. 16. 21. 25. 26 quia intelligimus affirmationem & negationem omnino eiusdem de eodem, vt Aristoteles docebit in sequen. part. hæc autem conditio reperitur in solis contradicentibus, non in aliis oppositis enunciationibus, nequidem in contrariis. Sunt enim hæ duæ contrariæ, Omnis homo est iustus, nullus homo est iustus. negatio non solùm negat, quod affirmatio affirmauit, sed etiam aliquid ampliùs. nam affirmatio asserebat omnem hominem esse iustum: negatio verò non solùm negat omnem esse iustum, sed negat etiam aliquem esse iustum: immo hoc potissimùm negat, aliquem esse iustum: quia nullus & non vllus, seu non aliquis, idem valent. subiectum igitur non est omnino idem in his enunciationibus: cùm

affirmatio affirmet de omni, & negatio neget de aliquo. Quapropter Aristoteles ita sumpsit opponi vt affirmationem & negationem, id est, contradictoriè, etiam in Categoriis, cap. 10. part. 2. 16. 21. 25. 26. Tandem notandum est, contradictionem aliter ab Aristotele definiri Poster. lib. 1. cap. 2. partic. 13. sed ea definitio ibi explicabitur.

5 *Dico autem.* Explicat definitionem contradictionis: & ait se in ea definitione intellexisse affirmationem & negationem sic oppositas, vt essent eiusdem de eodem, id est, haberent idem attributum, & idem subiectum: idem (inquam) omnimodo, vt nullum sit discrimen inter duas enunciationes oppositas, nisi quòd negatio affirmationi addit aduerbium *non.* Debent igitur termini esse iidem, & eodem modo accepti, ita vt vitetur homonymia, amphibolia, & reliqui sophismatum fontes, de quibus Aristoteles tractat in Elenchis sophisticis: vnde vult nos eos petere, si distinctiorem expositionem in præsentia desideramus. Quamquàm variis distinctionibus adhibitis in sequentibus capitibus satis hanc rem explicabit, quatenus ad hunc locum pertinet, vt perfectè possimus intelligere, quomodo enunciationes opponantur, & verum à falso diuidatur.

IN CAP. VII. DE ENVNCIATIONIBVS VNIVERSALIBVS, particularibus, indefinitis, & singularibus.

VT distinctiùs & perfectiùs intelligamus, quæ sint enunciationes verè contradicentes, simúlque intelligamus qualis sit contradictio, id est, quotuplex sit, & quomodo seiungat verum à falso: deinceps varias enunciationis diuisiones enarrat, præter duas suprà expositas cap. 5. part. vltim. Hoc igitur capite quatuor enunciationum genera considerat, id est, vniuersales, particulares, indefinitas, & singulares: ac declarat harum enunciationum oppositiones, necnon oppositionum regulas, quibus verum à falso secernitur.

1 *Quoniam autem.* Præmunit diuisionem quandam rerum, ex qua colliget diuisionem enunciationum à subiecto sumptam. Primò igitur ponit rerum diuisionem, quòd vel sunt vniuersales, vel singulares. Secundò cùm ait, *vniuersale appello*, definit vtrumque diuisionis membrum, id est, vniuersale & particulare. Vniuersale esse ait, quod suapte naturâ multis attribuitur, ideò ait, *suapte naturâ*, vt excludat particularia, quæ aliquo modo multis attribuuntur, sed non suapte naturâ, nec propriè: veluti, hic qui accedit, est Socrates: filius Sophronisci est Socrates: præceptor Platonis est Socrates. sic enim Socrates videtur multis attribui. verùm hæc attributio non est naturalis, sed impropriè dicta, vt ad Porphyrium notaui, cap. 2. partic. 9. Singulare verò Aristoteles ait esse id, quod non attribuitur, id est, quod non attribuitur suapte naturâ, & attributione propriè dicta. Tertiò cùm ait, *vt homo*, perspicuis exemplis eadem duo membra declarat, id est, vniuersale & particulare. Quartò cùm ait, *necesse est [vtique,]* ponit diuisionem enunciationis, quæ colligitur ex dicta rerum diuisione. Cùm enim suprà expositæ fuerint duæ species enunciationis, affirmatio & negatio: nunc vtraque subdiuiditur, quòd est vel de re vniuersali, vel de re singulari. Ait, *necesse vtique*, ἀνάγκη γ. Accipio τὸ γ, ἀντὶ τοῦ δὴ. quod non est nouum, & à Budæo quoque in commentariis linguæ Græcæ notatur. Nisi quis putet omnia eiusmodi loca, quæ permulta sunt, mendosa esse, & pro γ scribendum δὴ. quod non omnino verisimilitudine caret: quia nonnulli scriptores eodem planè modo vtramque literam pingunt, γ & δ: adeò vt ex sola sententia dignosci possit, vtra litera sit potiùs accipienda. Exposui sententiam huius particulæ: cui addenda est subdiuisio enunciationis de subiecto vniuersali aut enim est enunciatio vniuersalis, quæ subiecto vniuersali addit notam vniuersalem *omnis*, vel *nullus*: vt omnis homo est iustus, nullus homo est iustus: aut est particularis, quæ subiecto vniuersali addit notam particularem, *aliquis*, vel *non omnis*, vt aliquis homo est iustus, non omnis homo est iustus: aut indefinita, quæ subiecto vniuersali nullam notam addit, ideóque non definit, vtrùm accipiat subiectum vniuersaliter, an particulariter: veluti homo est iustus, homo non est iustus. de quibus omnibus enunciationibus in sequentibus particulis disseretur.

2 *Si quis igitur.* Proponit enunciationes vniuersales, & declarat earum oppositionem, inquiens esse contrarias, vt omnis homo est albus, nullus homo est albus. Cur autem dicantur contrariæ, non contradicentes, posteriùs exponam.

3 *At cùm.* Proponit enunciationes indefinitas. Et primò negat has esse contrarias, posteriùs autem eas vocabit contradicentes. Secundò cùm ait, *quæ verò significantur*, ostendit, licèt hæ enunciationes, vt homo est albus, homo non est albus, non

sunt.

sint contrariæ ; tamen quæ iis enunciationibus significantur, posse interdum esse contraria. Hæc verba exponuntur variis modis. Ego puto Aristotelem eò respicere, quòd sæpe ab auctoribus enunciationes indefinitæ sumuntur pro vniuersalibus. Tunc igitur si ipsam enunciationis formam spectes, non est vniuersalis: & affirmatio ac negatio non sunt contrariæ. quòd si significationem & mentem auctorum attendas, iam sunt vniuersales, & contrariæ. Hinc est, quòd Aristoteles Prior. lib. 1. cap. 27. partic. 7. inquit, cùm propositio est indefinita, non constare, sitne vniuersalis, an particularis. Tertiò cùm ait, *Dico autem*, affert exemplum affirmationis & negationis indefinitarum eiusdem attributi de eodem subiecto. Quartò cùm ait, *non enim homo*, rationem affert, cur hæ enunciationes non dicantur vniuersales, sed indefinitæ.

4 *Attributum autem.* In duabus primis particulis seiunxerat indefinitas ab vniuersalibus : quoniam vniuersales subiecto vniuersali addunt notam vniuersalem *omnis*, vel *nullus* : indefinitæ verò nullam notam subiecto apponunt. vnde potuisset aliquis suspicari tale discrimen, quod modò exposuimus in subiecto, nempe recipere notam vniuersalem, aut eâ notâ carere, tale (inquam) discrimen etiam in attributo spectari posse: quasi vel simpliciter proponi possit, vel cum nota vniuersali. Hunc errorem vt Aristoteles tollat, ostendit vniuersalem notam numquàm posse adiungi attributo : quia tunc omnis affirmatio falsa esset. quod declarat exemplo huius enunciationis, Omnis homo est omne animal : quæ sine dubio falsa est: nam si homo esset omne animal, esset etiam asinus, & bos. Sed notare hìc oportet, alia attributa latiùs patere quàm subiecta, alia verò reciprocari cum subiectis. hoc est, quod dicebat Porphyrius cap. 2. part. 37. aut maiora de minoribus, aut æqualia de æqualibus dici. Vbi igitur attributum latiùs patet. vt in exemplo Aristotelis, res dubitatione caret: certum enim est, affirmationem esse falsam, nec posse dici omnem hominem esse omne animal. Sed meritò dubitatur de attributis, quæ reciprocantur cum subiectis, veluti si quis dicat, omne animal est omne sensu præditum, & omnis homo est omne aptum ad ridendum : nam hic absurditas illa non æquè apparet, vt in illa enunciatione, Omnis homo est omne animal. Sed vt intelligatur has quoque enunciationes esse falsas, in quibus attributum, quod reciprocatur, adnexam habet particulam *omnis* : notare oportet, hanc particulam, *omnis*, habere vim, quam in scholis vocant distributiuam : vt omnis homo, perinde valeat atque quilibet homo, vel singuli homines : & similiter omne animal, idem valet, quod singula animalia, vel vnumquodque animal, seu quodlibet animal. Quapropter si verè diceretur, omne animal est omne sensu præditum : etiam homo esset omne sensu præditum : nam qui dixit omne animal, non exclusit omnem hominem. homo igitur esset quodlibet sensu præditum : proinde hac ratione fieret, vt homo esset equus, & bos: quandoquidè equus & bos sunt sensu prędita.

5 *Dico igitur.* Nunc exponit enunciationes de subiecto vniuersali contradicentes : quarum altera est vniuersalis, altera particularis : & altera affirmatiua, altera negatiua : vt omnis, non omnis: item aliquis, & nullus. Integræ enunciationes sunt in contextu. Et cùm subdit, *contrariè autem*, obiter repetit Aristoteles enunciationes vniuersales contrarias, quas exposuerat in partic. 2. repetit (inquam) non temerè, sed vt conferat cum contradicentibus, quò magis intelligamus distinctionem contradicentium à contrariis, simúlque intelligamus cuilibet enunciationi vniuersali esse alteram vniuersalem contrariam, & particularem contradicentem. vtputà omnis, & nullus, sunt contrariæ: omnis, & non omnis, contradicentes : item nullus, & aliquis contradicentes. Ergo hactenus exposuit contrarias, omnis, nullus : contradicentes, omnis, non omnis: & aliquis, nullus. Sunt & aliæ contradicentes indefinitæ, quas in tertia particula negauit esse contrarias, sed nondum docuit esse contradicentes. Item sunt aliæ contradicentes singulares, vt Socrates est iustus, Socrates non est iustus. Item sunt quædam enunciationes, quæ vulgò vocantur subcontrariæ ab interpretibus Aristotelis, ab ipso autem Aristotele lib. 2. Prior. cap. 8. part. 2. nominantur contrariæ : quæ tamen non opponuntur re ipsa, sed verbo tenus, vt ipse Aristoteles docet 2. Prior. cap. 15. part. 2. hæ verò sunt enunciationes particulares ; veluti quidam homo est albus, quidam homo non est albus. Sed harum omnium expositionem nunc prætermittit breuitatis causâ, contentus expositione earum enunciationum, quæ sunt præcipuæ, id est, contrariarum & contradicentium de subiecto vniuersali. cupit enim quamprimùm transire ad regulas oppositionum, per quas discernitur verum à falso. Tradet tamen regulas, non solùm de contrariis, & contradicentibus antè expositis, sed de omnibus enunciationum generibus : adeò vt quod nunc prætermisit, id

mox in regulis tradendis suppleat, sicut ex sequentium particularum interpretatione apparebit.

6 *Idcirco hæ.* Tradit regulam enunciationum contrariarum. hæ(inquit)numquàm sunt simul veræ. quibus verbis indicat, eas modò esse simul falsas, vt omnis homo est albus, nullus homo est albus; modò alteram veram, alteram falsam, id est, aut veram affirmationem & falsam negationem, veluti omnis homo est animal, nullus homo est animal, aut è contrario falsam affirmationem, veram negationem, veluti omnis homo est lapis, nullus homo est lapis. Hinc est, quòd hæ enunciationes vocantur contrariæ. quia contrariorum natura est, vt possint simul abesse, non simul inesse: sicut idem corpus non potest esse album & nigrum: potest tamen esse nec album nec nigrum, sed rubrum aut viride. Notandum est, Aristotelem in hac particula nullum exemplum afferre: quia scilicet iam attulit in præced. particula. Et semel hoc notasse sufficiat, Aristotelem in sequentibus particulis cùm proponit regulas de generibus enunciationum anteà expositis, non adiungere exempla: quoniam exempla suprà proposuit. cùm autem tradit regulas de oppositionibus suprà non expositis, apponere exempla: quia nulla exempla suprà habere potuimus.

7 *His autem oppositas.* Proponit regulam de enunciationibus subcontrariis, quas ait posse aliquando simul veras esse. Dum ait *aliquando*, indicat non semper posse esse simul veras: quia interdum altera est vera, altera falsa; numquàm autem sunt simul falsæ. Simul veræ sunt, vt in exemplo posito in contextu, aliquis homo est albus, aliquis homo non est albus. Cùm altera est vera, altera falsa: aut vera est affirmatio, & falsa negatio, vt quidam homo est animal, quidam homo non est animal: aut falsa affirmatio: & vera negatio, vt quidam homo est lapis, quidam homo non est lapis. Ait, *his oppositas*, id est, particulares, quæ vniuersalibus proximè expositis exponuntur contradictoriè, vt in præceden. particula expositum fuit. inter se autem dicuntur subcontrariæ, vel quia sunt aliquo modo, id est, voce tenus, non simpliciter & omnino contrariæ, vt suprà exposui: (nam hæc particula *sub*, in compositione vim nominis minuit, vt in nominibus, subrufus, subcandidus, & similibus) vel quia sub contrariis, id est, sub vniuersalibus collocantur. nempe affirmans particularis sub affirmante vniuersali: & negans particularis sub negante vniuersali, vt in typo decimæ huius capitis particulæ subiecto apparet.

8 *Quæcumque igitur.* Expositis duabus regulis, primâ de enunciationibus contrariis, alterâ de subcontrariis: sequuntur regulæ de contradicentibus. Hic sunt tres regulæ: quia tria sunt contradicentium genera. aliæ namque sunt definitæ, vt omnis homo est albus, non omnis homo est albus: & aliquis homo est albus, nullus homo est albus. aliæ sunt singulares, vt Socrates est albus, Socrates non est albus. aliæ indefinitæ, vt homo est albus, homo non est albus. De definitis hic traditur regula, quòd semper altera est vera, altera falsa. Exempla hic omittuntur: quia suprà proposita fuerunt part. 5. In verbis notandum est, Aristotelem has vocare contradictiones rerum vniuersalium vniuersaliter. Dum ait *rerum vniuersalium*, separat has contradicentes à contradicentibus singularibus. Cùm addit *vniuersaliter*, separat ab indefinitis. Intellige ergo contradicentes vniuersaliter, non quod vtraque sit vniuersalis, sic enim essent contrariæ, non contradicentes: sed altera est vniuersalis, altera particularis, vt iam exposui. Cur igitur dicuntur contradictiones vniuersaliter? vel quia omnino & semper sibi contradicunt: vel quia denominatio sumitur à digniori parte: vniuersalis enim enunciatio particulari præstat.

9 *Et quæcumque.* Regula de contradicentibus singularibus est, quòd harum quoque semper altera est vera, altera falsa: veluti, Socrates est albus, Socrates non est albus: item Socrates est homo, Socrates non est homo: item Socrates est lapis, Socrates non est lapis.

10 *At earum.* Sequitur regula de contradicentibus indefinitis. hæ comparantur particularibus, nisi scilicèt subaudiatur nota vniuersalis, quam apud auctores sæpe subaudiri, ita vt fiat enunciatio vniuersalis, notaui ad 3. part. Ergo regula hic est, quòd possunt esse simul veræ, veluti homo est albus, homo non est albus: aut altera est vera, altera falsa, id est vera affirmatio, falsa negatio, vt homo est animal, homo non est animal: vel falsa affirmatio, vera negatio, vt homo est lapis, homo non est lapis. Quod attinet ad seriem contextus, Primò Aristoteles ponit hanc regulam, inquiens non semper alteram esse veram, alteram falsam. quibus verbis indicat modò esse alteram veram, alteram falsam: modò vtramque veram. Secundò cùm ait, *nam simul*, vtramque interdum esse veram probat hoc exemplo, *homo est albus, homo non est albus*, In quo

exemplo notandum est Philosophum transponere vocabula, ita vt subiectum copulæ subiiciat, cùm ait, *est homo albus*, pro *homo est albus*: & *non est homo albus*, pro *homo non est albus*: ne quis fortè putet hominem album, esse attributum. Infrà quoque sæpius transponet nomina & verba, fortasse vt sumat occasionem docendi non mutari sententiam huiusmodi transpositionibus, vt nominatim docebit capite 10. part. vltim. Tertiò cùm ait, *item homo*, idem probat alio simili exemplo, *homo est pulcher*, *homo non est pulcher*, in quo similiter vtitur eâdem transpositione. Quartò cùm ait, *etenim si turpis*, confirmat secundum exemplum: ac docet non omnes homines esse pulchros: quia nonnulli sunt deformes, proinde non sunt pulchri: item nonnulli fiunt pulchri, ergo nundum sunt pulchri. Quintò cùm ait, *statim autem videri*, proponit obiectionem quandam, & ait videri absurdum, quod dictum est, indefinitas simul esse veras. Obiectio ita concipitur: Indefinitæ enunciationes æquipollent vniuersalibus: atqui vniuersales non possunt esse simul veræ, vt patet ex 6. partic. ergo & indefinitæ non possunt esse simul veræ. Postremò cùm ait, *sed nec idem*, soluit obiectionem, negans indefinitas æquipollere vniuersalibus: & ait indefinitam & vniuersalem nec idem significare, quia licet termini sint iidem, vt homo & albus, tamen subiectum *homo* aliter accipitur in propositione vniuersali, aliter in indefinita: nec esse simul necessario, id est, non necesse esse, si vna sit vera, vt altera quoque sit vera. nam etsi cùm est vera vniuersalis, vt omnis homo est animal: vera est etiam indefinita, vt homo est animal: non tamen reciprocatur: sed fieri potest, vt indefinita sit vera, vt homo est albus; & vniuersalis falsa, vt omnis homo est albus. Eadem ratio est negationum. nam si verum est, nullum hominem esse lapidem: etiam verum est, hominem non esse lapidem. Sed si verum est, hominem non esse album: non propterea verum est, nullum hominem esse album.

11 *Perspicuum autem.* In hac particula docet vnam negationem vni affirmationi opponi contradictoriè, id est, nullam esse affirmationem cui non contradicat aliqua negatio, & nullam esse negationem cui non contradicat aliqua affirmatio: numquàm autem vni affirmationi contradicere plures negationes, nec vni negationi plures affirmationes. Hæc docentur ab Aristotele, non solùm quia infrà vsurus est hac doctrinâ & hoc principio, sed etiam quia hæc doctrina valet ad dissoluendam dubitationem quandam ex proximè expositis emergentem. Meritò enim quærere aliquis posset, cùm enunciationes indefinitæ comparentur particularibus; qui fiat vt indefinitæ dicantur contradicentes, licèt sint simul veræ, vt homo est albus, homo non est albus; particulares autem numquàm vocentur contradicentes, ne quidem si altera sit vera, altera falsa, veluti quidam homo est animal, quidam homo non est animal. Item quærere aliquis posset, cur vniuersali dicatur potiùs contradicere particularis, quàm indefinita. vt huic enunciationi, *omnis homo est animal*, cur hæc potius contradicat, *aliquis homo non est animal*, quàm hæc, *homo est animal*. Vt posterioris quæstionis solutionem priori loco afferam: vniuersali opponitur particularis, non indefinita: quia particularis est omnino de eodem subiecto de quo vniuersalis, tantùm addit vel detrahit negationem, vt omnis homo est albus, non omnis homo est albus: item nullus homo est albus, aliquis homo est albus. Nam *nullus*, idem valet, quod *non vllus*, id est, non aliquis. At indefinita, vt, homo est albus, vel homo non est albus, non est omnino de eodem subiecto, de quo vniuersalis: quandoquidem vniuersalis accipit subiectum vniuersaliter, indefinita verò indefinitè. nec enim idem est *homo*, quod *omnis homo*: nec idem *homo est*, quod *nullus homo est*. Cum igitur vna vni contradicat, quæ est eiusdem attributi de eodem subiecto: certè vniuersali contradicit particularis, potiùs quàm indefinita: quia particularis magis est de eodem subiecto: consequenter non est dicendum indefinitam contradicere vniuersali: alioquin vni vniuersali duæ contradicerent, particularis & indefinita. Accedo ad priorem dubitationem cur indefinitæ dicantur contradicentes, particulares autem inter se non vocentur contradicentes. Necesse est fateri indefinitæ indefinitam contradicere: alioquin nulla contradiceret, contra hypothesim, quia supponimus vnam vni contradicere. nam indefinitæ neque contradicit vniuersalis, (alioqui vna vniuersalis contradiceret duabus, id est, & particulari & indefinitæ) neque particularis, (alioquin vna particularis contradiceret duabus, id est vniuersali & indefinitæ) neque singularis: (est enim omnino de alio subiecto) superest igitur, vt indefinitæ contradicat indefinita, ne careat contradicente. Dicere autem non possumus duas particulares sibi inuicem contradicere. vt *aliquis*, & *non omnis*: quia vtraque habet contradicentem vniuersalem, nec debet habere duas contradicen-

tes. vt huic, aliquis homo est albus, contradicit hæc, nullus homo est albus: non igitur hæc, aliquis homo non est albus. Rursus huic, non omnis homo est albus, contradicit hæc, omnis homo est albus: non igitur hæc, aliquis homo est albus. Quod ergo dici solet, indefinitas comparari particularibus, debet intelligi, quod ad veritatem enunciationis tuendam, ad rationem conficiendorum syllogismorum, vt in libris Priorum declarabitur, & ad regulas veri & falsi. vt enim duæ particulares, quarum altera affirmat, altera negat, possunt esse simul veræ, non simul falsæ: ita etiam duæ indefinitę. Item si vera est particularis, vt quidam homo est albus: etiam vera est indefinita, vt homo est albus: & contrà si vera est indefinita, vera est etiam particularis. Quod verò ad oppositionem affirmationis & negationis attinet, non est eadem ratio indefinitarum & particularium. quoniam istæ sunt contrariæ seu subcontrariæ, vt antea exposui: hæ verò, contradicentes. His expositis, accedamus ad interpretationem contextus. Primò Aristoteles proponit hanc sententiam seu conclusionem, quòd vna est negatio vnius affirmationis. Deinde cùm ait, *idem enim*, eam sententiam probat ex eo, quòd in vtraque enunciatione opposita necesse est accipere terminos omnino eosdem, tam attributum, quàm subiectum: alioquin non essent oppositæ, sed diuersæ: veluti, homo currit, equus non currit. Consequentia manifesta est]: quia cùm vera negatio fiat solo adiecto aduerbio *non*, nec debeat fieri alia mutatio: manifestum est, non posse fieri nisi vnam negationem vni affirmationi contradicentem. nam si plures contradicerent, hæ inter se differrent: ergo non acciperent omnino eosdem terminos. Tertiò cùm ait, [*id est*] *vel aliquo*, exponit, quod proximè dixerat, debere esse vnum & idem subiectum in affirmatione & negatione contradicentibus. Intellige, inquit, vnum & idem subiectum: siue sit vnum singulare, vt Socrates: siue vnum vniuersale vniuersaliter acceptum, vt omnis homo, & non omnis homo: siue sit vnum vniuersale non vniuersaliter, id est indefinitè acceptum, vt homo. Sic itaque paucis verbis complectitur omnia genera contradicentium. Quartò cùm ait, *verbi gratiâ est Socrates*, affert exemplum primi generis contradicentium, videlicet de subiecto singulari, vt Socrates est albus, Socrates non est albus. Quintò cùm ait, *quòd si aliud*, priusquàm afferat exempla aliarum contradicentium, docet non esse illas contradicentes, quæ habent diuersum attributum, vel diuersum subiectum: vt intelligamus non opponi contradictoriè indefinitas vniuersalibus, quia (vt suprà exposui) non habent omnino idem subiectum. Ait, *quòd si aliud quid ab eodem*, id est, si negatio aliud neget de subiecto, quàm affirmatio affirmauit; (veluti si affirmes hominem currere, & neges hominem ambulare) non sunt enunciationes oppositæ. Ait, *vel ab alio idem*. Sensus est, similiter non esse enunciationes oppositas, si negatio neget idem attributum de alio subiecto, quàm de quo affirmatio affirmauit. Intellige aliud subiectum: siue sit omnino diuersum, vt homo currit, equus non currit: siue sit eadem res diuersimodè accepta, vt nullus homo currit, & homo currit. Ait, *non erit opposita illi*. Sensus est, eam negationem, quæ aliud vel de alio negat, non esse oppositam illam, id est, non esse contradicentem. nam articulus hic habet emphasim. Ait, *sed ab ea diuersa*. Sensus est, negationem, quam diximus non contradicere affirmationi, differre non solùm ab illa affirmatione, sed etiam à negatione illi affirmationi contradicente. Sextò cùm ait, *huic verò*, subiicit exempla contradicentium de subiecto vniuersali definito: nempe omnis, non omnis: & aliquis, nullus. Septimò cùm ait, *huic autem*, ponit exemplum contradicentium indefinitarum.

12 *Vnam igitur*. Epilogo concludit hoc caput, & summatim repetit capita suprà exposita, nexus autem causâ suo more incipit ab eo quod nouissimè docuit. Primò igitur inquit se docuisse vnam affirmationem vni negationi contradicere. Secundò inquit se docuisse, quænam sint hæ duæ enunciationes contradicentes. quæ quidem docuit in præced. part. Tertiò ibi, *item contrarias*, ait se docuisse (particulâ sc. 2. & part. 5.) alias esse contrarias, & quænam hæ sint, nempe sunt vniuersales, *omnis* & *nullus*. Quartò ibi, *ac non omnem*, inquit se docuisse non omnem contradictionem esse veram vel falsam, id est, non semper alteram partem contradictionis esse veram, alteram falsam: sed interdum vtramque partem esse veram. Item se docuisse, cur interdum vtraque pars contradictionis sit vera: & quo casu altera sit vera, altera falsa. Docuit enim partic. 10. in contradicentibus indefinitis vtramque partem simul veram esse posse: quia indefinitæ comparantur particularibus, non vniuersalibus. Item part. 8. & 9. docuit contradicentium vniuersaliter, & contradicentium singularium, semper alteram esse veram, alteram falsam.

IN CAP. VIII. DE ENVNCIATIONE VNA VEL pluribus.

VT distinctè ac perfectè intelligeremus, quænam sint veræ contradicentes, verum à falso secernentes, exposuit Aristoteles superiori capite diuisionem enunciationum in vniuersalem, particularem, indefinitam, & singularem: & in singulis docuit vim ac naturam contradictionis. Sequitur alia diuisio, in qua idem est explicandum. audiuimus enim supra cap.5. part.4. aut esse vnam enunciationem, aut plures: & duobus modis accipi vnam, duobus modis plures enunciationes. nunc igitur intelligendum est, vtrùm in contradictione sint sumendæ enunciationes vnæ, an plures: &, si vnæ, quomodo vnæ. Summa capitis est, accipiendas esse in contradictione enunciationes omnino vnas, non solùm ratione vocis, sed etiam ratione significationis: alioquin non esse necessariò alteram veram, alteram falsam. Hoc caput præcedenti rectè cohæret: quoniam in fine capitis præcedentis dictum fuit vnam affirmationem vni negationi opponi: vnde rectè subiicitur, quomodo debeat esse vna, id est, & voce & significatione.

2 *Vna autem.* Definitione & exemplis declarat quæ sit enunciatio vna. Si quis obiiciat id fuisse iam expositum cap.5. partic.4. ideóque non debuisse repeti: respondebo necessariam fuisse hoc loco hanc definitionem: quia cap. 5. tantùm dictum fuerat enunciationem esse vnam, quæ vnum de vno significat: sed posteà cap.7. dictum fuit quasdam esse enunciationes vniuersales, vt de homine, vel de omni homine: vnde prima facie non videntur hæ enunciationes significare vnum de vno: immo de multis, atque adeò de omnibus: vt cùm dico, omnis homo est animal, significo vnumquemque hominem esse animal. Declarat igitur Aristoteles, quod capite 5. declarare non potuit, vnum de vno intelligi, etiam cùm est subiectum vniuersale, siue vniuersaliter, siue particulariter, siue indefinitè acceptum: propterea quòd etiamsi multa contineantur eo subiecto: tamen quia sunt synonyma, vniuntur in vno communi genere, adeò vt homo (exempli gratiâ) rectè dicatur vnum quid. Hæc declarans Aristoteles, primò definit enunciationem vnam. Secundò cùm ait, *siue [subiectum,]* ostendit hac definitione contineri etiam enunciationes de subiecto vniuersali, siue hoc subiectum vniuersale accipiatur vniuersaliter, vt omnis homo, siue non vniuersaliter, siue particulariter, vt quidam homo, vel indefinitè, vt *homo*. Ait ὁμοίως. Ammonius hoc aduerbium cum proximo nectit, legens μὴ ὁμοίως: & interpretatur μὴ ὁμοίως, id est μὴ καθόλου. ego negandi aduerbio μὴ, subiicio scilicet: & puto Aristotelem eâdem phrasi hîc vti, qua vtetur sequen. cap. partic.10. Tertiò cùm ait, vt omnis homo, variis exemplis datam doctrinam illustrat. Ait, *si [modò] album*, id est dummodò attributum sit synonymum. idem intellige de subiecto, id est de homine. nam subiecti vel attributi homonymia facit vt multæ sint enunciationes, sicut in seq. particula explicabitur.

2 *Sin autem duabus.* Cùm docuerit esse vnam de vno, proinde vnam enunciationem, quando termini sunt synonymi: nunc docet non esse vnam, sed multas enunciationes, quando termini sunt homonymi: quia non tam vox, quàm significatio spectari debet. Primò igitur proponit hanc sententiam. Cùm ait vnum nomen esse impositum duabus rebus, ex quibus non fit vnum: perinde est, ac si diceret illa esse homonyma. nam quæ synonyma sunt, in suo genere vniuntur: genus enim habet vim vniendi, vt docuit Porphyrius cap 2. part.36. Secundò cùm ait, *vt si quis nomen*, rem declarat exemplo ficto. si quis enim appellatione vestis significet equum & hominem, & inquiat, vestis est alba, aut, vestis non est alba: non erit vna affirmatio, nec vna negatio. Ideò autem vtitur exemplo ficto: quia suprà docuit nomina & verba ex instituto & hominum arbitrio significare. Sumpsit autem hominem & equum: quoniam videntur esse termini synonymi. synonymos enim continentur sub animali: vt ostendat non sufficere terminos synonymos, vt sit vna enunciatio, nisi sumantur quatenus synonymi. nam eadem possunt esse homonyma & synonyma respectu diuersorum vocabulorum: vt canis sydus, canis quadrupes, & canis piscis, synonymos vocantur corpora, homonymos appellantur canes. sic igitur & homo & equus synonymos dicuntur animalia, synonymos vestes. Iam verò in hoc exemplo subiectum est homonymum. sed & exemplum dari potest, in quo attributum sit homonymum: veluti si Vestimentum homonymos, vt exemplo Aristotelico, acceptum, sumatur pro attributo, ac dicatur, Homo est vestimentum, homo non est vestimentum. nam homonymia attributi æquè reddit enunciationem multipli-

cem, atque homonymia subiecti: siquidem vt sit vna enunciatio, debet esse vnius attributi de vno subiecto, sicut Aristoteles docuit in partic. præced. Tertiò cùm ait, *perinde est enim*, probat, hoc casu non esse vnam enunciationem, progrediens pedetentim ratione æquipollentiæ ab enunciatione quæ vna videtur, ad enunciationes sine dubio multas, & nihilo minùs illi, quæ videbatur vna, æquipollens. hæc enim enunciatio, vestis est alba, idem valet. quod hæc, homo & equus est albus: siquidem diximus vestem significare hominem & equum. hæc autem, homo & equus est albus, idem valet, quod hæ duæ, homo est albus, equus est albus: nam significatio semper est eadem. ergo etiam prima illa enunciatio, vestis est alba, idem valet, quod hæ duæ, homo est albus, equus est albus. Sicut igitur hæ sunt plures, id est duæ, ita etiam prima illa non est vna, sed duæ, quod ad significationem attinet, licèt inspecto verborum cortice videatur vna enunciatio. Concludens autem hanc ratiocinationem, ait Aristoteles primam illam enunciationem, vestis est alba, vel multa, vel nihil significare. Qua ratione dicatur multa significare, postea non declarat: quia id pendet ex præcedentibus, sicut ego modò exposui. Qua ratione autem dici possit nihil significare, declarat postremis illis verbis, *quia non est aliquis homo equus*. quibus verbis vult refellere prauam quandam responsionem, & adimere subterfugium, ad quod potuisset aliquis confugere, defendens vnam esse enunciationem, vestis est alba. dicere enim aliquis potuisset se appellatione vestis non significare indistinctè hominem & equum: sic enim essent duæ enunciationes: sed aliquid commune: sicuti qui dicit animal, non dicit distinctè species animalis, sed aliquid commune. Hanc sententiam Aristoteles euertit: quia si quis ita vestem accipiat, tunc nihil significabit. vocabulum enim homonymum nullam rem communem significat, sed (vt loquitur Auerroës) descendit immediate in sua significata. Declaro exemplo, & collatione cum synonymis. animal, est vocabulum synonymum: quia non significat immediatè hominem, equum, bouem, sed corpus animatum sentiens; secundariò autem complectitur hominem, equum, bouem, quatenus participant eam communem naturam, id est corpus animatum sentiens. Canis autem non significat aliquid commune syderi, quadrupedi, & pisci: sed statim per se, & immediatè significat illa tria. Sic vestis nihil significat commune homini & equo, sed immediatè ac distinctè & hominem & equum. Hoc est, quod ait Aristoteles, *non est aliquis homo-equus*, id est, non est aliqua natura communis homini & equo, quæ significetur eo vocabulo *vestis*. Nam si quis dicat communem naturam esse animal: obiiciam, quòd vestis non significat animal: alioqui non significaret tantùm hominem & equum, vt aduersarius ponebat, sed & bouem & leonem, & alias animalium species.

3 *Quare nec in his.* Concludit, harum enunciationum quæ propter homonymiam non sunt vnæ, licèt voce tenus videantur contradicentes, tamen non semper alteram esse veram, alteram falsam. Possunt enim esse vtræque veræ, & vtræque falsæ. Veræ, veluti, *omnis canis* (id est quadrupes) *latrat*, *omnis canis* (id est sydus) *non latrat*. Falsæ, veluti *omnis canis* (id est piscis vel sydus) *latrat*, *non omnis canis* (id est quadrupes) *latrat*.

IN CAP. IX. DE ENVNCIATIONIBVS SINGVLARIBUS IN FUTURUM COLLATIS.

SEquitur alia enunciationis diuisio consideranda. vt enim diximus ex superioris capitis particulà vltimà, omnis enunciatio vel est de præterito tempore, vel de præsenti, vel de futuro. rursus autem enunciatio de futuro, aut est de re necessaria, vt Sol cras orietur: aut de re impossibili, vt Sol cras stabit: aut de re contingenti, vt cras erit bellum nauale. Ex tot membris solum postremum reuocatur in dubium: quoniam in ceteris non est dubium, quin altera pars contradictionis sit vera, altera falsa, adhibitis tamen distinctionibus & exceptionibus suprà expositis. Sed de his enunciationibus contingentibus, veluti cras erit bellum nauale, cras non erit bellum nauale, meritò quæritur, an altera pars contradictionis sit vera, altera falsa. Hic ab Aristotele considerantur quatuor opiniones: sed tribus prioribus reiectis, vltima probabitur. Prima opinio est, vtramque contradictionis partem veram esse, id est, & affirmationem & negationem. Secunda opinio est, definitè alteram partem esse veram, alteram falsam. Tertia, neutram esse veram. Quarta alteram esse veram, alteram falsam, indefinitè. Intelligo definitè alteram partem esse veram, alteram falsam, quando liquidò constat, vtra sit vera, vtra falsa; veluti, omnis

homo est animal, non omnis homo est animal: quia certum est affirmationem esse veram, & negationem esse falsam. Indefinitè intellige; cùm est quidem necesse alteram esse veram, alteram falsam: sed non possumus definire, seu distinctè dicere, vtra sit vera, vel falsa, affirmatióne an negatio: veluti, cras pugnabitur in Gallia, cras non pugnabitur in Gallia. Exposui argumentum & summam huius capitis.nunc ad singulas particulas enarrandas accedamus.

1 *In iis igitur.* Separat enunciationes futuras contingentes à reliquis: quoniam in reliquis sine dubio vera est affirmatio vel negatio,adhibita tamen distinctione vniuersalium, particularium, indefinitarum, & singularium, suprà exposita: in futuris autem contingentibus *non* est hoc *similiter* manifestum, sed in præsentia quærendum. vel *non similiter* res se habet; nec eodem modo altera contradictionis pars est vera, altera falsa: quia non definitè, vt in ceteris, sed indefinitè,vt hoc capite declarabitur. Ergo hæc part. continet transitionem. rhetores enim transitionem appellant, cùm breui epilogo dicta repetimus, & deinceps explicanda proponimus.

2 *Nam si omnis.* Iacit fundamentum futuræ disputationis, docens valere consecutionem à voce ad rem,& vicissim à re ad vocem. nam si affirmatio est vera, res est:veluti si verè dicitur hominem esse animal, reuera homo est animal. contrà quoque si res est, affirmatio est vera. Similiter si vera est negatio, res non est: si res non est,vera est negatio. Obiter autem quasi per contemptum reiicit Philosophus primam opinionem, quòd scilicet vtraque pars contradictionis in futuris contingentibus sit vera. hæc enim opinio est prorsus inepta & indigna quæ pluribus refutetur. Vtitur autem hoc syllogismo omnino hypothetico: Si verè aut falsò dicitur esse aut non esse, necesse est rem esse aut non esse: atqui si vera aut falsa est affirmatio vel negatio, verè vel falsò dicitur esse aut non esse: ergo si vera aut falsa est affirmatio vel negatio, necesse est rem esse vel non esse. Maior propositio patet ex iis quæ exposita sunt Categor cap.10.partic 7. Minor est manifesta ex definitione affirmationis, & negationis. Quod attinet ad seriem contextus, primò Aristoteles ponit conclusionem illam hypotheticam. Secundò ibi, *si quis enim*, ponit minorem propositionem. quo loco dum ait, *ὁ δὲ μὴ φήσει*, obserua Græcanicam phrasim tam Aristoteli, quàm aliis auctoribus familiarem: apud quos, *non dicit*, sæpe idem valet, quod *negat*: seu, *non dicit esse*, idem valet quod, *dicit non esse*. Tertiò cùm ait, *vtraque enim*, confirmat eius minoris antecedens, paucis verbis obiter (vt suprà notaui) reiiciens primam opinionem. Sensus enim est,videri affirmationem & negationem veram vel falsam:quia non possunt simul esse veræ. Adde ex 5.& 6.part.nec simul falsæ Cùm autem ait, *in huiusmodi*, id est in futuris contingentibus, non posse affirmationem & negationem simul veras esse:non vult his verbis indicare id in aliis rebus admitti posse: immo in aliis multò minùs admitti potest. sensus igitur est, non solùm in aliis rebus, sed etiam in ipsis futuris contingentibus hoc obtinere, vt affirmatio & negatio simul veræ esse nequeant. Quartò ibi, *quoniam si verè*, deducit maiorem propositionem illustratam hoc exemplo, *esse album* & *non esse album*: quia ne propositio esset obscurior, loco rei generaliter acceptæ, sumpsit exēpli gratiâ album. Eādē methodo & alibi vtitur, vt lib.3.Topic. Non simpliciter autem ponit dictam maiorem propositionē, quia continet consequentiam à voce ad rem, sed etiam docet hanc consequentiam reciprocari, ita vt æque liceat argumentari à re ad vocem, atque à voce ad rem.

3 *Quare necesse.* Secundam opinionem, quòd in futuris contingentibus definitè altera pars sit vera, altera falsa, disputandi causā confirmat duplici argumento. Dico disputandi causā: quia postea hanc opinionem reiiciet, & has rationes dissoluet. Prius argumentum, quod ponitur in hac part. pendet ex fundamento iacto in part præcedenti. Primò namque Aristoteles conficit enthymema, quo arguit ab enunciationibus ad res ipsas, hoc modo: Necesse est aut affirmationem aut negationem esse veram aut falsam: (sub. definitè, vt scilicèt non possit vtralibet pars esse vera,sed vna tantùm certa & definita) ergo omnia futura sunt necessaria,non fortuita:quia non possunt vtrouis modo accidere, id est, non possunt fieri & non fieri. Antecedens ponit Aristoteles in primis particulæ verbis. Consequens autem ibi, *nihil igitur*. Post hæc, cùm ait, *nam aut verè*, probat antecedens illius enthymematis. probatio sumitur à coniugatis, id est ab affirmante vel negante ad affirmationem vel negationem, hoc modo. Quicumque affirmat aut negat, verum aut falsum dicit: ergo omnis affirmatio vel negatio est vera vel falsa. Huius secundi enthymematis hic habemus antecedens, suprà habuimus consequens, initio particulæ. Deinde cùm ait, *alioquin æquè*, probat consequentiam primi enthymematis, id est supposito

quòd omnis affirmatio vel negatio est vera aut falsa, probat omnia fieri necessariò seu (quod idem valet) nihil fieri vtrolibet modo, id est, nihil fieri contingenter, quod possit fieri & non fieri. Probatio hæc in contextu concisè proponitur, sed referri debet ad syllogismum hypotheticum, arguentem à destructione consequentis ad destructionem antecedentis, hoc modo: Si res fierent vtrolibet modo, possent æquè fieri & non fieri. Hæc propositio ponitur hic in contextu. Deinde subiicitur eius probatio sumpta ex definitione eius, quod vtrolibet modo contingit illis verbis, *quod enim vtroun.* Nostrum est, reliquas syllogismi partes suppl. re: Atqui res non possunt æquè fieri & non fieri: Ergo non contingunt vtrolibet modo, sed eueniunt necessariò.

4 *Præterea si nunc.* Expositum est prius argumentum confirmans secundam opinionem: sequitur alterum, quod sumitur à tempore. Hic est locus xv. lib. 2. Topic. quo tamen apertiùs vsus est Aristoteles Categor. cap. 14. part. 4. & 5. Hic igitur arguit à tempore præsenti ad præteritum, & à præterito ad futurum, deinde à voce ad rem ipsam. atque ita facit aliquot consecutiones, siue enthymemata. Prima consecutio est: Si res nunc est alba, antea verè dici poterat fore albam: id est, vera erat hæc affirmatio, *res erit alba.* Illud autem *antea*, explicat Philosophus ibi, *quare semper*: & ait se intelligere antea quandocumque. pone enim, hodie esse rem albam, tam heri, quàm nudius tertius, vel ante annum, vel decennium, dici poterat, *res erit alba.* Secūda consequentia ibi, *quod si semper*, talis est: Semper verè dici potuit rem esse albam, aut fore albam: (nempe nunc, cùm est alba, verè dicitur esse alba: & antea verè dicebatur fore alba) ergo fieri non potest, quin fit, aut futura fit alba. Consequentia patet à veritate affirmationis ad rei existentiam, ex fundamento iacto in partic. 2. Tertia consequentia ibi, *quod autem non potest*, ita concipitur: Res non potest non fieri alba: ergo impossibile est eam non fieri albam. Quarta consequentia ibi, *& quod impossibile*, sic habet: Impossibile est rem non fieri albam: ergo necesse est rem fieri albam. Antecedens probatum est per tertiam consequentiam. Consequentia ipsa patet: quia impossibile non esse, & necesse esse, æquipollent, vt explicabitur cap. 13. Quinta consequentia ibi, *futura igitur*, sic habet: Omnia futura sunt necessaria: ergo nulla sunt vtrouis modo contingentia, seu fortuita. Antecedens probatum est per quartam consequentiam. quod enim exempli causâ diximus de re alba, idem de omnibus alijs rebus futuris intelligimus. Consequentia patet ex loco xx. secundi Top. id est ex distinctione necessarij & fortuiti.

5 *Neque verò.* Tertiam opinionem, quòd in futuris contingentibus neutra pars sit vera, refellit duplici argumento ducente ad incommodum. Priùs proponitur in hac particula: quia sequeretur hæc absurditas, quòd simul essent affirmatio falsa & negatio non vera, vel negatio falsa & affirmatio non vera. Consequentia manifesta est: quia si neutra pars est vera, & vna pars ponatur falsa, erit vna falsa & altera non vera, id est, vtraque pars erit falsa: quod est absurdum. Hæc igitur est prima absurditas, quæ spectatur in ipsis enunciationibus.

6 *Præterea si verè.* Sequitur alterum argumentum siue altera absurditas consequens tertiam opinionem: quia si nec affirmatio nec negatio est vera, res neque erit neque non erit. Hæc igitur absurditas spectatur in ipsis rebus. Vt autem Aristoteles planiùs doceat consequi hanc absurditatem, pedetentim à similibus ad eam progreditur. Primùm ergo proponit hanc consequentiam similem: Si verè dicitur rem simul esse albam & magnam, certè res simul est alba & magna. Secundò ibi, *fin autem*, ponit alteram similem consequentiam: quia si verè dicitur rem fore cras, omnino res erit cras. Hic igitur locutio est concisa: & post verba, εἰ δὲ, ex proximo repetendum ἀληθὲς ἐστὶ εἰπεῖν, vt in Latina interpretatione suppleui. Tertiò cùm ait, *at si*, ponit principalem consequentiam: cuius gratiâ reliquas duas præmiserat: & ait: Si vera est oratio tertiam opinionem explicans, quòd res neque erit neque non erit, putà quòd bellum nauale cras neque fiet neque non fiet: certè etiam ipsa bellum nauale neque fiet, neque non fiet. Hic quoque oratio Aristotelica est concisa: & post verba εἰ δὲ, repetenda sunt eadem verba, quæ in secunda consequentia explicanda repetiimus, vt hic quoque ex nostra Latina interpretatione apparet. Hæ sunt igitur tres consequentiæ expositæ in hac particula, quæ omnes nituntur fundamento posito in secunda particula.

7 *Accidunt igitur.* Prolixa argumentatione refutat secundam opinionem, quòd definitè altera pars contradictionis sit vera in futuris contingentibus, altera falsa. Vtitur autem syllogismo hypothetico à destructione consequentis ad destructionem antecedentis: hoc modo: Si definitè altera pars est vera, altera falsa; omnia euenient necessariò:

sariò, nulla e unc contingentia; proinde consultationes & actiones humanæ erunt inanes: sed consequens est falsum: ergo & id, ex quo sequitur. Huius syllogismi maior propositio, quæ est hypothetica, ponitur in hac particula.

8 *Nihil enim prohibet.* Probat eam maiorem propositionem, id est consecutionem hypotheseos, in qua consecutione consistit veritas propositionis hypotheticæ. Ex eo autem probat: quia antequàm res eueniat, dici potest ab aliquo eam rem futuram; & ab altero potest contradici, qui dicat rem non futuram. Exempli gratiâ, ante decem millia annorum potest aliquis affirmare bellum nauale fore, & alter negare bellum nauale fore. Vnde si affirmatio aut negatio vera est: res necessariò, non contingenter, erit vel non erit. Consecutio nititur fundamento iacto 2. part. vbi diximus valere argumentum à voce ad rem.

9 *Neque verò interest.* Euertit prauam solutionem, qua vti aliquis posset aduersus dictam probationem maioris propositionis. Dicere enim aliquis posset: Fateor, si quis affirmet & alter neget rem fore, putà bellum nauale, fateor (inquam) necesse esse vt ea res sit futura vel non futura: proinde fateor id esse necessarium, non contingens: sed multa eueniunt, quæ nemo antea affirmauit futura, & nemo negauit futura: ergo hæc poterunt esse contingentia: quia in his cessat argumentum Aristotelis sumptum ab affirmatione & negatione: quandoquidem hic nulla est affirmatio, nulla negatio non erunt igitur omnia necessaria: sed alia necessariò euenient, videlicet de quibus præcessit affirmatio & negatio; alia verò contingenter euenient, de quibus non præcessit affirmatio & negatio. Hanc solutionem tollit Philosophus: quia nihil interest, vtrùm affirmatio & negatio præcedat, an non: quoniam veritas enunciationis non est causa rei, sed è contrario res est causa veritatis enunciationis, vt dictum fuit Categor. cap. 12 part. 7. sufficit ergo potuisse, antequàm res eueniret, affirmari & negari: neque refert, vtrùm affirmatum & negatum fuerit, necne. etenim si positis affirmatione & negatione, res necessariò erit vel non erit: etiam omissis affirmatione & negatione, res necessariò erit vel non erit: alioquin enunciatio esset causa necessitatis in rebus: quod est absurdum.

10 *Ergo si hæc.* Maiori propositioni hypotheticæ iam confirmatæ ac defensæ subiicit minorem categoricam, quæ euertit consequens hypotheticæ: & hanc minorem duplici argumento probat. Ipsa minor propositio continetur primis illis verbis particulæ, *ergo si hæc fuit impossibilia.* Prima probatio ibi, *videmus enim*, sumitur ex nostris consultationibus & actionibus. Videmus enim quædam fieri ex eo, quòd pro libero nostro arbitrio consultamus, & agimus. vtputà Perseus rex Macedonum cepit consilium belli gerendi contra Romanos, cùm nulla necessitas eum cogeret: consilium secuta est actio: & bellum gestum: ex eo consilio & ex illa actione consecuta sunt regis captiuitas, & regni Macedonici interitus. hæc igitur non euenerunt necessariò: quia pendent à principio voluntario, id est à libera Persei voluntate. Hoc argumentum sumitur ex loco 13 secundi Topici, id est a causa efficiente: (quia qualis est causa, talis est effectus: causa non est necessaria: ergo effectus non est necessarius) & continetur illis verbis, *videmus enim*, &c. Alterum argumentum ibi, *& omnino in iis*, sumitur à rebus ipsis euenientibus: quia quædam possunt esse & non esse: ergo non sunt necessaria. Consequentia patet. Antecedens probatur exemplo vestis, quæ potest scindi, & non scindi, sed atteri. Verba contextus perspicua sunt. tantùm sunt notanda postrema illa verba, quibus Aristoteles, quod dixit de veste scindenda vel atterenda, producit ad alias res quæ dicuntur secundum eiusmodi potestatem, id est, quæ similiter sunt contingentes. Triplex enim est potestas. quædam est semper coniuncta cum actu: veluti cùm dicitur Sol posse moueri nam Sol semper mouetur: & ideò dicitur posse moueri, quia actu mouetur. alia est potestas, quæ numquàm reducitur perfectè ad actum: vt numerus potest augeri in infinitum, sed numquàm fit actu numerus infinitus: item omnis magnitudo diuiditur in infinitum, sed numquàm fiunt actu partes infinitæ. alia est potestas media, quæ modo est coniuncta cum actu, modò ab eo separata: veluti possibile est hominem currere. & de hac potestate Aristoteles hic loquitur.

11 *Perspicuum igitur.* Tandem ex consequentis euersione colligit euersionem antecedentis; atque ita ponit conclusionem syllogismi, & perficit argumentationem, inquiens, cum non omnia fiant ex necessitate, non omnem affirmationem vel negationem esse necessariò veram. Explicandæ autem conclusionis causá adducit diuisionem, quòd ea quæ non necessariò accidunt, sunt in duplici differentia quædam enim æquè possunt esse vel non esse: proinde non

magis affirmatio, quam negatio, est vera vel falsa: veluti euntem in forum inuenire ibi amicum & hæc sunt, quæ ab Aristotele vocantur vtrolibet modo contingentia, vulgò à scholasticis contingentia æqualia. alia verò sunt, in quibus probabilior est altera pars, id est, alterum frequentiùs euenit, sed nihilominùs & alterum contingit: veluti fodientem terram inuenire thesaurum, rarius accidit: non inuenire autem thesaurum, est frequentius. ergo si quis affirmet aliquem inuenturum, & alter neget eum inuenturum: negatio quidem est probabilior affirmatione: non tamen necesse est negationem esse veram: nec definitè dicere possumus veram esse negationem, & falsam affirmationem. Hæc est diuisio, quam Aristoteles adiecit tantùm ad ornandam & amplificandam conclusionem, secundùm ea quæ præcipit libro 8. Topic. capite 1. partic. 25.

12 *Ergo quod est.* Deinceps soluit rationes suprà adductas pro secunda opinione modo reiecta ac primùm in hac partic. soluit posteriorem ali[...]nem allatam in 4. partic ibi namque dicebatur, si res nunc est, verè dici e[...] ergo antea verè dictum fuisse quòd er[it]: necessariò igitur rem fore. Respondet Aristoteles per distinctionem necessarij. aliud enim est necessarium simpliciter, veluti Solem moueri: aliud est necessarium ex hypothesi, quod vere dicitur non solùm de rebus contingentibus; veluti, Si quis vult doctus euadere, necesse est vt studeat: sed etiam de rebus falsis & impossibilibus; veluti, si asinus volat, necesse est vt habeat alas. Hac distinctione posita, dicendum est, rationem illa probari necessarium ex hypothesi, non necessarium simpliciter: quia supposito quòd res sit, inde colligebamus potuisse dici rem futuram, & rem necessariò fore. hoc autem modo non est absurdum, si quis dicat omnia esse necessaria. Sed probandum erat omnia esse necessaria simpliciter: quod ea ratione non efficitur.

13 *Eadem est ratio.* Soluit alteram rationem pro secunda opinione adductam in 2. partic. vbi dicebatur, aut affirmantem aut negantem verum vel falsum dicere: proinde aut affirmationem aut negationem esse veram vel falsam, & omnia necessariò fore vel non fore. respondet Philosophus per distinctionem alternati & separati. nam si alternatè illa accipiantur, tota argumentatio est concedenda. si separatim omnia sunt neganda. Alternatè intellige, cùm vtrumque diuisionis membrum simul consideratur, non tamen coniunctim per particulam *&*, sed sub distinctione per particulam *vel*. Separatim autem intellige, cùm vnum membrum per se consideratur. exempli gratiâ, non est necesse cras fore bellum nauale; quia hæc est tantùm affirmatio: nec est necesse cras non fore bellum nauale; quia hæc est sola negatio: sed est necesse cras fore vel non fore bellum nauale; quia sic vtraque pars contradictionis simul sumitur alternatè. Ait igitur Aristoteles, eandem esse rationem contradictionis: id est, sicut proximè diximus de [r]e ipsa, quòd non est necessaria simpliciter, sed cum adiectione hypotheseos, quia supposito quòd sit, necesse est esse: ita dicendum est de ipsis enunciationibus, putà de affirmatione, quod cras erit bellum nauale: quia non est necessaria simpliciter, sed cum adiectione, id est, si vnà iungatur negatio opposita, iungatur (inquam) per particulam disiunctiuam *aut*, similémque. *Necesse est cras fore bellum nauale*, est enunciatio falsa. Sed si addas, *vel non fore*, & dicas, *necesse est cras fore vel non fore bellum nauale*, iam enunciatio est vera. In hoc igitur est similitudo, quod & in præced. part. & in hac partic. non est necessitas absoluta, sed cum adiectione aliqua: verùm est differentia quòd non est vtrobique eadem adiectio. sed suprà adiciebatur conditio, si res sit: hic verò adicitur disiunctio, aut non sit.

14 *Quare cum orationes.* Concludit quartam opinionem esse veram, quòd indefinitè altera vtra pars contradictionis est vera, altera falsa. Dixi *concludit*: quoniam hæc particula præcedenti cohæret, & ex proximè dictis hæc doctrina colligitur, vt indicaret etiam ea particula, *ὥστε*, *quare*, quæ est nota illationis. Primò igitur Aristoteles repetit fundamentum illud 2. part. expositum, quod valet consecutio à rebus ipsis ad enunciationes. Deinde cùm ait, *manifestum [est,]* ex eo fundamento colligit, sicut in futuris contingentibus vtrumlibet euenire potest, ita contradictionis vtramlibet partem veram esse posse. Tertiò cùm ait, *quod [quidem] in iis accidit*, declarat antecedens, id est res ipsas, quæ vtrolibet modo fieri possunt: & ait eiusmodi res esse illas, quæ nec semper sunt, id est, non sunt necessariæ: nec semper non sunt, id est, non sunt impossibiles supple, sed sunt contingentes. Quartò cùm ait, *ex his enim*, declarat consequens, id est enunciationes, quarum altera est vera, altera falsa: ac docet id esse accipiendum alternatè, non seorsim, vt exposui suprà. Quintò cùm ait, *Itaque manifestum*, concludit hunc tractatum, & ostendit regulam præcedenti capite traditam, quòd contra-

contradictionis altera pars est vera, altera falsa, non ita obtinere in enunciationibus de futuris contingentibus, vt in ceteris: quoniam in ceteris certum ac definitum est, vtra pars sit vera, vtra falsa: certum (inquam) ac definitum reipsa, etiamsi homines fortasse id ignorent: in enunciationibus verò de futuris contingentibus est incertum & indefinitum, non solùm quia homines ignorant verum futurum sit, sed etiam quia te ipsa id est incertum, cùm vtrumlibet possit euenire.

IN CAP. X. DE ENVNCIATIONIBVS SECVNDI VEL TERtij adiacentis, finitis aut infinitis.

Seqvitur alia enunciationis diuisio; quòd vel est secundi, vel tertij adiacentis. Secundi adiacentis enunciationes illæ dicuntur, in quibus copula non est seiuncta ab attributo, vt *homo est, homo currit*. Tertij adiacentis illæ dicuntur, in quibus copula est separata ab attributo, vt homo est iustus. nam illud *est*, vocatur copula verbalis (de qua dictum est cap. 3. part. vlt.) connectens attributum cum subiecto, vt iustum cum homine. Dicuntur autem enunciationes tertij adiacentis: quia constant quodammodo tribus partibus, subiecto, attributo, & copula: quamquam copula reuera non est tertia pars enunciationis distincta à subiecto & attributo: cùm quia nullam rem significat; proinde non magis est pars enunciationis, quàm præpositio, aut coniunctio indeclinabilis: tum etiam quia non debet ab attributo seiungi; quandoquidem homo currit, &, homo est currens, idem valent. Rursus autem vtræque, id est, tam enunciationes secundi quàm tertij adiacentis, subdiuiduntur in finitas & infinitas. Sed enunciationes secundi adiacentis hanc subdiuisionem recipiunt tantùm ratione subiecti: vt homo currit, non homo currit. attributum autem non potest esse infinitum: quia cùm dicis, homo non currit, non facis verbum infinitum, sed verbum negatum, vt & suprà notaui ad caput de verbo. Enunciationes autem tertij adiacentis vel habent solum subiectum infinitum, vt non homo est iustus; vel solum attributum, vt homo est non iustus; vel vtrumque, vt non homo est non iustus. De omnibus his enunciationum generibus quærtitur, quomodo se um a [illegible] diuidant.

b *Quoniam autem.* Diuidit enunciationem secundi adiacentis in duo membra: quia vel habent subiectum finitum; vt homo currit; vel subiectum infinitum, vt non homo currit. Hanc diuisionem colligit ex quibusdam hypothesibus. Primò igitur ponit primam hypothesim, quòd omnis affirmatio (subaudi, & negatio) significat aliquid de aliquo. supple, vel aliquid ab aliquo, vt cap. 5. part. 5. aut illud *de aliquo* accipe latiùs, vt sit de aliquo affirmatum vel negatum, vt & infrà cap. 11 partic. 1. alioqui plus esset in conclusione, quàm in præmissis: quia conclusio erit tam de negatione, quàm de affirmatione. Secundò cùm ait, *atque hoc*, ponit alteram hypothesim, quòd *hoc*, id est, subiectum de quo affirmatur vel negatur, aut est nomen, aut est innominatum: id est, aut est verum nomen, aut nomen infinitum, quod dicitur innominatum, quoniam ante Aristotelem non habuit propriam appellationem, qua significaretur, teste ipso Aristotele suprà cap. 2. partic. 4. Tertiò cùm ait, *vnum autem*, ponit tertiam hypothesim, quod affirmatio (sub. & negatio) est vnius de vno. Hæc hypothesis additur duabus de causis. Primò ne quis putet multa esse subiecta, quando est nomen infinitum, eò quòd nomen infinitum dicitur de quolibet ente & non ente, cap. 2. part. 4. Deinde quia colliget enunciationem constare vel ex nomine & verbo, vel ex infinito nomine & verbo. quæ diuisio non esset perfecta, nisi sumeretur vnum de vno: possent enim esse plura nomina, & plura verba. Quartò cùm ait, *quid autem sit nomen*, declarat, quid intelligat per innominatum, nempe nomen infinitum, vt non homo, sicut *dictum est prius* cap. 2. partic. 4. Quintò cùm ait, *nam vnam rem*, docet nomen infinitum significare quodammodò vnam rem: & ait *quodammodo*; quia non omnino significat vnam rem, vt verum nomen; sed positiuè quidem significat infinitas res, priuatiuè autem vnam rem: vt *non homo* significat infinita entia & non entia sub vna quadam ratione, id est, quatenus vniuntur in negatione hominis, hoc est, quatenus omnia illa sunt non homines. Sextò cùm ait, *quemadmodum non valet*, obiter declarat nomen infinitum à simili, id est exemplo verbi infiniti. Ideò autem hoc addit, ne putemus retractari, quod suprà dictum fuit de verbo infinito, cùm mox dicet enunciationem constare ex nomine & verbo, vel ex nomine infinito & verbo, non item ex verbo infinito. Ergo ait Aristoteles verbum *non valet*, per se acceptum, esse verbum [illegible] tum. sub. qu[illegible] in oratione,

homo non valet, non sit verbum infinitum, sed verbum negatum. Septimò cùm ait, *erit igitur*, colligit diuisionem enunciationis: & ait omnem affirmationem & negationem (sub. secundi adiacentis) vel constare ex nomine & verbo, vt homo currit: vel ex infinito nomine & verbo, vt non-homo currit. Intellige in his enunciationibus nomen esse subiectum, verbum, attributum.

2 *At sine verbo.* Occupat tacitam obiectionem: quia videri alicui potuisset, sicut enunciatio dicitur constare ex nomine vel ex nomine infinito; ita etiam dicendum eam constare ex verbo, vel ex verbo infinito: item, vel ex casu verbi, vel ex copula verbali. nam hæc tria distinguebantur in capite de verbo. Respondet Philosophus, in omni enunciatione esse verbum: Ita tamen vt appellatione verbi hic complectamur tam verum & perfectum verbum, quàm casus verbi, & copulam verbalem, non etiam verbum infinitum; quia cùm verbum negatiuè attribuitur in enunciatione, non vocatur infinitum, sed negatum, vt suprà notaui.

3 *Quocirca erit.* Colligit omnes species enunciationum secundi adiacentis oppositarum: eásque ordine disponit, ita vt priori loco ponat enunciationes de subiecto finito, posteriori enunciationes de subiecto infinito: quia nomen finitum sine dubio est prius infinito. Hunc ordinem primò constituit in enunciationibus indefinitis, vbi primo loco ponit enunciationes finitas, *homo est, homo non est*: Secundo loco infinitas, *non homo est, non homo non est.* Postea cùm ait, *rursus est*, eundem ordinem constituit in enunciationibus contradicentibus definitis: & primo loco ponit finitas; vt *omnis homo est, non omnis homo est*: secundo loco infinitas, vt *omnis non homo est, non omnis non homo est.* Deinde cùm ait, *& in extrinsecis*, docet eundem ordinem statuendum esse in enunciationibus de præterito, & de futuro, quem modò exposuimus in enunciationibus de tempore præsenti. vocat enim extrinseca tempora, quæ sunt extra seu circa præsens tempus. Generaliter notandum est, quod & suprà notaui, Aristotelem in plerisque exemplis transponere nomina & verba: cuius transpositionis rationem exposui cap. 7. partic. 10. Hoc si quis non animaduertat, facilè errabit, accipiens subiectum pro attributo.

4 *Cùm autem.* Adhuc egit de enunciationibus secundi adiacentis: sequuntur enunciationes tertij adiacentis, quas significat Aristoteles inquiens, *cùm verbum* seu verbalis copula EST, *tertium insuper attribuitur.* Vocatur tertium: quia est quid separatum à nomine attributo. Dicitur autem insuper attribui: quoniam adiungitur attributo, non subiecto, vt & suprà notaui. vt in hac enunciatione, homo est albus, illud EST, vocatur tertium adiacens, quod adiacet & adhæret potiùs albo quàm homini. In his enunciationibus tertij adiacentis ait dupliciter dici oppositiones, id est, duplicari numerum contradictionum. quod perinde est, ac si diceret duplicari numerum enunciationum. nam quò plures reperiuntur enunciationes, eò plures erunt earum oppositiones, id est, contradictiones. oppositionis enim appellatione hoc loco per excellentiam significat contradictionem. Ideò autem numerus duplo maior fit: quia enunciationes secundi adiacentis diuidebantur ratione subiecti, quod erat vel finitum vel infinitum: hæ verò enunciationes tertij adiacentis ita diuiduntur tam ratione attributi, quàm ratione subiecti.

5 *Verbi gratiâ est iustus homo.* Quod dixit particula præcedenti, deinceps declarat exemplis, sicut suprà declarauerat enunciationes secundi adiacentis. & vt ibi primò considerauerat contradicentes indefinitas, postea definitas: ita hîc vtitur eodem ordine: ac si de indefinitis agit in hac particula, de definitis autem in partic. seq. Singulares prætermittit, quæ non admodum sunt ei curæ: quia singularium non est scientia. Organum enim conscriptum est duntaxat in gratiam scientiarum: ideóque tantùm obiter & breuiter singulares enunciationes suprà consideratæ fuerunt, ne diuisio & enumeratio contradicentium esset imperfecta. In hac igitur part. primo loco declarat, cur hæ enunciationes dicantur esse tertij adiacentis, seu quodnam dicatur in his enunciationibus tertium adiacens: idque declarat in hac enunciatione, *est iustus homo*, id est, homo est iustus. nam illud *est*, vocatur tertium adiacens: siue nomen, siue verbum appelletur: quia reuera nec est nomen, nec est verbum. & Aristoteles nullum nomen ei imposuit: sed interpretes non malè vocant copulam verbalem. Aristoteles igitur, quia non habuit propriam eius appellationem, ideò inquit, Seu velis appellare nomen seu velis appellare verbum, tacitus scilicet, sumendo nominis aut verbi appellationem, tecum non contendam: neque enim disputo de appellatione huius particulæ Est sed tantùm doceo illam esse tertium adiacens. Secundò cùm ait, *idcirco quatuor*, colligit numerum harum enunciationum, & ait has esse quatuor. Intellige has enunciationes indefinitas: quæ habent idem subiectum finitum

nitum, vt hominem: attributum modò finitum, vt iustum: modò infinitum, vt non iustum; hæ (inquam) enunciationes sunt quatuor, quæ paulò post in contextu recensebuntur, nempe *homo est iustus, homo non est iustus, homo est non iustus, homo non est non iustus*. Tertiò cùm ait, *quorum duo*, confert has enunciationes inter se: & inquit duas (id est, quæ habent attributum infinitum, vt non iustus) *ad affirmationem & negationem* (sub. quæ habent attributum finitum, vt iustum) se habere *secundum consecutionis ordinem, vt priuationes*. sicut enim priuatio refertur ad habitum, ita enunciationes habentes attributum infinitum referuntur ad eas quæ habent attributum finitum: quoniam enunciatio habens attributum infinitum, vt *homo est non iustus*, est similis enunciationi habenti attributum priuatiuum, vt *homo est iniustus*: proinde hæ duæ enunciationes habent eundem consecutionis ordinem, quis autem sit hic ordo, exponam in fine huius particulæ. His verò duas enunciationes (id est, quæ habent attributum finitum) inquit Aristoteles minimè se habere ad reliquas duas habentes attributum infinitum, vt priuationes ad habitus: quia potius è contrario se habent vt habitus ad priuationes nam iustus, quod est attributum finitum, significat habitum: non iustus verò, quod est attributum infinitum, est ferè idem quod priuatio iniustus. Quartò cùm ait, [*hic*] *dico*, asserit rationem, cur hæ enunciationes sint quatuor: & ait, [*hoc*] *dico*, nempe esse quatuor enunciationes de eodem subiecto homine: *quia* verbum seu verbalis copula *est, aut iusto adiicietur aut non iusto*, id est, quia attributum vel est finitum, vt iustus: vel infinitum, vt non iustus, in enunciatione affirmatiua. & rectè inquit *est*, vt significet se loqui de affirmatione. Item rectè ait adiici iusto aut non iusto; quia (vt suprà exposui) verbalis copula hæret attributo, non subiecto: hic autem attributum est *iustus*, vel *non iustus*; subiectum autem est *homo*. Ergo habemus duas affirmationes, alteram iusti, alteram non iusti. Similiter autem sunt duæ negationes, altera iusti, altera non iusti, vt Aristoteles docet illis verbis, *quare etiam negatio*, id est, verbum *non est*, aut adiicitur iusto, aut non iusto. Vnde rectè concludit, *quatuor igitur erunt*, id est, erunt quatuor enunciationes de subiecto homine: nempe est iustus, non est iustus: est non iustus, non est non iustus. Quintò cùm ait, *intelligimus autem*, subiicit ipsa exempla harum enunciationum: & primùm proponit enunciationes finitas, deinde habentes attributum infinitum. Hic obseruandum est, quod non semel notaui, subiectum esse transpositum: vt cùm Aristoteles ait, *Est iustus homo*, intelligenda est enunciatio, homo est iustus: & ita de reliquis. Sextò cùm ait, *nam hic*, ostendit hæc esse commoda exempla, quæ modò attulit: quia in his cernitur, quod suprà dictum fuit, *est*, & *non est*, modò adiici iusto, modò non iusto. Septimò cùm ait, *hæc igitur*, loquitur de ordine & dispositione harum enunciationum: & ait hunc ordinem & hanc dispositionem petendam esse ex Analyticis, id est, ex lib. 1. Prior. Analyt. cap. vlt. vbi pluribus verbis harum enunciationum dispositio & affectio declaratur. Nunc pauca sunt dicenda, & primùm constituendus typus ex præscripto Aristotelis, dicto cap vlt. Hunc perfectiorem subieci contextui: nunc delineabo compendiosiùs.

homo est iustus,	α	β	homo nō est iustus.
non homo non est non iustus.	δ	γ	non homo est non iustus.

Quatuor enunciationes in hoc typo propositæ, ita sunt affectæ, vt α & β sint contradicentes. Item δ & γ contradicentes. α autem & δ ita sunt affectæ, vt ex α colligatur δ: homo est iustus, ergo non est non iustus. Item βγ ita sunt affectæ, vt ex γ colligatur β: homo est non iustus, ergo homo non est iustus. Præterea quoniam hæ enunciationes sunt indefinitæ, idcirco omnes possunt esse simul veræ, id est, αβ, & γδ, & αδ, & βγ, & αγ, & βδ. Porrò αγ, vel βδ vocantur angulares, quoniam collocantur in angulis oppositis per diametrum. Notandum igitur est, in hoc typo angulares simul esse veras.

6 *Similis erit.* Transgreditur ab indefinitis ad enunciationes definitas, quarum altera est vniuersalis, altera particularis. Ac primò docet similitudinem harum enunciationum & superiorum quæ erant indefinitæ. nam hic quoque sunt quatuor habentes idem subiectum, putà omnis homo: & attributum modò finitum, modò infinitum. Enunciationes enumerantur in contextu, ac describuntur in sequenti typo.

omnis homo est iustus.	α	β	nō omnis homo est iustus.
non omnis homo est non iustus.	δ	γ	omnis homo est non iustus.

Obseruandum est, posse etiam alias quatuor considerari, quæ fint de nullo homine: vt, nullus homo est iustus, non nullus homo est iustus: item nullus homo est non iustus, non nullus homo est non iustus.

nullus homo est iustus. α	β non nullus homo est iustus.
nō nullus homo est non iustus. δ	γ nullus homo est non iustus.

Secundò cùm ait, *Praterquàm quòd non similiter*, declarat differentiam inter has enunciationes & superiores indefinitas. Differentia est: quòd in superioribus omnes angulares erant simul veræ, id est, tam α γ, quàm β δ: hic verò duæ angulares β δ, possunt esse simul veræ: sed reliquæ duæ, α γ, non possunt esse simul veræ.

omnis homo est iustus. α	β non omnis homo est iustus.
nō omnis homo est non iustus. δ	γ omnis homo est nō iustus.

7 *Hæ igitur binæ inter se opponuntur.* Concludit semper esse duas enunciationes quæ inter se opponuntur, id est, sibi inuicem contradicunt. sæpe enim Aristoteles appellatione oppositionis κατ' ἐξοχὴν intelligit contradictionem. Rectè autem hoc colligit: quia suprà cap. 7. partic. 11. docuit vnam vni opponi contradictoriè: sic igitur in exemplis suprà scriptis semper erant duæ sibi inuicem contradicentes. Primò Homo est iustus, homo non est iustus. Secundò Homo est non iustus, homo non est iustus. Tertiò Omnis homo est iustus, non omnis homo est iustus. Quartò Omnis homo est non iustus, non omnis homo est non iustus.

8 *Alia autem.* Cùm exposuerit enunciationes tertij adiacentis, habentes subiectum finitum, & attributum vel finitum vel infinitum: nunc loquitur de illis, quæ habent subiectum infinitum, & attributum vel finitum vel infinitum. Ait igitur in his quoque illud obtinere, quòd semper opponuntur binæ inter se. ac subiicit exempla enunciationum indefinitarum: quæ eodem modo disponi possunt, quo suprà disposuimus enunciationes de subiecto finito, vt typus ostendit.

non homo est iustus α	β non homo non est iustus.
non homo non est non iustus. δ	γ non homo est non iustus.

Eadem ratio est, & eadem dispositio enunciationum definitarum, quarum Aristoteles breuitatis studio mentionem non facit: nos eas in typo descripsimus.

omnis nō homo est iustus. α	β non omnis non homo est iustus.
nō omnis nō homo est non iustus. δ	γ omnis non homo est non iustus.

9 *Hæ autem non sunt plures oppositiones.* Postquàm exposuit genera enunciationum tam secundi quàm tertij adiacentis, & earum enunciationum oppositiones, nunc ait non esse plures oppositiones, id est contradictiones, quàm hactenus expositæ fuerint. Breuiter igitur colligamus genera enunciationum hactenus exposita: quæ ita collocantur, vt semper binæ sibi inuicem contradicant. Primum genus est enunciationum secundi adiacentis finitarum, vt homo est, homo non est. Secundum genus est enunciationum secundi adiacentis ex subiecto infinito, vt non homo est, non homo non est. Tertium genus est enunciationum tertij adiacentis finitarum, homo est iustus, homo non est iustus. Quartum genus est enunciationum tertij adiacentis ex subiecto finito & attributo infinito, vt homo est non iustus, homo non est non iustus. Quintum genus est enunciationum tertij adiacentis ex subiecto infinito & attributo finito, vt non homo est iustus, non homo non est iustus. Sextum & vltimum genus est enunciationum tertij adiacentis, quæ & subiecto & attributo infinito constant, vt non homo est non iustus, non homo non est non iustus. Hæc omnia genera postea subdiuiduntur in enunciationes vniuersales, particulares, indefinitas, & singulares. Item in affirmationes, & negationes. Sed de his diuisionibus suprà dictum fuit.

10 *Sed hæ seorsum.* In sequenti huius capitis parte Aristoteles respondet ad aliquot quæstiones, quæ ex suprà hoc eodem capite declaratis oriuntur. Prima quæstio est, an enunciationes de subiecto infinito possint conferri cum enunciationibus de subiecto finito, quemadmodum suprà contulimus enunciationes attributi infiniti cum enunciationibus attributi finiti. Respondet Aristoteles, has enunciationes, quæ subiectum infinitum habent, inter se conferendas esse, non cum illis quæ constant ex subiecto finito. maius igitur est discrimen enunciationum, quod sumitur à subiecto, quàm quod sumitur ab attributo. Ait igitur has, id est, enunciationes de non homine, spectari per se, ac esse separatas ab illis, id est, ab enunciationibus de homine: quoniam hæ vtuntur nomine, id est, subiecto *non homo*, quod est infinitum; illæ autem subiecto *homo*.

homo, quod est finitum.

11 *In quibus autem.* Secunda quæstio est, cùm omnia exempla enunciationum, quæ suprà fuerunt proposita, habeant verbum *est*, quod substantiuum grammatici appellant, vt in 3. partic. *homo est*, *homo non est*, &c. quid dicendum sit de verbis adiectiuis, vt currit, valet: & quò referri debeant hæ enunciationes, homo currit, homo non currit; homo valet, homo non valet: quandoquidem fuit dictum nulla esse enunciationum genera præter suprà exposita. Respondet Aristoteles, has quoque esse enunciationes secundi adiacentis; quæ fiunt infinitæ solùm ratione subiecti, apposito negandi aduerbio ipsi subiecto. Primò igitur docet, in his enunciationibus idem efficere verbum adiectiuum, quod in superioribus verbum substantiuum: est enim idem genus enunciationis, *homo valet* quod *homo est*. Secundò cùm ait, *velut valet* affert exempla harum enunciationum secundi adiacentis ex verbo adiectiuo. Proponit autem exempla enunciationum definitarum. & primo loco proponit enunciationes finitas, *omnis homo valet*, *non omnis homo valet*. Deinde enunciationes ex subiecto infinito, *omnis non homo valet*, *non omnis non homo valet*.

12 *Non est enim.* Sequitur tertia quæstio, quomodo hæ enunciationes secundi adiacentis fiant infinitæ. Inquit Philosophus has enunciationes infinitas fieri infinitas apposito negandi aduerbio ad subiectum *homo*, non ad notam illam *omnis*. idque ita probat. Vocabulum, quod rem significat, est *homo*, non, *omnis*: atqui negandi aduerbium, vt enunciatio infinita fiat, est adiungendum vocabulo quod rem significat: ergo est adiungendum vocabulo *homo*, non particulæ *omnis*. Huius syllogismi primò ponit conclusionem. Secundò ibi, *etenim omnis*, ponit maiorem propositionem. Tertiò ibi, [*quod hinc perspicuum*, probat eam maiorem propositionem, id est, probat particulas *omnis*, & *nullus*, non significare aliquam rem, sed tantùm adsignificare, id est, ostendere quod vocabulum, cui apponuntur, accipitur vniuersaliter. Probat autem hoc per comparationem enunciationum indefinitarum cum definitis, quæ sunt de eadem re subiecta, & habent idem attributum: vt homo valet, & omnis homo valet. hæ namque enunciationes eo tantùm differunt, quod vna accipit hominem vniuersaliter, altera non vniuersaliter sed indefinitè. Ait igitur, *hinc* (id est, ex iis quæ mox subiiciuntur) perspicuum fieri particulam *omnis* non significare aliquam rem: quoniam hæ enunciationes indefinitæ, *valet homo*, &c. ab illis definitis; *valet omnis homo*, &c. differunt eo tantùm, quod hæ indefinitæ non sunt vniuersaliter acceptæ, id est, non accipiunt subiectum vniuersaliter, sed indefinitè; illæ verò accipiunt vniuersaliter. Vnde concludit, has particulas, *omnis* & *nullus*, non habere aliam vim, quàm vt adsignificent enunciationem esse de nomine, (id est, de subiecto cui adiunguntur) *vniuersaliter* accepto, quod aliàs, demptis his particulis *omnis* & *nullus*, esset indefinitum. *Cetera igitur* (inquit Philosophus) *eadem apponere oportet*, id est, cùm hac tantùm ratione, quæ modò exposita fuit, differant enunciationes definitæ ab indefinitis. in ceteris eadem est ratio. quare sicut enunciatio indefinita, *homo valet*, fit infinita per appositionem negatiuæ particulæ ad subiectum *homo*, cùm dicimus, *non homo valet*: ita etiam enunciatio vniuersalis, *omnis homo valet*, debet fieri infinita hoc modo, *omnis non homo valet*. alioquin si diceres, *non omnis homo valet*: alio modo hanc faceres infinitam, quàm præcedentem: quia in præcedenti iungebas negationem nomini *homo*; hic verò iungeres particulæ *omnis*: quod est absurdum.

13 *Quia verò.* Sequitur quarta quæstio, cur enunciationum expositarum in 6. part. duæ angulares α γ non possint esse simul veræ: reliquæ verò duæ, β δ, possint esse simul veræ. Rationem diuersitatis Aristoteles colligit ex iis quæ docuit suprà cap. 7. de enunciationibus contrariis, & de subcontrariis. nam enunciationes α γ habent vim contrariarum: proinde non possunt esse simul veræ, quia hæc est contrariarum proprietas. Sed enunciationes β δ habent vim subcontrariarum: ideòque possunt esse simul veræ: quoniam hæc est proprietas subcontrariarum. Quòd α & γ vim habeant contrariarum, Aristoteles ex eo probat, quod affirmatio γ, id est, omnis homo est non iustus, æquipollet negationi finitæ, *nullus homo est iustus*: atqui hæc negatio, *nullus homo est iustus*, est contraria affirmationi α, *omnis homo est iustus*: ergo etiam affirmatio γ est contraria affirmationi α. Similiter quòd enunciationes β δ vim habeant subcontrariarum, Aristoteles ex eo probat, quòd negatio δ, id est, *non omnis homo est non iustus*, æquipollet huic affirmationi, *aliquis homo est iustus*: atqui hæc affirmatio, *aliquis homo est iustus*, est subcontraria negationi β, *non omnis homo est iustus*: cùm igitur duarum æquipollentium altera sit subcontraria, necesse est etiam alteram subcontrariam esse, aut saltem habere vim subcontrariæ. quapropter

δ & β, quasi subcontrariæ, erunt simul veræ. Typus ita describitur:

omnis homo est iustus.	α	β	non omnis homo est iustus.
non omnis homo est non iustus.	δ	γ	omnis homo est nõ iustus.
aliquis homo est iustus.	ε	ζ	nullus homo est iustus.

Enunciationes γ ζ æquipollent: atqui ζ non potest esse vera vnà cum α, quia est ei contraria: ergo nec γ poterit esse vera vnà cum eodem α. Rursus enunciationes δ ε æquipollent. sed ε β possunt esse simul veræ, quia sunt subcontrariæ: ergo etiam δ β possunt esse simul veræ. Quod attinet ad seriem contextus, Primò Aristoteles ponit fundamentum illud repetitum ex cap. 7. partic. 7. duas enunciationes α & γ, esse contrarias, proinde non posse esse simul veras. Ait, *omne est animal iustum*, id est, omne animal est iustum. Obserua, Aristotelem mutare exemplum: quia suprà in 6. partic. pro subiecto acceperat hominem, veluti *omnis homo est iustus*, &c & paulò pòst in hac eadem part. similiter pro subiecto accipiet hominem: hic tamen pro subiecto sumit animal, & ait, *omne animal est iustum*, &c. vt scilicèt ostendat hanc doctrinam esse generalem, non vnius exempli propriam. Secundò cùm ait, *his verò opposita*, ponit alterum principium ex dicto cap. 7. partic. 7. enunciationes β ε esse subcontrarias, ideóque posse esse simul veras. Ait, *his opposita*, id est, enunciationes subcontrariæ β ε, quæ sunt *opposita* (id est, contradicunt) *his*, hoc est, enunciationibus vniuersalibus, α ζ, quarum mentio facta est in proximis verbis. etenim β contradicit ipsi α: & ε contradicit ipsi ζ. Ait *aliquando*: quoniam hoc non est perpetuum, vt hæ sint simul veræ: sed distinguenda est triplex materia, necessaria, impossibilis, & contingens. In materia necessaria semper affirmatio est vera, negatio falsa: veluti, homo est animal, homo non est animal. Contrà in materia impossibili semper affirmatio est falsa, negatiò vera: veluti, quidam homo est lapis, quidam homo non est lapis. Sed in materia contingenti vtraque est vera: veluti, quidam homo est iustus, quidam homo non est iustus. Tertiò cùm ait *sequuntur autem*, declarat æquipollentiam enunciationis γ *omnis homo est non iustus*, & enunciationis ζ, *nullus homo est iustus*. Quartò cùm ait, *hanc verò*, declarat æquipollentiam enunciationis δ *non omnis homo est non iustus*, & enunciationis ε, *aliquis homo est iustus*. Ait, *opposita*. Intellige enunciationem ε, oppositam, id est contradicentem ei (nempe τῇ ζ) quæ æquipollet enunciationi γ.

14 *Persp cuum autem*. Sequitur quinta quæstio, quæ magnum vsum in disputationibus habere potest, an ex negatione finita possit colligi affirmatio infinita. Aristoteles id concedit in enunciationibus singularibus, negat in enunciationibus definitis. Exemplum singularium. Socrates non est sapiens: ergo Socrates est non sapiens. Exemplum definitarum: Non omnis homo est iustus: ergo omnis homo est non iustus. Sed quò magis vsus huius quæstionis appareat in disputationibus, quæ olim fiebant per interrogationes, vt constat ex multis locis Aristotelis, & ex dialogis Platonis: proponit Philosophus interrogationes: ac docet, quando interrogans possit, vel non possit ex negatione respondentis elicere affirmationem attributi infiniti. nam in singularibus, si quæras, Socrates éstne sapiens? & respondens neget: rectè inferes, Ergo Socrates est non sapiens. Quod si quæras, éstne omnis homo iustus, & respondens neget: non inferres, Ergo omnis homo est non iustus: sed debes inferre particularem negantem finitam, Ergo non omnis homo est iustus. Primò (vt seriem contextus exponam) loquitur Aristoteles de enunciationibus singularibus: & ostendit, non concessa affirmatione singulari, vt Socrates est iustus, æquè effici negationem finitam Socrates non est iustus, & affirmationem infinitam, Socrates est non iustus. Secundò cum ait, *in vniuersalibus autem*, docet, non concessa affirmatione vniuersali, vt omnis homo est iustus, (quæ in typo suprà ad partic. 6. delineata erat α) rectè inferri negationem infinitam β, non omnis homo est iustus; non posse autem colligi affirmationem infinitam γ, omnis homo est non iustus. Ait, *hæc autem*, id est finita negatio β, *non omnis homo est iustus*, [*est*] *opposita*, id est, contradicit illi affirmationi finitæ α, *omnis homo est iustus*. *illa verò*, id est, affirmatio infinita γ, *omnis homo est non iustus*, est contraria eidem affirmationi α, id est, æquipollet contrariæ, nempe enunciationi nullus homò est iustus, quam suprà vocaui ζ.

15 *Quæ verò*. Succedit sexta quæstio, an subiectum infinitum, vt non homo; vel attributum infinitum, vt non iustus, dici possit negatio. quod vidètur dicendum. proptereà quòd hæc est negatio, nullus homo est iustus; atque diximus æquipollere hanc,

omnis

omnis homo est non iustus: ergo & hæc videtur negatio. Sed Aristoteles distinguit infinitum subiectum vel attributum à negatione, sumpto argumento à definitione enunciationis, quæ est genus negationis. Syllogismus ita extruitur: Omnis negatio significat verum vel falsum: nullum autem nomen infinitum significat verum vel falsum: ergo nullum nomen infinitum est negatio. Quod attinet ad maiorem propositionem, Aristoteles non tantùm ait nomen infinitum non significare verum aut falsum: sed inquit tantum abesse vt hoc concedi possit, vt immo nomen infinitum, veluti non homo, minùs significet verum aut falsum, quàm nomen simplex, vt homo. Quid ita? quia qui verum aut falsum dicit, ponit aliquid esse aut non esse: nomen autem infinitum minùs ponit, quàm nomen, vt expositum fuit in cap. de nomine: proinde simplex nomen propiùs accedit ad significandum verum aut falsum, quàm nomen infinitum. In contextu habemus primò falsam sententiam mox euertendam. Secundò conclusionem, per quam ea sententia euertitur, ibi, *non sunt tamen*. Tertiò maiorem propositionem, ibi, *qui. & semper*, Quartò minorem ibi, *at qui d x t*.

16 *Hæ verò*. Sequitur quinta quæstio, an enunciationes finitæ & infinitæ possint inter se comparari. Respondet Aristoteles per distinctionem: & primò ostendit enunciationem habentem subiectum infinitum, non posse comparari cum ea quæ habet subiectum finitum. Hoc autem docet exemplo duarum enunciationum de subiecto infinito contradicentium, quarum neutra conferri potest cum habentibus subiectum finitum. Inquit igitur, neque hanc affirmationem, *Omnis non homo est iustus*, neque negationem ei oppositam, id est, contradicentem, *non omnis non homo est iustus*, posse comparari cum aliqua ex superioribus illis enunciationibus, quæ habebant subiectum finitum *homo*. Intellige non posse comparari enunciationes illas, quæ nec æquipollent, nec vna ex altera colligitur, nec inter se opponuntur. Æquipollere dicuntur, quæ se inuicem arguunt, vt omnis homo est non iustus, & nullus homo est iustus, sicut dictum fuit in part. 13. Intellige vnam ex altera colligi, quando non est mutua consequentia: vt in iis, quæ vocantur subalternæ. nam ex vniuersalibus colliguntur particulares, non contrà. veluti si omnis homo est animal, etiam aliquis homo est animal. Sed si quidam homo est iustus, non propterea omnis homo est iustus. Opponi verò dicuntur, quæ aut sunt contradicentes, aut contrariæ, aut subcontrariæ. Secundo loco Aristoteles cùm ait, *Hoc autem*, ostendit eas posse comparari inter se, quarum altera habet attributum finitum, altera infinitum; dummodò vtriusque subiectum sit idem, id est, vel vtrumque infinitum (vt in exemplis hic in contextu propositis, *omnis non homo est non iustus*, & *nullus non homo est iustus*: quæ enunciationes æquipollent) vel vtrumque finitum, vt in exemplis positis suprà part. 13. *Omnis homo est non iustus*, & *nullus homo est iustus*: nam & hæ æquipollent.

17 *Transposita*. Vltima quæstio est, an transpositio nominis aut verbi mutet sententiam enunciationis. Ipse enim Aristoteles passim hoc capite ea transposuit. Nunc igitur docet, transpositis nominibus & verbis eandem sententiam manere. Vnde notandum est discrimen nominum verborumque, & eorum quæ vocantur syncategoremata. verbi gratià multùm interest, quo loco ponatur negandi aduerbium, vt in part. 12. huius cap. tractatum fuit. Sit enim affirmatio, omnis homo est iustus. si notæ *omnis*, præponatur negandi aduerbium: fiet negatio finita particularis, non omnis homo est iustus, contradicens affirmationi. si verò adiungatur homini, fiet affirmatio vniuersalis de subiecto infinito, omnis non homo est iustus, quæ cum priori affirmatione comparari non potest. quòd si iungatur cum attributo *iustus*, efficietur vniuersalis enunciatio attributi infiniti, omnis homo est non iustus, quæ æquipollet vniuersali neganti, nullus homo est iustus, contrariæ priori affirmationi. Item nota vniuersalis *omnis*, vel *nullus*, rectè apponitur subiecto: sed si attributo iungatur, enunciationem falsam reddit, vt dictum fuit cap 7. part. 4. Nunc videamus, quomodo Aristoteles probat transposita nomina & verba idem valere. Vtitur argumento ducente ad incommodum, id est, syllogismo hypothetico à destructione consequentis ad destructionem antecedentis: Nisi nomina & verba transposita idem significent, plures erunt negationes vnius affirmationis: atqui vna est negatio vnius affirmationis: ergo transposita nomina & verba idē significant. Minor propositio patet ex part. 11. cap. 7. Maior hypothetica ab Arist. hic probatur, id est, probatur ea consequentia, quòd plures erunt negationes vnius affirmationis, nisi nomina & verba transposita idem valeant. Probatio autem sumitur à quibusdā exemplis. quod enim de his dicitur, omnibus aliis enunciationibus aptari potest. Sumit igitur Aristoteles tres enunciationes, id est, duas affirmationes, & vnam negationem: vult au-

tem ostendere illas duas affirmationes, quæ nominum tantùm transpositione differunt non esse duas diuersas, sed idem significare. Primò ergo sumit enunciationem, est albus homo: deinde opponit ei negationem, non est albus homo. certum enim est, has enunciationes esse indefinitas contradicentes: quoniam in vtraque eadem est dictionum series. Posteà sumit hanc affirmationem, est homo albus: quæ à priori affirmatione differt transpositione terminorum, cùm in illa album præponatur homini, in hac homo præponatur albo. Posthæc quærit, quænam sit negatio posterioris affirmationis. nam prioris negationem iam dederat. Ait igitur huius posterioris affirmationis, est homo albus, negationem esse vel hanc, non est non homo albus, vel hanc, non est homo albus. Hæc enumeratio, nisi rectè intelligitur, est admodum imperfecta & diminuta: quia possunt plures aliæ negationes considerari, veluti non est homo non albus, homo non est albus, & plures aliæ. Quare intelligere oportet, Aristotelem sumere negationem illam, non est non homo albus, exempli gratiâ, vt idem intelligamus de quacunque negatione extranea. quod enim de hac Philosophus dicet, vt ostendat non esse negationem affirmationis propositæ, id de quauis alia negatione extranea, id est, quæ non habet eosdem terminos eodem modo dispositos, dici potest. Sumat enim aduersarius, quam velit. exempli gratiâ dicamus eum sumere hanc, non est non homo albus. His positis, Aristoteles vlteriùs progreditur: & inquit, vtramuis harum negationum sumamus, euenire absurdum illud, quòd multæ negationes vni affirmationi opponuntur. hoc singillatim ostendit. & primò si sumamus negationem illam, non est non homo albus, dicamusque hinc opponi illi affirmationi, est homo albus nam hæc eadem negatio, non est non homo albus, opponitur alteri affirmationi, nempe est non homo albus, quandoquidem ambæ habent eosdem terminos eodem modo collocatos. patet igitur eandem negationem, non est non homo albus, opponi duabus affirmationibus, nempe est homo albus, & est non homo albus. Quòd si sumamus alteram negationem, nempe non est homo albus, & illam opponamus affirmationi, est homo albus: adhuc sequetur eadem absurditas: quia hæc negatio, est non homo albus, opponitur etiam alteri affirmationi, est albus homo. vna igitur & eadem negatio non est homo albus, opponetur duabus affirmationibus, est homo albus, & est albus homo. nam hæ enunciationes ab aduersario dicuntur esse diuersæ propter nominum transpositionem. Aduersus hanc Aristotelis ratiocinationem duæ dubitationes occurrunt. Prior est, quomodo sumat pro confesso, hanc enunciationem, non est homo albus, esse negationem illius, est albus homo. nam qui dicit transposita nomina & verba non idem significare; is sine dubio dicet hanc non esse illius negationem; sed illi affirmationi, est albus homo, opponet negationem, non est albus homo; affirmationi autem, est homo albus, opponet negationem, non est homo albus. Et sicut dicebat differre duas illas affirmationes, est albus homo, & est homo albus: ita etiam dicet differre has negationes, non est albus homo, & non est homo albus. Cur igitur Aristoteles sumit hanc, non est homo albus, esse negationem illius, est albus homo? Hoc ideò sumit: quia reipsa non est minor oppositio, quàm inter has duas est albus homo, & non est albus homo: vt cognoscitur ex regulis veritatis & falsitatis. quæcumque enim dicentur de his duabus enunciationibus, est albus homo, non est albus homo, eadem dici possunt de his, est albus homo, & non est homo albus. Idem intellige de omnibus aliis similibus, in quibus talis transpositio reperitur nam si illæ sunt simul veræ, hæ quoque reperientur simul veræ. si illæ falsæ, hæ falsæ. si in illis vera affirmatio, falsa negatio; vel contrà falsa affirmatio, vera negatio: in his quoque res eodem modo habebit. cùm igitur illæ sint oppositæ, has quoque oppositas esse necesse est. quæ enim oppositis æquipollent, ipsæ quoque sunt oppositæ. Posterior dubitatio est: quoniam Aristoteles volebat ducere ad hanc absurditatem, quòd plures negationes opponantur vni affirmationi: posteà tamen ducit ad alteram absurditatem, quòd vna negatio opponatur duabus affirmationibus: atque ita non probat propositionem hypotheticam sui syllogismi, quam probare debebat. Ad hanc obiectionem respondeo, Aristotelem suo more concisè loqui; quoniam duæ illæ absurditates sunt inter se connexæ, & (vt cum Scholasticis loquar) pari passu ambulant, simulque reprobatæ fuerunt cap. 7. partic. 11. dum igitur dixit sequi absurdum illud, quòd erunt plures negationes vnius affirmationis, supplendum, & plures affirmationes vnius negationis. Quocirca generaliter concludit vnam esse vnius, id est, vnam esse affirmationem vnius negatio-

negationis, & vnam negationem vnius affirmationis. Hæc adhibito typo faciliùs explicantur & intelliguntur. Sint affirmationes, α β γ: & negationes, δ ε ζ: & contradicat τὸ δ τῷ α, ac τὸ ζ τῷ γ.

est albus homo.	α	<	δ	non est albus homo.
est homo albus.	β		ε	non est homo albus.
est non homo albus.	γ	——	ζ	non est non homo albus.

Dico α & β idem significare: quia nisi idem significent, sequetur hæc absurditas, quòd duæ enunciationes vni opponantur. Quam enim opponet aduersarius τῷ β? Non τὴν δ, quia hæc opponitur τῷ α: ergo vel τὴν ε, vel quamcumque aliam, putà τὴν ζ: atqui illa opponitur τῷ α, hæc τῷ γ: ergo semper duæ opponuntur, id est contradicunt, vni. Quo ad verba contextus attinet, primò Aristoteles proponit problema demonstrandum, quòd nomina & verba transposita idem significant. Secundò cùm ait, *velut est albus*, declarat illud problema exemplo. Tertiò cùm ait, *nisi enim*, incipit extruere syllogismum, & ponit maiorem propositionem hypotheticam, quòd nisi hoc ita sit, (id est, nisi transposita nomina & verba idem valent) eiusdem erunt plures negationes, id est, vni affirmationi contradicent multæ negationes, & vni negationi multæ affirmationes. Quartò cùm ait, *sed ostensum*, subiicit minorem categoricam, qua euertit consequens hypotheticæ: simulque hanc minorem probat, inquiens ostensum esse cap. 7. part. 11. *vnam* negationem esse *vnius* affirmationis. Quintò cùm ait, *huius enim*, probare incipit maiorem hypotheticam, id est, consecutionem, in qua consistit veritas propositionis hypotheticæ, & sumit hoc principium, quòd affirmationi, est albus homo, contradicit negatio, non est albus homo. Sextò cùm ait, *huius verò*, sumit alterum principium, quòd hoic affirmationi est homo albus, quam aduersarius inquit differre à præcedente, contradicit alterutra harum negationum, id est, vel non est non homo albus, vel non est homo albus. Septimò cùm ait, *sed altera*, sumit tertium principium, quòd altera ex duabus negationibus modò dictis (id est, non est non homo albus) contradicit alteri affirmationi, est non homo albus. Octauò cùm ait, *altera huius*, sumit quartum principium, quòd altera ex duabus negationibus nouissimè dictis, nempe non est homo albus, contradicit alteri affirmationi, nempe est albus homo. Nonò cùm ait, *quare duæ*, concludit ex dictis principiis sequi absurditatem, quòd *duæ erunt vnius*, id est, duæ enunciationes vni enunciationi contradicent: opponentur enim duæ affirmationes vni negationi: vt hæ affirmationes, est albus homo, & est homo albus, opponentur ei negationi, non est homo albus: vel hæ affirmationes, est homo albus, est non homo albus, opponentur illi negationi, non est non homo albus: aut duæ negationes, vt non est albus homo, & non est homo albus, opponentur vni affirmationi, est albus homo.

IN CAP. XI. DE ENVNCIATIONVM CONIVNCTIONE, ac diuisione.

HActenus contulit Aristoteles enunciationes oppositas, vt doceret, quomodo verum à falso diuidant: nunc agit de enunciationibus coniungendis, vel diuidendis; vt sciamus, cùm ex pluribus enunciationibus vna vel ex vna plures fiunt, an seruetur enunciandi veritas necne. veluti si sint hæ duæ enunciationes veræ, homo est animal, homo est albus, an liceat attributa illa coniungere, & an verè dicatur hominem esse animal album. item si hæc sit enunciatio vera, Socrates est bonus philosophus, an etiam seorsim vere dicatur, Socrates est bonus, vel, Socrates est philosophus.

1 *Vnum autem.* Docet, quando ex multis attributis coniunctis fiat enunciatio verè vna, id est, vna & simplex; vel quando non fiat vna & simplex, sed multiplex. Hæc autem est præmunitio ad duas futuras quæstiones, an attributa coniuncta possint diuidi, vel diuisa coniungi. Primò igitur docet, quando non fiat vna enunciatiò: sed hoc ita docet, vt simul declaret, quando fiat vna. ait enim non esse vnam, quando multa sunt attributa, vel multa subiecta, nisi ea faciant vnum quid. ergo inde intelligimus esse vnam, si multa illa attributa, vel multa subiecta faciunt vnum. Secundò cùm ait, *Vnum dico*, declarat quomodo intelligat enunciationem vnam, seu quomodo intelligat vnum subiectum, & vnum attributum: & inquit se non intelligere vnum voce, sed vnum re ipsa. quòd perinde est, ac si diceret se non intelligere vnum homonymum, sed synonymum. Tertiò cùm ait, *vt homo*, dat

exemplum trium attributorum, ex quibus fit vnum: proinde hæc enunciatio est verè vna, homo est animal bipes cicur. hi namque tres termini, animal, bipes, cicur, sumuntur exempli gratiâ quasi hominis definitio: quia cùm exempla non probandi, sed declarandi tantùm causâ afferuntur; æquè valent ficta exempla, atque vera. Quamuis igitur in definitione multi sint termini: tamen illi omnes constituunt vnam essentiam rei definitæ. vnde definitio vocatur oratio vna, suprà cap. 5. part. 3. Cuius ratio traditur in Metaphys. quoniam definitionis aliæ partes habent rationem materiæ seu potentiæ, vt genus, aliæ verò rationem formæ & actus, vt differentia: ex materia autem & forma siue ex potentia & actu omnino vnum & idem est. Quartò cùm ait, *ex albo autem*, proponit exemplum attributorum non constituentium vnam naturam; quoniam vnum est in categoria substantiæ, alterum in categoria qualitatis, tertium in categoria actionis. vnde hæc enunciatio non est vna, Socrates est homo albus ambulans. Quintò cùm ait, *quare nec si*, concludit, ex his terminis non constituentibus vnam rem, siue accipiantur pro subiectis siue pro attributis, non posse fieri enunciationem vnam re, sed tantùm vnam voce.

2 *Ergo si interrogatio.* Ex dictis colligit, sicut non est vna propositio, quæ constat ex multis terminis non vnum efficientibus, ita non esse vnam interrogationem, nec vnam responsionem. exempli gratiâ, Socrates est homo albus ambulans, est enunciatio multiplex. éstne Socrates homo albus ambulans, an non? est interrogatio multiplex. Quocirca siue respondeatur *est*, siue respondeatur, *non est*: semper est responsio multiplex. Nec moueri debemus eo, quòd respondetur vno verbo, *est*, vel *non est*: quoniam semper habenda est ratio eorum, quæ subaudiuntur: cùm logica non tam externum, quàm internum sermonem respiciat. 1. Poster. cap. 10. partic. 7. Ait igitur Aristoteles, interrogationem dialecticam esse petitionem responsionis, id est, opponentem interrogare eum qui tuetur thesim, vt ad eam interrogationem respondeat *ita*, vel *non*. & explicans Philosophus quænam sit ea responsionis petitio, subiicit, *vel propositionis, vel alterius partis contradictionis.* Dicitur petitio propositionis, quando interrogatione exprimitur sola affirmatio: veluti, éstne Socrates albus? aut sola negatio, veluti, non est igitur Socrates albus? Dicitur autem petitio alterius (id est, alterutrius) partis contradictionis, cùm & affirmatio & negatio expressè interrogantur: veluti, éstne Socrates albus, an non? vtrùm mundus est æternus, an non æternus? Deinde addit propositionem esse partem vnius contradictionis. quibus verbis significat nihil referre, vtrùm quis vtramque partem contradictionis interroget, an propositionem vnam: quia omnis propositio est pars contradictionis. dum igitur interrogas propositionem, veluti, éstne Socrates albus? interrogas partem contradictionis: siquidem contradictio est, Socrates est albus, Socrates non est albus. contradictio namque hîc sumitur pro propositionibus contradicentibus vt suprà cap. 6. part. 4. & quoniam optionem tribuis aduersario respondendi quomodo velit, & vel concedendi quod interrogas, vel negandi: idcirco, etsi partem vnam contradictionis exprimis, tamen & alteram subintelligis, adeò vt idem sit quærere an Socrates sit albus, & quærere vtrùm sit albus nec ne. quapropter si illa est vna interrogatio dialectica, Estne Socrates albus? hæc etiam, quæ illi æquiualet, erit vna, vtrùm Socrates est albus an non? & ad hanc, qui thesim defendit, respondere simpliciter cogetur; nec poterit se excusare, quasi sit interrogatio multiplex, eo quòd vtramque contradictionis partem interrogat. His expositis, Aristoteles ex eo, quòd interrogatio dialectica debet esse vna, quia vel interrogat vnam propositionem, vel partem vnius contradictionis, colligit hanc non esse interrogationem vnam, quæ sit de homine albo ambulare: quia siue interroges, Estne Socrates homo albus ambulans? interrogas tres propositiones, quippe cùm tria sint diuersa attributa: siue interroges, éstne Socrates homo albus, ambulans, an non? interrogas partem trium contradictionum: quarum prima est, Socrates est homo, Socrates non est homo: secunda, Socrates est albus, Socrates non est albus: tertia, Socrates ambulat, Socrates non ambulat. ex eo autem quòd est multiplex interrogatio, colligit Aristoteles esse multiplicem responsionem, etiamsi vno quis verbo respondeat, *Est*, vel *non est*. Sed probæ ac horum expositio pertinet ad Topica. ideò Philosophus ait de his dictum fuisse in Topicis, id est, lib. 8. cap. 7. Adde & cap. 6. Elench. part. 10. vnde exquisitior & diligentior enarratio peti debet: hîc obiter pauca sunt delibata vt intelligamus, non solùm quæ sit vna enũciatio, sed etiam quæ sit vna interrogatio, vel respõsio: cùm horũ omniũ eadem sit ratio.

3 *Simul etiam constat.* Ex eo quod dictum fuit in præcedenti part. interrogationem dialecticam esse vnam, posset aliquis

credere hanc esse maximè dialecticam, qua quæritur quid res sit; quoniam est maximè vna; cùm quærat attributa, ex quibus fit vnum Huic sententiæ Aristoteles contradicit: & ex dictis colligit, hanc non esse interrogationem dialecticam: quia non interrogat alteram partem contradictionis, nec dat optionem aduersario vtram contradictionis partem velit respondendi. Deinde cùm ait, *sed oportet*, docet quomodo definitio cadat in interrogationem dialecticam: & inquit opponentem non debere interrogare quid sit(exempli gratiâ)homo; (ad hanc enim interrogationem defendens respondere non tenebitur) sed ipsum opponentem debere definire, deinde interrogare an ea sit definitio, veluti, éstne homo animal rationale mortale, an non? aut, animal rationale mortale, éstne definitio hominis, an non? ad has enim interrogationes defendens cogitur respondere.

4 *Quia verò*. Proponit quæstionem quando ea quæ separatim attribuuntur, verè coniungi possint, vt enunciationem vnam faciant, & quando secus fit. hanc enim vim habent ea verba, *quænam [est] differentia?* id est, quinam sunt hi casus differentes, quibus modò licet, modò non licet attributa coniungere? Deinde cùm ait, *nam de homine*, proponit duo exempla, in quibus attributa separata coniunguntur. In priori exemplo ita coniunguntur, vt ex iis fiat vnum: nempe cùm dicimus, homo est animal, homo est bipes, ergo homo est animal bipes. ex animali namque & bipede fit vnum: quandoquidem animal significat genus, & potentiam; bipes autem sumitur loco differentiæ, siue actus, vt & suprà partic. 1. In altero exemplo, attributa quidem verè coniunguntur: sed non fit omnino vnum, vt in præcedenti exemplo; quoniam alterum est substantia, alterum accidens: veluti, Socrates est homo, Socrates est albus, ergo Socrates est homo albus. Sic enim rectè arguitur. sed ex homine & albo non fit vnum, vt ex genere & differentia, veluti ex animali & bipede: fit tamen quodammodo quasi vnum: quia homo est subiectum albi: proinde homo habet rationem materiæ, album verò rationem formæ, non quidem essentialis, sed accidentalis. Tertiò cùm ait, *at si sutor*, proponit exemplum contrarium, in quo non licet attributa diuersa coniungere; quoniam enunciatio falsa redderetur: veluti, Socrates est sutor, Socrates est bonus Fac has enunciationes esse veras: non propterea verè dicetur Socratem esse sutorem bonum.

5 *Si enim quia*. Iacit fundamentum propositæ quæstionis. Cùm enim quæsierit cur attributa diuisa modò verè coniungere liceat, modò non liceat: supposuit ea non semper coniungi posse: quod alicui dubium esse poterat: ideirco nunc probat non semper coniungi posse. fortassis enim aliquis exemplo proximè adducto fidem non habebit, sed putabit vere concludi, Socratem esse sutorem bonum. Vtitur autem argumento ducente ad absurditatem, id est, ad nugationem seu tautologiam: proinde vtitur syllogismo hypothetico à destructione consequentis ad destructionem antecedentis. Sed in contextu proponit solùm propositionem hypotheticam, quòd, si liceat semper attributa coniungere, sequentur multa absurda, id est multæ tautologiæ. Deinde cùm ait, *nam de homine*, eam propositionem probat quatuor exemplis, in quibus tautologia committitur in attributis. In primo exemplo accidens vnum attributum expressè repetitur: in secundo accidentia plura attributa expressè repetuntur; in tertio & quarto attributum essentiale tacitè repetitur. Primum exemplum est: Socrates vere dicitur homo, & verè dicitur albus: ergo, si licet semper attributa coniungere, vere dicetur, Socrates est homo albus. Iam cùm verè dicatur, Socrates est homo albus, & verè dicatur, Socrates est albus: licebit etiam hæc coniungere, ac dicere, Socrates est homo albus. & hoc in infinitum progreditur. nam si Socrates est homo albus albus, & idem Socrates est albus: per coniunctionem attributorum fiet, vt Socrates sit homo albus albus albus. Atque hac ratione attributum *album* multiplicari potest in infinitum. Hæc dicta sint de primo exemplo. In secundo similiter repetuntur accidentia attributa, musicus, albus, & ambulans: quæ sæpius connectuntur per ineptam nugationem in infinitum: veluti, Socrates est musicus. Socrates est albus, Socrates est ambulans: ergo Socrates est musicus albus ambulans. Rursus Socrates est musicus albus ambulans, & Socrates est musicus: ergo est musicus albus ambulans musicus. & ita licet repetere attributum *album*, & attributum *ambulans*: & multiplicare has tautologias in infinitum. Tertium exemplum tale est. Socrates est Socrates, Socrates est homo: ergo Socrates est Socrates homo. Intelligens autem Aristoteles hoc exemplum posse minùs placere, quia Socrates dicitur de seipso, subiicit statim aliud exemplum commodius, quod est quartum & vltimum: nempe, Socrates est homo, Socrates est bipes: Ergo Socrates est homo bipes. In his duobus postremis exemplis magis latet tautologia: quia non dicitur bis idem vocabulum, sed

eadem res duobus vocabulis significatur. non solùm autem nugatio est, cùm quis exprefsè idem verbum repetit, veluti est homo albus albus; sed etiam cùm tacitè, veluti est homo animal: quoniam in homine inest animal: quare dum dixisti hominem, dixisti etiam animal: consequenter si dicas hominem animal, nugaris, bis idem dicens, vt constat ex 7. part. huius capitis. Sic si quis dicat, est Socrates homo, nugatur: quia dum dixit esse Socratem, vi ipsa dixit esse hominem: frustra igitur addit vocabulum *homo*. Item si quis dicat, Socrates est homo bipes, nugatur: quia dum dicit hominem, simul dicit bipedem, cùm bipes accipiatur pro differentia constituente hominem: dicens igitur hominem bipedem, nugatur, quia bis dicit bipedem. Tandem Aristoteles cùm ait, *si qui igitur*, concludit veram esse eam propositionem hypotheticā, id est, euenire multa absurda, seu multas tautologias, si semper admittantur attributorum cōiunctiones. Quare, vt hæ absurditates vitentur, ostendum est, non semper attributa coniungi posse: proinde rectè quæsitam fuisse causam differentiæ, vt accipiamus certas regulas, per quas dignoscamus verène an falsò coniungantur attributa.

6 *Quomodo autem.* Respondet quæstioni propositę in quarta partic. tradens duas regulas, primam in hac particula, alteram in part. sequen. Prima regula est, Non posse coniungi attributa, vel subiecta, (nam attributorum vel subiectorum in hac quæstione eadem est ratio, etsi præcipuè agimus de attributis) quæ vel accidunt tertio alicui subiecto, vel eorum alterum alteri accidit, dum tamen vicissim hoc illi attribuatur. Exemplis res est declaranda. Albus & musicus accidunt eidem subiecto homini: ergo ex albo & musico non debet fieri quasi vnum attributum: nec rectè dicemus, Socrates est albus, Socrates est musicus, ergo est albus musicus. Rursus album accidit musico, & musicum albo: ergo ob hanc quoque rationem ex albo & musico non fit vnum: quia scilicet sibi inuicem accidunt: sed & eidem tertio, nempe homini, accidunt. Si verò sumantur duo termini, quorum vnus alteri accidat, non tamen vicissim alter accidat huic: licebit terminos coniungere: quia etiamsi nōn faciant verè vnum, tamen faciunt quodammodò vnum, vt homo & albus. nam albus accidit homini, non contrà homo albo. licet igitur dicere, Socrates est homo, Socrates est albus, ergo Socrates est homo albus: quoniam *albus* significat formam hominis accidentalem. Quod attinet ad seriem contextus, Primò Aristoteles proponit scopum huius partis: & ait, nunc dicendum esse, quomodo oporteat ponere, id est, quomodo oporteat definire quæstionem propositam. Secundò cùm ait, *Ergo attributorum*, tradit dictam regulam, quòd attributa, vel subiecta, quæ per accidens dicuntur vel de eodem subiecto, (vt album & musicum de homine) vel alterum de altero subiecto inuicem & reciprocè, (vt album ex accidente dicitur de musico, & musicum ex accidente de albo) hæc (inquam) attributa vel subiecta non erunt vnum, id est, non possunt coniungi, vt faciant terminum vnum, qualis est homo animal bipes; nec quasi vnum, qualis est homo albus. Tertiò cùm ait, *vt homo*, affert exemplum dictæ regulæ. nam homo dicitur albus, & idem homo dicitur musicus, non proptereà tamen dici debet albus musicus. *vtraque enim*, scilicet attributa, id est, album & musicum, e *dem subiecto* homini accidunt & alterum alteri accidit: ideóque ex his non fit vnum. Quartò cùm ait, *ideirco nec*, affert alterum exemplum: Socrates est sutor, Socrates est bonus: non rectè inde infertur, ergo Socrates est sutor bonus: quia sutor & bonus, sunt duo accidentia, vt in superiori exemplo album & musicum. Postremò cùm ait, *sed [si est,]* affert exemplum contrarium, in quo attributa diuisa rectè coniunguntur, & faciunt verè vnum; quia sunt attributa per se, non per accidens: nempe, homo est animal, homo est bipes, ergo homo est animal bipes.

7 *Præterea.* Sequitur altera regula, quòd termini ita demum coniungi possunt, si neque expressa neque tacita nugatio committitur. Vtriusque exemplum est in contextu, nam si album sæpius dicatur, est nugatio expressa: si verò dicatur, est homo animal, vel, est homo bipes: est nugatio tacita: quia si non voce, saltem re ipsa repetitur animal, vel bipes: proptereà quòd vtrumque in homine inest; adeò vt qui dicit hominem, simul dicat animal, & bipes; proinde frustrà posteà repetat animal, & bipes.

8 *Verè autem.* Proponit alteram quæstionem præcedenti oppositam. quærit enim, an attributa coniuncta possint separari; veluti, est homo albus, ergo est homo: aut, est homo pictus, ergo est homo. nam vis quæstionis hæc est, quamuis aliis verbis paulò obscurioribus ab Aristotele proponatur. ait enim, id, quod dicitur de aliquo, id est, quod dicitur cum aliquo adiuncto, dici etiam posse simpliciter, id est, dempto illo adiuncto, & subiicit exempla. nam quidam homo dicitur etiam simpliciter homo. si igitur Socrates

crates est homo quidam, puta homo albus, etiam simpliciter potest dici homo, non adiecto *quidam*, vel *albus*. sic arguimus à coniunctis ad separatum, id est, ab homine quodam, siue ab homine albo, ad hominem. Additur, in contextu & alterum exemplum. quendam enim album hominem, dicimus esse hominem album, dempta eâ limitatione, quæ significabatur per articulum *quendam*. In his igitur exemplis rectè arguitur à coniunctis ad seiunctum. Sed hæc argumentatio non semper procedit: idcóque & hic tradendæ sunt regulæ, ex quibus intelligatur, quando ita arguere liceat, vel non.

9 *Sed cùm in adiuncto.* Per distinctionem docet, quando liceat argumentari à coniunctis ad diuisa. Distinctio talis est: Cùm sunt duo termini coniuncti, adeò vt secundus adiungatur primo, tunc vel secundus terminus, quem Aristoteles adiunctum appellat, aliquid in se continet, quod repugnat ei cui adiungitur; vel nihil repugnans in se continet. Exempli gratiâ, cùm dicitur homo mortuus, in termino *mortuus* est aliquid repugnans naturæ hominis. quandoquidem homo est animal, proinde animâ & vitâ præditum. Cùm autem dicitur homo albus: nihil est in albo, quod repugnet naturæ hominis. In priori exemplo non licet arguere, est mortuus, ergo est homo. In posteriori licet, est homo albus, ergo est homo.

10 *An quando.* Quia distinctio proximè allata, non est sufficiens: idcirco & alteram addit, id est, subdistinctionem posterioris membri. Primò autem docet prius membrum non egere subdistinctione: quia cùm in terminis est repugnantia, vt in homine mortuo dictum fuit, numquàm est verum, (subaudi, attributum separatum & per se) id est, non rectè arguitur à coniunctis ad diuisa. Deinde cùm ait, *cùm autem*, ponit subdistinctionem alterius membri, eamque exemplo illustrat. Subdistinctio hæc est: Cùm sunt duo termini coniuncti, nullam inter se repugnantiam continentes: tunc vel vtrumque per se attribuitur, vt cùm dicitur, homo est animal rationale, vel, Socrates est homo albus: aut alterum attribuitur per accidens, veluti, Homerus est poeta. Priori casu rectè argumentamur, Est animal rationale, ergo est animal: aut, est homo albus, ergo est homo. Posteriori casu praua est argumentatio, Homerus est poeta, ergo Homerus est: quoniam illud *est*, non per se dicitur de Homero, sed per accidens, id est, merito poetæ, vt connectat attributum illud, id est poetam, cum subiecto, id est Homero. Ita peccat argumentatio illa Ciceronis. 1. Tuscul. quæst. Si mortui sunt miseri, mortui igitur sunt. nam hæc consequentia non valet: cùm illud *sunt* non attribuatur mortuis per se, sed per accidens. Notare omnino oportet, Aristotelem non tantùm attributa essentialia hîc vocare per se, sed etiam accidentalia, quando alterum non attribuitur ratione alterius: vt in illa attributione, Socrates est homo albus. quamuis enim album, sit accidens: tamen hoc loco dicitur attribui per se; quia non attribuitur per alterum attributum, id est per hominem. vnde potest simpliciter dici, Socrates est albus.

11 *Quocirca in quibus.* Ex dictis primò colligit requiri duas conditiones, vt rectè arguatur à coniunctis ad diuisa. Prima conditio est, vt in attributis nulla sit repugnantia, sicut expositum fuit part. 9. Altera conditio est, vt attributa fiant per se, non ex accidente, sicut expositum fuit in partic. 10. Secundò cùm ait, *sed non ens*, refellit sophismata eorum, qui nitebantur probare, id, quod non est, esse. sic enim argumentabantur; Non ens est opinabile, ergo non ens est. Antecedens patet: quia opinari possumus Chimæram esse: & quotiescumque opinione fallimur, toties ferè opinamur esse, quod non est. Consequentia probatur per argumentum à coniunctis ad diuisa. Huic sophismati occurrit Aristoteles per negationem consequentiæ: quia verbum *est*, non dicitur de non ente, per se, sed ex accidenti, id est, merito opinabilis. Opinabile autem non arguit non-ens esse, sed potiùs non esse: quia vera de non-ente opinio est id non esse. Sic igitur habemus & alterum exemplum, in quo non rectè arguitur à coniunctis ad diuisa, quoniam attributio est ex accidenti.

IN CAP. XII. DE OPPOSITIONE ENVNCIATIONUM modificatarum.

OMnis enunciatio vel est pura, vt, homo currit: vel modificata, vt contingit hominem currere: vel hypothetica, vt, si homo currit, non quiescit. Cùm igitur hactenus dictum sit de enunciationibus puris: consequenter agitur de modificatis. Modificata enunciatio est, quæ modum adiectum habet. Modus autem est vox significans, quomodo attributum inest subiecto. velut si quis dicat, Socrates celeriter currit, docet

modum, quo Socrates currit. Modorum genera sunt duo. nam alij proferuntur aduerbialiter, nec mutant formam orationis, quæ ex pura fit modificata tantum adiecto aduerbio: veluti homo currit, homo celeriter currit: animal respirat, animal necessariò respirat. alij modi, si adiungantur enunciationi puræ, mutant eius formam, id est, ex oratione indicatiua faciunt infinitiuam. atque eiusmodi modi aut sunt verba, veluti, homo currit, contingit hominem currere: aut enunciationes, vt, possibile est hominem currere, pium est pro patria mori. Hi modi sunt generis siue vno verbo exprimantur, vt contingit; siue oratione, vt contingens est, bonum est: sunt propemodum infiniti: quatuor tamen sunt generales, ad quos ceteri omnes reducuntur: nempe contingens, possibile, impossibile, & necessarium: de quibus Aristoteles hoc loco differit. Et primùm hoc capite declarat contradictionem huiusmodi modificatarum enunciationum. Deinde in sequenti capite consecutionem siue æquipollentiam, quatenus se inuicem a gnunt, & se inuicem consequuntur. In hoc igitur capite confert duas modificatas inter se, id est, affirmationem & negationem habentes eundem modum: veluti, necesse est, non necesse est. In sequenti autem capite confert quatuor enunciationes constantes ex quatuor diuersis modis, id est necessarias, impossibiles, possibiles, & contingentes ita conceptas vt æquipolleant.

1 *His determinatis.* De enunciationibus illis quatuor modificatis dicendum proponit hac ratione, quòd habent nonnullas dubitationes. hæ verò dubitationes partim pertinent ad contradictionem, quæ hoc capite dissoluuntur: partim ad consecutionem, siue æquipollentiam, de quibus in capite sequenti.

2 *Nam si ex connexis.* Præmuniendum est, enunciationes modificatas, de quibus nunc loquimur, habere duas partes, quarum alteram Scholastici vocant modum, Aristoteles in part. 4. vocabit additamentum; alteram partem appellant dictum. vt in hac enunciatione, possibile est hominem currere, illud, *possibile est*, vocatur modus: illud *hominem currere*, vocatur dictum. Prætereà præmuniendum est, Græcos in his modis vsurpandis plerumque omittere verbum *est*, ac dicere (exempli gratiâ) δυνατὸν εἶναι pro δυνατόν ἐστιν εἶναι. His præmunitis, quæstio est, verùm, vt ex affirmatione fiat negatio, debeat negandi aduerbium apponi dicto, an modo; veluti si affirmatio est, necesse est esse. vtrùm huius negatio sit, necesse est non esse, an, non necesse est esse. Aristoteles in vtramque partem disputat. & primùm in hac parte disputandi causâ probat sententiam falsam, id est, negationem esse apponendam dicto: quod in exemplis, quæ hic discutiuntur, est verbum *esse*. Secundùm quam sententiam contradictiones essent hæ, necesse est esse, necesse est non esse: item impossibile est esse, impossibile est non esse: contingit esse, contingit non esse: denique possibile est esse, possibile est non esse. Sumit autem argumentum ab exemplo: quoniam in enunciationibus puris negatio est apponenda verbo *esse*, aut alij verbo quod ponitur loco verbi esse. veluti, homo est, homo non est: &, homo currit, homo non currit. Idem igitur & in enunciationibus modificatis dicendum videtur: veluti necesse esse, necesse non esse. Hoc argumentum est fallax, & paulò pòst ab Aristotele soluetur. Dubitationem autem potissimùm facit Græca phrasis, in qua dixi omitti verbum *est*. vt cùm dicitur ἀναγκαῖον εἶναι, videtur apponenda negatio verbo *esse*. nam si dicas, necesse est esse iam adest verbum *est*, cui debet apponi negatio: ita vt faciliùs appareat negationem non esse adiungendam verbo *esse*, quia est adiungenda verbo *est*. Quod attinet ad seriem contextus, Aristoteles primo sumit hoc principium, in enunciationibus puris habentibus verbum *esse*, negationem apponi verbo *esse*. Secundò cùm ait, *vt huius, esse hominem*, probat illud principium duobus exemplis. quorum primum est enunciationum secundi adiacentis, homo est, homo non est: alterum est enunciationum tertij adiacentis, homo est albus, homo non albus. Tertiò cùm ait, *quia si de omni*, probat idem principium argumento ducente ad impossibile: quod facilitatis gratiâ accommodatur huic exemplo, est homo albus. dicimus enim huius affirmationis, est homo albus, negationem esse hanc, non est homo albus; non autem hanc, est non albus homo. nam si hæc esset contradictoria, quæ habet negandi aduerbium adiunctum nomini *albus*, sequeretur hoc absurdum, quòd lignum esset non albus homo, id est, esset homo non albus. Absurditas consequentis manifesta est. Consequentia probatur: quia de omni re vera est affirmatio vel negatio. supple, atqui de ligno falsa est affirmatio, quòd sit albus homo: vera igitur erit negatio, quòd sit non albus homo; siquidem hæc est negatio illius affirmationis. Hoc loco notandum est, Aristotelem in exemplis positis vti verbo infinito & enunciatio-

ciatione infinita, *esse album, non esse album*, &c. quo maior videatur esse vis argumenti, quo probatur negationem esse apponendam verbo *esse*. in enunciationibus modificatis necesse esse, & ceteris. nam si dixisset, homo est, homo non est: potuisset fortasse aliquis negare vim argumenti, id est, negare consequentiam à verbo *est*, ad verbum *esse*. facilitatis tamen causâ in his exemplis enarrandis conuerti enunciationes, & vsus sum verbo indicatiuo: primùm vt formarem ipsas enunciationes, quas Aristoteles non proponit, sed tantùm earum sententiam declarat. omnis enim enunciatio constat ex verbo indicatiuo, verba autem infinita non faciunt enunciationem, sed orationem per se nec veram nec falsam: veluti oratio, hominem esse album, nec est vera, nec falsa: sed veritas aut falsitas diiudicabitur ex indicatiuo verbo adiectiuo: veluti, hominem esse album necesse est, enunciatio est falsa: hominem esse album non necesse est, vel, hominem esse album contingens est, enunciatio est vera. motus etiam sum eo quòd ipse Aristoteles in sequentibus exemplis, vbi vtitur verbis adiectiuis, concepit ipsas enunciationes ex verbo indicatiuo, vt. homo ambulat, homo non ambulat. Quartò cùm ait, *quod si hoc*, sumit aliud principium, nempe eodem modo rem se habere in enunciationibus habentibus verbum adiectiuum, quod ponitur loco verbi *est*: veluti *ambulat*, pro *est ambulans*. Quartò cùm ait, *vt huius* [*affirmationis*,] probat secundum principium hoc exemplo, homo ambulat, homo non ambulat. Sextò cùm ait, *nihil enim interest*, probat idem secundum principium hac ratione, quòd *ambulare*, idem significat quod *esse ambulantem*. si igitur hæc affirmatio, *est ambulans*, ita negatur, *non est ambulans*: etiam hæc affirmatio, *ambulat*, ita negabitur, *non ambulat*. Septimò cùm ait, *quare si ita*, concludit ex duobus illis principiis, cùm ita se res habeat in enunciationibus puris, eodem modo se habere etiam in modificatis: ita vt (exempli gratiâ) huic affirmationi, possibile esse, contradicat hæc negatio, possibile non esse; non hæc, non possibile esse. Consultò autem vsus est Aristoteles hoc exemplo, quo magis sequens particula huic cohæreat, quemadmodum ex illius declaratione apparebit.

3 *Sed idem videtur*. Cùm disputandi causâ conatus sit probare negandi aduerbium debere adiungi verbo *esse*: nunc è contrario probat debere modo adiici, non verbo *esse*. Vtitur autem argumento sumpto à natura contradictionis: & syllogismum conficit in secunda figura: Contradicentes enunciationes non sunt simul veræ: atqui hæ enunciationes, possibile esse, possibile non esse, sunt simul veræ: ergo hæ enunciationes non sunt contradicentes. In contextu primò ponitur minor propositio. Secundò ibi, *quodcumque enim*, ea minor probatur exemplis perspicuis: veluti, possibile est lignum secari, & possibile est non secari: item possibile est hominem ambulare, & possibile est hominem non ambulare. Ne obiicias his exemplis, quòd non habeant verbum *esse*, sed verbum *secari*, vel *ambulare*. dictum est enim ad præcedentem particulam, omnium horum verborum eandem esse rationem. Tertiò ibi, *ratio* [*est*,] affertur ratio eiusdem minoris sumpta à natura possibilis: quia quod est ita possibile, vt secari & ambulare, non semper est actu, id est, potentia est modò coniuncta cum actu, veluti cùm ille, qui potest ambulare, ambulat; modò est separata ab actu, veluti cùm is qui potest ambulare, sedet. vnde fit, vt vera sit tam affirmatio quàm negatio. Dicit autem Aristoteles, *quodcumque* [*est*] *ita possibile*: quoniam possibilium & potentiarum tria sunt genera: & de vno tantùm genere verum est, quod hic dicitur. quænam enim potentiæ modò sunt coniunctæ cum actu, modò separatæ ab actu, de quibus hic loquimur. quædam verò semper sunt coniunctæ cum actu, vt possibile est Solem moueri: quædam non possunt deduci ad actum, veluti numerus potest augeri in infinitum, & magnitudo potest diuidi in infinitum. vide cap. seq. partic. 11. & 14. Quartò ibi, *sed impossibile*, ponitur maior propositio. vbi obserua verbum *oppositas*, κατ' ἐξοχὴν positum pro contradicentes. Quintò ibi, *non igitur*, ponitur conclusio, has non esse enunciationes contradicentes, possibile esse, & possibile non esse: quas in fine præcedentis particulæ concludebatur esse contradicentes.

4 *Ex his enim*. Expendit argumenta in vtramque partem adducta: & ait secundum esse primo firmius. Vnde colligit negationem non esse apponendam verbo *esse*, sed modo. In primis vtitur syllogismo disiuncto à destructione vnius membri ad positionem alterius, hoc modo: Aut contradicentes sunt simul veræ, aut negatio non est apponenda verbo *esse*: sed falsum est prius: ergo verum posterius. Quod ad seriem contextus, primò Aristoteles ponit maiorem propositionem, quam colligit ex iis, quæ dixit partic. 2. & 3. Secundò cùm ait, *ergo si illud*, adiungit minorem propositionem. Tertiò cùm ait, *hoc sanè est eligendum*, conclusionem, has non esse contradicentes, possibile esse, possibile non esse. Quartò cùm ait, *est igitur*, ex ea conclusione

deducit alteram. quia si affirmationi illi, possibile esse, non contradicat hæc, possibile non esse; certè contradicet hæc, non possibile esse: aut enim hæc, aut illa est negatio contradicens. Quintò cùm ait, *Eadem est huius*, quod dixit de enunciationibus possibilibus, producit ad alias modificatas, id est contingentes, necessarias, & impossibiles: quoniam omniū est eadem ratio. Vnde notandum est, Aristotelem vti optima methodo à notioribus ad ignotiora. faciliùs enim probatur non esse contradicentes, possibile esse, & possibile non esse, quæ sunt simul veræ; quàm necesse esse, & necesse non esse; vel impossibile esse, & impossibile non esse, quæ numquàm sunt simul veræ. quia tamen proportio est seruanda: si in enunciationibus de impossibili negatio apponitur modo, non verbo esse, etiam in aliis enunciationibus modificatis idem est obseruandum.

5 *Vt enim in illis.* Argumentum supra 2. part. pro falsa sententia seu falsa contradictione adductum, retorquet, arguens ab analogia. quam enim rationem habet verbum *esse* in enunciationibus puris, eandem habet modus in modificatis. Sicut igitur in illis negatio apponebatur verbo *esse*, ita in his debet apponi modo. Ait igitur, quòd sicut *in illis* (id est, in enunciationibus puris) [*verba*] *esse & non esse* [*sunt*] *additamenta*: (id est, copulæ enunciationi adiunctæ, vt connectant attributum cum subiecto) *album autem & homo* [*sunt*] *res subiectæ*: (non quòd vtrumque sit subiectum in enunciatione; sed quia sunt subiectæ tractationi & scientiæ, id est, sunt res, de quibus agitur: in enunciatione autem *homo* est subiectum: *album*, attributum) *sic in his* (id est, enunciationibus modificatis) [*verbum*] *Esse & Non esse* (quod Scholastici vocant dictum) *pro subiecto habetur*: (id est, est subiectum in enunciatione modificata) *posse autem, & contingere*, (id est, modi) *sunt additamenta* (id est attributa) *quæ in his* (id est enunciationibus modificatis) definiunt verum & falsum; quemadmodum veritas & falsitas in enunciationibus puris definiebatur per verbum *esse*, aut *non esse*. Si quis quærat, cur Aristoteles hic additamenta appellet modò copulas, modò attributa: respondebo, quia copula hæret attributo, quemadmodum suprà initio capitis 10. notaui.

6 *Huius autem.* Postquàm generaliter docuit negationem esse apponendam modo, non dicto deinceps hoc singillatim explicat in singulis enunciationum modificatarum generibus. in hac igitur part. loquitur de enunciationibus possibilibus: ac docet, quænam sint contradicentes, veluti, possibile esse & non possibile esse; & quæ non contradicentes, veluti possibile esse & possibile non esse: quia hæ mutuò se consequi videntur, id est, sunt simul veræ; illæ autem non sunt simul veræ, sed altera vera, altera falsa. Quod dicitur de possibilibus, idem est intelligendum de contingentibus; quia possibile & contingens, idem valent.

7 *Similiter huius.* Declarat enunciationes contradicentes necessarias.

8 *Et huius.* Exponit contradicentes de impossibili.

9 *Ac generaliter.* Generaliter concludit negationem apponi modo, qui habet rationem attributi, & inde constitui enunciationes contradictorias. Ait igitur, *generaliter*, id est, in omnibus modificatis enunciationibus, verba *esse* & *non esse*, debere accipi pro subiectis: hæc verò, quæ affirmationem & negationem efficiunt, id est, hos modos, Possibile, non possibile, Necesse, non necesse, &c. oportere adiungi ad verba illa, *esse* & *non esse*, quemadmodum scilicet attributum adiungitur subiecto: adeò vt dicamus, exempli gratiâ, hominem currere est possibile, hominem currere non est possibile. Atque hæ habendæ sunt pro oppositis, id est, pro contradicentibus enunciationibus: veluti, possibile, non possibile, &c. id est, in quibus negatio apponitur modo. Notandum est postremum exemplum, *verum, non verum*: ex quo apparet plures esse modos, quàm illos quatuor, possibile, contingens, necessarium, & impossibile: quamquàm illi sunt præcipui, & ad eos alij referri possunt. veluti, pro patria mori pium est: nam pium, est species contingentis: & neque necesse, neque impossibile est, pro patria mori. Item hominem currere est verum, lapidem currere non est verum: quicquid enim est verum, vel non verum: id vel est necessarium, vel possibile seu contingens, vel impossibile.

IN CAP. XIII. DE CONSECVTIONE ET ORDINE enunciationum modificatarum.

CVm superiori capite exposuerit oppositionem enunciationum eundem modum habentium, hoc capite earum consecutionem declarat, quæ diuersos modos habent: aliæ namque ex aliis colliguntur certo ordine hic exposito.

1 *Consecutiones quoque.* Consecutionem & seriem enunciationum modificatarum tradit ex aliorum sententia: in quam mox

inquiret, eámque ex parte emendabit. Primò igitur generaliter inquit consecutiones harum enunciationum fieri *pro ratione*, id est, seruata analogia seu proportione, si ita hæ enunciationes disponantur seu collocentur, quemadmodum mox proponentur, ex veterum scilicet sententia. Secundò cùm ait, *nam illi*, sigillatim recenset omnes consecutiones enunciationum modificatarum. Tertiò cùm ait, *quod autem dicimus*, redigit eas consecutiones atque enunciationes in typum quendam; in quo describit easdem enunciationes, & easdem consecutiones, quas proximè proposuerat. Quare dum explicabo hunc typum, simul explicabo secundum membrum huius particulæ. Notandum igitur est, hunc typum constare ex quatuor partibus; in quarum singulis collocantur quatuor enunciationes modificatæ, adeò vt omnes simul sint sedecim. Ratio huius numeri est: quia modi quatuor sunt, Possibile, Contingens, Impossibile, & Necessarium: ex quolibet autem modo fiunt quatuor enunciationes. aut enim affirmatur tam modus quàm dictum, vt, contingit esse: aut negatur vtrumque, vt, non contingit non esse: aut modus affirmatur, dictum negatur, vt, contingit non esse: aut modus negatur, dictum affirmatur, vt, non contingit esse. Cùm igitur modi sint quatuor, & quilibet faciat quatuor enunciationes: quater quatuor faciunt sedecim. Et sicuti modi quatuor sunt, ita in qualibet typi parte ponuntur quatuor enunciationes. Et quia inter has partes est ordo aliquis, ideò prima pars vocatur primus ordo, id est, prima series, seu prima classis enunciationum modificatarum. Similiter secunda pars, appellatur secundus ordo: & tertia, tertius ordo: quarta, quartus ordo. Scribitur autem secundus ordo sub primo, tertius verò è regione primi, quartus sub tertio è regione secundi. sic enim contradictiones è regione positæ sunt nam tertius ordo contradicit primo, quartus secundo: ita vt enunciatio prima tertij ordinis contradicat primæ primi ordinis, & secunda tertij ordinis contradicat secundæ primi ordinis. Eadem est aliarum ratio. Hæc est analogia, quam Aristoteles initio capitis indicabat. quæ tamen analogia non perpetuò à veteribus in hoc typo obseruata est: ideóque subest error, quem posteà Aristoteles corriget: docebit enim quartam primi ordinis & quartam secundi ordinis esse transpositas: ita vt quæ est in secundo ordine, debeat poni in primo: & quæ est in primo, debeat poni secundo. Sed de hac emendatione posteriùs dicetur.

2 *Ergo impossibile.* Quia dixit consecutiones fieri secundùm rationem siue analogiam: nunc vult eam rationem explanare: ac primùm in hac particula docet, quomodo ex enunciationibus possibilibus, & enunciationibus contingentibus (nam hæ duæ æquipollent) consequantur enunciationes de impossibili. Et primo loco tradit regulam, quòd consequuntur *contradictoriè, sed vice versa.* Deinde cùm ait, *nam illi*, declarat illam regulam exemplis. Quod ait consequi contradictoriè, sic intellige, quòd duæ enunciationes de impossibili sibi inuicem contradicentes, consequuntur duas enunciationes de possibili, vel contingenti, similiter inter se contradictoriè oppositas. sed consequuntur vice versa, id est, affirmantem consequitur negatio, & negantem affirmatio, non affirmantem affirmatio, negantem negatio. Hoc apparet in ipsis exemplis, quæ expendam eodem ordine, quo proponuntur in contextu. Ait Aristoteles illi affirmationi, *possibile esse*, quæ est prima in primo ordine, consequi hanc negationem, *non impossibile esse*, quæ est tertia eiusdem ordinis. Omittit enunciationem contingentem, quia possibili æquipollet, vt sæpius dixi. Hoc igitur est primum exemplum sumptum ex primo ordine, in quo negatio sequitur affirmationem. Sequitur alterum exemplum sumptum ex tertio ordine, in quo vice versa negationi de possibili, id est, *non possibile esse*, quæ est prima in tertio ordine, consequitur affirmatio de impossibili, id est, *impossibile esse*, quæ est tertia in eodem tertio ordine. Hæc duo exempla habentur in contextu ex primo & tertio ordinibus. Similis consideratio est in secundo & quarto. nam primam secundi affirmantem, *possibile non esse*, consequitur tertia eiusdem ordinis negans, *non impossibile non esse*: & primam quarti ordinis negantem, *non impossibile non esse*, sequitur tertia eiusdem ordinis affirmans, *impossibile non esse*.

3 *Sed necessarium.* Nunc explanat, quomodo propositiones necessariæ consequantur secundùm aliorum sententiam: & ostendit has aliter consequi, quàm impossibiles: quoniam impossibiles consequentes, sibi inuicem contradicebant eodem modo, quo possibiles vel contingentes sibi inuicem contradicebant: necessariæ verò consequentes, non sibi inuicem contradicunt, sed contrariæ sunt: nempe quarta primi ordinis, *non necesse esse*, & quarta tertij ordinis, *necesse non esse*: item quarta secundi, *non necesse non esse*, & quarta quarti, *necesse esse*. Vocantur hæ ab Aristotele cõtrariæ: non quia reipsa sint cõtrariæ,

quandoquidem posteriùs docebit eas esse simul veras, sed quia voce tenus sunt contrarię. contraria namque in Categoriis definiebantur, quę, cùm in eodem genere sint, plurimùm inter se distant, cap. 6. part. 24. hæ verò enunciationes sunt in eodem genere, sunt enim modificatæ, & habent eundem modum *necessi*: &, quod ad vocem, plurimùm inter se distant, quia differunt & modo & dicto. nam quarta primi ordinis habet modū negatum, dictum affirmatum: contrà quarta tertij ordinis modum affirmatum, dictum negatum. item quarta secundi ordinis habet vtrumque negatum, quarta quarti vtrumque affirmatum. Quod attinet ad seriem contextus, Primò Aristoteles proponit explicandum, quomodo necessarium se habet, id est, quomodo propositiones de necessario consequuntur. Secundò cùm ait, *perspicuum igitur*, tradit regulam de his enunciationibus necessariis: & inquit *id non ita* [*se*] habere, id est, harum consecutionem non esse similem consecutioni impossibilium *sed contrarias consequi*, id est, enunciationes de necessario modificatas, quę è regione opponuntur, collocata sub possibilibus & contingentibus contradicentibus, quas consequuntur, esse inter se contrarias voce tenus, vt suprà exposui. *contradictiones autem* harum enunciationum necessariarum scorsum esse collocatas, id est, non esse positas è regione: quia contradicentes sunt quarta primi ordinis & quarta quarti: item quarta secundi & quarta tertij: ordines autem primus & quartus non sunt è regione collocati, quemadmodum nec secundus & tertius. Tertiò cùm ait, *huius enim*, eam regulam declarat exemplo: cuius vis hæc est, quòd quartæ tertij ordinis non contradicit quarta primi ordinis. hoc Aristoteles ex eo probat, quòd possunt ambæ esse simul veræ, nempe in materia impossibili: veluti, necesse est Chimęram non esse, & non necesse est Chimæram esse: sunt enim hæ enunciationes simul veræ: non sunt igitur contradicentes. Eodem modo ostendi potest, quartam secundi ordinis & quartam quarti ordinis non esse contradicentes: quia sunt simul veræ in materia necessaria; veluti, necesse est hominem esse animal, non necesse est hominem non esse animal.

4 *Cur autem necessarium*. Rationem affert, qua moti veteres existimarunt aliter consequi enunciationes impossibiles, aliter necessarias, nempe illas esse inter se contradicentes, has verò inter se contrarias. Intellige contrarias voce tenus, vt suprà exposui. Ratio hęc est quia necessarium contrario modo acceptum quàm impossibile, idem valet quod impossibile, id est, enunciatio necessaria & enunciatio impossibilis si contrario modo concipiantur, æquiualebunt. Intellige contrario modo concipi, si altera habeat dictum affirmatum, altera negatum: veluti, impossibile est esse, necesse est non esse: item impossibile est non esse, necesse est esse. Vides has enunciationes esse contrario modo conceptas, & idem valere. Hinc igitur colligebant veteres, enunciationes necessarias debere esse contrarias. Sed ideò sunt allucinati, quia posuerunt enunciationes necessarias, contrarias inter se, cùm deberent ponere contrarias impossibilibus, quas consequuntur. Intellige semper contrarias voce tenus. Hæc igitur est prima fallacia. Est & altera fallacia in eadem veterum argumentatione: quia modò contrarias appellarunt eas, quæ differunt tantùm dicto, nempe cùm dixerunt necessarias & impossibiles contraria ratione conceptas æquiualere: (veluti, necesse esse, &, impossibile non esse: nam altera habet dictum affirmatum, altera negatum: vtraque autem habet modum affirmatum) modò contrarias nominarunt eas, quæ differunt & modo & dicto: nempe in præcedente particula, vbi dicebatur, enunciationes de necessario contrarias consequi: atque hæc appellabantur contrariæ, non necesse esse, quæ habet modum negatum, dictum verò affirmatum, & necesse non esse, quæ è contrario habet modum affirmatum, dictum autem negatum. Quod attinet ad seriem contextus, Primò Aristoteles ponit causam, propter quam necessariæ enunciationes non consequuntur, vt ceteræ, id est, hæ quæ consequuntur, non sunt contradicentes, sed contrariæ: & affert causam, quam exposui, quòd necessarium, & impossibile, idem significant, dummodò contrario modo concipiantur, id est, alterum habeat dictum affirmatum, alterum, alterum verò, negatum. Secundò cùm ait, *quod enim impossibile*, exponit illam æquiualentiam necessarij & impossibilis, specialiter declarans, quod generaliter in præcedentibus verbis dixerat. Ait igitur hæc æquipollere, *impossibile est esse*, &, *necesse est non esse*: Item hæc, *impossibile est non esse*, &, *necesse est esse*. Tertiò cùm ait, *quare si ea*, ex eo fundamento exposito colligit enunciationes necessarias debere esse contrarias: & inquit, *si ea*, id est, impossibile & non impossibile, siue enunciationes de impossibili, *similiter consequuntur possibili & non* [*possibili*]: similiter, inquam, quia contradicentia contradicentibus consequentia sunt: si (inquam) in illis ita res habet. *hæc*, id est, necesse & non necesse, vel enunciationes de necessario, *è contrario* [*con-*

sequō

sequi oportet,] id est, contrariæ debent consequi: (Hic est duplex fallacia, quam suprà exposui: nam debent quidem necessariæ enunciationes esse contrariæ: non tamen eo modo, quo à veteribus positæ sunt) *quia necessarium*, &c. id est, vt colligitur ex hypothesi posita in principio huius particulæ.

5 *An fieri*. Hactenus veterum sententiam exposuit: deinceps suam proponit, ac duo veterum peccata coarguit. Primum peccatum est: quia veteres non retulerunt omnes enunciationes ad suas classes: sed eam, quæ debebat esse quarta in secundo ordine, posuerunt quartam in primo ordine: & quam debebant ponere quartam in primo ordine, posuerunt quartam in secundo. Alterum peccatum est: quòd posuerunt necessarias vltimo loco, quæ collocari debent primo loco. Quod attinet ad primum peccatum: vt id appareat, primùm Aristoteles probat enunciationem illam, *non necesse esse*, malè à veteribus poni in primo ordine: & hoc probat in hac 5. part. Deinde ostendet loco huius poni debere illam, *non necesse non esse*, quam veteres male posuerunt in secundo ordine. Quod attinet ad priorem probationem, quæ hac part. continetur, Aristoteles ducit veteres ad absurditatem, quòd contradicentes sint simul veræ; cuius absurditatis vitandæ causâ necesse est tollere illam enunciationem, *non necesse esse*, ex primo ordine. Ad absurditatem illam sic ducit. supponit, quod probatum fuit cap. præcedenti, quartam primi ordinis & quartam quarti esse contradicentes: nempe, *non necesse esse*, & *necesse esse*. Hoc supposito, sic arguit: Quartam quarti ordinis sequitur prima primi ordinis: hanc autem primam sequitur quarta eiusdem ordinis: ergo quartam quarti sequitur quarta primi, atque ita contradicentem sequitur contradicens, id est, si necesse est esse, non necesse est esse: quod est absurdum. Quòd primam primi ordinis sequatur quarta eiusdem ordinis, non eget probatione: quia in eodem ordine ponuntur, quæ se consequuntur. Quòd autem quartam quarti sequatur prima primi, Aristoteles sic probat: Quartam quarti aut sequitur prima primi, aut prima tertij: nam hæ duæ sunt contradicentes, vt probatum fuit superiori capite: & de quolibet necesse est alteram contradicentem esse veram. atqui non sequitur prima tertij: quia quod necesse est esse, non potest dici non possibile esse: sic enim necessarium esset impossibile. si igitur quartam quarti ordinis non sequitur prima tertij, necesse est vt sequatur prima primi: quod erat probandum. Quod attinet ad seriem contextus, Primò Aristoteles ponit problema probandum, quòd non debent ita collocari contradictiones de necessario, sicut veteres collocarunt. nam interrogatio, quæ est in primis verbis huius particulæ, habet vim negationis. veteres enim posuerunt necessarias contradicentes, non è regione, sed seorsim, sicut expositum fuit in part. 3. cùm tamen è regione poni debeant. Secundò cùm ait, *quod enim necesse*, ponit minorem illam propositionem, quòd quartam quarti ordinis sequitur prima primi. Tertiò cùm ait, *sin minùs*, probat eam minorem: quia si non sequatur prima primi, sequitur prima tertij: consequenter & tertia tertij ordinis, *impossibile est*, quod est absurdum: quoniam hæc, *impossibile esse*, non potest consequi illam, *necesse esse*. Quartò cùm ait, *atqui*, ponit maiorem illam propositionem, quòd primam primi ordinis sequitur quarta eiusdem ordinis. Hæc propositio non ponitur, vt simpliciter vera, sed vt vera secundùm antiquos, vt ex ea efficiatur conclusio absurda, atque ita veteres ducantur ad absurditatem, & cogantur fateri hanc propositionem esse falsam. cùm enim sit falsa conclusio: necesse est aliquam propositionem esse falsam, vt Aristoteles docebit lib. 2. Prior. Atqui in hoc syllogismo, cuius falsa est conclusio, minor est vera, & ab Aristotele probata: ergo maior est falsa. Quintò cùm ait, *itaque fit*, ex illis conclusionibus efficit conclusionem, quòd secundùm veteres quartam quarti ordinis sequitur quarta primi ordinis. Sextò cùm ait, *quod [est] absurdum*, euertit hanc conclusionem tanquàm falsam. Supple, minor autem propositio est vera: ergo maior est falsa. illa igitur enunciatio, *non necesse esse*, tollenda est ex primo ordine, ne consequatur illam, *possibile esse*.

6 *At verò* Postquàm detexit errorem antiquorum, & ostendit enunciationem illam, *non necesse esse*, non rectè poni in primo ordine: consequenter docet, quænam in eius locum substitui debeat: ac triplici argumento probat, eo loco, id est, in primo ordine ponendam esse hanc, *non necesse non esse*, quam veteres posuerunt in secundo ordine. Sicut autem Aristoteles probat quartam secundi ordinis ponendam esse in primo ordine, ita nos supplere debemus, quartam primi ordinis, ponendam esse in secundo ordine. ita vt quarta primi & quarta secundi locum mutent, & altera in alterius locum migret. Dixi Aristotelem vti tribus argumentis. Primum, quod ponitur in hac particu. est syllogismus disiunctus, quem vulgò vocant à sufficienti partium enumeratione. nam enunciationem

illam, *possibile esse*, quæ est prima in primo ordine, consequitur vna ex quatuor necessariis, id est, vel quarta primi ordinis, vel quarta secundi, vel quarta tertij, vel quarta quarti: nam hæ quatuor sunt necessariæ. sed quod quarta primi non sequatur, probatum est in præcedente part. quòd autem neque quar a tertij, neque quarta quarti sequatur, Aristoteles hic probat: quia primæ enunciationi primi ordinis, id est, *possibile esse*, accidit tam affirmatio quàm negatio. quod enim possibile est esse, potest esse & non esse, vt homo potest ambulare & non ambulare: quartæ autem tertij ordinis & quartæ quarti non accidit tam affirmatio quàm negatio: sed quartæ tertij sola negatio, quod enim necesse est non esse, id non potest esse: quartæ verò quarti sola affirmatio; quia quod necesse est esse, non potest non esse. Superest igitur, tribus enunciationibus exclusis, id est, quarta primi ordinis, quarta tertij, & quarta quarti, vt sumamus quartam secundi. Itaque hæc enunciatio, *non necesse non esse*, ponenda est in primo ordine, & consequitur illam *possibile esse* Quod attinet ad seriem contextus, Aristoteles primo loco proponit, nec quartam quarti ordinis nec quartam tertij consequi ex prima primi. Primo autem loco ponit quartam quarti: quia est tota affirmatiua, cùm quarta tertij ordinis habeat dictum negatum. Nec facit mentionem quartæ primi ordinis: quia de ea satis locutus est in præcedente particula. Secundò cùm ait, *quoniam illi*, probat eam propositionem proximè propositam, extruens syllogismum in secunda figura: *quoniam illi*, id est, primæ primi ordinis *possunt accidere ambo*, id est affirmatio & negatio, siue, esse & non esse. his autem, id est, quartæ quarti, & quartæ tertij, non possunt ambo accidere, tam affirmatio quàm negatio, siue esse & non esse. hoc enim est, quod ait, *horum autem vtrumuis verum sit*, id est, siue sumatur quarta quarti, siue quarta tertij, *non erunt amplius illa vera*, id est, non poterunt esse & non esse. Tertiò cùm ait, *simul enim*, declarat maiorem propositionem: quia idem potest esse & non esse. Quartò cùm ait, *sed si necesse*, declarat minorẽ propositionem: quia siue necesse est esse, (quæ est enunciatio quarta quarti ordinis) siue necesse est non esse, (quæ est enunciatio quarta tertij ordinis) res non poterit esse & non esse. Postremò cùm ait, *ergo relinquitur*, ponit conclusionem principalem: & ex dictis colligit relinqui, vt quarta secundi ordinis consequatur primam primi ordinis: proinde ponatur in primo ordine. supple, (vt anteà notaui) & quarta primi ponatur in secundo ordine.

7 *Hoc enim.* Sequitur alterum argumentum ab absurditate vitanda: quia secundùm sententiam Aristotelis, id est, transpositis illis duabus enunciationibus, primâ primi, & quartâ secundi ordinis, vitatur absurditas illa, in quam veteres inciderunt, quòd contradictoriæ sint simul veræ. oportet enim simul veras esse quartam quarti ordinis & quartam primi ordinis, vt probatum fuit in 5. partic: hæ verò duæ, prout a veteribus collocabantur, erant contradicentes. sed, vt ab Aristotele disponuntur, non sunt contradicentes. Ait igitur Philosophus, *hoc*, id est, hæc enunciatio, non necesse non esse, quam nos referimus ad primum ordinem, *vere* &c. id est, simul vera est cum quarta quarti ordinis, neque ei contradicit.

8 *Etenim hæc.* Sequitur tertium argumentum, ductum ab analogia: quia secundùm dispositionem Aristotelicam semper enunciationibus contradicentibus consequuntur contradicentes: non, vt contingebat in veterum dispositione, modò contradicentes, modò contrariæ. Quod attinet ad seriem contextus, primò Aristoteles docet, secundùm suam dispositionem contradicere quartam primi ordinis quartæ tertij è regione collocatæ, inquiens, *hæc*, id est, enunciatio, non necesse non esse, *est contradictoria eius*, scilicet necesse non esse, *quæ est* quarta in tertio ordine, & *sequitur illam*, id est, primam tertij ordinis, *non possibile esse*. Secundò cùm ait, *nam illi*, hoc ipsum declarat, quod modò dixit: quia præcedentia verba erant obscuriora. Tertiò cùm ait, *sequuntur igitur*, concludit, etiam necessarias enunciationes consequi contradictoriè, & secundùm hanc dispositionem nihil absurdi euenire, id est, non contingere vt duæ contradicentes sint simul veræ. Ex his habemus dispositionem enunciationum modificatarum Aristotelicam, quam Scholastici, vt memoriâ facilè retineri possit, quatuor vocabulis comprehenderunt, *Amabimus Edentuli, Iliace, Purpurea.* quorum vocabulorum hæc est vis: Primum significat primam classem seu primum ordinem modificatarum, secundum secundam classem, tertium tertiam, quartum quartam. Cùm autem in singulis sint quatuor syllabæ: prima syllaba significat enunciationem possibilem, secunda contingentem, tertia impossibilem, quarta necessariam. Denique cùm in singulis syllabis sint singulæ vocales: A, significat enunciationem omnino affirmatam: E, enunciationem, cuius modus affirmatur, dictum negatur: I, enunciationem, cuius modus negatur,

dictum

dictum affirmatur: O, enunciationem omnino negatam:

9 *Dubitabit autem.* Cùm suprà in 4. part. disputans contra antiquos, visus sit hoc principio, quòd hanc enunciationem, *necesse esse*, consequitur enunciatio *possibile esse*: nunc hoc ipsum principium in dubium reuocat, & in vtramque partem disputat. Primùm igitur probat hoc principium esse verum: & probatio est, quam suprà habuimus partic. 5. quia nisi sequatur hæc, possibile esse, sequetur contradictio, id est, non possibile esse. Secundò cùm ait, *quòd si quis neget*, euertit primam solutionem, qua posset aliquis vti aduersus datam probationem. dicebat enim Aristoteles: Si non sequitur hæc, possibile esse: sequetur contradictoria. Hoc aduersarius concedit. Deinde subiiciebat Aristoteles: Atqui hæc est contradictoria, non possibile esse. Hoc aduersarius negat, inquiens, illi, *possibile esse*, non contradicere hanc, *non possibile esse*, sed hanc, *possibile non esse*: vt negatio apponatur verbo esse: non modo. Hæc responsio potest euerti duobus modis. primùm δι' ἐλέγχου: quia in præced. cap. probatum fuit contradictoriam fieri negatione apposita ad modum, non ad verbum *esse*. Sed hanc rationem Aristoteles nunc prætermittit. Prætereà potest euerti δι' ἀντιθέσεως, id est, per fiduciariam reprobationem: nempe quia dato & non concesso quòd hæc sit vera contradictio, *possibile non esse*, tamen non vitatur absurditas: cùm de eo quod necesse est esse, tam falso dicatur possibile non esse, quàm non possibile esse. vtputà si necesse est hominem esse animal: neq; possibile est hominem non esse animal, neque non possibile est hominem esse animal. Hac igitur ratione Aristoteles in præsentia impugnat illam responsionem. Tertiò cùm ait, *sed contrà*, argumentatur in contrarium: & per deductionem ad absurditatem nititur probare, quòd quartam enunciationem quarti ordinis non sequitur hæc *possibile esse*: quia quod possibile est esse, potest esse & non esse: velut si possibile est lignum secari, lignum potest secari & non secari: quòd verò necesse est esse, non potest esse & non esse: ergo quod necesse est esse, non est possibile esse: alioquin necessarium poterit esse & non esse: quod est absurdum. Si formam syllogismi, quo Aristoteles hic vtitur, scire aues: syllogismus ducens ad incommodum sic extruitur in prima figura: Quod est possibile esse, potest esse & non esse: atqui quod necesse est esse, possibile est esse: ergo quod necesse est esse, potest esse & non esse. Hæc conclusio est manifestè falsa: ergo vel vtraque, vel alterutra propositio est falsa. Sed maior est vera: & confirmatur exemplo: quoniam id, putà lignum, quod possibile est secari, potest secari & non secari. falsa igitur est minor: nempe, quod necesse est esse, possibile est esse. In contextu Aristoteles ponit expositionem maioris propositionis: & ibi, *esse & non esse*, ipsam maiorem. Deinde ibi, *itaque quod*, infert conclusionem. Tandem ibi, *hoc autem falsum*, euertit illam conclusionem. reliqua supplenda sunt, vt ego suppleui.

10 *Sed perspicuum.* Dubitationem in præcedente particula illatam bifariam soluit, id est, per duplicem possibilis distinctionem, vtramque perelegantem. Prior in hac particula habetur: posterior in partic. seq. Prior distinctio est talis: Alia est potentia ad vnum tantùm, vt ignis tantùm potest calefacere: alia verò est potentia ad vtrumque oppositum, vt homo potest ambulare & non ambulare. Hac distinctionē Aristoteles non simpliciter profert, sed per aliam distinctionem explanat. ac primùm diuidit potentiam in rationalem & irrationalem. rationalis est, quæ ratione agit, prout is vult, qui ratione est præditus, sicut in homine est potentia rationalis ad ambulandum & non ambulandum. Potentia verò irrationalis, quæ scilicet est absque ratione, subdiuiditur in actiuam, & passiuam. Actiua est, vt in igne ad calefaciendum. passiua, vt in ligno ad comburendum, vel secandum. Potentia rationalis, & potentia irrationalis passiua referuntur ad vtrumque oppositum. nam homo potest ambulare, & non ambulare: & lignum potest secari, & non secari: vel vri & non vri: potentia verò irrationalis actiua, est ad vnum: vt ignis potest tantùm calefacere. Quod dixi, potentias irrationales passiuas esse vtriusque oppositi, non videtur perpetuò esse verum: non videtur enim obtinere in corporibus cœlestibus. exempli gratià, Sol potest moueri, non potest autem non moueri. Sed quicquid de corporibus cœlestibus statuendum sit, quæ secundum Philosophum ratione (vt opinor) non carent, sed & animam & intelligentiam habent, si credimus Aristoteli, & optimo eius interpreti Alexandro: quicquid, inquam, de his statuendum sit, in præsentia scire sufficit quasdam esse potentias ad vtrumque, vt omnes vel plerasque potentias rationales, & passiuas irrationales: alias verò ad vnum: vt potentias actiuas irrationales, similiter aut omnes, aut multas. Hac distinctione posita, soluitur obiectio, id est, argumentum propositum in fine particulæ præcedentis. Cùm enim ibi, talis syllogismus propositus fuerit: Quicquid possibile est esse, potest esse & non es-

se. atqui quod necesse est, &c. neganda est maior propositio: quia iam docuimus, non omnia, quæ possibilia sunt, posse esse, & non esse. Quod attinet ad seriem contextus, Aristoteles primò negat eam maiorem. Secundò cùm ait, *verùm sunt*, vt ostendat eam maiorem non esse vniuersaliter veram, affert obiectionem (vulgò instantiam) in potentiis actiuis irrationalibus: & dat exemplum ignis, qui potest calefacere, & necessariò ac semper calefacit. Hic notandum est verbum *primùm*, quod respicit ad sequentem particulam, & ad secundam potentiæ distinctionem, quæ in ea particula affertur. Sed quia prolixa oratio intercedit, idcircò posteà nullum erit verbum, quod grammaticè huic respondeat. Est igitur grammaticè ἀνανταπόδοτον: quæ figura & alibi occurrit, vbi prolixior est oratio, tam apud Aristotelem, quàm apud alios auctores. Tertiò cùm ait, *potestates igitur*, vt meliùs eam obiectionem intelligamus, ponit distinctionem potentiæ in rationalem ac irrationalem: ac docet inter eas discrimen: quòd illæ sunt oppositorum: vnde quod eo modo est possibile, potest esse & non esse: hæ verò non sunt omnes oppositorum. nam actiuæ vnius actus, vt in igne est potentia tantùm calefaciendi. quædam verò, vt passiuæ, sunt oppositorum. Quartò cùm ait, *sed hoc ideò*, docet quò tendat hæc expositio, id est, eam refert ad illam negationem maioris propositionis: quoniam hinc patet, non omnem potentiam esse contrariorum, proinde non omnia possibilia posse esse & non esse. Ait, *ne quidem ea quæ dicuntur secundùm eandem speciem*. sensus est, dari potentiam sumptam secundùm eandem speciem, veluti potentiam actiuam irrationalem, exempli gratiâ potentiam calefaciendi, quæ non potest referri ad vtrumque oppositum. falsa est igitur ea propositio, Quicquid est possibile, potest esse & non esse.

11 *Quædam autem.* Sequitur altera potentiæ distinctio: quædam enim est separata ab actu, veluti sedentem possibile est ambulare: alia est coniuncta cum actu, vt ambulantem possibile est ambulare. atque hæ duæ significationes sunt homonymæ. Cùm igitur dicimus, quod necesse est, id possibile esse: intelligenda est potentia coniuncta cum actu. Sed non quicquid hoc modo possibile est, potest esse & non esse. quod autem priori modo est possibile, id potest esse & non esse. Quod attinet ad seriem contextus, Primùm Aristoteles inquit, potestatis vocabulum esse homonymum. Secundò cùm ait, *nam possibile*, declarat homonymiam & duas illas significationes exemplis perspicuis. Tertiò cùm ait, *& hæc quidem*, docet in quibus hæ potestates reperiantur: & ait hanc potestatem, id est, separatam ab actu, esse in solis rebus mobilibus, id est, mutabilibus: vt in homine, qui modò ambulat, modò non ambulat: illam verò, id est, coniunctam cum actu, reperiri etiam in rebus immobilibus, id est, non solùm dici posse esse, quod aliquando est, sed etiam quod semper est. vtputà homo, quando ambulat, potest ambulare: Sol autem, cùm semper moueatur, dicitur posse moueri. Quartò cùm ait, *vtrumque autem*, docet ab vtraque potentia denominari possibile, atque ita duo esse genera possibilium: quia dicitur posse esse, vel quod est, vel quod non est, sed esse potest. Quintò cùm ait, *quod igitur*, docet non omne possibile dici de necessario. ideò inquit, quod ita possibile est, id est, quod nondum est actu, id non verè dici de simpliciter necessario, id est, de eo quod verè necessarium & perpetuum est. alterum autem, id est, possibile quod actu est, verè dici: subaudi de necessario.

12 *Itaque cùm.* Concludit, necessariò consequens esse id quod est possibile, sicut particulari consequens est vniuersale, putà homini animal. nam possibile latiùs patet, quàm necessarium: siquidem complectitur & quod nunc actu est, & quod semper actu est, & quod nondum actu est, sed aliquando esse poterit.

13 *Ac fortasse.* Sequitur altera emendatio, quam Aristoteles adhibet ad typum modificatarum à veteribus delineatum. nam primo loco posuerunt possibile, & contingens quod possibili æquiualet: secundo impossibile: tertiò necessarium. Aristoteles autem iubet necessarium primo loco poni.

14 *Ex dictis.* Necessarium primo loco ponendum esse probat ex naturali ordine: quoniam in rebus tria sunt. primò sunt actus puri, id est, qui semper sunt actu, numquàm potestate: vt Deus, & omnes cœlestes intelligentiæ. quædam verò habent potestatem & actum: nempe ea, quæ non sunt æterna, sed primùm possunt esse, & postea sunt: vt ea quæ sunt ortui & interitui obnoxia. denique aliæ sunt potentiæ, quæ numquam reducuntur ad actum: vtputà numerus potest augeri in infinitum, & magnitudo diuidi in infinitum: numquàm igitur peruenies actu ad numerum maximum, nec ad magnitudinem minimam. His positis, facilè intelligimus, quæ semper sunt actu, cùm sint æterna, primum locum obtinere: secundo loco esse ea, in quibus spectatur potentia & actus: postremo potentias, quæ non possunt reduci ad actum.

atqui ea quæ semper sunt actu, sunt necessaria: quæ verò modò sunt actu, modò potestate, sunt possibilia: & quæ non possunt reduci ad actum, habent in se aliquid impossibile. primus igitur locus debetur enunciationibus necessariis, secundus possibilibus & contingentibus, postremus impossibilibus. Ait, *vt primæ substantiæ.* Primas substantias appellat, non indiuidua, vt Categor. cap. 5. sed substantias æternas, id est, Deum, & reliquas cœlestes intelligentias.

IN CAP. XIV. QVÆ SINT ENVNCIATIONES contrariæ.

Coronidis loco subiicit Philosophus hāc quæstionem; vtrùm affirmationi contraria sit negatio, sicut suprà tradidit, cùm dicebat has esse enunciationes contrarias, omnis homo est iustus, nullus homo est iustus; an potiùs contraria sit affirmatio contrarij attributi de eodem subiecto, veluti omnis homo est iustus, omnis homo est iniustus ostendit autem hanc quæstionem pendere ab altera, id est, quænam opiniones sint contrariæ. ideòque hanc quæstionem de opinionibus contrariis primùm perpurgat: deinde ex huius solutione colligit responsionem ad priorem quæstionem de enunciationibus contrariis. atque in summa docet, tam in opinionibus quàm in enunciationibus rem sic habere, vt negatio eiusdem attributi rectiùs contraria ponatur, quàm affirmatio contrarij attributi.

1 *Vtrùm autem* Quærit quænam enunciationes sint contrariæ, vtrùm affirmatio & negatio eiusdem attributi de eodem subiecto, an affirmationes contrariorum attributorum de eodem subiecto. Primùm ergo hanc quæstionem proponit, & ait, *Vtrùm contraria est* id est, verè & summè contraria: nam contraria definiuntur, quæ, cùm sint in eodem genere, plurimùm inter se distant, suprà cap. 6 Categor. part 24.) *Vtrùm*, inquam, *contraria est affirmatio negationi*, eiusdem scilicet attributi de eodem subiecto: *an affirmatio affirmationi* videlicet contrariorum attributorum de eodem subiecto. Secundò cùm ait, *& hæc oratio*, hanc quæstionem illustrat exemplis enunciationum vniuersalium: & affert exempla tam affirmationis & negationis, nempe omnis homo est iustus, nullus homo est iustus; quàm contrariarum affirmationum nimirum omnis homo est iustus, omnis homo est iniustus. Tertiò cùm ait, *veluti est Callias*, affert alia exempla enunciationum singularium, tam affirmationis & negationis, quàm contrariarum affirmationum. huic enim affirmationi, Callias est iustus, maximè opponitur vel hæc negatio, Callias non est iustus; vel hæc affirmatio, Callias est iniustus. Hic dubium occurrit: quoniam hæc exempla singularium enunciationum non videntur ad quæstionem propositam pertinere: quandoquidem has suprà cap. 7. part. 9. non appellauimus contrarias, sed contradictorias: hic autem est quæstio de enunciationibus contrariis, non de contradictoriis. Solutio duplex afferri potest. Prior est, Aristotelem in hoc versiculo non afferre exemplum quæstionis propositæ: iam enim id attulerat in membro præcedenti: sed à simili explanare hanc quæstionem: vt sensus sit, rectè quæri in vniuersalibus, vtrùm affirmatio, an negatio magis opponatur affirmationi: quemadmodum & in singularibus quæri potest, vtrùm affirmatio, an negatio magis opponatur. in hoc enim est similitudo quæstionis. Et responsio quoque similis esse debet; quoniam vtrobique veriùs opponitur affirmationi negatio eiusdem attributi, quàm affirmatio contrarij attributi. In eo verò est discrimen: quòd hæ oppositæ vniuersales, sunt contrariæ: singulares verò sunt contradicentes. Sed hoc discrimen in quæstione proposita nullius momenti est: cùm eodem modo sumatur contradicens in singularibus, quo contraria in vniuersalibus. ad quam similitudinem Aristoteles in præsentia respexit. Altera solutio est, vt dicamus distinctionem illam inter enunciationes contradicentes & contrarias habere locum in enunciationibus vniuersalibus, non etiam in singularibus. Vniuersali namque affirmationi duæ negationes opponuntur, vna vniuersalis, altera particularis: hæc vocatur contradictoria; quia semper altera est vera, altera falsa illa appellatur contraria, quia potest simul esse falsa, non simul vera, & quia plurimùm distat, cùm non tantùm neget, quod affirmatio affirmauit, sed etiam aliquid ampliùs, quemadmodum suprà exposui. cùm enim affirmatio dicat (exempli gratiâ) omnem hominem esse iustum, negatio vniuersalis non solùm negat omnem esse iustum, sed etiam negat aliquem vel vnum esse iustum. Finge aliquos esse iustos, aliquos non iustos: affirmatio vniuersalis, omnis homo est iustus, est falsa: affirmatio autem particularis, quidam homo est iustus, est vera. hæc autem negatio, nullus homo est iustus, non solùm euertit affirmationem vniuersalem falsam, sed etiam particularem veram. longissimè ergo distat

ab affirmatione vniuersali, & meritò vocatur contraria. Hæc ita in enunciationibus vniuersalibus obtinent. Alia est ratio particularium nam affirmationi, vt Callias est iustus, vna negatio opponitur, Callias non est iustus. non possumus igitur hîc aliam facere contradicentem, aliam contrariam: sed quæ contradicit, etiam plurimùm distat: proinde etiam contraria dici potest. Aristoteles tamen in sequenti part. huius cap. tantùm de enunciationibus vniuersalibus loquetur.

2 *Nam si ea.* Ostendit quæstionem propositam de enunciationibus contrariis pendere à quæstione de contrariis opinionibus. Ac primò ponit fundamentum huius dicti: quoniam ea quæ sunt in voce, consequentia sunt iis quæ sunt in dianœa, id est, interpretationes siue enunciationes pendent ab iis quæ sunt in intellectu, quorum sunt symbola & notæ, vt ex primo capite didicimus Dianœa tribuitur vel opinioni, siue intellectui opinanti, vt hoc loco: vel scientiæ, & intellectui scienti, vt libro 1. Poster. cap. 1. part 1. Ac *διάνοια* est cum ratiocinatione, vt *νοῦς* siue *νόησις* est simplex intelligentia. ideóque *διάνοια* est conclusionum, *νοῦς* primorum principiorum. Secundò cùm ait, *illic autem*, incipit ostendere, quomodo quæstio de enunciationibus pendeat à quæstione de opinionibus: quia si illic, id est, in dianœa, dicuntur opiniones contrariæ, quæ sunt contrariorum attributorum, eodem modo dicentur enunciationes contrariæ Tertiò cùm ait, *si vero non est illic*, docet, si e contrario opiniones contrariæ non sunt eæ quæ sunt contrariorum attributorum, sed ex quarum altera opinatur esse, altera non esse idem attributum: similiter enunciationes contrarias esse, non duas affirmationes, sed affirmationem & negationem.

3 *Quare considerandum.* Ex dictis infert soluendum in primis esse quæstionem de contrariis opinionibus, vt inde colligatur solutio quæstionis de contrariis enunciationibus.

4 *Sic autem.* Exemplis quibusdam illustrat quæstionem de contrariis opinionibus. Quæritur enim vtrùm huic veræ opinioni, quòd bonum sit bonum, contraria sit hæc falsa, quòd bonum non sit bonum; an hæc, quòd bonum sit malum. nam videri quidem possunt ambæ contrariæ. sed si est vna, (subaudi, vere & maximè contraria, cui conuenit contrariorum definitio, siquidem contraria definiuntur, quæ in eodem genere plurimùm inter se distant) quæritur, secundum quam sit contraria, id est, quænam sit accipienda pro maxime contraria vtrum ea opinio, quòd bonum non sit bonum, an hæc, quòd bonum sit malum.

5 *Si quis igitur.* Expositurus quæ sint opiniones contrariæ, ante omnia refellit prauam quandam definitionem, ne putemus eas esse contrarias opiniones, quæ contrariorum sunt. Vtitur autem argumento sumpto ex loco 22. secundi Topici: quia opiniones contrariæ non possunt simul esse veræ, multò minùs possunt dici vna opinio: opiniones autē contrariorum, vel sunt vna opinio, vel saltem possunt simul esse veræ: opiniones igitur contrariorum non sunt contrariæ. Maior propositio est manifesta. Minor confirmatur exemplo. nam opinio quòd bonum sit bonum, & opinio quod malum sit malum, sunt opiniones rerum contrariarum: & sunt fortassis vna opinio, aut saltem simul veræ. Inquit Aristoteles esse fortasse vnam & eandem opinionem: quia est vna & eadem genere, non specie. Quod attinet ad sententiam contextus, Primo Aristoteles ponit conclusionem, opiniones contrarias non debere ex eo definiri, quòd sint rerum contrariarum. Secundò cum ait, *nam de bono*, ponit minorem propositionem explanatam dicto exemplo, quod aliquis opinatur bonum esse bonum, & malum esse malum. Tertiò cùm ait, *atqui hæc sunt contraria*, obiicit contra sententiam, quam probauit: & inquit hæc, id est, bonum & malum, esse contraria. Vnde videtur etiam opinionem boni & opinionem mali esse contraria. Quartò cùm ait, *sed non e.*, soluit illam obiectionem: & inquit opiniones contrarias appellari, non quia sint rerum contrariarum, sed quia contrario modo se habeant circa eandem rem.

6 *Ergo si de bono.* Quinque rationibus probat contrarietatem consistere in negatione eiusdem attributi, non in affirmatione contrarij attributi. Affirmationem & negationem in præsentia appello, non enunciationes, sed opiniones quòd res sit vel non sit. Hæ igitur quinque rationes omnes eò spectant, & ad eundem finē diriguntur. Speciales tamen singularum conclusiones non semper sunt eædem. nam modò probat opinionē negationis esse magis contrariam, quam opinionem affirmationis: modò probat opinionem negationis esse verè contrariam: modò aliud simile concludit, vt sigillatim explicabo. Prima ratio, quæ ponitur in hac particula, probat opiniones, quæ sunt de aliquo alio attributo siue affirmato siue negato, non esse contrarias, vt inde appareat, eam solam esse verè contrariam, quæ negat idem attributum [illegible] subiecto. Hæc ratio sumitur ex 6. [illegible] 4 [illegible]

[illegible] pi-

7. Topici: quoniam numerus infinitus accidit opinionibus de diuersis attributis, non accidit autem cōtrariis opinionibus. Syllogismus ita extruitur: Contraria non sunt infinita, sed reliqua, præter negationē eiusdem attributi, sunt infinita: ergo non sunt contraria. Maior manifesta est. Minor probatur: quia infinita sunt, quæ insunt, & quæ non insunt subiecto, vtputa bonum est expetendum, est iucundum, est vtile, non est fugiendum, non est odio habendum, non est damnosum, &c. si igitur contraria dicerentur ea negata quæ insunt, veluti, bonum non est expetendum, aut ea affirmata, quæ non insunt, veluti, bonum est malum, bonum est fugiendū: iam infinita essent contraria. In contextu Aristoteles primo præmunit, subiecto, putà bono, de quo vera est opinio quòd sit bonum, & falsa quòd non sit bonum, huic (inquam) subiecto quædam nō inesse, nec posse inesse, veluti malum, aut fugiēdum subaudi, & alia quædam inesse, veluti expetendum. Secundo cum ait, *profectò nullam*, ponit conclusionem probandā, inquiens nullam aliarum opinionum, præter eam scilicet quæ negat idem attributum de eodem subiecto, contrariam dici posse: siue opinetur inesse, quod non inest, veluti, bonum est malum: siue opinetur non inesse, quod inest, veluti, bonum non est expetendum. Tertiò cum ait, *infinitæ enim*, ponit minorem propositionem dicti syllogismi, cuius nos suprà suppleuimus maiorem propositionem.

7 *Sed in quibus* Sequitur secunda ratio ex loco 13. secundi Top. nempe ab antecedente eius de quo est quæstio. Syllogismus extruitur hypotheticè κατὰ πρόσληψιν hoc modo. In quibus est deceptio, in iis inest contrarietas: atqui in oppositis (id est, in affirmatione & negatione eiusdem attributi) est deceptio: ergo in oppositis est contrarietas. Maior patet: quia tunc decipimur, cùm nostra opinio est rebus ipsis contraria, id est, cùm opinamur contrarium, quàm reuera sit. Minor probatur ex eodem loco, & eàdem formâ hunc in modum: Ex quibus est generatio, in iis est deceptio: atqui ex oppositis est generatio: ergo in oppositis est deceptio. Huius prosyllogismi maior patet: quia deceptio est generatio quædā falsæ opinionis in nostro intellectu. Minor patet ex definitione generationis, quę est motus a non esse ad esse: consistit igitur in his terminis cōtrariis, quorū alter affirmatur, alter negatur. In contextu Aristoteles primùm ponit maiorem propositionem syllogismi principalis. Secundo ibi, *hæ verò*, ponit maiorem propositionem prosyllogismi, ex quo vult colligere minorem syllogismi principalis. Tertiò ibi, *atque ex oppositis*, ponit minorem eiusdem prosyllogismi. Quartò ibi, *ergo etiam deceptiones*, ponit conclusionem eiusdem prosyllogismi, quæ est minor propositio syllogismi principalis. Initio autem particulæ habuimus maiorem. Conclusio verò est in præcedente particula, cui hæc manifeste cohæret.

8 *Si igitur.* Sequitur tertia ratio: quæ, vt summatim & facile explicetur, talis est: Opinio negationis est falsa per se: opinio verò affirmationis de attributo contrario, est falsa per accidens: ergo illa est magis falsa; proinde magis contraria: ideóque, simpliciter loquendo, contraria dici debet. Sunt igitur hic extruendi tres syllogismi subordinati. Primus sumitur ex 5. loco tertij Topici: Opinio quæ est per se falsa, est magis falsa, quàm ea quæ per accidens: atqui opinio negationis, id est, quæ negat idem attributum de eodem subiecto, est falsa per se: opinio verò affirmationis, id est, quæ affirmat contrarium attributum, est falsa per accidens: ergo illa est magis falsa, quàm hæc. Secundus syllogismus est ex 16. loco 3. Top. Opinio magis contraria, est magis falsa: atqui opinio negationis est magis falsa: ergo est magis contraria. Sic recte concluditur ex duabus affirmantibus in secunda figura, non ratione formæ, sed ratione materiæ: quia maior propositio constat ex terminis reciprocis seu conuertibilibus. vnde ea propositione reciprocata, fiet syllogismus in prima figura. Tertius syllogismus est: Opinio magis seu maximè contraria, simpliciter est vocanda contraria: atqui opinio negationis, est maximè contraria: ergo opinio negationis simpliciter est vocanda contraria. Quod attinet ad seriem contextus, Aristoteles primo loco ponit protheoriam quandam, id est, pręmunit, id, quod est bonum, per se dici bonum, & per accidens dici non malum, quatenus bono accidit vt non sit malum. Secundò cùm ait, *magis autem*, ponit maiorem primi syllogismi, quòd opinio per se falsa, est magis falsa: simulque eam probat à contrario, nempe ex loco 14. quinti Top. quia opinio per se vera, est magis vera. Tertiò cùm ait, *hæc igitur*, subiicit minorem propositionem eiusdem primi syllogismi. Quartò cùm ait, *quare magis*, infert conclusionem eiusdem primi syllogismi, quæ fit minor propositio in secundo syllogismo. Quintò cùm ait, *maximè autem*, adiungit maiorem secundi syllogismi. Sextò cùm ait, *contraria namque*, eandem maiorem probat à definitione contrarij, quam definitionem & suprà habuimus, cap. 6. Categor. part. 24. Septimò cùm ait, *at*

gitur, infert conclusionem secundi syllogismi, quæ fit minor in tertio syllogismo. Octauò cùm ait, *constat h unc esse*, infert conclusionem tertij syllogismi. Nonò cùm ait, *hæc verò*, adiungit quandam hypotheoriam. suprà namque dixerat opinionem quæ contrarium affirmat, esse contrariam per accidens; opinionem verò negationis, esse contrariam per se: hæc enim erat minor propositio secundi syllogismi: nunc igitur id explanat. Sit enim opinio vera, quòd bonum est bonum. huic dicimus esse contrariam per se, quòd bonum non est bonum: per accidens verò, quòd bonum est malum: nempe quia hæc opinio, bonum esse malum, catenus est illi contraria, bonum est bonum, qua enus in se includit negationem: quia si est malum, non est bonum: & hæc opinio, non esse bonum, est contraria illi, esse bonum.

9 *Præterea si in alijs*. Quarta ratio sumitur à simili ex 32. loco secundi Topici. Syllogismus est hypotheticus à positione antecedentis ad positionem consequentis, hoc modo: Si in iis, quibus nihil est contrarium, opinio contraria sumitur ex negatione eiusdem attributi, non ex affirmatione contrarij: eodem modo sumenda est opinio contraria etiam in iis quæ habent contrarium: atqui verum prius: verum igitur & posterius. Si obiicias, Quomodò ponitur negatio esse contraria, cùm dicatur nihil esse contrarium: respondebo nihil esse contrarium attributo per se accepto: sed affirmationi in qua illud attributum ponitur, contrariam dici negationem eiusdem attributi. exempli gratiâ, huic opinioni, hominem esse animal, contraria est opinio negatiua, hominem non esse animal: non affirmatio attributi contrarij: quia animali & ceteris substantiis nihil est contrarium, vt didicimus ex Categor. cap 5 part. 18. Ergo similiter huic opinioni, iustitiam esse bonam, contraria erit opinio negatiua, iustitiam non esse bonam, potiùs quàm opinio affirmatiua, iustitiam esse malam. Consequentia probatur: quia opiniones contrariæ semper sumi debent eodem modo, id est, vel semper duæ affirmationes, vel semper affirmatio & negatio. cùm igitur non semper possint sumi duæ negationes, oportet sumere affirmationem & negationem. In contextu Aristoteles primò ponit maiorem hypotheticam. Ait, *in alijs similiter [rem se] habere*. sensus est, in iis rebus, quibus nihil est contrarium, sic rem se habere, vt negatio sit contraria affirmationi. Secundò cùm ait, *aut enim vbique*, probat eandem maiorem syllogismo disiunctiuo: cuius tantùm ponit maiorem propositionem, minore prætermissa. Integer syllogismus est: Aut vbique, id est, in omnibus rebus, siue contrarium habeant, siue non habeant, contraria est opinio negationis, id est, opinioni affirmanti contraria est opinio negans, aut nusquam ita est contraria: sed falsum prius: ergo verum posterius. Tertiò cùm ait, *at quibus*, subiicit minorem propositionem syllogismi principalis. Quartò cùm ait, *si igitur*, ponit conclusionem.

10 *Præterea similiter*. Sequitur ratio à proportione ex 23. loco 5. Topici. Considerat enim Aristoteles quatuor opiniones. prima est, bonum esse bonum: secunda, non bonum non esse bonum. tertia, bonum non esse bonum: quarta, non bonum esse bonum. omnes hæ opiniones versantur in iisdem terminis, *bonum*, & *non bonum*. Sed primæ duæ sunt veræ: duæ reliquæ, falsæ. item primæ duæ tam subiecto quàm attributo differunt: quia prima habet vtrumque affirmatum, secunda vtrumque negatum. Similiter tertia & quarta tam subiecto quàm attributo differunt: quia tertia habet subiectum affirmatum, id est, finitum, quarta negatum, id est, infinitum. rursus tertia habet attributum negatum, quarta affirmatum. His quatuor opinionibus ita positis, Aristoteles sic argumentatur: Secunda & quarta sunt opiniones inter se contrariæ: ergo etiam prima & tertia sunt inter se contrariæ: atque ita opinioni affirmanti contraria est opinio negans: prima namque opinio erat affirmatiua, bonum esse bonum: tertia negatiua, bonum non esse bonum. Consequentia patet per argumentum à commutata proportione. cum enim quatuor sunt termini, eadémque ratio est inter primum & secundum, quæ inter tertium & quartum: tunc commutata proportione dicimus eandem esse rationem inter primum & tertium, quæ est inter secundum & quartum. veluti, si termini sunt, tria, sex, nouem, octodecim: eadem est ratio inter tria & sex, quæ inter nouem & octodecim, nempe vtrobique ratio dupla ergo commutata proportione necesse est, vt eadem sit ratio inter tria & nouem, quæ est inter sex & octodecim, nempe vtrobique ratio tripla. Sic igitur & in subiecto argumento eadem est ratio inter primam & secundam opinionem, quæ est inter tertiam & quartam: sicut enim prima & secunda differunt tam subiecto quàm attributo, ita & tertia & quarta, vt suprà exposui: ergo commutando proportionem, dicamus eandem esse rationem inter primam & tertiam, quæ est inter secundam & quartam. Si igitur secunda & quarta sunt contrariæ, etiam prima & tertia sunt contra-

contrariæ. Hoc autem antecedens, quòd prima & tertia sint contrariæ, Aristoteles ita probat per syllogismum disiunctiuum à sufficienti (vt vocant) partium enumeratione. huic enim secundæ opinioni, non bonum non esse bonum, contraria est vna ex tribus opinionibus, id est, vel non bonum esse malum, vel non esse malum, vel esse bonum: atqui ex his tribus opinionibus, illæ duæ quæ pro attributo accipiunt malum, non possunt dici contrariæ: relinquitur igitur, vt contraria sit illa, quæ pro attributo accipit bonum, & opinatur non bonum esse bonum. Sic patet, secundam opinionem, non bonum non esse bonum, & quartam opinionem, non bonum esse bonum, esse contrarias. Quod autem modò assumpsimus, id est, opiniones quæ pro attributo accipiunt malum, non posse dici contrarias, ita probatur: Contrariæ non possunt esse simul veræ: hæ autem possunt esse simul veræ: (quod enim non est bonum, potest esse malum, vt iniustitia: & potest non esse malum, vt ea quæ vocantur *ἀδιάφορα*, quæ nec bona sunt nec mala: & vt infans necdum est bonus vel malus) hæ igitur non sunt contrariæ. Sententiâ enarratâ, accedimus ad expositionem verborum. Primò Aristoteles ponit ordine quatuor illas opiniones. Secundò cùm ait, *ergo huic vera*, quærit quænam opinio sit contraria secundæ. Tertiò cùm ait, *non enim eas*, probat secundæ illi opinioni, id est, non bonum non esse bonum, non esse contrariam eam quæ affirmat esse malum. probat autem syllogismo, quem paulò antè extruxi: quia contraria non possunt simul esse vera: hæ autem opiniones possunt esse simul veræ. Sed huius syllogismi initiò proponit conclusionem probandam: & ibi, *quia quandoque*, adiungit minorem propositionem: & ibi, *nunquam autem*, subiicit maiorem: denique ibi, *aliquod enim*, confirmat minorem. Quartò cùm ait, *rursus non erit*, probat eidem secundæ opinioni non esse contrariam eam, quæ opinatur bonum non esse malum, ob eandem rationem, quia & hæc potest simul esse vera. Sed hic omittit maiorem syllogismi propositionem: tantùm ponit conclusionem, & ibi, *quoniam hæc* minorem propositionem. Quintò cùm ait, *relinquitur ergo*, ex dictis colligit, cùm duæ illæ opiniones non sint contrariæ, id est, quæ opinatur esse malum, & quæ opinatur non esse malum, restare vt hæc dicatur esse contraria, quæ opinatur esse bonum: hæc autem erat quarta opinio: sic igitur probatum est, quartam opinionem esse contrariam secundæ. Sexto cùm ait, *quapropter etiam*, concludit, primæ opinioni contrariam esse tertiam: quia modò dictum fuit, secundæ contrariam esse quartam.

11 *Perspicuum autem.* Quoniam videtur hactenus esse locutus de opinionibus indefinitis, bonum esse bonum, &c. indefinitæ autem non vocantur contrariæ, sed contradicentes, & possunt esse simul veræ, vt didicimus ex cap. 7. partic. 10. idcirco, vt omnem dubitationem tollat, docet se indefinitas, vt sæpe fit, accepisse pro vniuersalibus: quo casu *bonum esse bonum*, & *omne bonum esse bonum*, idem valent. Ait, *nullum fore discrimen*, id est, argumenta suprà adducta habitura eandem vim, *etiamsi vniuersalem ponamus affirmationem*, id est, etiamsi pro exemplis indefinitis, quibus suprà vsi sumus, accipiantur exempla vniuersalia. Vniuersali namque affirmationi contraria est vniuersalis negatio: vt omnis, & nullus.

12 *Quare si in opinione.* Decisa quæstione de opinionibus contrariis, concludit idem esse dicendum de contrariis enunciationibus: consequentia namque valet ex hypothesi posita in partic. 2. Quod attinet ad seriem contextus, Aristoteles repetit probationem consequentiæ ab opinionibus ad enunciationes. Primò igitur ponit hanc hypothesim, quòd in opinionibus ita se res habet, vt scilicet opinio quæ negat idem attributum, sit contraria opinioni affirmanti. Secundò cùm ait, *& affirmationes*, addit alteram hypothesim, enunciationes esse notas seu symbola eorum quæ sunt in animo. Hæc hypothesis patet ex primo capite: & valet ad probandam consequentiam, confirmandámque affirmentationem ab opinionibus quæ fiunt in animo, ad enunciationes quæ sunt in voce. Tertiò cùm ait, *constat affirmationi*, ex dictis hypothesibus colligit, affirmationi contrariam esse negationem eiusdem attributi. Quartò cùm ait, *vt illi*, conclusionem modò probatam illustrat duobus exemplis: quorum alterum est, *Omne bonum est bonum, nullum bonum est bonum*: alterum, *omnis homo est bonus, nullus homo est bonus*. hæ namque sunt enunciationes contrariæ. Quintò cùm ait, *contradictoriè verè*, obiter adiungit enunciationes contradicentes, vt inter has & contrarias distinctionem ponat. sicut igitur illæ erant contrariæ negationes, nullum bonum est bonum, nullus homo est bonus: ita hæ sunt contradicentes, non omne bonum est bonum, & non omnis homo est bonus. Intellige contrarias vel contradicentes illis affirmationibus, omne bonum est bonum, & omnis homo est bonus.

13 *Perspicuum etiam.* Quod suprà supposuit, contrarias opiniones vel enunciationes

non posse esse simul veras, id nunc à rebus ipsis confirmat: quia contraria non possunt simul esse in eodem subiecto. Ait igitur non posse fieri vt opinio vera sit veræ contraria, id est, vt duæ opiniones contrariæ sint simul veræ. Item fieri non posse vt contradictio, id est, enunciatio opposita, ypera veræ sit contraria, id est fieri non posse vt simul veræ sint duæ enunciationes contrariæ. hoc autem ex eo probat, quòd contrariæ (subaudi, opiniones vel enunciationes) sunt circa opposita, id est, sunt extrema quædam, quibus interiacent opposita, id est, particulares opiniones seu enunciationes, quæ opponuntur, id est, contradicunt vniuersalibus illis quibus sunt interiectæ. Sensus igitur est, vniuersalia collocari in locis extremis, particularia verò in medio. Exempli gratiá, in vno extremo ponitur vniuersalis affirmatio, omnis homo est iustus: in altero extremo opposito negatio vniuersalis, nullus homo est iustus. his intericiuntur duæ particulares, id est, particularis affirmatio, quidam homo est iustus, quæ negationi vniuersali contradicit, & particularis negatio, quidam homo non est iustus, quæ vniuersali affirmationi contradicit. Sic ergo patèt vniuersalia esse circa particularia sibi opposita. circa quæ particularia vere opinari ac dicere contingit, id est, particulares illæ opiniones vel enunciationes possunt esse simul veræ: vt quendam hominem esse iustum, & quendam hominem non esse iustum. Opiniones significauit Aristoteles verbo, *opinari*: enunciationes vero verbo *dicere*. Addit Philosophus, simul contraria eidem inesse non posse, id est, fieri non posse vt illa duo contraria, quæ in extremis locis ponebantur, sint simul vera: sic enim contingeret hoc impossibile, quòd contraria simul essent in eodem subiecto. Sic Philosophus breuissime & obscurissimè innuit discrimen inter enunciationes vniuersales & particulares: quod propter eius elegantiam dignum est clariori expositione. Notandum est igitur, in enunciationibus vniuersalibus quarum altera affirmat, altera negat, esse omnino idem subiectum. veluti cum vna affirmat de omni homine in vniuersum, altera autem de omni in vniuersum negat: nullus enim homo est, de quo non altera affirmet, altera neget. quoniam igitur omnino est idem subiectum, non potest de eo simul idem attributum verè affirmari & vere negari. Alia est ratio particularium: quia cùm earum subiectum sit vagum, non omnino vtræque habènt idem subiectum: sed cùm dicimus particulares affirmationem & negationem simul esse veras, de alio subiecto accipimus affirmationem, de alio negationem quidam enim homo, vt Papinianus, est iustus: quidam homo, vt Caligula, non est iustus. nam subiectum illud, *quidam homo*, cum sit vagum & indeterminatum, de alio atque alio homine accipitur. Vnde non insunt contraria in eodem subiecto, sed in diuersis subiectis vagis.





IVLII PACII A BERIGA IN ANALYTICORVM PRIORVM LIB. I.

Commentarius Analyticus.

QVEMADMODVM triplex eſt noſtri intellectus operatio, & per eam triplex cognitio, quarum prima verſatur in ſimplicibus terminis, altera in vero aut falſo enunciando, ſiue in componendo & diuidendo, tertia in ratiocinando & progrediendo a notis ad ignota: ita tres ſunt partes artis logicæ, vna de ſimplici interpretatione, id eſt, de nomine & verbo, altera de enunciatione, tertia de ſyllogiſmo. duabus igitur, quæ ſimpliciores & naturâ priores ſunt, expoſitis, ſequitur tertia, quę eſt præcipua, vtpote quæ ſubiectum logicæ declarat, ſicut paulo pôſt explicabo. Nunc, expoſito nexu huius libri, quædam de inſcriptione dicamus. Analyticorum, id eſt, reſolutoriorum inſcriptio communis eſt quatuor libris, quorum duo priores ſunt de ſyllogiſmo, poſteriores de demonſtratione: ideóque diſtinctionis cauſâ vocantur Priora Analytica, & Poſteriora Analytica. non ſolùm enim hi libri ſunt analyticè conſcripti, ſed etiam docent rationem, qua ſingula analyticè tractantur. Analyticè tractari dicuntur, quæ accuratè docentur per demonſtrationes, ita vt res in ſua principia reſoluantur. atque huic analyticæ tractationi opponitur logica ſeu dialectica, vt libro primo Poſter. cap. 22. partic. 1. 22. 23. & 29. Sic in his prioribus Analyticis Ariſtoteles reſoluit ſyllogiſmum in ſua principia, id eſt, in propoſitiones, ex quibus efficitur concluſio, & in terminos, ex quibus propoſitiones conſtant. & in poſterioribus ſimiliter reſoluit demonſtrationem in ſua principia, quæ ſunt cauſæ concluſionis. Obſerua ex Zabarella in primum cap. 1. lib. Poſter. demonſtrationem non eſſe reſolutionem, ſed potiùs compoſitionem, quam reſolutio præcedit. principia namque per reſolutionem inuenimus. deinde, iis inuentis, extruimus demonſtrationem. Eadem eſt ſyllogiſmi ratio. Hæc de inſcriptione dicta ſint. Iam videamus, quòd ſit ſubiectum, & quis ſcopus horum librorum. Aut quæritur ſubiectum & ſcopus priorum Analyticorum, aut Poſteriorum, aut communiter Analyticorum. Priorum ſubiectum eſt ſyllogiſmus, qui eſt etiam ſubiectum commune toti logicæ. nam hi libri Priorum generales ſunt, id eſt, generaliter explicant ſubiectum, nempe ſyllogiſmum, cuius partes ſuperiori libro declaratæ fuerunt, & ſpecies ſequentibus libris declarabuntur. Eorundem Priorum ſcopus eſt cognitio ſyllogiſtica: ſcopùs, inquam, ſeu finis externus, non internus, id eſt, quem non conſequitur logicus, ſed philoſophus organo logico vtens. Sic enim logica philoſophiæ inſeruit, vt arti equeſtri ars conficiendi frænos, & arti militari ars equeſtris. Poſteriorum ſubiectum eſt demonſtratio: finis autem ſimul et externus eſt ſcientia demonſtratiua. Communiter Analyticorum duplex ſubiectum, & duplex finis conſiderari poteſt. nam ſubiectum commune, quod Scholaſtici rectiſſimè adæquatum appellant, eſt ſyllogiſmus, & finis adæquatus eſt ſcientia ſyllogiſtica. ſubiectum verò principale eſt demonſtratio, & finis principalis eſt ſcientia demonſtratiua, quæ eſt finis præcipuus totius logicæ. Subiectum igitur adæquatum & finis adæquatus ſumuntur ex libris Priorum: ſubiectum autem principale, & finis principalis, ex libris Poſteriorum. Vnde intelligimus coniungi poſteriores cum prioribus: non quia ſyllogiſmi vna ſpecies ſit demonſtratio. nec quia ea, quæ in Prioribus docentur, non pertineant etiam ad Topicum: (contrarium enim defendi diſputat. 2. theſ. 6. & perſpicuè colligitur ex huius lib. cap 1. part 6. & cap. 6. part. vlt. & lib. ſeq. cap 23 partic. 1 & Topic lib. 1. cap. 1. part 12.) ſed quia demonſtratio eſt præcipua pars ſyllogiſmi, quæ maximè probat, quippe quæ nunquam fallit: cùm ſyllogiſmus dialecticus ſæpe, ſophiſticus autem ſemper decipiat. Supereſt, vt diuiſionem afferamus. Analytica diuiduntur in Priora, quæ

ſunt de ſyllogiſmo, & poſteriora, quæ agunt de demonſtratione. Priora ſubdiuiduntur in duos libros. In primo conſideratur ſyllogiſmus conficiendus: logica namque non eſt ſcientia, ſed ars: proinde non in contemplatione, ſed in effectione conſiſtit. In altero libro conſideratur ſyllogiſmus iam factus. quòd ſi libet cum Scholaſticis loqui, primus liber conſiderat ſyllogiſmum in fieri, ſecundus, ſyllogiſmum in facto eſſe. De ſyllogiſmo conficiendo tria explicantur, γένεσις ſeu σύνθεσις, & εὕρεσις, ſiue εὐπορία, & ἀνάλυσις, id eſt, conſtitutio ſeu conſtructio, & inuentio ſeu copia, & reſolutio ſeu diſpoſitio. Primùm enim ſcire oportet, quomodo ſyllogiſmi extruantur: deinde quomodo facile fiant, & ſint in promptu: poſtremò quomodo ſyllogiſmi ab aliis facti confuſi & perturbati, redigantur ad ſuam formam, id eſt, quomodo ex orationibus quibuſcumque poſſimus ſyllogiſmos latentes eruere, item quomodo poſſimus ſyllogiſmos quacumque formâ extructos, in aliam formam vel in alium modum referre ac reſoluere. Primus tractatus, qui eſt de ſtructura ſyllogiſmorum, ſeu de ratione conficiendi ſyllogiſmos, tribus partibus conſtat. In prima præmuniuntur quædam principia, cap. 1. 2. & 3. In ſecunda extruuntur ſyllogiſmi ex puris, vel modificatis propoſitionibus, vel ex altera pura & altera modificata, vſque ad cap. 23. Tertia pars continet quaſdam hypotheorias, id eſt, quarundam quæſtionum ſolutiones, ab eo cap. 23. vſque ad cap. 27. vbi incipiet ſecundus tractatus de inuentione. His generaliter expoſitis, accedamus ad expoſitionem primi capitis In quo Philoſophus declarat ſubiectum & finem librorum Analyticorum; item proponit quædam principia, id eſt, definitiones, diuiſiones, & regulas.

1 *Primùm dicere.* Primùm proponit: deinde ibi, [*hoc eſt*] *eſſe circa*, exponit ſubiectum principale Analyticorum, id eſt, demonſtrationem, & finem principalem, id eſt, ſcientiam demonſtratiuam. Aliud eſt ſubiectum adæquatum, & alius eſt finis adæquatus, vt ſuprà expoſui. Quid autem ſit demonſtratio, & quid ſcientia demonſtratiua, declarabitur ſecundo cap. primi Poſter. Ex hoc loco, ex prima particula 4. cap. & ex lib. 2. Poſter. cap. pen. partic. vlt. præter communem inſcriptionem, apparet Ariſtotelem coniungere priora analytica cum poſterioribus, & agere de ſyllogiſmo in gratiam demonſtrationis: non quia hic tractatus ſoli demonſtrationi inſeruiat, ſed quia ei præcipuè inſeruit, tamquàm perfectiſſimæ ſyllogiſmi ſpeciei, vt ſuprà notaui.

2 *Poſteà definire.* Proponit explicanda quædam principia ſyllogiſmis omnibus communia eáque proponit partim ordine reſolutiuo, partim compoſitiuo, partim diuiſiuo. & quo ordine proponit; eodem ordine mox declarabit. progreſſus enim à propoſitionibus ad terminos eſt reſolutiuus: quia propoſitio ex terminis conſtat, & in eos reſoluitur, vt dicetur in 7. partic. A propoſitionibus autem & terminis ad ſyllogiſmum eſt progreſſus compoſitiuus: quoniam ſyllogiſmus ex iis componitur. Denique progreſſus à ſyllogiſmo generaliter accepto ad ſyllogiſmum perfectum qui fit in prima figura, & imperfectum qui fit in ſecunda vel tertia figura, eſt diuiſiuus à genere ad ſpecies. Notandum igitur eſt, nullam eſſe ordinis ſpeciem, cui ſimus perpetuò adſtricti: ſed obſeruandum ſemper, vt à notioribus ad ignotiora progrediamur, id eſt, vt præponamus quæ ad ſequentia explicanda valent. Quocirca Ariſtoteles in præſentia, etſi conſtituerat vti ordine compoſitiuo à partibus ſyllogiſmi ad ſyllogiſmum: tamen ab hoc ordine recedit, quatenus partes compoſitas, id eſt, propoſitiones, præponit ſimplicibus, nempe terminis: quia terminus per propoſitionem definietur, adeò vt definitio termini non poſſit intelligi, niſi ſciatur quid ſit propoſitio.

3 *Poſt hæc.* Proponit alia principia declaranda, quæ propria ſunt primæ ſyllogiſmorum figuræ.

4 *Propoſitio igitur.* Quo ordine ſingula propoſuit, eodem ordine deinceps enarrat, incipiens à propoſitione, cuius tres diuiſiones proponit, primam ſumptam à qualitate, ſecundam à quantitate, tertiam à materia. Prima ponitur in hac particula eámque Ariſtoteles vult ſimul & definitionis & diuiſionis vim habere. ideóque proponit genus, & ſubiicit membra diuidentia loco differentiæ, inquiens propoſitionem eſſe orationem affirmantem vel negantem aliquid de aliquo. De re definita notandum eſt, propoſitionem ab enunciatione non re differre, ſed ratione: eadem namque oratio, quatenus interpretatur mentis conceptum, dicitur enunciatio: & quatenus eſt pars ſyllogiſmi, appellatur propoſitio. Ad definitionem verò primùm notetur, hinc eſſe definitionem, quam M. Tullius in Topicis vocat definitionem diuiſionum, hoc eſt, quæ ſumitur à partibus & quaſi ſpeciebus rei definitæ. locus autem eſt huiuſmodi definitionibus, vbi id quod definitur, non eſt verum genus, hoc eſt, non continet æqualiter

omnes

omnes species: cuiusmodi est propositio, vt recte Alexander tradit; quoniam affirmatio, vt simplicior, ita prior est negatione. Similiter ob eandem rationem Aristoteles animam definiuit lib.2. de anima, cap.2. Præterea notanda sunt verba illa, *aliquid de aliquo*, quæ hic latè accipiuntur: alioqui conuenirent soli affirmationi, non etiam negationi, vti constat ex cap.6.de interpret.part.1. & 2.

5 *Hæc autem [est] vniuersalis.* Sequitur propositionis altera diuisio à quantitate: quam diuisionem iam exposui cap. 7. de interpretatione. Sed notandum est, hic poni tantùm tria membra, id est, propositionem vniuersalem, particularem, & indefinitam, omitti singularem, vt Socrates est Philosophus, quia nulla est singularium sciẽtia, vt ex Platone Porphyrius notauit cap. 2. part.35.

6 *Iamuerò propositio.* Sequitur tertia propositionis diuisio à materia. alia namque propositio est necessaria, quam vocamus demonstratiuam: alia probabilis, quam nominamus dialecticam: alia fallax & captiosa, quam appellamus sophisticam. sed in contextu omittitur vnum membrum, id est, propositio sophistica, de qua alibi dicetur, quia remotissima est à demonstrationibus & à scientiis. Obseruat igitur Aristoteles præceptum, quod ipse præscripsit primo Top. cap.16. de differentiis inueniendis, id est, docet quid differat propositio demonstratiua à dialectica, cum qua habet maiorem affinitatem: non etiam à sophistica, à qua longissimè abest. Quod attinet ad seriem contextus, Aristoteles primo loco ponit inter propositionem demonstratiuam & dialecticam discrimen sumptum à forma, nempe quòd demonstratiua sumit vnam contradictionis partem, id est, vel tantùm affirmat, vel tantum negat: dialectica verò propositio est interrogatio contradictionis, id est, interrogat vtramque partem contradictionis, ita vt neutram affirmet, vel neget, sed electionem interrogato relinquat, vtrùm malit affirmare, an negare. Exempli gratiâ, motus est æternus, est propositio secundùm Aristotelem demonstratiua: hæc verò propositio, Estne motus æternus, an non? est propositio dialectica. Notandum est, omnem interrogationem dialecticam referri ad vtramque partem contradictionis, quia semper datur optio aduersario, vtrùm malit affirmare, an negare. sed interdum vtraque pars exprimitur, vt in hoc exemplo, vtrùm motus est æternus, an non? interdum verò, altera exprimitur, altera subauditur, veluti, éstne motus æternus? Quare Aristoteles in præsentia respiciens ad id quod est in re ipsa, siue tacitum siue expressum, inquit propositionem dialecticam interrogare vtramque partem contradictionis. cap. autem 11. de interpret. part. 2. respiciens ad id quod voce exprimitur, dixit propositionem dialecticam esse vel petitionem propositionis, vel alterius partis contradictionis. Exposui, quod Aristoteles primò in hac particula proponit, id est, discrimen propositionis demonstratiuæ & dialecticæ sumptum à forma. Secundò cùm ait, *Sed [quod] ad vtriusque*, tollit illud discrimen, id est, ostendit id non habere locum in ratiocinando: quoniam etiamsi dialecticus interroget, non tamen ex interrogationibus extruit syllogismum, sed ex propositionibus affirmantibus vel negantibus, quas per interrogationem elicuit ex ore aduersarij. Ait igitur, *quod ad vtriusque syllogismum conficiendum attinet*, id est, in extruendo syllogismo siue demonstratiuo siue dialectico, *nihil differt*, id est, non differt propositio dialectica à demonstratiua. Intellige nihil differre ratione formæ, vt proximè sequentia verba declarant, cùm inquit, *nam & qui demonstrat.* nam ratione materiæ omnimodo & semper differunt, vt paulò pòst declarabitur. Tertiò cùm ait, *quare syllogistica*, ex dictis colligit dialecticam & demonstratiuam propositionem genere esse eandem, specie autem differre. quæ vt perspicuè intelligantur, primùm describit genus, id est, propositionem syllogisticam, inquiens eam esse simpliciter affirmationem vel negationem alicuius de aliquo, sicut iam dictum fuit part.4. Verbum *simpliciter*, significat generaliter, vt fit propositio non coangustata ad materiam necessariam, vel ad materiam probabilem. Est igitur affirmatio vel negatio *eo quo diximus modo*, id est, vel vniuersalis vel particularis vel indefinita, sicut dictum est in partic. 5. Quartò cùm ait, *Demonstratiua autem*, definit propositionem demonstratiuam: cuius propria differentia sumitur à materia, quòd scilicèt hæc propositio est vera, & sumpta ex subiecti atque scientiæ principiis. Quintò cùm ait, *Dialectica verò*, definit propositionem dialecticam: & obiter repetit duos illos modos, quibus propositio dialectica consideratur, nempe vt interrogatio, & vt pars syllogismi. Priori modo accepta perspicuè distinguitur à demonstratiua, quia formam diuersam habet. Posteriori autem modo accepta distinguitur ratione materiæ: quia non est necessariò vera, vt demonstratiua, sed tantùm videtur esse vera, seu tantùm est probabilis,

vt in Topicis prolixiùs explicabitur. Tandem cum ait, *Quid igitur*, affert excusationem, ne ab aliquo reprehendatur, quòd non perfectè declarauit discrimina propositionum demonstratiuarum & dialecticarum: atque ait se in præsentia tradidisse, quæ ad præsentem vsum sufficiunt, cætera se expositurum suis locis, dum in posterioribus tractabit de propositione demonstratiua, & in Topicis de propositione dialectica.

7 *Terminum verò.* Postquàm locutus est de propositione, consequenter secundum particulæ 2. ordinem agit de termino. & primò eum definit. Secundò cùm ait, *vt attributum*, eum diuidit in attributum & subiectum. Tertiò cùm ait, *siue adiciatur*, explicat eam diuisionem: & inquit, in omni propositione esse duos terminos, subiectum & attributum: nihil autem referre, verùm velis considerare etiam copulam verbalem, an eam negligere. nam per se non est pars propositionis, non magis quàm aliæ particulæ, quas vocant syncategoremata, quales sunt præpositiones, & coniunctiones. Si verò copula verbalis consideretur vt adiacens & cohærens termino propositionis, tum cohæret attributo: quia idem est dicere, *ambulat*, & *est ambulans*, vt diximus ex libro de interpretatione. Nihil igitur refert, vtrùm attributum dicatur esse (exempli gratiâ) ambulans, an, est ambulans. in hac enim propositione, homo est ambulans, duo tantùm sunt termini, homo & ambulans, vel homo & est ambulans. nam vtroque modo secundùm Aristotelem loqui possumus. Notandum est tam ex termini definitione, quàm ex eius diuisione, terminum non considerari vt dictionem quandam per se, sed vt partem propositionis: quod & ipsum termini vocabulum satis declarat. Vocantur enim ab Aristotele termini, quia propositionem terminant, vt puncta lineam. quapropter Aristoteles propositiones interdum vocat interualla: qua de re dicam posteriùs. Præterea notandum, cùm Aristoteles ait terminum esse in quem dissoluitur propositio, perinde esse, ac si diceret, ex quo componitur propositio. nam res singulæ in ea principia resoluuntur, ex quibus componuntur. maluit tamen dicere, *in quem dissoluitur propositio*, quàm, ex quo componitur: propterea quòd priùs definiuit propositionem: & in hac parte non vtitur ordine compositiuo, sed resolutiuo: ideóque propositionem, de qua tota & integra proximè egit, nunc in terminos resoluit.

8 *Syllogismus autem.* Expositis partibus syllogismi, transit ad explicandum ipsum syllogismum. & in hac particula primò eum definit. Deinde cùm ait, *Dico autem*, explicat membrum quoddam eius definitionis. Cùm autem hæc definitio sit potissimum principium in his libris Priorum: (est enim definitio subiecti, ad quod omnia in Prioribus Analyticis tradita referuntur) diligenter est enodanda. Sed in primis explicandum est ipsum definitum, vt intelligamus, quod plerique vulgò ignorant, quid hoc loco definiatur. Notandum igitur est, syllogismum esse vocabulum homonymum. Et vt omittam significationem, in qua sumitur ab Hermogene in constitutionum diuisione, illis verbis, Ἔστι γὰρ συλλογισμὸς, ἀγράφου πράγματος πρὸς γεγραμμένον παράθεσις, εἰς ταὐτὸν συνάγοντός τινος τὸ ἄγραφον τῷ γεγραμμένῳ οἷον, τὸν ἐξ ἑταίρας μὴ λέγειν, ὁ ἐκ πόρνης τινὰ γεγονότα λέγειν κωλύει τις: *Est enim syllogismus, rei non scriptæ cum scripta collatio, referente aliquo rem non scriptam ad idem [ius,] ad quod [refertur] res scripta, veluti si vetante lege eum dicere [seu concionem habere] qui ex scorto natus sit, aliquem ex scortatore [genitum] dicere aliquis prohibeat*: vt, inquam, hanc significationem omittam, quæ est ab instituto aliena, tribus modis syllogismus apud logicos accipitur. Primò significat organum logicum (sic enim rectè vocatur ab Alexandro hic, & in 1. Topic.) quo probatur conclusio. Significat igitur duas propositiones ita inter se affectas, vt vim habeant inferendæ alicuius conclusionis. in qua significatione accipitur infrà cap. 7. part. vlt. & lib. seq cap. 1. & cap 4 part. 14 & 15. & Poster. lib 1 c. 26. partic. 5 7 Secundò syllogismus accipitur, non pro propositionibus inferentibus conclusionem, sed pro ipsa conclusione siue conclusionis illatione, vt huius lib. cap. 4. part. 2. & lib. seq. cap. 2. part 14 & cap. 12. part. vlt. & cap. 17. part. 2. & Poster. lib. 1. cap. 16. partic. 15. & de anima lib. 1. cap. 3. partic. 18. 20. Tertiò syllogismus significat totum (vt cum Scholasticis loquar) discursum, id est, aggregatum ex propositionibus & conclusione. sic hodie syllogismum accipiunt plerique omnes logicæ artis scriptores. Aristoteles autem nusquam ita accipit. De eius interpretibus hoc affirmare non ausim: quamuis Suessanus in lib. sequen. commen 2. indubitanter pronunciet nullum peripateticum admittere vt conclusio dicatur pars syllogismi: immo habeat pro sententia manifeste absurda, si quis dicat conclusionem esse partem syllogismi. Ex his significationibus prima hoc loco debet accipi: nam definitur syllogismus, qui est organum & logicæ subiectum: conclusio verò nec est organum, nec pars organi,

sed

sed eius finis & effectus. Vnde etiam definitio syllogismi conuenit solis propositionibus. Hæc dicta sint de definito. Nunc explicemus definitionem: in qua primo loco ponitur syllogismi genus, id est, λόγος. Cùm autem λόγος sit verbum homonymum, alij vertunt orationem, alij rationem. Nobis placet prior interpretatio, quam præceptor noster Zabarella inde confirmabat, quòd genus in definitione positum debet latiùs patere quàm definitum, ratio verò non latiùs patet quàm syllogismus, sed cum eo reciprocatur, immò est idem quod syllogismus. nullam enim esse rationem præter syllogismum, demonstrabitur in vltimo tractatu libri sequentis. Oratio verò est syllogismi genus: quia complectitur etiam alias species, vt enunciationem, deprecationem, &c Hoc loco intelligendum est, orationem à nobis non accipi angustè, prout ore profertur. vt enim præter alios Peripateticos Boëtius initio libri de interpretatione distinguit, triplex est oratio, vna in mente, alia in voce, tertia in scriptis. generaliter autem hic orationem accipio: nec minùs vt est in mente, quàm vt est in voce: quandoquidem logica magis respicit ad sermonem internum, quàm externum. 1. Poster. cap. 10. part. 7. Hæc de genere. Sequuntur differentiæ. Ait Aristoteles, *in qua* (oratione) *quibusdam positis*, id est, tribus terminis, ac duabus propositionibus quæ ex illis tribus terminis conficiuntur. Græce, ἐν ᾧ τεθέντων τινῶν. Verbum τεθέντων Gellius lib.15.cap.26. interpretatur *consensis & concessis*. Eodem modo & alij multi interpretantur. Sed hæc interpretatio ob sequentes rationes mihi non probatur. Primò minùs conuenit simplicibus terminis, qui non minùs ponuntur in syllogismo, quam propositiones, ad quas solas videtur Gellius respexisse. Secundò hic consideratur nuda syllogismi forma, quæ applicari potest & ab Aristotele applicabitur etiam materiæ falsæ & propositionibus falsis, atque adeò manifestè falsis, quas nemo concederet. Vt omittam quòd nemo concedit propositiones illas alphabeticas, quibus nuda illa syllogismi forma declaratur, Omne β est α, &c. Tertiò hæc definitio conuenire debet omnibus syllogismis, proinde etiam syllogismis ducentibus ad impossibile, in quibus sumimus propositionem, quam non concedimus, immo per eum syllogismum volumus euertere. Denique etiamsi videantur interdum ea dici poni, quæ non probantur: vnde thesis dicitur species quædam principij: tamen hoc æquè dici non potest de verbo κειμένων & κειμένα, quo Aristoteles hic, & 2. cap. 1 lib. Topic. vtitur promiscuè, dicens modò τεθέντων, modò κειμένων. Sequitur in definitione *aliud quiddam* [*diuersum*] *ab his quæ posita sunt*. id est, conclusio quæ non ponitur in syllogismo, prout syllogismus hic accipitur, sed differt ab iis quæ in syllogismo posita sunt, ne idem per idem probetur. Additur, *necessariò accidit*, verbum *necessario*, non significat conclusionem esse necessariam: (id enim non est perpetuum, sed modò est necessaria, modò contingens, modò pura, vt Aristoteles in sequentibus docebit) sed significat necessariam illationem seu collectionem conclusionis ex propositionibus. nam & quod per se non est necessarium, potest necessariò cohærere alteri, quemadmodum ex propositionibus contingentibus necessariò efficitur conclusio contingens. Verbum autem *accidit*, accipe pro colligitur, siue infertur, siue (vt rectè interpretatur Gellius) efficitur. Accidit autem non in syllogismo, siquidem non ponitur in syllogismo, & mutata conclusione dicitur ab Aristotele manere idem syllogismus, lib. seq. cap. 1. sed accidit ex syllogismo, seu per syllogismum. Quare verbum illud, *in qua*, antea positum in hac definitione, coniungitur tantùm cum proximo verbo, *positis*, non cum verbo *accidit* nam syllogismus non est oratio in qua efficitur conclusio: sed est oratio, in qua ponuntur quædam efficientia conclusionem. Sequentia definitionis verba, *eò quòd hæc sunt*, ipse Aristoteles interpretatur, cùm subiicit, *Dico autem*, &c. & inquit ea verba significare conclusionem effici propter propositiones, & terminos in syllogismo positos hoc ideò: quia nullo externo termino opus est, vt sit necessaria consecutio, id est, quia tres illi termini in syllogismo positi, & rectè complicati vt faciant duas propositiones syllogisticas, sufficiunt ad inferendam conclusionem, nec requiritur quartus terminus. quandoque tamen requiritur noua propositio ex iisdem terminis confecta, vt necessitas consecutionis appareat, vt mox partic. 10. explicabitur.

9 *Perfectum igitur*. A syllogismo generaliter definito transit ad definitionem specierum, id est, syllogismi perfecti, & syllogismi imperfecti. Primò igitur in hac particula definit syllogismum perfectum, qui fit in prima figura: & ait eum esse perfectum, qui nulla alia re indiget vt necessitas consecutionis appareat, id est, qui in se habet euidentem necessitatem inferendæ conclusionis, vt non sit opus ei adiungere,

neque nouum terminum, neque nouam propositionem.

10 *Imperfectum.* Sequitur definitio syllogismi imperfecti, cuiusmodi sunt syllogismi secundæ & tertiæ figuræ. nam etsi habent in se necessitatem inferendæ conclusionis, non tamen eam euidentem habent, sed opus est vt perficiantur per reductionem ad primam figuram. Si quis enim syllogismo secundæ vel tertiæ figuræ concesso conclusionem neget, non possumus probare consequentiam, nisi confugiamus ad primam figuram, vt in sequentibus perspicuum fiet. Ait, *vna re pluribusve*, id est, vna vel pluribus propositionibus, in quibus tamen non ponuntur noui termini: quia semper manere debemus in tribus terminis, sed ex illis variè complicatis fiunt variæ oppositiones. Ait, *quæ quidem*, &c. Sensus est, has nouas propositiones, quæ adsumuntur ad perficiendos syllogismos imperfectos, non fieri ex nouis terminis, sed ex illis ipsis qui positi fuerunt in syllogismo imperfecto: ita autem fieri, vt negari non possint ab eo qui priores syllogismi imperfecti propositiones concessit. nam hæ nouæ propositiones illis prioribus necessariò cohærent, & ex illis necessariò colliguntur, quamuis hæ nouæ propositiones positæ non fuerint in illo syllogismo imperfecto. Hoc enim est, quod ait Aristoteles in vltimis verbis huius particulæ, has nouas propositiones non esse sumptas per propositiones illas priores syllogismum conficientes.

11 *In toto autem.* In hac particula explicantur principia propria primæ figuræ, id est, per quæ probatur euidens necessitas inferendæ conclusionis in syllogismis primæ figuræ. Hæc autem principia sunt, quid sit esse in toto, quid sit dici de omni: item quid non esse in toto, & quid dici de nullo. Totum hic intellige attributiuum, vt genus. In toto autem esse, & dici de omni, re idem sunt, ratione differunt, vt adscensus & descensus. cùm enim attributum dicitur de omni subiecto, vt animal de omni homine, subiectum dicitur esse in toto, id est, contineri eo attributo tamquam partem eius subiectiuam. cùm igitur descendimus ab attributo ad subiectum, tunc dicimus de omni. cùm autem adscendimus à subiecto ad attributum, dicimus esse in toto. Et hæc quidem affirmatiuè sic habent. Negatiuè autem dicitur de nullo, cùm descenditur ab attributo ad subiectum, vt animal dicitur de nullo lapide: vel non est in toto, cùm adscenditur à subiecto ad attributum, veluti, nullus lapis est animal. Cum hac parte coniunge particulam 1. cap. 3. Categor. & part 37. cap. 2. Porphyrij. Notandum etiam est, naturalem ordinem esse potiùs ab attributo ad subiectum, quàm à subiecto ad attributum. nam in scientiis progredimur descendendo ab vniuersalibus ad particularia, vt Porphyrius ex Platone docuit cap. 2. part. 35. Ideòque Aristoteles in explicandis syllogismis potiùs dicet animatum (exempli gratiâ) inesse vel attribui animali, & animal homini, quàm animal esse animatum, & hominem esse animal.

IN CAP. II. DE CONVERSIONE PROPOSITIONVM simplicium.

Expositis principiis communibus, nec non principiis propriis primæ figuræ, transgreditur ad explicanda principia propria secundæ & tertiæ figuræ, id est, per quæ confirmabuntur syllogismi secundæ & tertiæ figuræ. Hæc autem principia sunt conuersiones propositionum. Conuersionum varia sunt genera. nam conuersio est vocabulum homonymum. Sed de aliis conuersionibus infrà dicetur suis locis: hic autem conuerti dicitur propositio, cùm seruata eius qualitate & veritate, termini locum mutant, ita vt ex subiecto fiat attributum, & ex attributo subiectum. quandoque autem seruatur eadem quantitas, veluti, nullus lapis est animal, nullum animal est lapis: quandoque mutatur quantitas, veluti omnis homo est animal, aliquod animal est homo. hæc vocatur conuersio per accidens: illa verò, conuersio simplex.

1 *Cùm autem omnis.* Proponit varia genera propositionum, quarum conuersionem mox est declaraturus: ac proponit tres propositionum diuisiones. Prima est: quòd propositio vel est pura, vt homo currit; vel necessaria, vt necesse est hominem currere; vel contingens, vt contingit hominem currere. Omittit possibilem: quia sub contingenti continetur: contingens enim & possibile idem valent. Impossibilem quoque breuitatis causâ comprehendit sub necessaria. quod enim impossibile est esse, id necesse est non esse, vt didicimus ex libro de interpretatione. Secunda diuisio est: quòd omnis propositio affirmat vel negat. hanc diuisionem ait Aristoteles obtinere κατ' ἐκάστην προσηγορίαν, in quauis attribuendi ratione. Sensus est, & propositiones puras diuidi in affirmantes, & ne-

& negantes, & similiter necessarias, vel contingentes diuidi in affirmantes & negantes. Itaque ὑπάρχειν hic appellat, quod vocauit ἁπλῆν cap. 12. de interpretatione part. 5. Iam igitur habemus sex genera enunciationum, nempe affirmationem puram, negationem puram, affirmationem necessariam, negationem necessariam, affirmationem contingentem, & negationem contingentem. Tertia diuisio est, qua quælibet harum affirmationum vel negationum subdiuiditur in tria genera, id est, in vniuersalem, particularem, & indefinitam. (Cur Aristoteles omittat singularem, docui ad caput præcedens, & alibi. In conuersionibus autem explicandis expresse mentionem propositionum indefinitarum non faciet: quia in conficiendis syllogismis omnino comparabuntur particularibus) cùm igitur anteà essent sex genera, & horum quodlibet sit tripertitum, hinc oriuntur octodecim propositionum genera: nam sex ter accepta, conficiunt octodecim. primū est affirmatio pura vniuersalis. secundum, negatio pura vniuersalis: tertium, affirmatio pura particularis: quartum, negatio pura particularis: quintum, affirmatio pura indefinita: sextum, negatio pura indefinita. Eodem modo licet colligere sex genera propositionum necessariarum, & sex genera contingentium: atque ita fiunt octodecim.

2 *[Propositionem] de eo quod inest.* Incipit explicare conuersionem propositionum puratum. Puras voco eas, quæ carent modo, quas Aristoteles appellat propositiones τοῦ ὑπάρχειν, eius quod inest, id est, in quibus simpliciter aliquid dicitur inesse, nec additur, necessariò, vel contingenter inesse. Harum propositionum conuersionem seu conuertendi modum primò ponit, & exemplis declarat vsque ad partic. 6. Deinde rationibus probat à part. 6. vsque ad finem capitis. Incipit autem à negante vniuersali: quia hæc simpliciter conuertitur: veluti, nulla voluptas est bona, nullum bonum est voluptas: item nullum animal est lapis, nullus lapis est animal. Solent opponi quædam exempla, quæ non videntur hanc conuersionem admittere. Veluti vera est hæc propositio, nullum dolium est in vino, vel nullum templum est in homine: hæc tamen est falsa, nullum vinum est in dolio, vel, nullus homo est in templo. Hanc obiectionem soluam post expositionem sequentis particulæ.

3 *Attributiuam autem.* Docet propositionem vniuersalem attributiuam, id est, affirmatiuam (nam attributiuam passim accipit pro affirmante) conuerti per accidens, id est, in particularem. quam conuersionem confirmat exemplo: quia si omnis voluptas est bona, etiam quoddam bonum est voluptas. Sic si omnis homo est animal, quoddam animal est homo. Obiiciuntur exempla, in quibus hæc conuersio non videtur habere locum. non enim, si omne vinum est in dolio, propterea aliquod dolium est in vino: nec si omnis miles est in castris, idcirco aliqua castra sunt in milite. Vt obiectio soluatur, & ad omnia exempla, quæ contra conuersionum regulas afferri possunt, parata sit responsio, notandum est, conuersionem ita fieri debere, vt termini planè iidem maneant. nam exempla illa fallunt ob eam causam, quam Aristoteles vocat παρὰ τὸ μικρὸν, id est, propter exiguitatem discriminis. aliud enim est vinum: aliud, esse in vino. & similiter aliud est dolium, vel templum: aliud, esse in dolio, vel in templo. Si igitur retineantur iidem termini, semper conuersio valebit. Exempli gratiâ, nullum dolium est in vino, sic rectè vertes, nihil quod est in vino, est dolium. Item nullum templum est in homine: nihil quod est in homine, est templum. Eadem est ratio vniuersalis affirmatiuæ, veluti si omne vinum est in dolio, non propterea aliquod dolium est in vino: sed aliquid quod est in dolio, est vinum. Item si omnis miles est in castris: aliquid, quod est in castris, est miles.

4 *Ex particularibus.* Docet particularem affirmatiuam simpliciter conuerti: vt, quidam homo est albus, quoddam album est homo.


5 *Priuatiuam autem.* Docet negantem particularem (nam priuatiuam accipit pro negatiua, vt suprà attributiuam pro affirmatiua) non conuerti: vt in hoc exemplo, aliquod animal non est homo, quia non propterea dicere possumus aliquem hominem non esse animal.

6 *Primùm igitur.* Postquàm exposuit regulas de propositionibus conuertendis, deinceps, vt doctorem analyticum decet, eas probat: quia non sunt per se manifestæ, vt erant principia illa, de omni, & de nullo, exposita in 7. part. superioris capitis. Cùm autem in his probationibus afferendis incipiat Aristoteles vti figuris & elementis, quibus in posterum sæpissimè in his libris analyticis vtetur: idcirco hic locus postulat, vt aliquid dicamus de Aristotelis instituto, & de literarum ac figurarum vsu. Aristoteles igitur vtitur elementis & figuris, Primò propter perspicuitatem, vt ipse disertè testatur huius libri cap. 28. part. 5. & etiam innuit cap. 13. de interpretatione, in calce pri-

mæ partic. si quis enim teneat harum figurarum vsum, res ei fit planior & dilucidior: utpote cùm hac ratione quodammodo oculis subiiciatur. vnde fit, vt quasi cernamus oculis, quod non sine difficultate intellectus noster videt. quamquàm, si quis nesciat figuris vti, illis potiùs turbatur, quàm iuuatur. Præterea rationem habuit Aristoteles suæ ætatis, qua pueri, antequàm logicæ & philosophiæ operam darent, mathematicis disciplinis incumbebant, quas per similes figuras discebant. cùm igitur huic docendi rationi essent assueti, non potuit eis logica commodiùs tradi. Hinc est, quòd exempla in Organo passim sumit ex mathematicis. Quòd si hoc tempore logicæ studiosi, mathematicarum expertes ad logicam discendam accedunt: vitium est temporum, non Aristotelis. hodie namque pueri necessariò occupantur in variis linguis discendis: quo molestissimo labore Græci Aristotelis ætate carebant. Quod igitur ad hoc, probo consilium Petri Rami, qui habita ratione horum temporum exempla in logicis sumit ex iis auctoribus, quos iuuenes ante logicam euoluere solent, id est, ex poëtis, oratoribus, & historicis: quod Aristoteles logicam in gratiam philosophiæ conscribens facere nec potuit, nec debuit. Præterea illud etiam Aristotelem mouit, vt elementis vteretur, quòd vult hac ratione ostendere doctrinam suam in vniuersum esse veram. nam si eam declararet in terminis quibusdam naturalibus, facile aut decipi possemus, aut saltem ignorare an in aliis terminis res eodem modo se habeat. longe enim alia ratio est materiæ necessariæ, alia materiæ possibilis, alia materiæ impossibilis. Exempli gratiâ propositio vniuersalis affirmatiua ratione materiæ interdum reciprocatur simpliciter, veluti, omne animal sentit, omne sentiens est animal: non propterea tamen dicimus eam propositionem simpliciter conuerti, sed per accidens in particularem: quia hic non consideramus materiam, sed nudam formam, quæ potest cuicumque materiæ accommodari. Nuda igitur forma hîc non potuit rectiùs quàm elementis indicari: quandoquidem termini reales fieri nequeunt, quin forma certæ materiæ accommodetur. Nec minùs propterea declarantur singula exemplis realibus. Valde enim fallitur Ramus, qui putat alium esse vsum elementorum apud Aristotelem, alium apud mathematicos. α aut β, inquit Ramus, significat (exempli gratiâ) angulum illum cui adscribitur α, & β significat quadratum vel circulum, in quo hæc litera est inscripta: Aristoteli autem α nihil aliud est, quàm α, & β, nihil aliud quàm β. Fallitur (inquam) Ramus: quoniam Aristoteles non solùm in Physicis, vbi vtitur elementis, sed etiam in libris logicis apposuit figuras habentes terminos reales, simúlque elementa abecedaria: Ramus autem ad eas figuras non animaduertens, nihil aliud spectauit, quàm sola elementa. Quòd autem Aristoteles figuras adscripserit, manifestum est ex 17. cap. secundi Posterior. part. 7. & aliquo modo etiam ex d. part. 1. cap. 13. de interpretat. Atque hæc est causa, cur vocauerit figuras syllogismorum, nempe quia per figuras docentur. Cumque primus Aristoteles artis logicæ auctor sit: (priores namque tantùm artis principia quædam tenuia habuerunt, vt ipse Aristoteles testatur vlt. cap. lib. Elench.) idcirco coactus est fingere noua vocabula, vtpote in noua arte. nec potuit commodiora vocabula fingere, quàm ex mathematicis sumpta, ob rationem suprà expositam. Quare simplicia vocabula vocat terminos, quia terminant propositionem, sicuti puncta lineam: & propositiones sæpe appellat interualla, quia sunt terminis illis interiectæ, quasi lineæ quædam. Syllogismorum autem figuras appellat: quia certis figuris constituuntur, vt in sequentibus apparebit. His præmunitis, accedamus ad expositionem nostræ particulæ. Vult Aristoteles probare propositionem negantem vniuersalem conuerti simpliciter. hinc propositionem vocat α β, sumpta appellatione more mathematicorum à terminis extremis, ita vt α significet attributum, β subiectum: (sic enim progredi solet ab attributo ad subiectum descendendo, propter rationem à me suprà expositam in calce superioris capitis) ac supponit τὸ α dici de nullo β, vt animal de nullo lapide, hoc est, nullum lapidem esse animal: vnde vult probare nullum β, dici de α, id est, nullum lapidem de animali, hoc est, nullum animal esse lapidem. hoc autem probat, vt Alexandro placet, non syllogismo, quia rationem syllogismorum nondum exposuit, sed ἐκθέσει, expositione, qua in syllogismorum quoque modis confirmandis sæpius vtetur. Ergo vt non solùm hæc particula, sed & plures aliæ rectè intelligantur, declarandum est, quid sit ἔκθεσις siue expositio. Vulgares logici videntur expositionem accipere pro syllogismo tertiæ figuræ, decepti similitudine: quia, vt Alexander notat, expositio versatur in particularibus, quemadmodum & tertia figura semper efficit conclusionem particularem. Inde vocarunt syllogismos expositorios, qui constant ex pro-

ex propositionibus singularibus. Hunc errorem auxit Ramus, qui non solùm syllogismos expositorios, quos ipse proprios appellat, in omnibus figuris posuit, sed etiam videns Aristotelem per expositionem confirmare quosdam syllogismos primæ & secundæ figuræ, putauit secundùm Aristotelem tertiam figuram esse ceteris clariorem, & per eam ceteras confirmari. Quod si Aristoteles fecisset, stultissimus fuisset: quippe qui disertè docet solam primam figuram esse perfectam, & in se habere euidentem probandi necessitatem, cùm reliquæ figuræ per primam perfici debeant. primam autem non confirmat, nisi per regulas illas, de omni, & de nullo. nam quod addit interdum ἐκθέσει, id separatum est à ratiocinatione, vt mox docebo. Sciendum igitur est, syllogismos expositorios, siue proprios, qui constant ex propositionibus singularibus, esse omnimodo damnandos & reiiciendos. Primùm ab Aristotele nusquam ponuntur. nam & suprà in definitione propositionis, cap. 1. par. 5. omisit propositionem singularem: & in sequentibus capitibus declarans omnes syllogismorum modos, tam vtiles quàm inutiles, tantùm loquitur de propositionibus vniuersalibus, particularibus, & indefinitis. Præterea syllogismus est instrumentum intellectus: singularia verò sensu percipiuntur: de his autem quæ sub sensum cadunt, non sunt conficiendi syllogismi, nec de iis nulla disputatio instituenda, auctore Aristotele 1. Top. cap 11. part. 9. Syllogismi namque finis est scientia: singularia verò sciri non posse, Porphyrius ex Platone nos docuit cap. 2. part. 35. Nec vllus auctor huiusmodi syllogismis vsus reperietur. Proinde Ramus, qui vbique voluit exempla ex auctoribus depromere, huiusce modi syllogismorum nulla exempla potuit afferre. Quod eò minùs in ipso ferendum videtur, quia noluit in opere logico aliquid admittere, quod non esset vsu à bonis auctoribus receptum & comprobatum. quam ob causam ponit tertiam figuram contractam, non explicatam: quia falsò putat non posse dari exempla syllogismorum distinctis partibus in tertia figura extructorum. Ad hæc, huiuscemodi syllogismi expositorij semper probant id quod est per se manifestum, & quod necessariò cognoscitur antequàm syllogismus extruatur: idque probant per obscuriora, fortasse ignota, adeò vt sint omnino inepti. nam priusquàm extruatur syllogismus, necesse est intelligere terminos, ex quibus propositiones efficiuntur, & syllogismi extruuntur: & oportet intelligere eos esse terminos tres diuersos: cùm hæc sit omnium syllogismorum necessaria proprietas, vt constent tribus distinctis terminis. Ergo id concludunt, quod est iam notum. Exemplo res fiet apertior. Sumatur ille syllogismus Rami: Cæsar oppressit patriam, Tullius non oppressit patriam, Ergo Tullius non est Cæsar. Qui ita ratiocinatur, debet primùm intelligere simplices terminos. debet ergo scire, quid sit opprimere patriam: item cognoscere Tullium, & Cæsarem. nam si terminos ignoret, frustra ex illis ratiocinatur. Ac necessariò scire debet alium esse Tullium, alium Cæsarem: cùm quia, nisi hoc sciat, terminos non intelliget: tum etiam quia nullo aliter scire potest se ratiocinari ex tribus terminis. Cùm enim accipiat hos tres terminos, Tullium, Cæsarem, opprimere patriam: certè ex natura syllogismorum accipit tamquàm tres diuersos terminos. quid igitur opus est concludere Tullium non esse Cæsarem, quod ab initio supponit, & manifestè nouit? Valeant ergo hi pseudosyllogismi, quibus nec Aristoteles, nec alius bonus auctor vmquàm est vsus. Quid igitur est expositio, qua Aristoteles in hoc opere sæpius vtitur? Alexander pulchrè hoc declarat, inquiens expositionem hanc non esse syllogismum, nec probare syllogisticè, sed à sensu siue per sensum. exponere enim in præsentia nihil aliud est, quàm depromere, seu proferre, & in medium afferre terminos quosdam reales & singulares, qui sensu percipiuntur: adeò vt in iis animaduertere facilè possimus id esse verum, quod ita confirmatur. Hæc igitur probatio est facillima, vtpote quæ ducitur à sensu, à quo omnis nostra cognitio originem ducit. Quocirca cùm suprà dicebam syllogismos primæ figuræ non confirmari nisi per regulam de omni & de nullo, respiciebam ad confirmationem intellectiuam: nam hæc confirmatio per ἐκθέσιν, est sensitiua, oculis nostris subiiciens ea quæ non facilè animo comprehendere possumus. Huius expositionis exemplum est in hac particula. Cùm enim velit Aristoteles probare propositionem vniuersalem negantem conuerti simpliciter, sumit hanc propositionem, Nullum β est α, id est, nullus lapis est animal: & ex ea per conuersionem colligit nullum animal esse lapidem. Si hoc concedas: habet Aristoteles, quod vult. Si verò neges, ita probat: Cùm neges nullum animal esse lapidem, cogeris admittere contradictionem, aliquod animal esse lapidem: quoniam contradicentium semper altera pars est vera, altera falsa. Hoc posito, adhibet Aristoteles

ἔκθεσιν expositionem, id est, sumit aliquod animal sub sensum cadens, quod tu dicis esse lapidem. quod, vt maneat in elementis abecedariis, vocat γ, nos exempli gratiâ sumamus Bucephalum. Dicis igitur Bucephalum esse lapidem. atqui vides, & concessisti Bucephalum esse animal. ergo animal per se dicetur de quodam lapide, nempe de Bucephalo, quem tu dicis esse lapidem. Quidam igitur lapis, id est, Bucephalus, est animal, contra hypothesim ab initio sumptam, quòd nullus lapis sit animal.



quapropter si verum est, nullum lapidem esse animal: necesse est fateri, etiam nullum animal esse lapidem: alioquin cogemur simul admittere contradicentia, id est, nullum lapidem esse animal, & aliquem lapidem, id est Bucephalum, esse animal.

7 *At si τὸ α.* Propositionem vniuersalem affirmantem conuerti in particularem, probat per deductionem ad incommodum. nam si omne β est α, putà si omnis homo est animal: etiam aliquod α est β, id est, aliquod animal est homo. Etenim si hoc neges: cogeris fateri contradictionem, nullum animal esse hominem. Sed in præcedenti particula probatum est, hanc, quæ est negans vniuersalis, reciprocari simpliciter. nullus igitur homo erit animal, contra primam hypothesim, quòd omnis homo est animal.

8 *Similiter.* Simili argumento probat propositionem particularem affirmantem conuerti simpliciter. nam si aliquod β est α, putà si aliquod animal est album: etiam aliquod α est β, id est, aliquod album est animal: alioquin vera erit contradictio, nullum album est animal. Et cùm hæc possit reciprocari, nullum animal erit album, contra primam hypothesim, qua supponebamus aliquod animal esse album.

6 *Si verò.* Exemplo ostendit non esse necessariam reciprocationem propositionis particularis negantis. nam etsi quoddam animal non est homo, non propterea tamen aliquis homo non est animal: quandoquidem omnis homo est animal.


IN CAP. III. DE CONVERSIONE PROPOSITIONVM modificatarum.

Exposita conuersione purarum propositionum, consequenter declarat conuersionem propositionum modificatarum, tam affirmantium quàm negantium, & tam necessariarum vsque ad part. 3. quàm contingentium à 5. partic. vsque ad finem capitis. Notandum est, Aristotelem aliter hoc libro accipere propositiones modificatas affirmantes & negantes, quàm in libro de Interpretatione acceperit. ibi namque respiciebat ad modum, hic ad dictum. Eas enim vocat hic affirmationes, quæ habent verbum *esse* affirmatum, vt, necesse est omnem hominem esse animal: eas verò negationes, quæ habent verbum *esse* negatum, veluti, necesse est nullum hominem esse animal; licèt hæ quoque reuera sint affirmationes. hoc autem breuitatis studio facit. cùm enim quatuor sint modificatarum enunciationum classes, & in singulis classibus sint quatuor æquipollentes, vt didicimus ex lib. de Interpretat. cap. 13. Aristoteles ex vnaquaque classe vnam propositionem sumit: de qua quod dicetur, etiam de ceteris propter æquipollentiam debet intelligi. Ex prima igitur classe hanc sumit, necesse est esse: ex secunda hanc, necesse est non esse: ex tertia hanc, contingit non esse. ex quarta hanc, contingit esse: atque harum conuersiones nunc declarat, & ex eisdem posteriùs conficiet syllogismos.

1 *Eodem autem modo.* Quæ superiori capite docuit de conuersione purarum propositionum, nunc ad necessarias producit: quia similiter vniuersalis negans & particularis affirmans conuertuntur simpliciter, vniuersalis affirmans conuertitur per accidens, id est in particularem, particularis negans non conuertitur, vt in sequentibus particulis probabitur.

2 *Nam necesse.* Vniuersalem negantem simpliciter conuerti probat per deductionem ad impossibile, hoc modo. Sumit propositionem conuertendam, necesse est nullum β esse α, putà necesse est nullum lapidem esse animal. hac conuersâ dici potest, necesse est nullum α esse β, seu nullum animal esse lapidem. nam si hæc negetur, contradictoria vera erit, seu contradictoriæ æquipollens, contingit aliquod α esse β, id est, aliquod animal esse lapidem. atqui hoc est impossibile: quia si contingit aliquod animal esse lapidem, etiam continget aliquem lapidem

lapidem esse animal, contra hypothesim, qua supponebatur necesse esse vt nullus lapis sit animal. Hæc consequentia, si contingit aliquod animal esse lapidem, etiam contingere aliquem lapidem esse animal, per expositionem fit manifesta. sumatur enim aliquod animal, quod secundum aduersarium contingit esse lapidem, puta Bucephalus. cùm ergo Bucephalus possit esse lapis, & sit animal; fieri potest, vt aliquis lapis, nempe Bucephalus, sit animal. ita, si contingit aliquod animal esse lapidem, etiam contingit aliquem lapidem esse animal. Quare cùm falsum & impossibile sit, contingere vt aliquis lapis sit animal: falsum quoque & impossibile est, aliquod animal esse lapidem: quod erat probandum.



5 *Quòd si necessariò.* Simul, quoniam eadem est ratio, probat vniuersalem & particularem affirmantes conuerti in particularem. Sit propositio vniuersalis affirmans, necesse est omnem animam esse immortalem: vel particularis affirmans, necesse est aliquam animam esse immortalem. dico eam conuerti in particularem, ita vt necesse sit aliquod immortale esse animam. quod ita probatur: Nisi necesse sit aliquod immortale esse animam, non erit necesse omnem animam esse immortalem: sed falsum est consequens, & contra hypothesim: falsum igitur est etiam antecedens. Consequentia patet: quia si non est necesse aliquod immortale esse animam, contingit nullum immortale esse hominem, proinde (quia vniuersalem negantem simpliciter reciprocari in superiori particula ostensum est) contingit nullam animam esse immortalem, consequenter non est necesse aliquam animam esse immortalem. Contra hanc Aristotelis doctrinam obiicitur, quòd necesse est omnem grammaticum esse hominem, siquidem grammaticus non potest non esse homo: nec tamen necesse est aliquem hominem esse grammaticum: quia contingenter, non necessariò est grammaticus. Respondeo distinguendum esse inter necessitatem absolutam & ex hypothesi, vt expositum fuit capite 9. de Interpretat. partic. 12. Absolutè loquendo, non est necesse aliquem hominem esse grammaticum, quia nec est necesse omnem grammaticum esse hominem: siquidem non est necesse vt grammaticus sit: & quod non est, non potest esse homo. Ex hypothesi autem, id est, si supponatur grammaticum esse, quemadmodum necesse est omnem grammaticum esse hominem, ita etiam necesse est aliquem hominem esse grammaticum. Cùm igitur in obiectione dicebatur, necesse est omnem grammaticum esse hominem, nec tamen necesse est aliquem hominem esse grammaticum: fallacia committebatur: quoniam in priori propositione sumebatur necessarium ex hypothesi, in posteriori necessarium absolutè.

4 *Quod verò.* Docet propositionem particularem negantem non conuerti ob eandem causam, ob quam superioris capitis partic. 5. docuit non conuerti particularem negantem puram, id est, quia etsi necesse est (exempli gratiâ) aliquod animal non esse hominem, (vt quia necesse est equum vel bouem non esse hominem) non tamen necesse est aliquem hominem non esse animal, immo necesse est omnem hominem esse animal.

5 *Quod attinet ad contingentia.* Hactenus de propositionibus necessariis: sequuntur contingentes. Primò Aristoteles distinguit contingens in tria genera. Nam contingens accipitur vel pro necessariò, vt, contingit Solem moueri: vel pro eo quod non est necessarium, id est pro eo quod actu est, sed potest non esse, veluti, contingit me scribere, cùm fieri possit vt non scribam: vel pro eo quod non est actu, sed esse potest, sicuti cùm Socrates non currit, rectè dicimus, contingit Socratem currere: atque hoc tantùm propriè dicitur contingens. Secundò cùm ait, *in affirmatiuis*, dat regulam de propositionibus contingentibus affirmantibus: ac docet, in quacunque significatione contingens accipiatur, has propositiones eodem modo conuerti, quo superiores: id est, tam vniuersalem, quàm particularem conuerti in particularem.

6 *In negantibus.* Docet eodem modo conuerti etiam propositiones negantes, si contingens in eis accipiatur, non in significatione propria, sed pro necessario, vel pro non necessario. Ait, *hominem non esse equum*, id est, nullum hominem esse equum.


7 *Quæ verò.* Tandem loquitur de propositionibus negantibus, in quibus contingens propriè sumitur: veluti, contingit nullum hominem currere, cõtingit non omnem

hominem currere. Et primò docet, diuersam esse harum rationem, ac superiorum propositionum. nam in superioribus vniuersalis conuertebatur simpliciter, particularis autem non conuertebatur: hic verò vniuersalis non conuertitur, particularis simpliciter reciprocatur. Secundo cùm ait, *hoc autem perspicuum*, diligentiorem huius doctrinæ confirmationem reiicit in caput 17. hoc autem loco tantùm ait hoc nemini mirum videri debere, quòd propositio vniuersalis non conuertitur, particularis conuertitur: quia, etsi à nobis in præsentia vocantur negatiuæ, tamen, vt expositum fuit c.13 de Interpret. re verâ sunt affirmatiuæ. quocirca in conuersionibus sequuntur affirmatiuarum, non negatiuarum regulas: vnde fit, vt particularis simpliciter conuertatur, veluti, contingit aliquem hominem non esse album, contingit aliquod album non esse hominem: vniuersalis autem non conuertatur simpliciter, sed in particularem, veluti, contingit nullum hominem esse album, contingit aliquod album non esse hominem. Quæret aliquis, cur hæc tam variè: siquidem vt hæ contingentes, contingit nullum hominem currere, contingit aliquem hominem non currere, formam habent affirmatiuam, ita etiam hæ necessariæ, necesse est omnem hominem esse animal, necesse est aliquem hominem esse animal. quare mirum videtur, quòd illæ sequuntur regulas propositionum affirmantium, hæ verò propositionum negantium. Respondeo rationem diuersitatis hanc esse, quòd etsi cortice verborum inspecto, eadem est vtrobique forma, tamen in re ipsa est magnum discrimen. quòd enim necessaria propositione negatur, id omnino negatur, tamquàm id quod nullo modo fieri potest: quòd verò propositione contingente negatur, non solùm negatur, sed etiam quodammodo quasi affirmatur ob naturam contingentis. loquimur enim de contingenti propriè dicto, quod potest esse & non esse: adeò vt in huiuscemodi propositionibus speciale sit, vt negantes conuerti possint in affirmantes: veluti, si contingit nullum hominem currere, etiam contingit omnem hominem currere, vt cap. 13. explicabitur. Hæc de propositionibus contingentibus hoc loco dicta sufficiant. nam reliqua cum Aristotele dictis tertiodecimo & septimodecimo capitibus persequemur.


IN CAP. IV. DE SYLLOGISMIS EX PURIS PROPOSITIONIBUS IN PRIMA FIGURA.

Expositis syllogismorum principiis, ad eorum conficiendorum rationem explicandam aggreditur: & ab iis incipit, qui constant ex ambabus propositionibus puris. Cumque tres sint syllogismorum figuræ ob triplicem medij termini, qui vel medio loco vel primo vel vltimo collocatur, dispositionem: Aristoteles eam primam facit, in qua medius terminus suum, id est, medium locum tenet. hæc enim multis nominibus est ceteris præferenda. nam & euidentior est, & reliquas confirmat, & maximè ad scientiam demonstratiuam efficiendam est apta, & ad omnia problemata probanda valet, quod de ceteris figuris dici non potest, vt ex sequentibus apparebit. Meritò autem has vocat figuras: nam per figuras mathematicas declarantur, vt suprà notaui ad cap. 3. part.6. Sunt igitur tres figuræ, quarum quælibet habet tres angulos in quibus collocantur tres termini syllogistici, quas placet oculis vnà subiicere.


Prima figura.




Secunda figura.



Tertia figura.



Termini ab Aristotele significantur elementis: quæ in prima figura sunt $\alpha\,\beta\,\gamma$: in secunda, $\mu\,\nu\,\xi$, in tertia, $\pi\,\rho\,\sigma$. Itaque cùm in quolibet syllogismo sint duæ propositiones, maior, & minor, vnde ii fertur conclusio: maior in prima figura est $\alpha\ \beta$. in secunda, $\mu\ \nu$: in tertia $\pi\ \sigma$: minor in prima figura est $\beta\ \gamma$: in secunda, $\mu\ \xi$: in tertia, $\rho\ \sigma$. conclusio in prima figura est $\alpha\ \gamma$: in secunda, $\nu\ \xi$: in tertia $\pi\ \rho$. Iam verò in qualibet figura sunt sedecim modi, quibus propositiones connectuntur: quia tam maior, quàm minor: vel est vniuersalis affirmans, vel vniuersalis negans, vel particularis affirmans, vel particularis negans. quare cùm vtraque diuidatur quadrifariam, quatuor quater accepta conficiunt sedecim, vt sequentia diagrammata distinctiùs ostendunt.



Aut sunt propositiones
- Vniuersales,
  - Affirmantes. 1 *Modus.*
  - Negantes. 2
  - Negans, affirmans. 3
  - Affirmans, negans. 4
- Altera vniuersalis, altera particularis,
  - Affirmantes,
    - Particularis, vniuersalis. 5
    - Vniuersalis, particularis. 6
  - Negantes,
    - Particularis, vniuersalis. 7
    - Vniuersalis, particularis. 8
  - Altera affirmans, altera negans.
    - Particularis, vniuersalis:
      - Negans, affirmans. 9
      - Affirmans, negans. 10
    - Vniuersalis, particularis.
      - Negans, affirmans. 11
      - Affirmans, negans. 12
- Particulares,
  - Affirmantes. 13
  - Negantes. 14
  - Negans, affirmans. 15
  - Affirmans, negans. 16

Horum modorum alij sunt vtiles, alij inutiles, vtiles autem sunt in prima quatuor, primus, tertius, sextus, & vndecimus; qui vocantur Barbara, Celarent, Darij, Ferio: in secunda figura quatuor, tertius, quartus, vndecimus, duodecimus; quorum nomina sunt, Cesare, Camestres, Festino, Baroco: in tertia figura sex, primus, tertius, quintus, sextus, nonus, & vndecimus; qui appellantur, Darapti, Felapton, Disamis, Datisi, Brocardo, Ferison: vt in sequenti diagrammate clariùs intueri licet.

Modi		1. *figuræ.*	2. *figuræ.*	3. *figuræ.*
1	a a	Barbara		Darapti
2	e e			
3	e a	Celarent	Cesare	Felapton
4	a e		Camestres	
5	i a			Disamis
6	a i	Darij		Datisi
7	o e			
8	e o			
9	o a			Brocardo
10	i e			
11	e i	Ferio	Festino	Ferison
12	a o		Baroco	
13	i i			
14	o o			
15	i o			
16	o i			

In hoc typo ſunt quinque columnæ. in prima ſunt numeri modorum: in quibus collocandis caui, ne mutarem receptum ordinem, quo modi vtiles recitari ſolent, Barbara. Celarent, Darij, &c In ſecunda columna declaratur, quales ſint propoſitiones in ſingulis modis. & quia in quolibet ſyllogiſmo ſunt duæ propoſitiones, idcirco in qualibet cellula ſunt duæ literæ, quarum prima ſignificat maiorem propoſitionem, altera minorem. & a quidem ſignificat vniuerſalem affirmantem: e, vniuerſalem negantem i, particularem affirmantem: o, particularem negantem. In tertia columna ponuntur nomina ſyllogiſmorum 1. figuræ vulgata, vbi literæ vocales habent eandem vim, quam in ſecunda columna: cellulæ autem vacuæ indicant modos inutiles. In quarta columna ſimiliter ponuntur nomina ſyllogiſmorum ſecundæ figuræ, in quibus vocales eandem vim habent, conſonantium autem poteſtas poſteriùs declarabitur: & cellulæ vacuæ oſtendunt modos inutiles. Sim lis ratio eſt quintæ columnæ, quæ pertinet ad tertiam figuram. His expoſitis, antequàm accedamus ad interpretationem contextus, notanda eſt methodus, qua Ariſtoteles vtitur in ſyllogiſmis explicandis. nam recentiores omnes logici contrario ordine vtuntur: & nihilominùs tam ipſorum quàm Ariſtotelis ordinem probo. Alij namque logicæ artis ſcriptores progrediuntur ab vniuerſalibus ad particularia: quoniam hæc methodus eſt facillima, & breuiſſima: ideóque primo loco ponunt regulas generales ſyllogiſmorum, quibus modi vtiles ab inutilibus ſeiunguntur: deinde explicant ea, quæ ſingularum figurarum propria ſunt. Ariſtoteles autem è contrario progreditur à particularibus ad vniuerſalia: & ex ſingulis modis particulariter expoſitis, colligit regulas generales ſingularum figurarum. Item ex tribus figuris ſingillatim expoſitis, colligit regulas vniuerſales & omnibus ſyllogiſmis communes. Alij igitur auctores vtuntur ordine diuiſiuo. Ariſtoteles autem ordine inductiuo. Dixi me probare vtrumque ordinem. Ariſtoteles enim, cùm nihil velit ſuæ auctoritati credi, ſed tantùm rationi, qua ſingula nititur probare. eò quòd artes & ſcientiæ non aliter extruuntur; coactus eſt per inductionem colligere vniuerſale ex particularibus: quia non potuit aliter artem logicam conſtituere, id eſt, non potuit alia methodo præcepta de ſyllogiſmis conficiendis confirmare. Reliqui ſcriptores, quos & nos in Inſtitutionibus noſtris logicis ſumus in hoc imitati, nihil probant, ſed ſimpliciter narrant ea quæ Ariſtoteles probat. Solus igitur Ariſtoteles artem logicam conſcripſit: ceteri auctores introductiones quaſdam literis conſignarunt, ipſam artem logicam revera non docuerunt. Si quis enim non audita ratione, præceptis logicis ab aliquo auctore traditis aſſentiatur; is non eſt conſecutus habitum logicum, ſed tantùm eſt affectus ad logicam faciliùs diſcendam. Inepti ſunt, qui dicunt hæc, quæ in logica traduntur, eſſe principia, proinde non eſſe probanda: ſunt enim principia in philoſophia, vbi non probantur: ſed in logica arte principia dici non debent; quæ non ſunt per ſe manifeſta, idcóque in hac arte probantur.

1 *Hu definitis*. Dicendum proponit de ſyllogiſmo conficiendo, priuſquàm dicatur de demonſtratione: quia ſyllogiſmus eſt genus demonſtrationis: cognitio autem generis debet præcedere cognitionem ſpeciei. De ſyllogiſmo autem tria proponit declaranda. Primò ex quibus fiat, id eſt, ex quibus terminis & propoſitionibus. Secundò quando fiat, id eſt, in quot & quibus figuris. Tertiò quomodò fiat, id eſt, in quo cuiuſque figuræ modo.

2 *Cùm igitur*. Definit primam figuram: & ſumit definitionem ex regulis illis, de omni, & de nullo: nam regulæ illæ ſunt fundamentum primæ figuræ: & ait ſyllogiſmum ita extructum, eſſe perfectum, quia in ſe continet euidentem probandi neceſſitatem.
Pro interpretatione definitionis ita ſunt notanda. Primò hanc definitionem non eſſe generalem, ſed tantùm conuenire modis vniuerſalibus vtilibus, Barbara & Celarent. Si quæras cur non definiuerit generaliter primam figuram, reſponſio eſt in promptu ex iis quæ ſuprà notaui: quoniam Ariſtoteles non progreditur ab vniuerſalibus ad particularia, ſed adhibet oppoſitum ordinem: & primò ſeorſim agit de ſyllogiſmis vniuerſalibus, poſteà ſingillatim de ceteris. Secundò notandum, hanc definitionem, & alias figurarum ſyllogiſticarum definitiones ſumi ex collocatione medij termini, qui regit ſyllogiſmos. In hac igitur definitione medius terminus obtinet medium locum, id eſt, ſubiicitur maiori extremo, & attribuitur minori. Tertiò notandum, Ariſtotelem in hac definitione & paſſim in toto tractatu de ſyllogiſmis ita ſingula explicare, vt magis videatur reſpicere ad terminos, quàm ad propoſitiones. Cuius methodi ratio eſt: quia hac ratione analyſis eſt perfecta, quæ reſoluit ſyllogiſmos non ſolùm in propoſitiones, ſed etiam in ſimplices terminos; adeò vt reſoluat vſque ad prima

elementa: vt in vera scientia fieri debet, teste Aristotele 1 Phys. cap. 1. Ait igitur, *cùm tres termini* (nempe maior, medius, & minor, ex quibus omnes syllogismi constant) *ita inter se affecti sunt*, id est, ita connexi in duabus propositionibus, *vt extremum*, id est, minor, *sit in toto medio*, id est, vniuersaliter & affirmatiuè subiiciatur medio termino; adeò vt minor propositio sit vniuersalis affirmans: *& medium in toto primo sit, vel non sit*, id est, medius terminus vniuersaliter maiori extremo subiiciatur affirmatiuè, vel negatiuè; ita vt maior propositio sit vel vniuersalis affirmans, vt in Barbara, vel vniuersalis negans, vt in Celarent: (Obiter obserua Aristotelem primo loco posuisse minorem, secundo maiorem: quoniam hic est verus ordo, quando vtimur regula seu definitione eius quod est vel non est in toto: sic enim à subiectis adscendimus ad attributa. è contrario maior est præponenda, quando descendimus ab attributis ad subiecta, id est, quando vtimur regula seu definitione eius quod dicitur de omni, vel de nullo) cùm igitur termini ita se habent, vt diximus, tunc *necesse est extremorum esse syllogismum perfectum*. Ait *necesse est*: non quia conclusio sit necessaria: nam est pura ex syllogismo puro: sed vt ostendat necessarium nexum & necessariam consecutionem siue illationem conclusionis ex propositionibus. Ait *extremorum*: quia in conclusione ponuntur tantùm extrema, numquàm medius terminus. conclusio namque probatur, non probat: medius autem terminus adhibetur, non vt probetur, sed vt probet. Ait *syllogismum*, significans vel conclusionem, quæ interdum vocatur syllogismus: vel propositiones; in qua significatione syllogismus acceptus dicitur esse conclusionis, non ex conclusione, quemadmodum clauis dicitur seræ aut ostij, non ex sera vel ostio. Ait autem *esse syllogismum perfectum*: quod posteriùs probabit.

3 *Voco autem medium*. Quia in definitione suprà tradita vsus est duobus vocabulis nondum expositis: idcirco nunc ea definit, id est, medium & extrema. Hæ quoque definitiones non sunt generales, sed coangustatæ ad primam figuram. Ait *voco*: non, vocatur: quia ipse harum appellationum est auctor. Sic enim solet Aristoteles notare ea quæ ipse introducit, nempe verbo λέγω, aut καλῶ. Ergo ait se vocare medium, (subaudi, in prima figura) *quod & ipsum est in alio*, id est, quod subiicitur maiori extremo in maiori propositione, *cum aliud*, id est, minus extremum, *in ipso sit*, id est, ipsi medio subiiciatur in minori propositione: vnde *positione quoque sit medium*, id est, non solùm appellatione & nomine, sed etiam re ipsa. cum enim maius extremum supremo loco, minus infimo ponatur, medium medio loco collocatur, id est, sub maiori, & suprà minus. Hæc dicta sint de definitione medij. Posteà definit Aristoteles extrema, id est, primum, quod vocatur maius: & vltimum, quod appellatur minus. Priori loco minus definit, *id quod est in alio*, id est, quod subiicitur medio termino. Deinde maius, *in quo est aliud*, id est, cui subiicitur medius terminus. Vsus sum his appellationibus maioris & minoris extremi, vt distinctius singula intelligantur: quamquàm ipse Aristoteles his nominibus nondum vtitur; sed vti incipiet partic. 9. eaque declarabit partic. 10.

4 *Nam si τὸ α*. Nunc incipit explicare singulos modos: in quibus declarandis ad significandos tres terminos vtitur tribus literis, α, β, γ: quarum prima significat maius extremum, secunda medium terminum, tertia minus extremum. In hac particula proponit modum vtilem vniuersalem affirmantem, qui vulgò vocatur Barbara, quia ex duabus propositionibus vniuersalibus affirmantibus efficit conclusionem vniuersalem affirmantem. Huius syllogismi vim patêre ait ex definitione eius quod dicitur de omni, tradita in extremo capite primo. Porrò cùm Aristoteles de syllogismis loqui soleat descendendo ab attributo ad subiectum, vulgò autem soleat subiectum præponi attributo: subiiciam exemplum eiusdem syllogismi vtroque modo concepti, quò res clarior euadat.

Substantia dicitur de omni animali:	*Bar*	Omne animal est substantia
Animal dicitur de omni homine:	*ba*	Omnis homo est animal:
Ergo		Ergo
Substantia dicitur de omni homine.	*ra*	Omnis homo est substantia.

5 *Similiter etiam*. Sequitur alius modus vtilis, qui est vniuersalis negans, & vulgò appellatur Celarent: ex duabus enim propositionibus vniuersalibus, maiore negante & minore affirmante, colligit conclusionem vniuersalem negantem: veluti,

Ce Nihil turpe est expetendum:
la Omnis voluptas est turpis: Ergo
rent Nulla voluptas est expetenda.

6 *Si verò primum*. Sequitur modus vniuersalis, inutilis, A E, id est, constans ex

duabus

duabus propositionibus vniuersalibus, maiore affirmante, & minore negante: ex quibus nihil concluditur, eò quòd minor negat, quæ in prima figura debet affirmare. Hunc modum esse inutilem, id est, nihil concludere, probat Aristoteles prolatis quibusdam terminis; in quibus modò vera est conclusio vniuersalis affirmans, modò vniuersalis negans. vnde apparet nihil posse colligi. nam si dicas sequi conclusionem affirmantem: in contrarium afferuntur termini, in quibus conclusio est negans. Sin autem dicas esse conclusionem negantem: contrà afferuntur termini, in quibus conclusio est affirmans. nihil igitur concluditur: quia hic modus non potest applicari omnibus terminis.

E Omnis homo est animal:	*A* Omnis homo est animal:
A Nullus equus est homo:	*E* Nullus lapis est homo:
E Omnis equus est animal.	*E* Nullus lapis est animal.

7 *Neque* [*tunc.*] Sequitur modus vniuersalis, inutilis, E E, id est constans ex vtraque propositione vniuersali negante. Hunc modum esse inutilem, similiter probat Aristoteles prolatis terminis; in quibus conclusio modo est vniuersalis affirmans, modò vniuersalis negans: nihil igitur certi concluditur.

8 *Cùm igitur.* Concludit, cùm ambæ propositiones sunt vniuersales, se iam exposuisse, quando sit, vel non sit syllogismus, seu modus vtilis. est enim syllogismus seu modus vtilis, quotiescumque minor affirmat: non est autem syllogismus, seu est modus inutilis, quando minor negat.

9 *At si terminorum.* Hucusque dictum est de modis vniuersalibus: sequuntur particulares: qui vt sint vtiles & syllogistici, duas conditiones requirunt: alteram, vt maior propositio sit vniuersalis: alteram, vt minor affirmet: alioquin erunt modi inutiles. Ait igitur Aristoteles, si tres termini syllogistici ita se habeant, vt alius vniuersaliter, alius particulariter ad alterum sit affectus, id est, si altera propositio sit vniuersalis, altera particularis: tunc si scire volumus an sit modus vtilis, distinguendum esse. cùm enim duæ illæ conditiones adsunt: nempe cùm vniuersale adiungitur maiori extremo, siue attributiuum siue priuatiuum, id est, cùm maior propositio est vniuersalis, siue affirmans siue negans: (hæc enim erat prima conditio) particulare autem adiungitur minori extremo, attributiuum, id est, minor propositio est particularis affirmans: (hæc enim erat altera conditio) cùm ergo termini & propositiones ita se habent, necesse est syllogismum esse perfectum, id est, esse modum vtilem, qui in se habet euidentem concludendi necessitatem. Cùm autem vniuersale adiungitur minori extremo, id est, cùm desideratur prima conditio; quia maior propositio, quæ debebat esse vniuersalis, est particularis: (hoc enim Aristoteles indicat, dum ait vniuersale adiungi minori extremo, id est, minorem esse vniuersalem: consequenter maiorem esse particularem; quia iam supposuit alteram esse vniuersalem, alteram particularem) cùm igitur minor est vniuersalis, maior particularis: modus est inutilis; non quia minor sit vniuersalis, sed quia maior est particularis. Item cùm alio quouis modo termini se habent, id est, cùm desideratur altera conditio, nempe cùm minor negat, siue etiam maior negat, siue maior affirmet; tunc impossibile est esse syllogismum, siue aliquid concludi.

10 *Maius extremum.* Quia in proxima particula mentionem fecit maioris & minoris extremi: nunc ea definit. Suprà namque partic. 3. & medium & extrema generaliter definiuit. Sunt autem hæ quoque appellationes maioris & minoris extremi ab Aristotele inuentæ: quod indicat eo verbo λέγω. Definit igitur maius extremum, in quo medium est, id est, cui medius terminus subiicitur in maiori propositione. Minus autem extremum definit, quod est sub medio, id est, quod subiicitur medio termino in minore propositione. Vnde apparet, has quoque definitiones esse proprias primæ figuræ. hæc enim omnia aliter in secunda, aliter in tertia figura definientur: quoniam eorum diuersitas constituit diuersas figuras.

11 *Insit enim.* Exponit primum modum particularem vtilem. A I, Vulgò Darij.

Da Omnis homo est rationalis:
ri Aliquod animal est homo: Ergo
i Aliquod animal est rationale.

12 *Et si τῷ* a. Sequitur secundus modus particularis vtilis, E I, Vulgò Ferio.

Fe Nullus homo est brutum:
ri Aliquod animal est homo: Ergo
o Aliquod animal non est brutum.

13 *Similiter etiam.* Quæ in duabus proximis particulis dixit de propositione particulari, nunc producit ad indefinitam: quoniam vtriusque eadem est ratio, id est, vtraque habet eandem vim in omnibus syllogismis. Si igitur in dictis syllogismis, Darij

& Ferio, pro minore illa particulari, aliquod animal est homo, accipias indefinitam, animal est homo idem erit syllogismus: quia hæc propositio, animal est homo, vera est, etiamsi non omne, sed tantùm aliquod animal sit homo.

14 *Quod si minori.* Expositis modis particularibus vtilibus, transit ad explicandos particulares inutiles. ac primum generaliter docet, quod mox confirmabit per partes, omnes primæ figuræ modos particulares esse inutiles, in quibus maior est particularis. Sic igitur vult probare primam ex duabus illis conditionibus, quas requirebamus partic. 9.

15 *Vt si τῷ.* Proponit duos modos inutiles, quia maior propositio est particularis. Primus est I A: secundus, O A. Inutiles esse ex eo ostendit, quòd ex eis non potest inferri certa conclusio: sed modò reperitur vniuersalis affirmans, modò vniuersalis negans. Nam si termini sumantur, bonum, habitus, & prudentia: ita vt bonum, sit maius extremum: habitus, medius terminus: & prudentia, minus extremum: maior propositio particularis sumi potest tam affirmans, quàm negans: nam aliquis habitus est bonus, & aliquis habitus non est bonus: minor autem erit vniuersalis affirmans, quia omnis prudentia est habitus: & conclusio erit similiter vniuersalis affirmans, id est, omnis prudentia est bona. Si verò tres termini sint, bonum, habitus, & inscitia: maior erit eadem quæ antea, id est, aliquis habitus est bonus, vel, aliquis habitus non est bonus: & minor vniuersalis affirmans, nempe omnis inscitia est habitus: conclusio autem erit vniuersalis negans, nulla inscitia est bona.

16 *Rursus si.* Sequuntur alij duo modi inutiles, eò quòd maior propositio est particularis, nempe I E, & O E: ex quibus non infertur certa conclusio, cùm modo reperiatur vniuersalis affirmans, modò vniuersalis negans, vt in sequentibus exemplis.

I } O }	Aliquis equus	{ est { non est	}	albus.

E Nullus cycnus est equus.
A Omnis cycnus est albus.

I } O }	Aliquis equus	{ est { non est	}	albus.

E Nullus coruus est equus.
E Nullus coruus est albus.

Simili ratione alios modos esse inutiles in sequentibus ostendetur, cuius probationis expositionem, quòd facilis sit, breuitatis studio prætermittam.

17 *Iidem [termini.]* Sicut suprà partic. 13. loquens de modis vtilibus, docuit eandem esse vim propositionum particularium & indefinitarum: ita nunc idem docet de modis inutilibus. atque in ea partic. 13 loquebatur de propositione $\beta\gamma$, id est minore: hic verò loquitur de propositione $\alpha\beta$, id est, maiore.

18 *Sed neque.* Vt methodus intelligatur, memoriâ repetendum est, Aristotelem in 9. partic. loquentem de syllogismis particularibus tradidisse duas conditiones necessarias vt sint modi vtiles. Prima conditio erat, vt maior propositio sit vniuersalis: eámque conditionem deinceps probauit: nunc iterum repetit alteram conditionem, quòd minor debet affirmare, vt similiter eam deinceps probet ideò inquit, licèt maior propositio sit vniuersalis, tamen, si minor negет, esse modum inutilem.

19 *Vt si τῷ α.* Proponit primùm modùm inutilem, eò quòd minor negat, nempe A O.

20 *Rursus τῷ α.* Sequitur alius modus particularis inutilis ob minorem negantem, nempe E O.

21 *Præterea cùm hoc.* Cùm in part. 19. & & 20. prolatis quibusdam terminis, in quibus conclusio (si tamen conclusio dici debet, quæ non syllogisticè concluditur) modò est vniuersalis affirmans, modò vniuersalis negans, ostenderit duos illos modos esse inutiles, quia minor particularis negat: nunc eosdem esse inutiles probat ratione, quia propositio particularis est indefinita. Indefinitam hic accipit in noua quadam significatione: quia scilicet cùm dico, (exempli gratiâ) quidam homo non est albus: non declaro, vtrùm significem quendam tantùm hominem non esse album, quasi dicam quosdam esse albos, & quosdam non esse albos, an verò intelligam nullum hominem esse album; quia si nullus est albus, etiam aliquis nō est albus. Hac ratione fit, vt propositio particularis sit quodammodo vniuersalis, quatenus duobus illis modis accipi potest, id est, adiecta vel reiecta particula *tantùm*, sed non est verè vniuersalis: proinde ab Aristotele vocatur indefinita, ad differentiam eius, quæ definit, vtrùm propositio tantùm in parte, an etiam vniuersaliter sit vera. Exempli gratiâ, hæc est propositio definita, quædam tantùm voluptas non est bona: item hæc est definita, nulla voluptas est bona: hæc verò est indefinita, & illis duabus communis, quædam voluptas non est bona; quia cùm ita pronun-

ciо, non

cio, nolo distinctiùs explicare, sitne nulla bona, an aliqua tantùm non bona; sed mihi sufficit aliquam non esse bonam. Eadem est ratio propositionum affirmantium, quamuis adhibuerim exempla negantium: respiciens ad hunc contextum, in quo Aristoteles loquitur de propositione negante. Hoc posito, Aristoteles sic ratiocinatur: Volumus ostendere, si minor propositio in parte negat, esse modum inutilem: quod probatur, quia si esset modus vtilis, etiam tunc concluderet, cùm minor vniuersaliter negat: atqui consequens est falsum, vt probatum est suprà partic. 6 & 7. ergo falsum & antecedens, quod hic modus sit vtilis. Consequentia probatur: quia vniuersalis negans aliquo modo continetur sub particulari negante, vt iam exposui. Vt intelligatur vis huius consecutionis, notandum est, eos esse modos vtiles, qui semper inferunt certam conclusionem, qualescumque termini sumantur. nam si vno casu deprehendatur modus non concludere, dicetur simpliciter inutilis. Quare cùm sumitur propositio particularis negans vt vera, licet mihi sumere quoscumque terminos, & applicare illi formæ syllogisticæ. sumam igitur terminos, in quibus non solùm vera sit particularis negans, sed etiam vniuersalis negans: in quibus terminis cùm nihil concludatur, certè modus est inutilis; quia non potest omnibus terminis accommodari. Exempli gratia sumantur hæ duæ propositiones, omnis homo est animal, aliquis lapis non est homo. Dico hinc nihil concludi: quia minor negat. sumpsi enim minorem particularem, quæ potest fieri vniuersalis, id est, sumpsi aliquem lapidem non esse hominem, quia nullus lapis est homo. æquè igitur possum dicere, quidam lapis non est homo, & nullus lapis est homo. quocirca cùm ex propositione, nullus lapis est homo, nihil probetur, etiam ex particulari nihil probabitur. Quod attinet ad seriem contextus, Aristoteles expositam probationem primùm accommodat primo modo inutili, de quo egit in partic. 19. Deinde cùm ait, *Similiter autem*, docet eandem probationem posse æquè accommodari alteri modo inutili, de quo in partic. 20. Nam hæc probatio respicit ad minorem propositionem, quæ vtrobique erat particularis negans: differentia verò inter illos modos tantùm est in maiore propositione, quæ in partic. 19. sumebatur vniuersalis affirmans, in partic. verò 20. vniuersalis negans. sed hæc differentia nihil ad dictam probationem pertinet.

22 *Neque [enim] vllo modo.* Simul ponit varios modos inutiles ex vtrisque propositionibus particularibus, vel vtrisque indefinitis, vel altera particulari, altera indefinita. Sumit igitur terminos, in quibus vtraque propositio verè sumi potest tam affirmans, quàm negans, siue in parte, siue indefinitè: conclusio autem modò est vniuersalis affirmans, modò vniuersalis negans. Vniuersalis affirmans, cùm tres termini sunt, animal, album, homo. vniuersalis negans, cùm termini sunt, album, animal, lapis; quia animal dicitur de omni homine & de nullo lapide.

23 *Ex his igitur.* Hæc particula continet epilogum modorum particularium. ait enim, si syllogismus particularis sit vtilis, necesse esse vt termini sint dispositi, sicut antea diximus, id est, faciant maiorem vniuersalem, & minorem affirmantem. Et cùm termini ita sunt dispositi, semper conclusionem necessariò sequi, vt contingit in Darij, & in Ferio.

24 *Constat etiam.* Ex dictis colligit tres huius figuræ proprietates, præter duas illas suprà expositas, & præcedenti quoque epilogo & part. 8. comprehensas, quòd maior propositio debet esse vniuersalis, & minor affirmans. Prima proprietas, quæ hic additur, est, quòd syllogismi huius figuræ sunt perfecti, vt Aristoteles probat ex definitione syllogismi perfecti: quoniam (inquit) omnes perficiuntur per ea quæ ab initio sumpta sunt, id est, per suas propositiones, in quibus habent euidentem probandi necessitatem: affirmantes, ex regula de omni: & negantes, ex regula de nullo.

25 *Item omnia.* Secunda proprietas est, quòd in prima figura possunt probari omnia problemata, vniuersale affirmans in Barbara, vniuersale negans in Celarent, particulare affirmans in Darij, particulare negans in Ferio. In secunda verò figura non probatur affirmatio: in tertia non probatur vniuersale: vt posteriùs Aristoteles docebit.

26 *Huiusmodi verò.* Tertia proprietas est, quòd hæc figura est prima, propter rationes, quas in argumento huius capitis exposui.

IN CAP. V. DE SYLLOGISMIS EX PROPOSITIONIBUS PURIS IN SECUNDA FIGURA.

Exposita est prima figura: cuius modi vtiles dignoscebantur ex duabus regulis: quarum prima erat, quòd maior propositio

debet esse vniuersalis: altera, quòd minor debet affirmare. Sequitur secunda figura, in qua habebimus tres regulas. prima est, quòd maior debet esse vniuersalis. Secunda, quòd minor debet esse maiori dissimilis, vt Aristoteles loquitur; siue contraria in qualitate, vt scholastici loquuntur, hoc est, si maior affirmat, minor debet negare: si maior negat, opus est vt minor affirmet. tertia, quòd conclusio debet esse negans. In hac figura medius terminus non suum, id est, medium, sed primum locum tenet, & vtrique extremo attribuitur. Quapropter cùm huius figuræ characteres Aristotelici sint μ ν ξ: primum elementum significat medium terminum, alterum notat maius extremum: tertium indicat minus extremum. & μ ν est maior propositio: μ ξ, minor: ν ξ, conclusio. Methodus huius capitis hæc est. Initio quædam generalia proponuntur: postea subiicitur diuisio syllogismorum in vniuersales & particulares: & ordine agitur primùm de vniuersalibus; deinde de particularibus ex altera propositione vniuersali & altera particulari: quorum omnium modorum alij vtiles ostenduntur, alij inutiles: postremò tractatur de iis modis particularibus, qui constant ex vtraque propositione particulari, & sunt omnes inutiles.

1 *Cùm autem idem.* Incipit à definitione huius figuræ; quam ait se vocare secundam. Hic primò notandum est, definitionem conuenire solùm modis vniuersalibus tàm vtilibus quàm inutilibus. eodémque modo tertiam figuram definiet initio sequentis capitis. Cur definiat specialiter modos vniuersales, expositum ad initium cap. 1. præcedentis. Sed occurrit dubitatio, cur Aristoteles initio superioris capitis definiens primam figuram, accommodauerit eam definitionem solis modis vtilibus: definitione autem secundæ & tertiæ figuræ complectatur tam modos inutiles, quàm vtiles. Ratio, ni fallor, hæc est: Definitionem primæ figuræ sumpsit ex principiis illis, de omni, & de nullo, quæ constituunt primam figuram: principia verò illa constituunt tantùm modos vtiles: vnde factum est, vt definitio propria sit modorum vtilium. in definitione autem secundæ & tertiæ figuræ non potest haberi ratio illorum principiorum, sed tantùm dispositionis & collocationis medij termini, qui eodem loco ponitur in modis vtilibus & in inutilibus: vnde factum est, vt sub his definitionibus contineantur omnes modi vniuersales, tam vtiles, quàm inutiles. Secundò notandum, hanc figuram meritò dici secundam. non est enim prima: cùm non ponat medium terminum suo loco, id est, medio loco: quia cùm medius terminus debeat extrema connectere, debet loco medio secundùm naturam collocari. præponitur autem tertiæ: quia tertia ponit medium vltimo loco, hæc verò ponit summo loco. sit ut ergo summum infimo, ita secunda tertiæ præfertur. Præterea sicut maior propositio præfertur minori, ita secunda figura debet tertiæ præferri: vtraque enim oritur ex prima figura, sed ita vt secunda oriatur ex conuersione maioris, tertia ex conuersione minoris. Verbi gratiâ sit syllogismus in Celarent. si conuertatur maior propositio, fiet Cesare in secunda figura. si minor, fit Felapton in tertia figura.

2 *In qua medium.* Postquàm definiuit figuram, & eam vocauit secundam: nunc definit singulos terminos, id est, medium, & extrema. Definitiones ex iis quæ diximus, perspicuæ sunt.

3 *Ponitur autem.* Declarat locum medij termini in hac figura. & primùm ait, eum poni extra extrema, separans hanc figuram à prima, in qua medius terminus collocabatur inter maius & minus extremum. Deinde ait, in hac figura medium poni primo loco, seiungens hanc figuram à tertia, in qua similiter medius terminus collocabitur extra extrema, infimo tamen loco.

4 *Perfectus igitur.* Proponit proprietatem, qua secunda figura distinguitur à prima, non etiam à tertia. Nam syllogismi primæ figuræ sunt perfecti: secundæ verò & tertiæ figuræ, imperfecti, vt posteriùs probabitur.

5 *Esse autem.* Diuidit syllogismos secundæ figuræ in vniuersales & non vniuersales. Non vniuersalium appellatione intelligit eos, qui constant ex propositionibus particularibus, vel indefinitis, aut saltem vna propositione particulari, vel indefinita: syllogismi namque sumunt appellationem à deteriori propositione: adeò vt si vna propositio sit particularis dicantur particulares: si vna negatiua, negatiui. Quod ad verba contextus attinet, obiter obserua idem esse, siue dicas terminos esse vniuersales, siue dicas propositiones esse vniuersales. eadémque ratio est particularium.

6 *Si vniuersales.* Secernit modos vniuersales vtiles ab inutilibus per hanc regulam: quòd vt sit vtilis & verus syllogismus, oportet propositiones esse dissimiles, id est, alteram affirmantem, alteram negantem.

7 *Attribuatur enim.* Explicat primum modum vniuersalem vtilem, E A, vulgò Cesare, qui non habet in se euidentem concludendi necessitatem, sed perficitur per primam figuram.

tam, id eſt, per reductionem ad Celarent: quod indicat litera C. Hæc autem reductio fit per ſimplicem conuerſionem maioris propoſitionis, quod indicat litera S, quæ in Ceſare adhæret primæ, non ſecundæ ſyllabæ. Et generaliter notandum eſt, has tres literas, S M P, poſitas in medio dictionum ſyllogiſmos ſecundæ vel tertiæ figuræ ſignificantium, ſemper adhærere ſyllabæ antecedenti, nunquam ſequenti. Præterea generaliter ad reductiones ſyllogiſmorum rectiùs intelligendas, & memoriæ mandandas, tenendum eſt, quod ſuprà notaui ſecundam & tertiam figuram naſci quodammodo ex prima. nam ſi accipias ſyllogiſmum primæ figuræ, & conuertas maiorem propoſitionem, facies ſecundam figuram. ſi verò conuertes minorem, facies tertiam figuram. quare ſimiliter cùm vis reducere ſyllogiſmum ſecundæ figuræ ad primam, debes conuertere maiorem: & cùm vis reſoluere ſyllogiſmum tertiæ figuræ in primam, debes conuertere minorem: denique ſi velis reſoluere ſecundam figuram in tertiam, aut tertiam in ſecundam, debes conuertere vtramque propoſitionem. Dices, quid ſi conuerſio fieri non poſſit? dicam tunc reſolutionem fieri non poſſe. In ſecunda tamen figura, quando modus eſt vniuerſalis & maior propoſitio non poteſt ſimpliciter conuerti, poſſumus conuertere minorem, ita tamen vt ex minore fiat maior, vt fit in Cameſtres, de quo dicetur in ſequenti particula. Præterea ceſſante reductione ad primam figuram per conuerſionem, interdum locus eſt aliis ſyllogiſmorum confirmationibus, id eſt, per expoſitionem, vel per deductionem ad impoſſibile, de quibus poſtea ſuis locis. Nunc ſubiiciam exemplum ſyllogiſmi in Ceſare, eiúſque reductionem ad Celarent.

Ceſ	Nullus lapis eſt animal:	*Ce*	Nullum animal eſt lapis:
a	Omnis homo eſt animal:	*la*	Omnis homo eſt animal: Ergo
re	Ergo nullus homo eſt lapis.	*rent*	Nullus homo eſt lapis.

8 *Rurſus ſi τὸ μ.* Sequitur ſecundus modus vniuerſalis vtilis, A E, vulgò Cameſtres: qui perficitur per reductionem ad Celarent, conuerſâ minore, & concluſione, vt indicat repetita litera S, & tranſpoſitis propoſitionibus, vt indicat litera M, quæ ſignificat μετάθεσιν, id eſt tranſpoſitionem propoſitionum, vt altera propoſitio fiat ex maiore minor, altera ex minore fiat maior, vt in ſequenti exemplo.

Cam	Omnis homo eſt animal:	*Ce*	Nullum animal eſt lapis:
eſ	Nullus lapis eſt animal:	*la*	Omnis homo eſt animal: Ergo
tres	Ergo nullus lapis eſt homo:	*rent*	Nullus homo eſt lapis.

9 *Hæc probare.* Cùm modos vniuerſales vtiles, Ceſare & Cameſtres, confirmarit per conuerſionem propoſitionis negantis, qua reduxit eos modos ad Celarent: nunc ait eoſdem modos, Ceſare & Cameſtres, poſſe confirmari per deductionem ad impoſſibile: quia ſi conceſſis duabus propoſitionibus neges concluſionem in Ceſare vel Cameſtres, ducêris ad abſurditatem ineuitabilem, vt concedas duo contradicentia ſimul eſſe vera: Hæc deductio ad impoſſibile, ſi confirmet Ceſare, fit in Ferio. ſin autem confirmet Cameſtres, fit in Darij. vtraque autem deductio ita fit: Cùm aduerſarius neget concluſionem, cogitur concedere contradictoriam. ea contradictoria ſumitur pro minore propoſitione: eique additur maior iam ab aduerſario conceſſa: atque ex his duabus propoſitionibus colligitur concluſio contradicens minori antea conceſſæ ab aduerſario. Ergo aduerſarius ponit contradicentes ſimul veras, id eſt, minorem, quam antea conceſſit, & concluſionem, quam nunc concedere cogitur vi ſyllogiſmi in Ferij, vel Darij extructi, vt in ſequentibus videre licet: quorum primum eſt τῶ Ceſare confirmati in Ferio.

Ceſ	Nullus lapis eſt animal:	*Fe*	Nullus lapis eſt animal:
a	Omnis homo eſt animal:	*ri*	Aliquis homo eſt lapis. Ergo
re	Ergo nullus homo eſt lapis.	*o*	Aliquis homo non eſt animal.

Alterum exemplum eſt τῶ Cameſtres confirmati in Darij.

Cam	Omnis homo eſt animal:	*Da*	Omnis homo eſt animal:
eſ	Nullus lapis eſt animal:	*ri*	Aliquis lapis eſt homo: Ergo
tres	Ergo Nullus lapis eſt homo.	*i*	Aliquis lapis eſt animal.

10 *Perſpicuum igitur.* Ex dictis colligit modos illos, Ceſare & Cameſtres, eſſe imperfectos: quia neceſſitas conſecutionis, qua efficitur concluſio, non pendet ex ſolis

propositionibus initiò sumptis, vt contingebat in syllogismis primæ figuræ: sed hic oportet assumere nouas propositiones, siue hi modi per conuersionem, siue per reductionem ad impossibile resoluantur in primam figuram.

11 *At si τὸ μ.* Proponit alium modum vniuersalem, A A, qui est inutilis, eò quòd ambæ propositiones affirmant: vnde conclusio modò reperitur vniuersalis affirmans, modò vniuersalis negans, vt in sequentibus exemplis.

A	Omne animal est substantia:	*A*	Omne animal est substantia:
A	Omnis homo est substantia:	*A*	Omnis lapis est substantia:
A	Omnis homo est animal.	*E*	Nullus lapis est animal.

12 *Neque [tunc]* Sequitur alius modus vniuersalis, EE, inutilis, quia vtraque propositio negat: vnde conclusio modò in vniuersum affirmat, modò in vniuersum negat, vt in sequentibus exemplis.

E	Nullum animal est linea:	*E*	Nullum animal est linea:
E	Nullus homo est linea:	*E*	Nullus lapis est linea.
A	Omnis homo est animal.	*E*	Nullus lapis est animal.

13 *Perspicuum igitur.* Epilogo imponit finem tractatui de modis vniuersalibus: & inquit, ex dictis apparere hos modos tum demum esse vtiles, cùm seruatur regula initiò tradita, id est, suprà in 6 part. nempe vt propositiones sint dissimiles, hoc est, vt altera affirmet, altera neget, vt in Cesare & Camestres: alioqui si ambæ affirment, vel ambæ negent, nihil concluditur.

14 *Quod si medium.* Transit ad modos particulares: & generaliter distinguit vtiles ab inutilibus per duas regulas seu conditiones modorum vtilium: quarum prima est, quòd minor propositio est vniuersalis: altera, quòd minor est maiori dissimilis, id est, altera affirmat, altera negat.

15 *Nam si τὸ μ.* Explicat primum modum particularem vtilem, E I, vulgò Festino; qui perficitur per reductionem ad Ferio, vt indicat litera F, conuersa simpliciter maiore propositione, vt in sequenti exemplo apparet.

Fes	Nihil expetendũ est malum:	*Fe*	Nihil malum est expetendum:
ti	Aliqua voluptas est mala:	*ri*	Aliqua voluptas est mala: Ergo
no	Ergo Aliqua voluptas non est expetenda.	*o*	Aliqua voluptas non est expetenda.

16 *Rursus si.* Sequitur secundus modus particularis vtilis, A O, vulgò Baroco: qui reducitur ad primam figuram, id est ad Barbara, vt indicat litera B, non per conuersionem propositionum, sed per deductionem ad impossibile, vt indicat litera C. nam minor propositio non potest conuerti, cùm sit particularis negans: maior autem, quæ est vniuersalis affirmans, si conuertatur, fiet particularis: & minor quoque est particularis: ex duabus verò particularibus iam docuimus in prima figura nihil concludi, quemadmodum nec in aliis figuris. Deductio autem ad impossibile fit hoc modo: Si concessis propositionibus neges conclusionem in Baroco, cogeris concedere contradicentem: hac contradicente accepta pro minore propositione, & assumpta maiore à te antè concessa, ducam te ad absurditatem, id est, in Barbara colligam conclusionem contradicentem minori propositioni τῷ Baroco à te antea concessæ. Sic igitur cogeris admittere contradicentia, vt in sequenti exemplo apparet.

Bar	Omne bonum est expetendum:	*Bar*	Omne bonum est expetendum.
oc	Aliqua voluptas non est expetenda:	*ba*	Omnis voluptas est bona. Ergo
o	Ergo Aliqua voluptas non est bona.	*ra*	Omnis voluptas est expetenda.

17 *At si τὸ μ.* Explicat modum particularem, O A, qui est inutilis ob defectum primæ conditionis, id est, quia maior est particularis. vnde conclusio interdum in vniuersum affirmat, interdum in vniuersum negat, vt in sequentibus exemplis.

O	Aliqua substantia non est animal:	*O*	Aliquod album non est animal:
A	Omnis coruus est animal:	*A*	Omnis coruus est animal:
A	Omnis coruus est substantia.	*E*	Nullus coruus est albus.

18 *Neque.* Sequitur modus particularis, I E, inutilis ob defectum eiusdem conditionis. i. quia maior propositio est particularis.

I Aliqua

I	Aliqua ſubſtantia eſt animal.	*I*	Aliqua ſubſtantia eſt animal:
E	Nullus lapis eſt animal:	*E*	Nulla ſcientia eſt animal:
A	Omnis lapis eſt ſubſtantia.	*E*	Nulla ſcientia eſt ſubſtantia.

19 *Cùm igitur.* Hic eſt breuis epilogus modorum particularium, ex diſſimilibus propoſitionibus conſtantium.

20 *Cùm autem.* Tranſit ad alios modos particulares, qui conſtant ex propoſitionibus ſimilibus, id eſt, ex vtriſque affirmatiuis, vel vtriſque negatiuis: & generaliter docet hos omnes eſſe inutiles.

21 *Primùm enim.* Quod generaliter in præcedenti particula docuit, deinceps per partes declarat & probat. In hac igitur particula declarat modum particularem, E O, inutilem ob defectum ſecundæ conditionis, id eſt, quia propoſitiones ſunt ſimiles. Primam & ſecundam conditionem intelligo eas, quæ traditæ fuerunt in partic. 14. Hic igitur Ariſtoteles primò per elementa alphabetica declarat hunc modum inutilem. Secundo cùm ait, *Termini [conclusionis,]* incipit ſententiam ſuam confirmare propoſitis exemplis realibus: & in primis proponit tres terminos, in quibus conclusio (ſi tamen concluſio dici debet, quæ non colligitur ex præmiſſis) eſt vniuerſalis negans, vt in ſequenti exemplo.

E Nulla nix eſt nigra:
O Aliquod animal non eſt nigrum:
E Nullum animal eſt nix.

Tertiò cùm ait, *Termini autem*, quærit terminos, in quibus reperiatur concluſio vniuerſalis affirmans: ac docet tales terminos ſumi non poſſe, ſi minor propoſitio talis ponatur, vt medius terminus de aliquo minore extremo verè negetur, & de aliquo verè affirmetur, quales erant termini pauló antè poſiti: quia nigrum de aliquo animali, vt de cygno, verè negatur; & de aliquo animali, vt de coruo, verè affirmatur. In talibus igitur terminis non poteſt eſſe vera concluſio vniuerſalis affirmans. quod Ariſtoteles ita oſtendit: quia ſi concluſio vniuerſalis affirmans vera ſit, ſumatur pro minore propoſitione: & ei addatur maior eiuſdem ſyllogiſmi: inde colligetur in Celarent concluſio contradicens minori antea conceſſæ, vt in ſequenti exemplo.

	ν		ν
E	Nullus cycnus eſt	*Ce*	Nullus cycnus
	μ		μ
	niger:		eſt niger:
	ξ		ξ
I	Quædam auis eſt	*la*	Omnis auis eſt
	μ		ν
	eſt nigra:		cycnus: Ergo
	ξ		ξ
A	Omnis auis eſt	*rent*	Nulla auis eſt
	ν		μ
	cycnus.		nigra.

Quartò cùm ait, *Sed ex indefinito*, reprobat dictum modum E O, hac ratione: quia minor particularis eſt indefinita, continens aliquo modo etiam negantem vniuerſalem. ergo ſi pro particulari negante ſumatur vniuerſalis negans, ambæ propoſitiones erunt negantes vniuerſales. erit igitur modus E E, inutilis, vt probatum fuit partic. 12 Demonſtratio talis eſt. Modus E E eſt inutilis: ergo etiam modus EO eſt inutilis: quia fieri poteſt, vt O & E ſint ſimul veræ: quod enim vniuerſaliter negatur, etiam in parte negatur. in talibus igitur terminis, EO nihil concludit. ergo eſt omnino inutilis. nam modi ſyllogiſtici debent concludere ſine vlla exceptione: adeò vt qui ſemel deprehenduntur non concludere, ſint omnino abiiciendi, tamquam inutiles.

22 *Rurſus ſint.* Sequitur modus particularis, A I, qui eſt inutilis ob ſimilitudinem propoſitionum, quoniam vtræque affirmant. vt hunc modum inutilem eſſe oſtendat, ait conclusionem modò eſſe vniuerſalem affirmantem, modò vniuerſalem negantem. Primùm autem proponit terminos concluſionis negantis, cùm ait, *Termini [conclusionum.]* Exemplum hoc eſto.

A Omnis cycnus eſt albus:
I Aliquis lapis eſt albus:
E Nullus lapis eſt cycnus.

Poſtea cùm ait, *[Concluſionum] omni*, docet non poſſe accipi concluſionem vniuerſalem affirmantem. ſubaudi, ſi minor propoſitio tam affirmatiuè quàm negatiuè accipi poſſit; id eſt, ſi medius terminus, vt album, de aliquo minore extremo, vt de lapide, & verè in parte affirmetur & verè in parte negetur; quia ſcilicet aliquis lapis eſt albus, & aliquis lapis non eſt albus. In his ergo terminis non poteſt fieri concluſio vniuerſalis affirmans, propter cauſam, quam antea diximus, id eſt, quia ſic incideremus in contradictionem. Etenim ſi hæc concluſio vni-

uersalis affirmans accipiatur pro minore propositione, & ei adiungatur maior: tunc in Barbara colligetur conclusio contradicens minori antea concessæ: vt in subiecto exemplo.

A	Omnis coruus est niger:	Bar	Omnis coruus est niger:
O	Non omnis auis est nigra:	ba	Omnis auis est coruus:
A	Omnis auis est coruus.	ra	Omnis auis est nigra.

Tandem cùm ait, *Sed ex indefinito*, indicat hunc modum ideò esse inutilem, quia minor propositio particularis affirman-, vt suprà exposuimus, est indefinita; ita vt pro ea liceat sumere vniuersalem affirmantem, quæ in quibusdam terminis simul vera erit: veluti, quidam homo est animal, & omnis homo est animal. atqui posita minore vniuersali affirmante erit modus A A inutilis, vt probatum fuit in partic. 11 ergo etiam hic modus A I, est inutilis.

23 *Quòd si vniuersale.* Sequitur modus particularis, O E, inutilis, quia propositiones sunt similes, id est, ambæ negantes. Est etiam inutilis, quia maior est particularis: ideóque duobus vitiis laborat.

O	Quoddam animal non est album:	O	Aliquis lapis non est albus:
E	Nullus coruus est albus:	E	Nullus coruus est albus:
A	Omnis coruus est animal,	E	Nullus coruus est lapis.

24 *Si verò attributiua.* Sequitur modus particularis, I A, inutilis propter propositionum similitudinem, id est, quia ambæ affirmant, item quia maior est particularis Vnde conclusio modò est E, modò A, vt in sequentibus exemplis.

I	Aliquod animal est album:	I	Aliquod animal est album:
A	Omnis nix est alba:	A	Omnis cycnus est albus:
E	Nulla nix est animal.	A	Omnis cycnus est animal.

25 *Perspicuum igitur.* Hæc particula continet epilogum coniugationum seu modorum particularium inutilium, quæ constant ex propositionibus inutilibus.

26 *Neque item.* Ostendit omnes modos esse inutiles, qui constant ex ambabus propositionibus particularibus; vel indefinitis, vel altera particulari & altera indefinita.

27 *Ex dictis.* Ex dictis generaliter colligit duas proprietates secundæ figuræ. Prima est, maiorem propositionem debere esse vniuersalem. Altera est propositiones debere esse dissimiles; ita vt altera affirmet, altera neget. Notandum tamen est, Aristotelem ipsum & alios quoque auctores interdum vti syllogismis ex duabus affirmantibus in hac secunda figura: qui quidem vtiles sunt, non ratione formæ, sed ratione materiæ. Ideò autem ratione formæ est inutilis: quia cùm propositio vniuersalis affirmans conuertatur in particularem affirmantem, vt suprà didicimus, syllogismus A A in secunda figura non potest esse vtilis vtramuis enim propositionem conuertas, fiet particularis. atqui iam diximus secundam figuram resolui in primam per conuersionem maioris propositionis: & si minor conuertatur, eam esse transferendam in locum maioris, vt fit in Camestres. In hoc igitur modo A A secundæ figuræ, siue conuertas maiorem, siue conuertas minorem, & hanc transferas in locum maioris, omnino habebis maiorem particularem in primà figura; qui est modus inutilis. Sed interdum ratione materiæ, id est, quia termini sunt reciproci & conuertibiles, contingit vt propositio vniuersalis affirmans simpliciter conuertatur: & hoc casu rectè arguitur in secunda figura ex duabus affirmantibus, quia per simplicem conuersionem maioris reducetur syllogismus ad Barbara, vt in sequenti exemplo:

A	Omne animal est sensu præditum:	Bar	Omne sensu præditum est animal:
A	Omnis homo est sensu præditus:	ba	Omnis homo est sensu præditus: Ergo
A	Ergo Omnis homo est animal.	ra	Omnis homo est animal.

28 *Manifestum.* Subiicit tertiam proprietatem secundæ figuræ; quòd omnes syllogismi in hac figura sunt imperfecti: omnes enim debent perfici per primam figuram. Hanc perfectionem Aristoteles ait fieri assumptis quibusdam, id est, sumptis nouis propositionibus; non tamen nouis terminis nam hæ nouæ propositiones fiunt ex iisdem tribus terminis initiò sumptis. Idcirco addit Philosophus has nouas propositionis vel in terminis initiò sumptis necessariò inesse; (nempe cùm fit resolutio in primam figuram per conuersionem propositionum seu terminorum. etenim qui propositionem

positionem aliquam concedit, cogitur etiam eam concedere, in quam hæc conuertitur: veluti si concedit nullum hominem esse lapidem, necesse est vt concedat etiam nullum lapidem esse hominem) vel poni tamquàm hypotheses, cùm scilicet demonstramus per impossibile. sic enim demonstramus: quia positis propositionibus, nisi concedatur conclusio, necesse est ponere contradictionem eius conclusionis. hæc contradictio vocatur hypothesis: quia supposita hac propositione ducitur aduersarius ad absurditatem, quam non potest aliter vitare, quàm vt concedat illam hypothesim esse falsam; consequenter conclusionem, cui hæc hypothesis contradicit, esse veram.

29 *Item non fieri.* Subiungit quartam proprietatem, quòd in hac figura non probatur conclusio affirmans, sed tantùm negans: & quintam proprietatem, quòd probatur tam vniuersalis, quàm particularis conclusio. Quod ait, non probari conclusionem affirmantem, intellige cum exceptione antea exposita: quia cùm ratione materiæ fit syllogismus vtilis ex duabus propositionibus vniuersalibus affirmantibus, tunc etiam conclusio est vniuersalis affirmans, vt in exemplo paulò antè proposito. Aristoteles autem hæc prætermittit: quia valent ratione materiæ; ipse verò in præsentia nudam syllogismorum formam considerat.

IN CAP. VI. DE SYLLOGISMIS EX PROPOSITIONIBUS in tertia figura.

HOc capite declarat Philosophus tertiam syllogismorum figuram, in qua vtitur elementis π ρ σ. Ac π quidem significat maius extremum: ρ, minus extremum: σ, medium terminum. Ergo π σ, est maior propositio: ρ σ, minor: π ρ, conclusio. In hac figura explicanda adhibet eundem ordinem, quem adhibuit in capite præcedenti. Cùm enim omnis syllogismus aut ex vtrisque propositionibus vniuersalibus constet, aut ex altera vniuersali & altera particulari, aut ex ambabus particularibus: de his omnibus Aristoteles differit: & in primo quidem ac secundo genere ostendit quasdam coniugationes esse vtiles & syllogisticas, quasdam inutiles: in tertio autem genere omnes esse inutiles Regulæ, ex quibus dignoscuntur modi vtiles in hac figura, sunt duæ. nam minor propositio debet esse affirmans, & conclusio particularis.

1 *Cùm autem.* Proponit definitionem & nomen huius figuræ. Definitio sumitur à modis vniuersalibus tam vtilibus quàm inutilibus: sicut definiebatur etiam secunda figura initio capitis præcedentis. Hæc autem figura vocatur tertia, id est vltima: quia medius terminus tertio, id est, vltimo loco ponitur, & ex prima figura per minoris propositionis conuersionem oritur.

2 *In qua medium.* Definit medium & extrema, prout in hac figura accipiuntur. Medium definitur, cui ambo (subaudi, extrema) attribuuntur, id est, quod subiicitur maiori extremo in maiore propositione, & minori extremo in minore propositione: Extrema verò sunt, quæ attribuuntur: subaudi, medio termino. Maius extremum est, quod longiùs abest à medio, id est, primus seu supremus terminus nam medius terminus est infimus. Minus extremum est, quod propiùs accedit ad medium, id est secundus terminus.

3 *Ac medium ponitur.* Declarat, quem locum in hac figura medius terminus obtineat. Et primùm ait eum poni extra extrema, separans hanc figuram à prima, in qua medius terminus ponebatur medio loco inter extrema. Deinde ait medium terminum in hac tertia figura poni vltimo loco, vt seiungat hanc figuram à secunda, in qua medius terminus obtinebat primum locum.

4 *Perfectus igitur.* Proponit hanc proprietatem tertiæ figuræ, quòd in ea non possunt fieri nisi imperfecti syllogismi. Idem suprà dictum fuit de secunda figura.

4 *Esse autem.* Diuidit coniugationes seu modos in vniuersales & particulares Ne intelligas syllogismos vniuersales quia vniuersalem conclusionem inferant; quandoquidem in hac figura conclusio semper est particularis: sed vniuersales intellige, quia constant ex ambabus propositionibus vniuersalibus. Quòd si conclusio esset pars & quidem præcipua syllogismi, vt vulgus logicorum hodie opinatur. nulli essent hic modi vniuersales: quia conclusio est particularis: ac syllogismi semper denominantur à deteriori parte hoc est, si quid in iis reperitur negans, dicuntur negatiui. si quid particulare, particulares.

6 *Terminus igitur.* Exponit primum modum vniuersalem vtilem, A A, vulgò Darapti. & primò proponit integrum syllogismum extructum ex elementis illis π ρ σ: nempe, omne σ est π, omne σ est ρ. ergo aliquod ρ est π. Secundò cùm ait, *cùm enim*, perficit hunc syllogismum per resolutionem in primam figuram. reducitur enim ad Darij, vt indicat litera D, facta minoris

propositionis conuersione per accidens, ita vt ex vniuersali fiat particularis, vt indicat litera P, sicut in sequenti exemplo apparet.

Dar	Omnis homo est rationalis:	*Da*	Omnis homo est rationalis:
ap	Omnis homo est animal:	*ri*	Aliquod animal est homo:
ti	Ergo Aliquod animal est rationale.	*i*	Ergo Aliquod animal est rationale.

Tertiò cùm ait, *Potest etiam*, docet eundem syllogismum Darapti posse perfici per primam figuram, facta deductione ad impossibile, vel expositione. Deducitur ad impossibile, quia si concessis propositionibus, neges conclusionem τοῦ Darapti, cogeris concedere illius contradictionem: qua accepta pro maiori propositione, eique adiuncta minore τοῦ Darapti, colligetur conclusio contraria maiori propositioni ipsius Darapti antea concessæ: proinde negans conclusionem τοῦ Darapti, ducitur ad hanc absurditatem, vt fateatur duas contrarias esse simul veras, vt in sequenti exemplo:

Dar	Omnis homo est rationalis:	*Ce*	Nullum animal est rationale:
ap	Omnis homo est animal:	*la*	Omnis homo est animal: Ergo
ti	Ergo Aliquod animal est rationale.	*rent*	Nullus homo est rationalis.

Hæc de deductione ad impossibile. Quid autem sit expositio, suprà declaraui. Nempe exponere hic significat expromere seu proferre terminos quosdam reales & particulares, in quibus sensu percipimus conclusionem esse veram. Hic Aristoteles vtitur elementis alphabeticis, quæ possumus accommodare ipsis terminis realibus antea propositis. sumpsimus enim in Darapti omnem hominem esse rationalem, & omnem hominem esse animal, vt inde colligeremus aliquod animal esse rationale. Vt hoc verum esse appareat, sumamus aliquem singularem hominem, vt Socratem. sine dubio Socrates est rationalis: quia iam sumpsimus omnem hominem esse rationalem. atqui idem Socrates est aliquod animal. quandoquidem diximus omnem hominem esse animal. quod igitur dicitur de Socrate, dicitur de aliquo animali: cùm ergo manifestum sit de Socrate dici rationale, non possumus dubitare, quin idem rationale dicatur de aliquo animali.

7 *Et si τὸ ρ.* Sequitur secundus modus vniuersalis vtilis, E A, vulgò Felapton, qui reducitur ad Ferio, vt indicat litera F, conuersa minore propositione per accidens, ita vt ex vniuersali fiat particularis, vt ostendit litera P, sicut in sequenti exemplo.

Fel	Nullus homo est equus.	*Fe*	Nullus homo est equus:
ap	Omnis homo est animal:	*ri*	Aliquod animal est homo: Ergo
ton	Ergo non omne animal est equus.	*o*	Aliquod animal non est equus.

In contextu Aristoteles primò proponit hunc syllogismum: Secundò cùm ait, *idem enim*, resoluit eum in Ferio, vt modò exposui. Tertiò cùm ait, *Probari etiam*, confirmat eundem modum per deductionem ad impossibile, sicut antea confirmauit Darapti. Hæc deductio fit in Barbara hoc modo:

Fel	Nullus homo est equus:	*Bar*	Omne animal est equus:
ap	Omnis homo est animal:	*ba*	Omnis homo est animal:
ton	Aliquod animal non est equus.	*ra*	Omnis homo est equus.

Sic aduersarius qui negat conclusionem τοῦ Felapton, deducitur ad incommodum, vt cogatur simul admittere duas contrarias, nullum hominem esse equum, & omnem hominem esse equum.

8 *Si verò τὸ ρ.* Sequitur modus vniuersalis, A E, inutilis, quia minor negat: vnde conclusio modò repetitur vniuersalis affirmans, modò vniuersalis negans, vt in sequentibus exemplis.

A	Omnis homo est animal:	*A*	Omnis homo est animal:
E	Nullus homo est equus:	*E*	Nullus homo est inanimus:
A	Omnis equus est animal.	*E*	Nullum inanimum est animal.

9 *Neque [tum] erit.* Sequitur modus vniuersalis, E E, inutilis, quia ambæ propositiones negant: vnde conclusio certa non infertur, sed quandoque vera est vniuersalis affirmatio, aliàs vniuersalis negatio, vt in sequentibus exemplis.

E	Nullum inanimum est animal:	*E*	Nullum inanimum est homo:
E	Nullum inanimum est equus:	*E*	Nullum inanimum est equus:

A Omnis

A Omnis equus est animal.	*E* Nullus equus est homo.

10 *Perspicuum igitur.* Ex dictis colligit, quinam sint modi vniuersales vtiles, & qui inutiles. Summa rei est, ita demum esse modum vtilem, & fieri syllogismum, si minor propositio affirmet; siue etiam maior affirmet, vt in Darapti; siue maior neget, vt in Felapton.

11 *Quòd si alter.* Hactenus de modis vniuersalibus. nunc transgreditur Aristoteles ad explicandos particulares: & primùm loquitur de affirmatiuis, quos ait omnes indistinctè esse vtiles, quando scilicet alterutra propositio est vniuersalis, & altera particularis, vt deinceps per partes explicabit.

12 *Nam si τῷ ρ.* Explicat primum modum particularem vtilem, I A, vulgò Disamis, qui reducitur ad Darij, vt indicat litera D, per simplicem conuersionem maioris & conclusionis, vt indicat repetita litera S, & transpositionem propositionum, vt ostendit litera M: sicut in sequenti exemplo.

Dis Aliquis homo est albus:	*Da* Omnis homo est animal:
am Omnis homo est animal:	*ri* Aliquod album est homo: Ergo
is Ergo Aliquod animal est album.	*j* Aliquod album est animal.

13 *Rursus si τῷ ρ.* Sequitur secundus modus particularis vtilis, A I, vulgò Datisi, qui reducitur ad Darij, vt ostendit litera D, per simplicem minoris conuersionem, vt apparet ex litera S.

Dat Omnis homo est animal:	*Da* Omnis homo est animal:
is Aliquis homo est albus:	*ri* Aliquod album est homo: Ergo
i Ergo aliquod album est animal.	*i* Aliquid album est animal.

14 *Licet autem.* Duos modos proximè expositos, id est Disamis & Datisi, quos resoluit in primam figuram per conuersionem, nunc confirmat per deductionem ad impossibile, & per expositionem. Syllogismus in Disamis confirmatur per deductionem ad impossibile: quia si concessis eius propositionibus, neges conclusionem, cogeris admittere propositionem ei conclusioni contradicentem: hac igitur sumptâ pro maiore propositione, eique adiunctâ minore antea concessâ, colligetur in Celarent conclusio contradicens maiori concessæ. Sic igitur duceris ad absurditatem, vt concedas duas contradictorias esse simul veras, vt in sequenti exemplo.

Dis Aliquis homo est albus:	*Ce* Nullum animal est album:
am Omnis homo est animal:	*la* Omnis homo est animal: Ergo
is Aliquod animal est album.	*rent* Nullus homo est albus.

Datisi quoque eodem modo confirmatur per deductionem ad impossibile in Ferio.

Dat Omnis homo est animal:	*Fe* Omnis homo est animal:
is Aliquis homo est albus:	*ri* Aliquis homo est albus: Ergo
i Ergo aliquod album est animal.	*o* Non omnis homo est animal.

Hæc dicta sint de deductionibus ad impossibile. Per expositionem autem sic Disamis confirmatur: Si sumamus aliquem hominem, qui sit albus, putà Socratem: sine dubio hic est quoddam animal. quod ergo de hoc dicitur, de quodam animali dicitur. sed videmus de hoc dici album: ergo negare non possumus, aliquod animal esse album: quod concludebatur in Disamis. Datisi autem sic confirmatur: Videmus hunc Socratem esse album quoddam: dubitare igitur non possumus, quin de albo quodam dicatur, quod de Socrate dicitur. quare cùm de Socrate dicatur animal, sine dubio de quodam albo dicitur animal.

15 *Si verò alter.* Sequitur tertius modus particularis vtilis, O A, vulgò Brocardo: qui reducitur ad Barbara, vt indicat litera B, per deductionem ad impossibile, vt ostendit litera C. nam conuersioni locus esse non potest. maior namque, cùm sit particularis negans, non conuertitur. minor autem conuertitur quidem: sed cùm sit vniuersalis affirmans, conuertetur in particularem. quod si facias, habebis ambas propositiones particulares: vnde nihil poteris concludere. In hac partic. Aristoteles primùm proponit conditionem seu proprietatem huius syllogismi, quòd maior in parte negat, minor autem in vniuersum affirmat. Secundò cùm ait, *nam si τῷ ρ*, proponit syllogismum ex elementis extructum. Tertiò cùm ait, *Si enim omni*, confirmat eum syllogismum per deductionem ad impossibile in Barbara, quæ fit eodem planè modo, quo suprà fiebat in Celarent ad confirmandos syllogismos in Disamis & Datisi. Quartò cùm ait, *confir-*

mitur etiam, confirmat eundem syllogismum per expositionem. syllogismus in Brocardo, & eius confirmatio per impossibile talis est:

Broc	Non omnis homo est albus:	*Bar*	Omne animal est album:
ar	Omnis homo est animal:	*ba*	Omnis homo est animal: Ergo
do	Ergo Non omne animal est album.	*ra*	Omnis homo est albus.

Quod verò ad expositionem attinet, sic probatur aliquod animal non esse album, suppositis duabus illis propositionibus, quòd aliquis homo non est albus, & quòd omnis homo est animal: sumatur singularis aliquis homo, qui non sit albus, putà Æthiopus. hunc videmus esse animal quoddam. cùm igitur videamus hunc non esse album, certè videmus quoddam animal non esse album.

16 *Cùm autem maior.* Exponit primum modum particularem, AO, inutilem, quia minor negat. Primò inquit hunc modum esse inutilem. Secundò cùm ait, *vt finitæ*, declarat hunc modum per elementa. Tertiò cùm ait, *Termini [conclusionis,]* proponit terminos reales, in quibus conclusio est vniuersalis affirmans.

- *A* Omne animal est animatum:
- *O* Aliquod animal non est homo:
- *A* Omnis homo est animatus.

Quintò cùm ait, *[terminos conclusionis]* docet non posse sumi terminos, in quibus sit conclusio vniuersalis negans, nisi talis sit minor, vt non solùm verè neget in parte, sed etiam vera maneat, si ex particulari negante fiat vniuersalis negans, ita vt liceat pro AO, accipere propositiones A E. hoc enim casu conclusio potest esse tam vniuersalis negans, quàm vniuersalis affirmans: ideóque modus est inutilis, vt probatum fuit suprà partic. 8.

17 *At si terminus.* Sequitur quartus modus particularis vtilis, E I, vulgò Ferison: qui reducitur ad Ferio, vt indicat litera F, per simplicem conuersionem minoris, vt docet litera S, sicut in sequenti exemplo:

Fer	Nullus homo est lapis:	*Fe*	Nullus homo est lapis:
is	Aliquis homo est albus:	*ri*	Aliquod album est homo: Ergo
on	Ergo Aliquod album non est lapis.	*o*	Aliquod album non est lapis.

18 *Cùm autem minor.* Sequitur modus particularis, I E, propter minorem negantem inutilis: modò enim conclusio est vniuersalis affirmans, modò vniuersalis negans, vt in sequentibus exemplis:

I	Aliquod ferum est animal:	*I*	Aliquod ferum est animal:
E	Aliquod ferum non est homo:	*E*	Nihil ferum est scientia:
A	Omnis homo est animal.	*E*	Nulla scientia est animal.

19 *Neque [iam.]* Sequuntur alij duo modi particulares, O E, & E O, inutiles, eò quòd minor negat. Primò Aristoteles generaliter de vtroque loquitur, & docet vtrumque esse inutilem. Secundò cùm ait, *Termini [conclusionis,]* profert terminos reales, ex quibus apparet modum O E esse inutilem, quia modò conclusio est E, modò A, vt in sequentibus exemplis:

O	Aliquod ferum non est animal:	*O*	Aliquod ferum non est animal:
E	Nihil ferum est scientia:	*E*	Nihil ferum est homo:
E	Nulla scientia est animal.	*A*	Omnis homo est animal.

De modo autem E O, aget in sequenti part.

20 *Cùm autem.* Transit ad modum E O, vt ostendat eum esse inutilem. Et primò proponit terminos reales, in quibus conclusio est vniuersalis negans.

- *E* Nihil album est coruus:
- *O* Nihil album est nix:
- *E* Nulla nix est coruus.

Secundò cùm ait, *[Termini conclusionis] affirmantis*, ostendit, in hoc modo E O non posse sumi conclusionem vniuersalem affirmantem, si minor O est vera tantùm in parte, ita vt *ρ* verè negetur de aliquo *σ*, & verè affirmetur de aliquo *σ*. quòd quidem sic ostendit per deductionem ad impossibile.

E	Nihil album est coruus: (σ, ω)	*Da*	Omnis nix est coruus: (ρ, ω)
I	Aliquod album est nix: Ergo (σ, ρ)	*ri*	Aliquod album est nix: Ergo (σ, ρ)
A	Omnis nix est coruus. (ρ, ω)	*i*	Aliquod album est coruus. (σ, ω)

Tertiò

Tertiò cùm ait, *Sed ex indefinito*, docet, eò quòd minor O est indefinita, sicut suprà expositum fuit, sumendos esse tales terminos, in quibus pro O possit sumi E sic enim erunt propositiones E E: ideóque modus inutilis, vt probatum fuit partic. 9. In talibus enim terminis non solum poteris reperire conclusionem vniuersalem negantem, sed etiam vniuersalem affirmantem veluti.

E Nihil album est nigrum:
O Aliquod album non est coruus:
A Omnis coruus est niger.

21 *Item nullo.* Simul proponit reliquos omnes modos inutiles; eò quòd neutra propositio est vniuersalis; sed vel vtraque particularis; vel vtraque indefinita: vel altera particularis, altera indefinita. Nec quicquam refert affirmentne ambæ propositiones, an negent an altera affirmet & altera neget.

22 *Perspicuum igitur.* Ex dictis colligit duas proprietates huius figuræ. Prima est, quòd alterutra propositio debet esse vniuersalis. sed hæc est conditio communis omnibus figuris. Altera, quòd minor debet esse affirmans. hæc conditio est propria primæ, & tertiæ figuræ, neque conuenit secundæ.

23 *Perspicuum quoque.* Addit tertiam proprietatem, quòd omnes syllogismi tertiæ figuræ sunt imperfecti.

24 *Item non licere.* Subiicit quartam proprietatem, quòd conclusio semper est particularis.

IN CAP. VII. QVO EXPLICANTVR QVAEDAM communia tribus figuris.

IN hoc capite quatuor ab Aristotele declarantur omnibus syllogismorum figuris communia. Primò, quia suprà expositæ fuerunt variæ coniugationes seu modi inutiles, nunc ostenditur earum quasdam esse prorsus inutiles, quasdam verò indirectè concludere, seu conclusionem indirectam inferre. Notandum igitur est, aliam esse conclusionem directam, aliam indirectam. Conclusio directa dicitur, in qua maius extremum attribuitur minori. Indirecta, in qua minus attribuitur maiori. Vnde apparet, malè definiri vulgò maius extremum, quod est quæstionis attributum: minus, quod est subiectum quæstionis. Nam Aristoteles suprà definiuit longè aliter. & secundùm Aristotelem maius est, etiamsi subiiciatur in quæstione seu conclusione: ac minus, quamuis in ea attribuatur. Ceterum iuxta vulgares illas definitiones nulla est conclusio indirecta. Præterea obseruandum est, hic eos tantùm modos indirectos appellari, qui solam conclusionem indirectam inferunt. alioquin omnes ferè essent indirecti: cùm omnes ferè conclusiones possint conuerti, & ex directis fieri indirectæ. Quæ autem conclusiones indirectæ colligantur vnà cum directis, explicabit Philosophus initio sequentis libri. Quare non fuit opus, vt Theophrastus & Eudemus, quos multi postea secuti sunt, adderent in prima figura modos illos indirectos, quos vocant Baralipton, Celantes, Dabitis: quia primus non differt à Barbara, nec secundus à Celarent, nec tertius à Darij, nisi ratione conclusionis, quam suprà monui non esse partem syllogismi. Tandem notandum, omnium horum syllogismorum indirectorum, id est, qui solam conclusionem indirectam inferunt, semper conclusionem esse particularem negantem: quoniam hæc sola non potest conuerti. etenim si conuerteretur, ex indirecta fieret directa, vel ex directa fieret indirecta. In summa igitur syllogismi probantes conclusionem vniuersalem affirmantem vel vniuersalem negantem, vel particularem affirmantem, non minùs inferre possunt conclusionem indirectam, quàm directam: cùm hæ conclusiones conuerti possint. Qui verò colligunt conclusionem particularem negantem: vel probant solam directam, vt Ferio, Festino, Baroco, Felapton, Brocardo, Ferison: vel solam indirectam, vt Fapesmo, Frisesmo, Firesmo, Fapemo & Frisemo, qui hoc capite enarrabuntur. In secunda capitis parte Aristoteles ex iis quæ docuit in superioribus tribus capitibus, colligit, in omnibus syllogismis pronunciatum indefinitum comparari particulari: In tertia parte colligit, imperfectos syllogismos secundæ & tertiæ figuræ perfici per primam figuram. In quarta parte resoluit omnes alios syllogismos in duos illos vniuersales primæ figuræ, Barbara & Celarent.

1 [*Illud quoque.*] Incipit prima pars capitis de syllogismis indirectis: in quibus inuestigandis considerat Aristoteles coniugationum seu modorum inutilium tria genera. aut enim constant ex vtraque propositione affirmante, aut ex vtraque negante, aut ex propositionibus dissimilibus, id est, altera affirmante, altera negante. Primi & secundi generis coniugationes sunt omnino inutiles: quia sicuti non inferunt conclusio-

nem directam, ita nec indirectam. Atque hoc habetur in hac prima particula.

2 *At si alter.* Ex tertii generis coniugationibus, id est, cùm altera propositio affirmat, altera negat, colligi ostendit conclusionem indirectam particularem, negantem, dummodò propositio negans sit vniuersalis. Ergo hi modi non sunt prorsus inutiles, sicut duo priora genera. Indirectam conclusionem significat, cùm ait fieri syllogismum minoris extremi de maiore.

3 *Vt si τὸ α.* Affert duo exempla syllogismorum indirectorum, qui extruuntur in prima figura. Horum alter vocatur Fapesino: alterum appello Frisesmo, vulgò nominatur Frisesomorum. vterque reducitur ad Ferio, vt apparet ex litera F. In vtroque simpliciter conuertitur minor propositio, vt ostendit litera S adiuncta secundæ syllabæ. In vtroque fit μετάθεσις, id est, transpositio propositionum, vt indicat litera M. In sola maiore propositione est discrimen: quia cùm primi maior sit vniuersalis affirmans, conuertitur per accidens, id est, in particularem: secundi verò maior, cùm sit particularis affirmans, conuertitur simpliciter. Quapropter in prima syllaba primi modi ponitur P: in secunda autem syllaba secundi modi ponitur S. Quamquam in Organi editione maiore subieci contextui typos & exempla: tamen in hoc quoque commentario subiiciam exempla, vt cuiuis editioni aptari possit.

Fap	Omnis homo est animal:	*Fe*	Nullus homo est brutum:
esm	Nullum brutum est homo:	*ri*	Aliquod animal est homo: Ergo
o	Ergo Aliquod animal non est brutum.	*o*	Aliquod animal non est brutum.

Fris	Aliquis homo est albus:	*Fe*	Nullus homo est lapis:
esm	Nullus lapis est homo:	*ri*	Aliquod album est homo: Ergo
o	Ergo Aliquod album non est lapis.	*o*	Aliquod album non est lapis.

4 *Similiter.* Breuissimè innuit, nec explicat syllogismos indirectos, qui fiunt in secunda & tertia figura. Ideóque his syllogismis non sunt à Latinis imposita nomina, vt ceteris, quasi suprà dicta nomina, Fapesmo, & Frisesmo, his conueniant. quod falsum est. nam est aliquod discrimen in reductione ad primam figuram. quapropter non dubitaui his modis imponere noua nomina. Dico igitur in secunda figura esse vnum modum indirectum, quem voco Firesmo. hic reducitur ad Ferio per conuersionem solius minoris, & transpositionem propositionum, vt indicant tres illæ literæ F, M, S: & in sequenti exemplo cernere licet.

Fir	Aliquod animal est album:	*Fe*	Nihil album est coruus:
esm	Nullus coruus est albus:	*ri*	Aliquod animal est album: Ergo
o	Ergo Aliquod animal non est coruus.	*o*	Aliquod animal non est coruus.

In tertia figura duo sunt modi, Fapemo, & Frisemo: qui reducuntur ad Ferio per conuersionem solius maioris, & transpositionem propositionum. Sed in Fapemo maior conuertitur per accidens: in Frisemo conuertitur simpliciter. Primi modi in Fapemo exemplum esto.

Fap	Omnis homo est bipes:	*Fe*	Nullus homo est auis:
em	Nullus homo est auis:	*ri*	Aliquod bipes est homo: Ergo
o	Ergo aliquod bipes non est auis.	*o*	Aliquod bipes non est auis.

Secūdi modi in Frisemo exemplum hoc esto:

Fris	Aliquis homo est albus:	*Fe*	Nullus homo est lapis:
em	Nullus homo est lapis:	*ri*	Aliquod album est homo: Ergo
o	Ergo Aliquod albū non est lapis.	*o*	Aliquod album non est lapis.

5 *Præterea manifestum.* Hic est secunda pars capitis, in qua docet propositiones indefinitas æquipollere particularibus in omnibus syllogismis. Notandum est, Aristotelem in hoc contextu loqui tantùm de pronunciato attributiuo: sed eandem esse rationem negatiui, id est, sicut propositio indefinita affirmans comparatur particulari affirmanti, ita indefinita negans comparatur particulari neganti. Ceterùm Aristoteles breuitatis studio interdum solet solius affirmationis mentionem facere, cùm eadem sit negationis ratio, vt & cap. 10. de interpret. part. 1. Sic igitur in præsentia dum loquitur de pronunciato attributiuo, supplendum est priuatiuum: vel sumi attributiuum latius debet, vt complectatur tam affirmatiuam,

quàm

quàm negatiuam attributionem.

6 *Item perspicuum.* Sequitur tertia pars capitis de syllogismis imperfectis per primam figuram perficiendis: omnes enim per primam figuram perfici ostendit Philosophus per inductionem: quia perficiuntur vel ostensiue, id est, directa demonstratione, vel per deductionem ad impossibile: vtroque autem modo fit prima figura. Ostensiua seu directa confirmatio fit per conuersionem, adiecta interdum transpositione propositionum: veluti cùm Cesare resoluitur in Celarent per conuersionem maioris, & Camestres in Celarent per conuersionem minoris & transpositionem propositionum, & Datisi in Darij per conuersionem minoris: hoc autem modo semper fiebat prima figura. Demonstratio quoque ad impossibile fiebat in prima figura: veluti cùm Baroco aut Brocardo reducitur ad Barbara, sicut suprà expositum fuit. Aristoteles autem deductionis ad impossibile hic proponit aliud exemplum, in quo Darapti reducitur ad Celarent.

Dar	Omnis homo est rationalis:	*Ce*	Nullum animal est rationale:
ap	Omnis homo est animal:	*la*	Omnis homo est animal: Ergo
ti	Ergo Aliquod animal est rationale.	*rent*	Nullus homo est rationalis.

Notandum est, non esse hinc Aristotelis sententiam, omnem deductionem ad impossibile fieri in prima figura; sed eas fieri in prima figura, per quas syllogismi imperfecti perficiuntur. Ceterùm nihil obstat, quo minùs syllogismus tertiæ figuræ confirmetur per deductionem ad impossibile factam in secunda figura. Sed hoc modo syllogismus non perficitur: quia ex imperfecto tertiæ figuræ reducitur ad imperfectum secundæ figuræ. Sic exempli gratiâ syllogismus in Disamis confirmatur per deductionem ad impossibile in Festino: quia si neges conclusionem τῷ Disamis, cogeris concedere contradictoriam. hanc igitur sumam pro maiore in Festino: deinde pro minore subiungam eam, quæ erat maior in Disamis: vnde colligam conclusionem in Festino contradicentem minori τῷ Disamis antea concessæ. atque ita cogeris fateri vtramque partem contradictionis esse simul veram.

Dis	Aliquod expetendum est voluptas:	*Fes*	Nullum bonum est voluptas:
am	Omne expetendum est bonum:	*ti*	Aliquod expetendum est voluptas: Ergo
is	Ergo Alquod bonum est voluptas.	*no*	Aliquod expetendum non est bonum.

Similiter Datisi confirmatur in Cesare, vt in sequenti exemplo;

Dat	Omne expetendum est bonum:	*Ces*	Nulla voluptas est bona:
is	Aliquod expetendum est voluptas:	*a*	Omne expetendum est bonum. Ergo
i	Ergo Aliqua voluptas est bona.	*re*	Nullum expetendum est voluptas.

7 *Licet etiam.* Sequitur quarta pars capitis de reductione omnium aliorum syllogismorum ad Barbara & Celarent. Vult enim Aristoteles ostendere hos esse quasi duos fontes, ex quibus fluunt omnes syllogismi, id est, Barbara affirmatiui, ex Celarent negatiui. primùm igitur in hac partic. generaliter proponit hanc sententiam, quam deinceps per partes confirmabit.

8 *Nam qui.* In hac particula reducit syllogismos secundæ figuræ ad Barbara & Celarent: ac primùm generaliter inquit quemlibet syllogismum secundæ figuræ perfici per Barbara, vel Celarent. Secundò cùm ait, *non tamen*, ostendit esse discrimen in modo reducendi syllogismos secundæ figuræ ad Barbara & Celarent. Tertiò cùm ait, *sed vniuersales*, declarat illud discrimen. cùm enim duo sint modi reducendi syllogismos ad primam figuram, alter ostensiuus per conuersionem, alter ducens ad impossibile, vt fuit expositum in 6. particula. Aristoteles ostendit priorem modum conuenire modis vniuersalibus secundæ figuræ, id est, Cesare & Camestres, posteriorem autem modum conuenire modis particularibus, id est, Festino & Baroco. nam Cesare reducitur ad Celarent per conuersionem maioris propositionis. item Camestres ad Celarent per conuersionem minoris, & conclusionis, & transpositionem propositionum. item Baroco ad Barbara per deductionem ad impossibile, vt iam fuit expositum cap. 5. Denique Festino reducitur ad Celarent per deductionem ad impossibile: quia si neges conclusionem τῷ Festino, cogeris concedere contradicentem. hanc sumam pro minore in Celarent: deinde ex maiore τῷ Festino faciam maiorem τῷ Celarent: vnde sequetur conclusio in Cela-

1 *Quia verò.* Distinguit syllogismos puros, necessarios, & contingentes, inter se: quia puri significant quod inest: necessarij, quod necessariò est: contingentes, quod non est, sed esse potest. Si placet referre hanc diuisionem ad διχοτομίαν, syllogismum categoricum diuides in purum & modificatum: húncque subdiuides in necessarium & contingentem. Quomodo autem Aristoteles omnes propositiones modificatas referat ad quatuor, id est, ad duas necessarias, necesse est esse, necesse est non esse; & ad duas contingentes, cōtingit esse, & contingit non esse, suprà exposui ad 3. caput.

2 *In necessariis.* Breuissimè declarat syllogismos necessarios per comparationem cum syllogismis puris, eorum similitudinem, ac differentiam tradens. Similitudo est: quia iidem sunt modi vtiles, vel inutiles: Differentia est: quia ibi enunciationes erant puræ, hic necessariæ, vt in subiecto exemplo.

Omne animal viuit:	*Bar*	Necesse est omne animal viuere:
Omnis homo est animal:	*ba*	Necesse est omnem hominem esse animal. Ergo
Ergo Omnis homo viuit.	*ra*	Necesse est omnem hominem viuere.

Ait, *ferè*, propter duplex discrimen, quorum vnum subiicietur in hac partic. alterum in partic. seq. Ait, *& non erit*. Accipe coniunctionem pro disiunctione: *&*, pro, vel.

3 *Nam priuatiuum.* Declarat, quomodo syllogismi necessarij confirmentur. Et hic quoque exponit horum syllogismorum similitudinem & differentiam. Primò declarat similitudinem, quæ spectatur in omnibus modis syllogisticis præter Baroco in secunda figura, & Brocardo in tertia. his enim exceptis, reliqui confirmātur eodem modo, siue sint puri, siue necessarij, id est, syllogismi primæ figuræ per regulas De omni & De nullo, syllogismi autem secundæ vel tertiæ figuræ per conuersionem, vt cap. 5. & 6. expositum fuit. hæ autem regulæ & conuersiones æquè locum habent in enunciationibus necessariis atque in puris. Secundò cùm ait, *In mediis*, declarat discrimen inter syllogismos puros & necessarios, quòd spectatur in Baroco & Brocardo nam hi modi, si sint syllogismi puri, confirmantur per deductionem ad impossibile per quam reducuntur ad primam figuram, vt expositum est c. 5 part. 16. & c. 6. part. 15. si verò sint syllogismi necessarij, non confirmantur per deductionem ad impossibile in prima figura, sed per expositionem & syllogismum expositorium, confectum in secunda vel tertia figura, vt mox exponam. Duo hîc sunt notandi ex Alexandro. Primum est, confirmationem per impossibile, qua vsi sumus in confirmandis syllogismis puris, ideò hic non habere locum, quia sumit propositionem conclusioni contradicentem, & alteram propositionem, vnde infert conclusionem contrariam vel contradicentem alteri propositioni iam concessæ. atqui conclusio hic est necessaria; eique contradicit contingens: ergo sumenda erit in syllogismo ducente ad impossibile propositio contingens, contradicens conclusioni necessariæ: veluti si conclusio sit, Necesse est aliquod bipes non esse hominem: sumenda erit hæc propositio, contingit omne bipes esse hominem. huic propositioni adiungitur maior propositio τῶ Baroco, vel minor τῶ Brocardo, quæ est vniuersalis affirmans necessaria. fiet igitur mixtio necessarij & contingentis, cuius mixtionis vim adhuc ignoramus: ideóque ex ea nondum possumus aliquid concludere. Alterum notandum est; cùm expositio duobus modis fieri possit, quia vel profertur terminus singularis, qui sub sensum cadit, vel terminus vniuersalis, qui continetur sub vltimo termino τῶ Baroco, vel τῶ Brocardo; Aristotelem priori vsum esse suprà cap. 6. nunc verò loqui de posteriori expositionis modo, id est, de expositione termini vniuersalis, cui expositioni accedit syllogismus expositorius vniuersalis. sit (exempli gratiâ) syllogismus in Baroco,

Bar	Necesse est omnem hominem esse rationalem:
oc	Necesse est aliquod bipes non esse rationale: Ergo
o	Necesse est aliquod bipes non esse hominem.

In hoc syllogismo vltimus terminus est minus extremum, id est bipes. sumo igitur aliquam speciem bipedis, quæ sit rationis expers, putà auem, & in Camestres probo nullam auem esse hominem:

Cam	Necesse est omnem hominem esse rationalem:
es	Necesse est nullam auem (quæ est aliquod bipes) esse rationalem: Ergo
tres	Necesse est nullam auem (proinde non omne bipes) esse rationalem.

Quare expositio termini specialis in Camestres confirmat conclusionem τῦ Baroco, simili ratione confirmatur in Felapton conclusio τῦ Brocardo. hic tamen vltimus terminus est medius terminus: ideóque sumitur pars seu species huius medij termini, vt in sequenti exemplo.

Broc	Necesse est aliquem hominem non esse album:	*Fel*	Necesse est nullum Æthiopem esse album:
ar	Necesse est omnem hominem esse animal: Ergo	*ap*	Necesse est omnem Æthiopem, qui est aliquis homo, esse animal: Ergo
do	Necesse est aliquod animal nó esse album.	*ton*	Necesse est aliquod animal nó esse album.

Ait, *non fiet similiter demonstratio*, id est, non eodem modo confirmabuntur syllogismi necessarij quo puri: siquidem puri confirmantur per deductionem ad impossibile, per quam non possunt confirmari syllogismi necessarij. Ait, *exponentes aliquid*, id est, aliquem terminum specialem contentum sub vltimo termino syllogismi: vt in suprà positis exemplis auis continebatur sub bipide, Æthiops, sub homine Ait, *vtrumque*, id est, primus terminus vtriusque syllogismi, videlicet τῦ Baroco & τῦ Brocardo: vt in superioribus exemplis cernere licet. cùm enim syllogismus erat in Baroco: primus terminus erat rationalis, & sumebatur nouus terminus, auis, quæ non est rationalis. cùm autem syllogismus erat in Brocardo, primus terminus erat albus: & nouus terminus erat Æthiops, qui quidem non est albus. Ait, *syllogismum faciamus*: syllogismum vniuersalem in Camestres, vel Felapton, vt in superioribus exemplis. Obserua syllogismum expositorium esse vniuersalem. nam vulgò malè syllogismum expositorium accipiunt pro syllogismo ex propositionibus singularibus: cuiusmodi syllogismum nos nullo modo admittimus. Ait, *vterque syllogismus*, id est, syllogismus expositorius. Ait, *in propria figura*. Syllogismus expositorius non fit in prima figura, sed in eadem, in qua fit syllogismus, quem confirmat: quandoquidem Baroco confirmatur per Camestres, cùm vterque fiat in secunda figura: & Brocardo confirmatur per Felapton, quorum vterque extruitur in tertia figura.

IN CAP. IX. DE SYLLOGISMIS EX ALTERA PROPOSITIONE PURA, & altera necessaria.

Expositis syllogismis qui constant ex propositionibus puris, vel necessariis, consequenter de iis tractat, quorum altera propositio est pura, altera necessaria: ex qua mixtione docet in prima figura modò colligi propositionem necessariam, modo puram. qualis enim est maior propositio, talis est conclusio: adeò vt ex maiore necessariâ & minore purâ inferatur conclusio necessaria, ex maiore autem purâ & minore necessariâ inferatur conclusio pura. quam sententiam probat per regulas illas, De omni, & De nullo. verbi gratiâ si in maiore τῦ Barbara sumas, necesse est vt omne animal sentiat, nullam speciem animalis prætermisisti: hæc enim est vis particulæ *omne*. si igitur in minore assumas hominem contineri sub animali, inquiens, omnis homo est animal: rectè inferes, ergo necesse est omnem hominem sentire. nisi enim hoc esset necessarium, certè non esset necessaria illa maior, quam accepimus pro necessaria, dum diximus, necesse est omne animal sentire. Similis est ratio syllogismi negantis nam si in maiore τῦ Celarent accipias, necesse est vt nullum animal sit immortale; & in minore addas omnem hominem esse animal: rectè colliges, necesse esse vt nullus homo sit immortalis. Eudemus autem & Theophrastus (referente Alexandro) existimarunt, ex hac mixtione indistinctè sequi conclusionem puram, quia conclusio debet sequi deteriorem propositionem, ac pura est necessariâ deterior. quæ sententia confirmatur exemplis, qualia sunt, quæ sequuntur.

I.

Bar Necesse esse omnem grammaticum esse scientem:
ba Omnis homo est grammaticus: (finge enim ita contingere; quia fieri potest, vt omnis homo sit grammaticus) Ergo
ra Omnis homo est sciens. non tamen necessariò est sciens, quia nec necessariò est grammaticus.

II.

Ce Necesse est nullum vigilans dormire:
la Omnis homo vigilat: (pone hoc ita accidere, vt nunc omnis homo vigilet, vt propositio sit vera) Ergo

rent Nullus homo dormit. sed hoc non est necessarium, quia homo potest dormire.

Nos has sententias conciliauimus cap. 9. Institutionum logicarum, partic. 5. per distinctionem sumptam ex cap. 15. huius libri, part. 11. Nam sententia Aristotelis ita demum vera est, si pura propositio sit vera simpliciter & omni tempore, ita vt omni modo minus extremum contineatur sub medio, vt in superioribus exemplis homo sub animali. alioqui secundum Theophrastum & Eudemum erit conclusio pura, vt in proximis exemplis, in quibus minores propositiones, omnis homo est grammaticus, omnis homo vigilat, non sunt omnino & simpliciter atque omni tempore veræ. Sed hac de re plura dicam in quæstionibus logicis.

IN CAP. X. DE SYLLOGISMIS EX ALTERA PROpositione pura, & altera necessaria in secunda figura.

QVoniam secunda figura pendet à prima, in prima autem figura diximus tum demum conclusionem esse necessariam, cùm maior propositio est necessaria: idcirco in secunda figura, vt colligatur conclusio necessaria, opus est eam propositionem sumi necessariam, quæ in reductione ad primam figuram erit propositio maior, nempe propositionem negantem vniuersalem. Tribus igitur modis secundùm Aristotelem efficietur hic necessaria conclusio. vnus est, si in Cesare, maior sit necessaria, minor pura: alter, si in Camestres, maior sit pura, minor necessaria: tertius, si in Festino, maior sit necessaria, minor pura. extra hos modos ita acceptos semper conclusio erit pura. Secundùm Theophrastum autem & Eudemum omnimodo sequitur conclusio pura.

IN CAP. XI. DE SYLLOGISMIS EX ALTERA PROpositione pura, & altera necessaria, in tertia figura.

HÆc quoque figura pendet à prima. Quare secundùm Eudemum & Theophrastum semper conclusio est pura: secundùm Aristotelem autem potest esse conclusio necessaria, videlicet si ea propositio necessaria sumatur, quæ erit maior in reductione ad primam figuram. Ergo si syllogismus sit affirmatiuus, dummodò habeat necessariam propositionem vniuersalem; si verò sit negatiuus, si habeat necessariam propositionem vniuersalem negantem, inferet conclusionem necessariam: aliàs puram. Sequentibus igitur modis efficietur conclusio necessaria. Primò, cùm in Darapti necessaria est maior: quia cùm Darapti resoluitur in Darij, propositiones locum suum retinent: adeò vt maior τοῦ Darapti, sit maior etiam in Darij. quocirca cùm hæc propositio est necessaria, conclusio quoque est necessaria. Secundò, cùm necessaria est minor in Darapti: quoniam hæc quoque potest fieri maior in prima figura, si propositiones transponantur, & conuersa conclusio colligatur: vt in sequenti exemplo.

Dar	Omnis homo est bipes:	*Dar*	Necesse est omnem hominem esse animal.
ap	Necesse est omnem hominē esse animal:	*ri*	Aliquod bipes est homo: ergo
ti	Ergo necesse est aliquod animal esse bipes.	*i*	Necesse est aliquod bipes esse animal: consequenter necesse est aliquod animal esse bipes. quia propositio particularis affirmās reciprocatur.

Tertiò, cùm necessaria est maior in Felapton. Quartò, cùm minor in Disamis. Quintò, cùm maior in Datisi. Sextò, cùm maior in Ferison. Extra hos modos ita acceptos conclusio erit pura, non necessaria.

IN CAP. XII. QVO CONFERTVR NECESSARIVM cum eo quod purè inest.

EXplicat necessarij, & eius quod purè inesse dicitur, differentiam, & similitudinem.

1 *Perspicuum igitur.* Differentia est: quia conclusio affirmans non colligitur nisi ex vtrisque propositionibus affirmantibus: necessaria verò colligitur non solùm ex vtrisque necessariis, sed etiam ex altera necessaria & altera pura, vt iam est expositum. Quod igitur ad affirmationem & negationem attinet, conclusio secundùm Aristotelem sequitur deteriorem propositionem: quod autem ad puritatem vel modum attinet, non semper sequitur conclusio deteriorem pro-

positionem, sed interdum meliorem, vt cùm necessaria efficitur ex propositionibus, quarum altera est necessaria, altera pura.

2 *In vtrisque autem.* Similitudo est: quia semper conclusio est similis alicui propositioni. veluti nisi sit affirmatio in syllogismo, non potest esse conclusio necessaria: & nisi sit propositio necessaria in syllogismo, non potest esse conclusio necessaria.

3 *De necessario.* Hæc particula continet perspicuum epilogum.

IN CAP. XIII. DE CONTINGENTI ET PROPOSITIONIBUS contingentibus.

DEinceps agit de syllogismis; quorum aut ambæ propositiones sunt contingentes, aut altera contingens, & altera pura. vel necessaria: sed in primis quædam præmunit de contingenti.

1 *Post hæc.* Proponit, quod est deinceps expositurus. Ait, *quando*, id est, in qua figura. Ait, *quomodo*, id est, in quo figuræ modo. Ait, *ex quibus*, id est, ex quibus propositionibus.

2 *Contingere autem.* Contingens sumitur tribus modis. primò & propriè pro eo, quod non est actu, sed esse potest: vt contingit hominem vigilare, quando dormit. secundò pro eo, quod actu est: vt contingit hominem vigilare, quando vigilat. tertiò pro eo, quod necessariò est, vt contingit Solem moueri. In prima significatione hic definitur ab Aristotele, *Quod non sit necessarium, si ponatur esse, nihil inde sequitur impossibile.* Dum ait, *cùm non sit necessarium*, excludit contingens in tertia significatione. & dum ait, *si ponatur esse*, indicat id non esse actu, atque ita excludit secundam contingentis significationem. Et quia posset aliquis obiicere etiam necessarium dici contingere, vt cùm dicimus, contingit Solem moueri: Aristoteles, cùm subicit, *hoc enim*, huic obiectioni occurrit, inquiens necessarium dici contingere homonymus: quasi dicat, non debuisse necessarium comprehendi sub definitione: quia definimus synonyma, non homonyma.

3 *Hoc autem esse.* Distinctionem contingentis à necessario, probat ab oppositis, qui est locus dialecticus, ab Aristotele traditus Topic. lib. 7. cap. 1. partic. 2. Considerat igitur Philosophus sex enunciationes modificatas, prout expositæ fuerunt cap. 13. de interpretatione, vbi ita disponebantur, vt æquipollentes ex eadem parte collocarentur, oppositæ autem essent è regione, hoc modo:

1 Contingit esse.	4 Non cõtingit esse.
2 Non impossibile est esse.	5 Impossibile est esse.
3 Non necesse est non esse.	6 Necesse est non esse.

Prima, secunda, & tertia æquipollent. rursus quarta, quinta, & sexta æquipollent: quarta opponitur primæ: quinta secundæ: sexta tertiæ. Argumentatio Aristotelis est talis: Quarta, quinta, & sexta sunt æquipollentes: ergo etiam prima, secunda, & tertia, quæ sunt tribus illis oppositæ, sunt æquipollentes. atqui prima significat contingere, & tertia non esse necessarium. contingens igitur est non necessarium: & retrò non necessarium est contingens.

4 *Omnes autem.* Declarat proprietatem propositionum contingentium: quia eorum dictum potest conuerti, vt ex negatiuo fiat affirmatiuum: veluti, contingit omnem hominem currere, contingit nullum hominem currere, vel, contingit non omnem hominem currere: vtroque enim modo conuerti potest. rursus contingit aliquem hominem currere, contingit aliquem hominem non currere. Primò hanc proprietatem tradit. Ait, non *affirmatiuas in negatiuas.* Affirmatiua in negatiuam ita conuerteretur, Contingit esse, non contingit esse. sed eiusmodi conuersio fieri nequit, Ait, *quæcumque affirmatiuam figuram habent.* Aristoteles, cùm de contingentibus propositionibus in hoc libro loquitur, intelligit propositiones affirmatiuas, id est, quæ habent modum affirmatum, vt, contingit esse, contingit non esse. nam quæ habent modum negatum, vt, non contingit esse, non contingit non esse, referuntur ad propositiones necessarias ob rationem à me suprà expositam ad cap. 3. Ait, *secundum oppositionem.* Id est, conuertuntur secundùm oppositionem quæ in dicto spectatur: vt, contingit esse, contingit non esse: nam esse, & non esse, sunt opposita. His verbis excludit conuersionem terminorum, de qua suprà dictum fuit cap. 2. & 3. Secundò cum ait, *vt hæc*, dictam conuersionem declarat exemplis. Tertiò cùm ait, *cùm enim*, eandem conuersionem probat à natura contingentis. Quartò cùm ait, *Eiusmodi verò*, docet dictas propositiones contingentes, siue habeant dictum affirmatum, siue negatum, tamen esse affirmatiuas, quia modum affirmatum habent. Ait, *sicut prius dictum fuit*, id est, cap. 3. part. 7. Adde cap. 12. de interpretatione, partic. 5.

5 *His definitis.* Diuidit contingens in duo genera.

genera. quoddam enim sæpius fit vno modo, quàm altero: vt vir plerumque barbam emittit, ratiùs non emittit. quoddam verò est incertum & indefinitum, quod vulgò vocatur contingens æquale, quia æquè in vtramque partem potest accidere, vt animal moueri.

6 *Conuertitur ergo.* Doctrinam de conuersione propositionum contingentium, quã in 4. partic. tradidit, vtrique contingenti accommodat, docens horum contingentium tam similitudinem, quàm differentiam. Similitudo est: quia vtrumque conuertitur. Differentia est: quia quod plerumque contingit, conuertitur in non necessarium, id est, in id quod rarò accidit, veluti, contingit virum barbam emittere, contingit virum barbam non emittere: (nam id plerumque accidit, hoc rarò euenit, quia est illi oppositum) contingens autem indefinitum, conuertitur in contingens similiter indefinitum, veluti, contingit hominem ambulare, contingit hominem non ambulare. Ait, *quod naturâ comparatum est.* hoc suprà vocauit contingens quod plerumque fit.

7 *Scientia verò.* Alteram similitudinem, & alterum discrimen inter dicta duo contingentium genera declarat. Similitudo est: quia de vtrisque syllogismus fieri potest. nam formæ syllogismorum sunt generales, & omnibus rebus accommodantur. Discrimen est: quia in scientiis & in disputationibus non solet haberi ratio contingentis indefiniti, sed tantum eius quod plerumque accidit.

8 *Hæc igitur magis.* Reiicit diligentiorem expositionem eius quod in præced. partic. dixit, in alium locum, inquiens hæc magis definitum iri in sequentibus. sæpius enim de his aget, vt infrà cap. 27. partic. 12. & Poster. lib. 1. cap. 6. 8. 30. & lib. 2 cap. 12. partic. 14. 15. 16. & Topic. lib. 1. cap. 14. partic. 3. In præsentia verò quærendum proponit, *quando*, (id est, in qua figura) *& quomodo* (id est, in quo figuræ modo) *& quis erit syllogismus* (id est, quæ conclusio colligetur) *ex contingentibus propositionibus*: nempe siue ambæ sint contingentes, siue altetutra.

9 *Quia verò.* Proponit deinceps agendum, priùs de syllogismis ex vtraque propositione contingente, postea de iis quorum altera est contingens, & altera pura. his autem expositis, tandem considerabit syllogismos, quorum altera propositio est contingens, & altera necessaria, licet eorum mentionem in præsentia non faciat. Ait, *aut enim*, &c. Obserua hanc propositionem, contingit omne animal moueri, duobus modis accipi posse: id est, vel contingit id omne moueri, quod est animal: vel, id quod contingit, esse animal, id est, quod potest esse animal. Similiter itaque hæc propositio, necesse est omne animal sentire, vel significat, quicquid est animal, vel quicquid necesse est esse animal, id sentire. Quid momenti sit in hac obseruatione, patefacturum me spero in quæstionibus logicis. Ait, *à similibus figurâ*, id est, à syllogismis constantibus ex vtrisque propositionibus contingentibus.

IN CAP. XIV. DE SYLLOGISMIS EX AMBABVS PROpositionibus contingentibus in prima figura.

Ex propositionibus contingentibus syllogismus fit in prima figura vel seruatis regulis suprà traditis, dum syllogismi puri exponerentur, vel iis neglectis. Si regulæ illæ obseruentur, syllogismus erit vel in Barbara, vel in Celarent, vel in Darij, vel in Ferio: túncque syllogismus est perfectus, & conclusio contingens. Regulæ autem duæ erant: Prior, quia maior debet esse vniuersalis: posterior, quia minor debet affirmare. Si prior regula negligatur, id est, si maior propositio sit vniuersalis: nihil concluditur: nam contingentia propositionis non potest huic vitio remedium afferre. Sin autem posterior regula negligatur, id est, si minor neget, syllogismus erit imperfectus, qui perficitur per conuersionem eius minoris negantis in affirmantem: siquidem propositionem contingentem ita conuerti docuimus superioris capitis partic. 4. Memineris nos in præsentia negantem vocare eam propositionem, cuius dictum est negatum, modus affirmatus. Exemplum huiusmodi syllogismi, & modi quo perficitur, hoc esto:

A	Contingit omnem hominem esse grammaticum:	*Bar*	Contingit omnẽ hominem esse grammaticum:
I	Contingit nihil quod mouetur, esse hominem:	*ba*	Contingit quicquid mouetur, esse hominem:
			Ergo
ra	Contingit quicquid mouetur, esse grammaticum.		

IN CAP. XV. DE SYLLOGISMIS EX ALTERA PROPOSITIOne pura, & altera contingente, in prima figura.

Vt huius mixtionis vim summatim exponam: aut fit syllogismus seruatis te-

galis huius figuræ in aliquo ex vulgaribus modis, id est in Barbara, vel Celarent, vel Darij, vel Ferio: aut aliqua figuræ regula neglecta est. Quod ad modos vulgares attinet: aut maior est contingens, minor pura: aut è contrario maior est pura, minor contingens. Illo modo est syllogismus perfectus, quia confirmatur sine assumptione nouarum propositionum per regulam De omni, vel De nullo: Et concluditur contingens propriè acceptum, id est, quod significat potentiam ab actu seiunctam. Hoc autem modo syllogismus est imperfectus, quia confirmatur assumptis nouis propositionibus per deductionem ad impossibile. & si quidem syllogismus sit affirmatiuus, concluditur contingens propriè dictum. si verò sit negatiuus, non colligitur contingens propriè acceptum, prout suprà definitum fuit: sed contingere non inesse, in hac conclusione accipitur pro non necesse esse vt insit. Si quæras, quod sit discrimen inter has duas contingentis significationes: respondebo, cùm dicimus contingere nulli inesse, si propriè contingens accipiatur, excludi omnes necessarias propositiones, tam affirmantes, quàm negantes: quia contingens non est necessarium, & necessarium non est contingens, vt dictum fuit cap. 13 partic. 2. si verò contingens accipiatur pro non necessario, tantùm excluduntur propositiones necessariæ affirmantes, non etiam negantes: quia non est necesse vt sit, tam id quod non est, sed esse potest, quàm id quod nec est, nec esse potest. Verbi gratiâ, si propriè contingit nullum hominem currere: neque necesse est vt currat, neque necesse vt non curiat: quia potest currere & non currere, vt scimus ex definitione contingentis. Hæc autem propositio, non est necesse vt omne animal ambulet, non euertit negantem necessariam: immò quia nonnulla animalia contingenter ambulant, vt homo, quædam necessariò non ambulant, vt pedibus carentia: idcirco dictum est non necesse esse vt omne animal ambulet. Rursus si quæras, cur in his coniugationibus non concludatur contingens propriè dictum, sed contingens accipiatur pro non necessario: respondebo, quia syllogismus confirmatur per deductionem ad impossibile, sic accipi conclusionem debere, vt hypothesi in ea deductione sumptæ contradicat: siquidem vis eiusmodi probationis in eo consistit, quòd ex falsitate hypotheseos colligitur veritas conclusionis illi hypothesi contradicentis, eò quòd contradicentium altera est vera, altera falsa. quare cùm hypothesis in ea deductione sit necessaria particularis affirmans: necesse est vt conclusio nostri syllogismi eam hypothesim necessariam neget. verbi gratiâ si negetur conclusio, contingit nullum animal ambulare: hypothesis erit, necesse est aliquod animal ambulare. quoniam igitur ex hac hypothesi efficitur impossibile, apparet hanc hypothesim esse falsam: proinde illam conclusionem, quatenus hypothesi contradicit, esse veram: ergo contingit nullum animal ambulare, id est, non est necesse aliquod animal ambulare. Hæc dicta sint de modis vulgaribus. Quod ad alios spectat: si maior sit particularis, vel minor pura negans, nihil concluditur. sin autem minor contingens neget, syllogismus est imperfectus, qui quidem concludit per conuersionem eius minoris negantis in affirmantem: quo modo propositiones contingentes conuerti, suprà docuimus.

IN CAP. XVI. DE SYLLOGISMIS EX ALTERA PROPOSITIONE necessaria, & altera contingente in prima figura.

QVoniam hæc mixtio præcedenti est similis, etiam regulæ similes sunt. vna est differentia in propositionibus, quòd vbi superior mixtio habebat propositionem puram, hæc habet necessariam: & vna in conclusione; quòd quo casu ibi concludebatur non necesse esse, hic concluditur non esse: atque ita sit conclusio pura ex necessaria & contingente propositionibus. Nec mirum, si optimam propositionem, quæ est necessaria, & deterrimam quæ est contingens, sequitur conclusio pura, quæ medium quodammodo locum tenet, quatenus est deterior necessariâ, & præstantior contingente.

IN CAP. XVII. DE SYLLOGISMIS EX AMBABVS PROPOSITIONIBUS contingentibus in secunda figura.

A Prima figura transit ad secundam: & facto initio à syllogismis ex vtrisque propositionibus contingentibus, docet ex his nihil posse concludi. Intellige contingentes, quæ habent modum affirmatum, non enim aliter modificatæ accipiuntur in hoc libro. ceterùm contingentes, quæ habent modum negatum, propter æquipollentiam referuntur ad necessarias, vt suprà notaui.

notaui. vt hæc, non contingit hominem volare, idem valet, quod hæc, necesse est hominem volare. Nihil autem refert, vtrum dictum propositionis contingentis sit affirmatum an negatum: nam vtrouis modo accipiatur duæ propositiones in secunda figura nihil concludunt: quoniam ex duabus affirmantibus in secunda figura nihil concluditur: hæ verò & figuram affirmatiuam habent, quia modus earum est affirmatiuus, & vim quoque affirmatiuam habent etiam tunc, cùm dictum negatur, quia potest conuerti in affirmatum: eò quòd proprium contingentis est vt possit esse & non esse, sicut in superioribus fuit expositum.

IN CAP. XVIII. DE SYLLOGISMIS EX ALTERA PROPOSITIONE PURA, & ALTERA CONTINGENTE IN SECUNDA FIGURA.

EX hac mixtione, in Cesare, Camestres, Festino, si propositio pura neget, & contingens affirmet, concluditur non necesse esse: quemadmodum concludebatur in prima figura, cùm maior propositio erat pura: quia cùm hi syllogismi resoluuntur in primam figuram, semper propositio negatiua est maior. si verò pura affirmet, & contingens neget, nihil concluditur. Similiter in Baroco indistinctè nihil concluditur: id est, siue maior sit pura, minor contingens: siue è contrario maior sit contingens, minor pura. Extra hos modos, si propositio maior sit particularis, vel ambæ propositiones affirment, nihil colligitur. Quòd si ambæ negent, syllogismus vtilis redditur per conuersionem contingentis propositionis negantis in affirmantem. Ceterùm non est dubium, quin omnes syllogismi sint imperfecti: quia numquàm syllogismus secundæ, vel tertiæ figuræ potest esse perfectus.

IN CAP. XIX. DE SYLLOGISMIS EX ALTERA PROPOSITIONE NECESSARIA, & ALTERA CONTINGENTE IN SECUNDA FIGURA.

EAdem ferè est huius, quæ superioris capitis doctrina: duo tantùm sunt discrimina: quorum alterum in propositionibus, alterum in conclusione cernitur. Nam vbi superior mixtio habebat propositionem puram, hæc mixtio habet contingentem: & cùm illa concludebat non necesse esse, hæc concludit non inesse, adeò vt ex necessaria & contingente propositionibus colligatur pura conclusio, vt & suprà cap. 16.

IN CAP. XX. DE SYLLOGISMIS EX VTRISQVE PROPOSITIONIBUS CONTINGENTIBUS IN TERTIA FIGURA.

SVperest tertia figura: in qua cùm ambæ propositiones, sumuntur contingentes, vulgari modi, Darapti, Felapton, & cæteri inferunt conclusionem contingentem. Si maior sit particularis, nihil colligitur. Si minor neget, fiet modus vtilis per conuersionem huius propositionis negantis in affirmantem: quoniam propositio contingens conuerti potest.

IN CAP. XXI. DE SYLLOGISMIS EX ALTERA PROPOSITIONE PURA, & ALTERA CONTINGENTE IN TERTIA FIGURA.

EX hac mixtione in modis affirmatiuis, Darapti, Disamis, Datisi, efficitur conclusio contingens, ita vt contingens propriè sumatur. In Felapton, & Ferison: si maior sit contingens, minor pura; concluditur contingens propriè dictum. si verò maior sit pura, minor contingens: concluditur non necesse esse: quod minùs propriè vocatur contingens. In Brocardo, si maior sit contingens, & minor pura, concluditur contingens, id est, non necesse esse. contrà si maior sit pura, minor contingens, nihil concluditur. Sic modi vulgati se habent. Extra quos, si vtraque propositio sit particularis, aut minor pura neget, nihil concluditur. Sin autem minor contingens neget, fit syllogismus hac propositione conuersa in affirmantem.

IN CAP. XXII. DE SYLLOGISMIS EX ALTERA PROPOSITIONE NECESSARIA, & ALTERA CONTINGENTE, IN TERTIA FIGURA.

EÆdem sunt hîc regulæ, quæ in cap. præced. Duæ sunt differentiæ. Nam ibi contingens miscebatur cum eo quod purè & simpliciter dicebatur inesse: hîc miscetur

cum necessario. Rursus qui modi ex illa mixtione inferebant non necessarium, iidem ex hac mixtione colligunt non inesse, quæ est conclusio pura: vt cùm in Felapton maior propositio est pura, & minor contingens. Exempla ad hoc & superiora capita, quoniam contextui subiecit, nolui frustra hic repetere.

IN CAP. XXIII. QVO REDVCVNTVR OMNES SYLlogismi ad tres figuras, proinde ad primam figuram, & ad eius figuræ modos vniuersales.

HActenus seorsim egit de syllogismis constantibus ex propositionibus puris, vel necessariis, vel contingentibus, vel mixtis: in quatuor sequentibus capitibus colligit & probat quædam omnibus syllogismis communia. Vt enim supra monui, quoniam omnia probat per inductionem, non progreditur ab vniuersalibus ad particularia, sed è contrario à particularibus ad vniuersalia. In hoc igitur capite ostendit omnes omnino syllogismos reduci ad tres figuras suprà expositas, consequenter omnes reduci ad Barbara & Celarent: quia suprà fuit probatum omnes trium illarum figurarum syllogismos reduci ad Barbara & Celarent.

1 *Ex dictis.* Hæc particula continet transitionem, id est, breuiter explicat quid expositum fuerit, & quid in præsentia sit exponendum. Ostensum fuit cap. 7. syllogismos trium figurarum reduci ad Barbara & Celarent: nunc ostendetur omnes referri ad tres illas figuras, proinde omnes reduci ad Barbara & Celarent.

2 *Necesse igitur.* Omnes syllogismos referri ad tres figuras, probare vult per inductionem: quia omnes syllogismi aut sunt ostensiui seu categorici, aut hypothetici: vtrique autem referuntur ad tres figuras: omnes igitur referuntur ad tres figuras. Quare in hac secunda particula ponit eam diuisionem syllogismorum in categoricos & hypotheticos.

3 *Primum igitur.* Proponit ordinem, quo est vsurus: & ait, primùm categoricos esse reducendos ad tres figuras, postea hypotheticos: quoniam reductio categoricorum valebit ad reducendos etiam hypotheticos, vt posteriùs apparebit.

4 *Si igitur oporteat.* Vt reducat omnes syllogismos categoricos ad tres figuras, primo quædam principia præmunit, quibus eget ad eam reductionem faciendam. Prima præmunitio est, vt fiat syllogismus, opus esse aliqua propositione: quia sine propositione non est syllogismus.

5 *Ergo si sumptum.* Sequitur secunda præmunitio, quòd ea propositio, quam diximus requiri vt fiat syllogismus, debet esse diuersa à conclusione probanda: alioqui idem probaretur per se ipsum; & committeretur vitium, quod vulgò vocant petitionem principij: veluti, homo est animal, ergo homo est animal.

6 *Si verò.* Sequitur tertia præmunitio, non sufficere vnam propositionem, sed minimùm duas propositiones requiri: quoniam ex vna propositione nihil necessariò infertur. Intellige nihil inferri ratione formæ, de qua nunc loquimur, & nulla facta subauditione: nam ratione materiæ, & vi subauditionis sæpe argumentamur ex vna propositione: quia scilicet altera facilè suppletur: veluti, Horatius defendit patriam, ergo est laudandus. subauditur enim, & suppletur facilè propositio euidens, Quicumque patriam defendit, est laudandus.

7 *Si igitur sumptum.* Sequitur quarta præmunitio, quòd duæ illæ propositiones syllogisticæ ita debent esse compositæ, vt medius terminus coniungatur cum vtroque extremo. hoc Aristoteles ex eo probat, quòd si aliter sumantur propositiones, non sequetur conclusio, quam probare volumus. Vt autem hoc appareat, supponit conclusionem probandam esse, quam sumpsit in 4. partic. id est in qua α est magis extremum, β est minus extremum: ita vt conclusio probanda sit, omne β est α, aut, nullum β est α: putà, omnis voluptas est bona, vel, nulla voluptas est bona. Posita igitur hac conclusione, videamus quales propositiones sint necessariæ. In ea conclusione sunt duo termini, α & β Ergo in illis propositionibus aut reperientur ambo illi termini, aut vnus tantùm, aut neuter. Si neuter terminus reperiatur: manifestum est, propositiones esse omnino à conclusione seiunctas, nihilque cum ea commune habere: ideóque Aristoteles hoc membrum, tamquàm dubitatione carens, prætermittit. Supersunt reliqua duo membra. aut enim sufficit inesse alterorum terminum, aut ambo requiruntur. Aristoteles probat vnum non sufficere: vnde apparebit ambos requiri. Vt autem intelligatur hæc probatio, qua ostenditur non sufficere, si vnus ex terminis conclusionis ponatur in propositionibus syllogisticis, duo sunt notanda. Primum est, quod suprà expositum fuit in 5. partic. terminum illum esse connectendum cum

nouo,

nouo aliquo medio termino, ne idem probetur per idem. Secundò notandum est, quando ex conclusione sumitur vnus terminus, eum terminum esse aut maius aut minus extremum, vt in dicto exemplo aut α aut β, id est, aut bonum aut voluptatem. Sed quia eadem est ratio, siue hunc, siue illum terminum accipias: idcirco Philosophus studio breuitatis sumit tantùm α, id est, maius extremum. Et hoc modo ostendit non posse fieri syllogismum, quo probetur propositum problema. Similis esset probatio, si quis sumeret β, id est, minus extremum. His expositis, iam explicemus ratiocinationem Aristotelis. Conclusio probanda erat α de β. sumitur vna propositio α de γ. nam γ est nouus terminus, & sumitur pro medio termino, qui in hac propositione coniungitur cum α, id est, cùm maiori extremo. Iam scopus est ostendere idem γ in altera propositione esse coniungendum cum β, id est, cum minori extremo; alioqui non posse probari α de β. Hoc Aristoteles ostendit, considerans quatuor modos, quibus potest illi propositioni, qua α dicebatur de γ, adiungi altera propositio, vel etiam plures propositiones; ita vt illud γ, id est, ille medius terminus, non connectatur cum β minori extremo: & ostendit nullo ex his modis posse colligi conclusionem illam, α de β. Cùm igitur non sint plures modi, & hi omnes sint inutiles, fateri cogimur, opus esse, vt γ medius terminus coniungatur etiam cum β minore extremo, vt probemus, quod probare volumus, id est, α de β. In his autem modis explicandis Aristoteles concisè loquitur, supponens semper eam propositionem, quam in præced. partic. sumpserat, id est, qua attribuebatur α ipsi γ. Primus modus significatur illis verbis, *si sumptum sit α de alio*, id est, si præter illam propositionem, qua dicebatur α de γ, sumatur altera propositio, qua dicatur α de alio, id est, de nouo quodam termino diuerso & à β & à γ, putà dicatur de δ. Ex his duabus propositionibus fiet syllogismus in secunda figura: quia idem medius terminus α attribuitur in vtraque propositione, nempe τῷ γ, & τῷ δ sed hinc non probatur α de β, quod erat probandum, sed γ de δ, vt in sequenti exemplo.

γ α
Cam Omnis virtus est bona:
δ α
es Nulla imprudentia est bona: Ergo
δ γ
tres Nulla imprudentia est virtus.

Atqui probandum erat, omnem, vel nullam voluptatem esse bonam. Ex his appatet, hunc primum modum esse reiiciendum, etiamsi propositiones syllogisticè sint compositæ: quia non probant quod erat probandum. Multò igitur magis hic modus erit reiiciendus, si fingamus propositiones non esse syllogisticas, putà si ambæ negent, vel ambæ sint particulares. Sequitur secundus modus, qui indicatur illis verbis, *vel aliud de α.* id est, si ei propositioni, qua dicebatur α de γ, adiungatur altera propositio qua aliud quid, id est diuersum & à β & à γ, dicatur de α, ita fit prima figura, per quam efficitur conclusio: non tamen ea, quæ probari debebat cùm enim sumatur δ de α, & α de γ, concluditur δ de γ, vt in sequenti exemplo:

α δ
Bar Omne bonum est expetendum:
γ α
ba Omnis virtus est bona: Ergo
γ δ
ra Omnis virtus est expetenda.

Atqui probandum erat α de β, id est, omnem, vel nullam voluptatem esse bonam. Ergo & hic modus est inutilis: quia non probat, quod erat probandum. Sequitur tertius modus, cum Aristoteles ait, *vel aliud de γ*, id est, si præter eam propositionem, qua dicebatur α de γ, sumatur altera propositio, qua aliud quid diuersum à sumptis terminis, putà τὸ δ, dicatur de γ. Hic quoque tertius modus est reiiciendus: quia non probat α de β, quod erat probandum, sed α de δ, vt in sequenti exemplo:

γ α
Dar Omnis virtus est bona:
γ δ
ap Omnis virtus est habitus: Ergo
δ α
ti Aliquis habitus est bonus.

Sequitur quartus modus ibi, *Neque tam erit.* Hoc modo ei propositioni, qua dicebatur α de γ, adiungitur altera, qua dicitur γ de δ. Nihil autem interest, vtrùm ordine addas etiam alias propositiones, veluti δ de ϵ, & ϵ de ζ. nam licèt multas propositiones sumpseris, cùm tamen omittas terminum β, numquàm concludes, quod erat concludendum, nempe α de β, sed aliquam aliam conclusionem, vt in sequenti exemplo.

bonum laudandum expetendũ honestũ virtus.



γ α
Omne laudandum est bonum:
δ γ
Omne expetendum est laudandum:
ε δ
Omne honestum est expetendum:
ζ ε
Omnis virtus est honesta: Ergo
ζ α
Omnis virtus est bona.

Post hæc, cùm ait Aristoteles, *omnino enim*, concludit; quia omnes hi modi, quibus medius terminus coniungitur cum vno extremo, sunt inepti; opus esse vt medius terminus in propositionibus connectatur cum vtroque extremo. Deinde cùm ait, *Nam syllogismus*, declarat eandem conclusionem, constituens quasi tres gradus in syllogismis. Aut enim volumus extruere syllogismum qualemcumque: aut volumus extruere syllogismum pertinentem ad hoc, id est, de hoc certo subiecto, vt de voluptate: aut volumus extruere syllogismum huius de hoc, id est, quo probemus certum attributum de certo subiecto, putà bonum de voluptate. Primo casu sufficit accipere qualescumque propositiones, dummodò sint syllogistico modo compositæ, id est, seruatis regulis suprà traditis de tribus figuris. Secundò casu non sufficiunt qualescumque propositiones; sed debent in se continere hoc subiectum, de quo volebamus aliquid concludere. Postremo autem casu opus est, vt propositiones pertineant ad hoc attributum de hoc subiecto, id est, in se contineant vtrumque terminum, nempe maius extremum, & minus extremum. Deinde cùm ait, *fieri autem nequit*, accommodat ea quæ dixit, ad supradictum exemplum, quo probandum erat α & β: ac docet non sufficere, si ponatur α in propositionibus, sed ponendum esse etiam β, vt suprà fuit probatum. Tandem cùm ait, *Quare sumendum*, concludit in omni syllogismo sumendum esse medium terminum, qui connectatur cum vtroque extremo; adeo vt vtrumque extremum ponatur in propositionibus: nempe maius extremum in maiori propositione, & minus in minore.

8 *Si igitur necesse*. Postquàm probauit omnem syllogismum ita confici, vt medius terminus connectatur cum vtroque extremo: nunc inde colligit tres tantùm esse figuras syllogismorum. Sumit igitur tres hypotheses. Prima est, quòd in omni syllogismo sumitur medius terminus communis vtrique extremo, id est, qui cum vtroque in propositionibus connectitur, vt modò probatum fuit. Alteram hypothesim adiungit illis verbis, *atque hoc trifariam*, nempe quòd ea connexio medij termini cum vtroque extremo tribus modis potest contingere. quod ita probat: quia vel vni subiicitur & alteri attribuitur, vel vtrique attribuitur, vel vtrique subiicitur: nec potest excogitari quartus concludendi modus. In his verbis notandum est, α sumi pro maiori extremo, β pro minori, γ pro medio termino: quoniam ita hæc elementa accepta fuerunt etiam in præcedentibus particulis. More enim mathematicorum prioribus elementis notat Aristoteles eos terminos, quorum priori loco mentionem facit. Tertia hypothesis ponitur ibi, *hæ verò sunt*, nempe quòd illi tres connexiones modi, quibus medius terminus cum extremis coniungebatur, efficiunt tres figuras suprà expositas. Cùm enim medius terminus medio loco ponitur, id est, alteri extremo subiicitur, alteri attribuitur, tunc est prima figura. cùm autem primo loco collocatur, id est, vtrique extremo attribuitur, efficit secundam figuram. denique cùm obtinet vltimum locum, id est, vtrique extremo subiicitur, constituit tertiam figuram. Ex his hypothesibus Aristoteles, tùm ait, *certè patet*, concludit omnem syllogismum fieri in aliqua ex figuris suprà expositis. Exposui ratiocinationem Aristotelis eo ordine quo ponitur in contextu. Quòd si placet extruere syllogismum, ita fieri potest: Quot sunt modi connectendi medium terminum cum extremis, tot sunt figuræ syllogismorum: atqui modi illi sunt tres: ergo & figuræ syllogismorum sunt tres. Hæc est certissima Aristotelis demonstratio, qua perspicuè ostenditur non dari quartam figuram. Itaque errauit Galenus, qui tribus figuris quartam adiecit. errauit etiam Auerroës, quem Zabarella præceptor meus secutus est, dum concessit dari quartam figuram, ac dixit eam esse ab Aristotele prætermissam, quia non concludit naturaliter. Immo Aristoteles hîc ostendit, nullo modo posse dari quartam figuram. Ceterùm syllogismi, quos Galenus constituit in quarta figura, sunt indirecti in prima figura. Suprà verò, cap. 7. ostensum fuit in singu-

singulis figuris alios esse modos directos, alios indirectos. nec propterea sunt quatuor, vel sex figuræ: quia directi vel indirecti syllogismi dicuntur ratione conclusionis, quæ non est pars, sed effectus syllogismi: adeo vt idem syllogismus dicatur inferre multas conclusiones, siue directam & indirectam, siue omnes directas, vt Aristoteles perspicuè docebit initio sequentis libri. Si quis autem ponat conclusionem esse partem syllogismi, non poterit vitare contradictionem: quoniam ex vna parte, cùm mutatur conclusio, mutabitur syllogismus: proinde si inferatur conclusio indirecta, erit quarta figura, diuersa à tribus directè concludentibus: in contrarium verò Aristoteles probauit esse tantùm tres: nec eius argumentum soluitur per distinctionem Auerrois separantis syllogismos, qui naturaliter, vel contra naturam concludunt. nam (præterquàm quòd Aristoteles in hoc tractatu respicit ad formam, non ad materiam, neque neglexit syllogismos indirectè concludentes, quos Auerroës vocat non naturaliter concludentes) hæc demonstratio Aristotelis est generalis. quare eueniet, vt figuræ syllogismorum sint quatuor, & sint tantùm tres. quam absurditatem facilè vitamus, si cum Peripateticis negemus conclusionem esse partem syllogismi, ac dicamus syllogismum esse organum quo probatur, conclusionem verò esse id quod probatur.

9. *Ead m namque.* Ostendit eandem esse rationem syllogismorum simplicium & compositorum: adeo vt in his omnibus obtineat, quod suprà diximus, opus esse vt medius terminus coniungatur cum vtroque extremo; consequenter sint tantùm tres figuræ.

10 *Omnes igitur.* Concludæ omnes syllogismos categoricos referri ad tres figuras expositas.

11 [*Per easdem*] *verò*. Hactenus de syllogismis categoricis: nunc idem probat de iis qui ducunt ad impossibile; quoniam & hi reducuntur ad categoricos. Quod vt appareat, Aristoteles notat duo probari huiuscemodi syllogismis. alterum, quod est falsum & impossibile, probatur syllogismo categorico. alterum verò, quod verum est, & quod principaliter est demonstrandum, non probatur syllogismo, sed ex hypothesi. Dat exemplum in demonstratione quadam mathematica. Probandum est quadrati latus & diametrum *non* habere communem mensuram. Id ita probatur: quia si ponantur habere communem mensuram, sequetur hoc absurdum, imparia esse paribus æqualia. quòd igitur imparia sint paribus æqualia, demonstratur syllogisticè: quam demonstrationem explicat hic Alexander. quod autem latus & diameter non habeant communem mensuram, id non probatur syllogismo, sed ex hypothesi: nempe quia supponimus, si contradictio est falsa, scilicet communem esse mensuram, hanc propositionem esse veram, quòd non habent communem mensuram. contradictionis autem falsitas apparet ex dicto syllogismo colligente absurditatem. Addamus nos alterum exemplum clarius. Volo probare omnem hominem esse animal. id ostendo per deductionem ad impossibile: quia huius propositionis, omnis homo est animal, contradictio est falsa, id est, aliquis homo non est animal. Suppono igitur, si probem hanc esse falsam, fatendum esse illam esse veram. Quòd autem hæc sit falsa, probo ducens ad incommodum syllogismo categorico hunc in modum: Omne rationale est animal, aliquis homo non est animal, ergo aliquis homo non est rationalis. Ex his apparet, in argumentationibus ducentibus ad impossibile fieri syllogismum categoricum, qui reducitur ad vnam ex tribus figuris. probatio verò ex hypothesi ad nullam figuram reducitur: quia non est syllogismus.

12 *Itidémque* [*fent.*] Quod proximè docuit de argumentationibus ducentibus ad impossibile, nunc producit ad omnes hypotheticos. nam argumentatio ducens ad impossibile, est species argumentationis hypotheticæ, quia probat ex hypothesi, vt modò docuimus. Idem igitur euenit in omnibus aliis hypotheticis. nam principalis conclusio non probatur syllogismo, sed ex hypothesi: aliud autem syllogismo probatur, quo probato supponimus concedendum esse id quod principaliter quærebatur. Idcirco Aristoteles ait, in omnibus his argumentationibus hypotheticis syllogismum categoricum fieri de eo quod transsumptum est, id est, non de eo quod initio quærebatur, sed de alio quopiam ad quod transferimus disputationem; quia supponimus, hoc probato concedendum esse quod initio quærebatur. Illud autem quod initio fuit propositum & quæsitum, non probatur per syllogismum, sed per confessionem, aut aliquam aliam hypothesim. Per confessionem: veluti si aduersarius fateatur, hoc probato illud verum esse. Per aliam verò hypothesim, id est, suppositionem: veluti si aduersario contradicente, nec fatente quòd hoc probato illud quoque sit verum, nos id supponamus, quasi postea demonstraturi. Exempli gratiâ, volo proba-

re voluptatem esse bonam: suppono, si sit expetenda, eam esse bonam: atque ita ratiocinor: si voluptas est expetenda, est bona. quòd autem sit expetenda, probo aliquo syllogismo categorico. Ergo conclusio principalis, quòd voluptas sit bona, non probatur syllogismo, sed hypothesi: quia supponitur, si probauero eam esse expetendam, eam esse bonam. Quòd autem voluptas sit expetenda, hoc vocatur transsumptum, & probatur syllogismo aliquo categorico. Ex dictis apparet, syllogismos hypotheticos secundùm Aristotelem non esse veros syllogismos, sed tantùm hypotheses; ideòque non reduci ad tres figuras, in quibus collocantur soli veri syllogismi. Atque hinc etiam apparet, cur Aristoteles non egerit primùm de syllogismo in genere, postea specialiter de categorico, & de hypothetico: quod omnino facere debuisset, si hypothetici essent verè syllogismi. Item debuissent hi quoque referri ad tres figuras, aut plures constitui syllogismorum figuræ. Nec propterea reprehendo: immo laudo eos qui explicant syllogismos hypotheticos: quoniam & ipse Aristoteles de his agit, non tantùm hîc sed etiam posterius cap. 29. in cuius capitis particula 7. dicet explicandum esse quot modis fiant syllogismi hypothetici.

13 *Quod si verum.* Cùm ostenderit syllogismos categoricos, necnon ducentes ad impossibile, & reliquos hypotheticos reduci ad tres figuras: nunc inductionem perficiens, generaliter concludit omnes syllogismos referri ad tres figuras, consequenter omnes resolui in Barbara & Celarent; quia suprà cap. 7. reduximus omnes syllogismos trium figurarum ad Barbara & Celarent.

IN CAP. XXIV. DE QVANTITATE, ET QVALITATE terminorum syllogismi.


HOc quoque caput communiter pertinet ad omnes syllogismos. Agit enim Aristoteles de qualitate, & quantitate terminorum, ex quibus syllogismus constat. siue autem dicas terminorum, siue propositionum: nihil interest: qualitas enim propositionis sumitur à qualitate attributi: quantitas verò propositionis à quantitate subiecti. qualitas enim vocatur, secundùm quam propositio dicitur affirmans, aut negans: quantitas autem, secundùm quam dicitur vniuersalis, aut particularis, aut indefinita. Cùm igitur attributum affirmatur, propositio est affirmatiua: cùm attributum negatur, negatiua. Item cùm nota vniuersalis apponitur subiecto, propositio est vniuersalis: cùm apponitur eidem subiecto nota particularis, propositio est particularis: cùm nulla est nota, propositio est indefinita.

1 *Iam verò in omnibus.* In hac particula duo proponit, quorum alterum tantùm, id est, posterius demonstratur. Primùm igitur proponit omnem syllogismum habere aliquem terminum affirmatiuum, id est, aliquam propositionem affirmantem. hoc postea non probat: quia suprà fuit probatum, ex duabus negatiuis nihil concludi, sed ex duabus affirmatiuis, vel ex altera affirmante & altera negante. Secundò cùm ait, *&* [*aliquem*] *vniuersalem*, proponit alteram conditionem in syllogismis requisitam, quòd aliquis terminus debet esse vniuersalis, id est, aliqua propositio vniuersalis: quam conditionem mox probabit. Sed hîc duæ dubitationes occurrunt. Prima est, cur Aristoteles probet hanc conditionem, potiùs quàm priorem: nam suprà videtur satis vtramque probasse. Altera dubitatio pertinet ad ipsam probationem, quæ videtur inepta: ideóque hanc dubitationem paulò pòst proponam, & dissoluam, cùm rationem Aristotelis exposuero. Quod ad priorem dubitationem attinet: sciendum est, Aristotelem in præsentia non docere simpliciter requiri aliquam propositionem vniuersalem. id enim iam scimus, sed vult docere requiri propositionem vniuersalem respectu conclusionis. Quæ sententia videtur falsa esse. nam in tertia figura medius terminus subiicitur vtrique extremo: proinde vtraque propositio videtur minùs vniuersalis quàm conclusio. Huic obiectioni respondeo, quia tertia figura non habet vim probandi, nisi quatenus resoluitur in primam, in prima verò figura sumuntur propositiones suprà conclusionem, idcirco ita quodammodo sumi in tertia figura, id est, vi & potestate. Exempli gratiâ, in hoc syllogismo, Omnis homo est rationalis, omnis homo est animal, ergo aliquod animal est rationale, v dentur poni propositiones sub conclusione: sed quia minor conuerti debet: ea conuersione facta, apparet conclusionem esse sub propositionibus. Syllogismus enim resoluitur in Darij hunc in modum, Omnis homo est rationalis, aliquod animal est homo, ergo aliquod animal est rationale. Quamuis enim animal sit magis vniuersale, quàm rationale, vel homo: non propterea tamen etiam quoddam animal est magis vniuersale. multùm

tùm enim interest inter animal & aliquod animal. animal est genus hominis: aliquod animal non est genus. Item homo rectè attribuitur alicui animali, non rectè dicitur de animali: quia (vt ex Porphyrij cap. 2. partic. 37. didicimus) necesse est vt vel maiora minoribus, id est, vniuersalia particularibus, vel æqualia æqualibus attribuantur: minora verò de maioribus, vt homo de animali, dici non possunt. Hinc apparet, Aristotelem non repetere hic, quod suprà docuit, sed nouam & necessariam doctrinam afferre. Si quis obiiciat, Aristotelem saltem frustra repetere priorem illam conditionem, quòd in syllogismo debet esse aliqua affirmatio: neque hoc concedam. quamuis enim hoc docuerit in tractatu de syllogismis puris, tamen videbatur id postea retractasse, & aliud statuisse in syllogismis contingentibus, vbi admittebat tamquàm modos vtiles, eos, qui constant ex vtraque propositione negante. Ergo ne inde putemus syllogismum aliquando fieri posse sine affirmatione, nunc generaliter docet affirmationem esse necessariam. Nec obstat, quod syllogismi contingentes ex vtraque propositione negante concludunt. nam id fit ob duplicem causam. primùm quia ita sunt negantes, vt nihilominùs sint affirmantes: dicuntur enim negantes: quia habent dictum negatum, cùm tamen habeant modum affirmatum: veluti, contingit hominem non currere. Præterea ideo concludunt, vt Aristoteles suo loco docuit, quia negatio contingens conuertitur in affirmationem: veluti si vera est hæc propositio, contingit nullum hominem currere, hæc quoque vera erit, contingit omnem hominem currere. His expositis, progrediamur ad explicanda sequentia membra huius particulæ. Tertiò igitur cùm ait, *quia sine vniuersali*, probat secundam syllogismorum conditionem videlicèt requiri aliquam propositionem vniuersalem. nam alioqui aut non erit syllogismus, aut saltem non probabit, quod erat probandum: quia vel non erit de re proposita, vel laborabit eo vitio, quod malè in scholis vocant petitionem principij, cùm non debeat appellari petitio quæsiti, vel petitio problematis, nempe cùm probatur idem per idem, & petitur concedi quod est probandum: veluti omnis homo est iustus, ergo omnis homo est iustus. Quartò cùm ait, *Ponatur enim*, declarat, ac deducit eam rationem sumptis terminis ethicis: sumit enim hoc problema demonstrandum, musicam voluptatem esse honestam. ideóque cùm ait, κείσθω, id est, ponatur, seu proponatur: intellige poni tamquàm problema demonstrandum. Si igitur velis hoc probare sine vniuersali propositione: necesse est, vt sumas vel indefinitam, vel particularem: omnis enim propositio vel est vniuersalis, vel particularis, vel indefinita: nam singularis hic locum non habet, vt fuit expositum cap. 1. partic. 5. Si sumas propositionem indefinitam, veluti voluptatem esse honestam: non efficies syllogismum: quia suprà ostensum fuit, ex indefinitis non effici syllogismos, propterea quòd comparantur particularibus. Si verò sumas particularem, veluti quandam voluptatem esse honestam: tunc, inquit Philosophus, aut accipis quandam voluptatem diuersam à musica voluptate, de qua erat problema: aut sumis ipsam musicam voluptatem. vtroque modo incidis in absurditatem. Nam si sumas diuersam, nihil probabis de re proposita quamuis enim illa sit honesta, putà voluptas geometrica: non propterea tamen necesse est etiam hanc, id est musicam, esse honestam: cùm fieri possit, vt sint diuersæ voluptates, altera honesta, altera turpis. Quòd si sumas quandam voluptatem, id est, musicam: iam sumis id, quod debes probare: ergo petis quæsitum. Hæc est deductio rationis Aristotelicæ: ex qua apparet, vel nullum esse syllogismum, videlicet si sumantur propositiones indefinitæ; vel non de re proposita, aut cum vitio petitionis quæsiti, videlicèt si propositiones sint particulares. Hic quærendum est, cur Aristoteles dicat potiùs non fieri syllogismum ex indefinitis, quàm ex particularibus. nam indefinitæ ideò non probant, quia comparantur particularibus: & suprà ostensum fuit, siue sumantur propositiones indefinitæ, siue particulares, nihil concludi. quare hæc distinctio videtur esse inepta; dum Aristoteles ait, ex indefinitis nihil concludi, ex particularibus vel non concludi de re proposita, vel peti quæsitum. Addo & alteram obiectionem contra nostram interpretationem: quia hæc ratio Aristotelis videtur probare simpliciter esse opus vniuersali propositione. etenim si nec indefinita, nec particularis esse potest; necessariò est vniuersalis. Nos tamen hanc interpretationem reiecimus, & diximus Aristotelem probare in syllogismis requiri propositionem magis vniuersalem quam conclusionem. Ad priorem obiectionem respondeo, Aristotelem hic vocare propositiones particulares, non, vt suprà passim accepit, quæ habent notam particularem, *quidam*, vel *aliquis*, vel *non omnis*: sic enim obiectio haberet locum; quia ex talibus propositionibus particularibus nihil concluditur, non-

magis quàm ex indefinitis: sed (vt rectè Alexander interpretatur) particulares propositiones appellat eas, quæ habent notam *omnis*, vel *nullus*. dicuntur autem particulares: quia non accipiunt subiectum illud vniuersale, quod erat accipiendum, sed eius speciem. Exempli gratiâ, qui dicit omnem hominem, dicit aliquod animal: nam omnis homo est aliquod animal, non omne animal. Hæc igitur propositio, omnis homo est albus, vocatur particularis, si sumendum erat omne animal esse album: quia homo subiicitur animali, vt particulare vniuersali proinde omnis homo respectu animalis dicitur particulare. Eodem modo locutus est Aristoteles cap. 4. part. 19. & apertiùs ita loquetur libro sequenti, cap. 15. Ex quo apparet contemnendum esse argumentum Philoponi, qui hanc interpretationem reprehendit, eò quòd Aristoteles inquit quandam voluptatem. nam qui dicit (exempli gratiâ) omnem voluptatem geometricam esse honestam is dicit aliquam voluptatem esse honestam: quandoquidem omnis voluptas geometrica est voluptas quædam, præter quam sunt & aliæ voluptates, vt voluptas musica. Ergo ait Aristoteles, si probare velis musicam voluptatem esse honestam, & sumas voluptatem esse honestam, nihil concludes, quia propositio est indefinita. si verò sumas aliquam voluptatem, id est, aliquam speciem voluptatis: licèt ei adiungas notam vniuersalem, vnde poteris aliquid concludere, tamen non efficies, quod volebas. aut enim sumis speciem voluptatis diuersam à voluptate musica, de qua est quæstio proposita, puta voluptatem geometricam, ita vt accipias hanc propositionem, omnis voluptas geometrica est honesta: & hinc poteris quidem aliquid concludere, quia hæc propositio, licèt respectu voluptatis sit particularis, eò quòd sumit certam voluptatis speciem, nihilominùs tamen est vniuersalis, quia concipitur de omni voluptate geometrica: sed non concludes, quod erat concludendum, quoniam ex eo quòd omnis voluptas geometrica est honesta, non efficitur, etiam voluptatem musicam esse honestam. aut sumis illam ipsam speciem voluptatis, de qua propositum fuit problema, id est, omnem voluptatem musicam esse honestam: & hæc quoque propositio aliquo modo est particularis, alio modo vniuersalis, ideóque ad ratiocinandum apta: verumtamen tua ratiocinatio vitio laborat, id est, quæsitum petit, cùm ita argumenteris, Omnis voluptas musica est honesta, ergo omnis voluptas musica est honesta. Ex his apparet, Aristotelem rectè separasse propositiones particulares ab indefinitis: quoniam ex indefinitis nihil colligitur: ex his verò particularibus, quæ simul sunt etiam vniuersales, aliquid colligi potest. Hinc etiam patet responsio ad alteram obiectionem. nam secundùm interpretationem modò traditam argumentatio Aristotelis non probat simpliciter requiri propositionem vniuersalem in syllogismo: immo ostendit non sufficere, si sit propositio vniuersalis, quales erant illæ propositiones, omnis voluptas geometrica est honesta, & omnis voluptas musica est honesta; sed requiri, vt sint propositiones magis vniuersales, id est, vniuersaliores conclusione. Exposui quatuor membra huius particulæ; in quorum 4. vsus est Aristoteles exemplo Ethico. Quoniam igitur illâ ætate ante logicam non discebant ethica, sed mathematica: idcirco quinto loco, cùm ait, [*Hoc*] *magis perspicuum*, sumit alterum exemplum mathematicum, tamquàm magis perspicuum. In hoc exemplo problema demonstrandum est, angulos trianguli æquilateri, qui sunt supra basim, esse inter se æquales. demonstratur autem sumptis tribus principiis, quæ debent accipi generaliter, non specialiter. Primum principium est, omnes angulos semicirculorum eiusdem circuli esse æquales. Alterum est, angulos eiusdem portionis circuli esse inter se æquales. Portio autem circuli dicitur, quæ est semicirculo maior, vel minor. Tertium principium est, si ab æqualibus æqualia demantur, ea, quæ remanent, esse æqualia. His principiis positis, sit triangulum æquilaterum α γ δ: cuius duo latera, α & β, sint æqualia. dico angulum ε & angulum ζ, qui sunt supra basim, esse æquales quod ita ostendo. Posito pede circini immobili in puncto α, & producto pede mobili vsque ad immobiliatem laterum trianguli, duco circulum, cuius centrum est α: vtraque autem latera trianguli, sunt semidiametri; siquidem pertingunt à centro ad circumferentiam: ideóque si producantur vsque ad alteram partem circumferentiæ, fiunt diametri, & efficient semicirculos. Semicirculus enim est, qui continetur diametro & ea circumferentiæ parte, quam diameter abscindit. diameter autem est linea recta, quæ per centrum circuli transit, & ab vtraque parte applicatur circumferentiæ. item eiusdem circuli portio est, quæ fit à basi trianguli & à parte circumferentiæ γ δ. Iam considero sex angulos, nempe ab vtraque parte tres, duos videlicet rectilineos, & quatuor mixtos ex linea recta & curua. Etenim à sinistro latere primùm est angulus ε rectilineus, qui fit à latere α & basi trianguli. deinde

inde est angulus γ, mixtus, qui est angulus portionis circuli, & sit ab eadem basi & parte circumferentiæ, atque est sub basi trianguli. tertius est angulus α γ, mixtus, qui fit concursu eiusdem lateris α & arcus dictæ circuli portionis: atque hic est magnus angulus reliquos duos in se continens, vt totum partes: & est angulus semicirculi: quoniam fit à parte circumferentiæ & à linea recta quæ à circumferentia protenditur, & per centrum transit. Similiter ex altera parte sunt tres anguli. Primus est angulus ζ, rectilineus, supra basim: alter, δ, mixtus sub basi, id est, in portione circuli: tertius β δ, mixtus, duos illos ζ & δ in se continens, qui est angulus semicirculi considerati in eodem circulo.



Hac descriptione facta, ita argumentor: Angulus α & γ & angulus β δ, cùm sint anguli duorum semicirculorum eiusdem circuli, sunt inter se æquales, per primam hypothesim. item angulus γ & angulus δ, quia sunt anguli eiusdem portionis, sunt inter se æquales per secundam hypothesim. Si igitur ab æqualibus angulis, αγ, & βγ, demas æquales angulos, γ & δ: anguli, qui remanebunt, nempe ε & ζ, erunt æquales: quod erat probandum. Sextò cùm ait, *Apparet igitur*, ex dictis concludit, in omnibus syllogismis requiri aliquam propositionem vniuersalem.

2 [*Constat*] *etiam.* Confert inter se conclusionem & propositiones: ac docet, quatenus sint similes, vel dissimiles, primùm in quantitate, deinde in qualitate, tertiò in modis. Quod ad quantitatem attinet, conclusio est similis propositionibus, quatenus si conclusio est vniuersalis, necesse est etiam propositiones esse vniuersales. Sed in eo est discrimen: quòd si conclusio est particularis, non propterea sunt propositiones particulares; sed vel ambæ vniuersales, vt in Darapti vel altera vniuersalis & altera particularis, vt in Darij. Hinc apparet, quomodo argumentum duci possit à conclusione ad propositiones, & à propositionibus ad conclusionem. quod Aristoteles in contextu explicat: & primò de laris argumentum à conclusione vniuersali ad propositiones, quod ita concipitur: conclusio est vniuersalis, ergo propositiones sunt vniuersales. Secundò cùm ait, *particulare verò*, tradit argumentum à conclusione particulari ad propositiones: nempe; Conclusio est particularis; ergo vel ambæ propositiones sunt vniuersales, vel altera vniuersalis, altera particularis. Hos duos modos indicat Aristoteles illis verbis, *tum hoc, tum illo modo*. Tertiò cùm ait, *Quare si conclusio*, ostendit non ita duci argumentum à propositionibus ad conclusionem, sicut ducebatur à conclusione ad propositiones. suprà namque dicebamus, si conclusio est vniuersalis, etiam propositiones esse vniuersales: hic autem dicere non possumus, si propositiones sint vniuersales, etiam conclusionem necessariò esse vniuersalem: quia potest esse non solùm vniuersalis, vt in Barbara & Celarent, sed etiam particularis, vt in Darapti & Felapton. Quamuis igitur rectè argumentemur à conclusione ad propositiones, non tamen rectè arguimus à propositionibus ad conclusionem; quod scilicet attinet ad quantitatem propositionum & conclusionis. Quod autem ad veritatem spectat; res contrario modo se habet. nam ex veritate propositionum colligitur veritas conclusionis, ex veritate autem conclusionis non arguitur veritas propositionum, vt Aristoteles docebit libro sequenti cap. 2. 3. & 4.

3 *Manifestum quoque.* Consequenter agit de qualitate, & modis syllogismorum: & ait, vel ambas vel alterutram propositionem esse similem conclusioni. Cùm enim conclusio affirmat, etiam propositiones vtræque affirmant. cùm autem conclusio negat, vna propositio negat. Item cùm conclusio est necessaria, interdum vtraque propositio, interdum vna tantùm est necessaria: veluti ex sententia Aristotelis in prima figura, siue ambæ propositiones sint necessariæ, siue tantùm maior propositio, conclusio erit necessaria. Similis est ratio aliorum modorum. Dixi, ex sententia Aristotelis: quoniam eius discipuli Theophrastus & Eudemus ab eo dissentientes existimarunt semper conclusionem sequi deteriorem partem syllogismi: ideóque non esse conclusionem necessariam, nisi vtraque propositio sit necessaria, vt suo loco notaui.

4 *Quin etiam perspicuum.* Colligit se docuisse simpliciter, id est generaliter, quando sit, vel non sit syllogismus: item quando sit perfectus, vel imperfectus: item syllogismum esse non posse, quin termini sint affecti vno

ex modis expositis, id est, quin sint in aliquo modo primæ vel secundæ, vel tertiæ figuræ. Obserua, syllogismum imperfectum, vt secundæ vel tertiæ figuræ, ab Aristotele vocari syllogismum possibilem; quasi non sit syllogismus actu, sed tantùm potestate; quia non concludit, nisi per reductionem ad primam figuram perficiatur.

IN CAP. XXV. DE NVMERO TERMINORVM PROPOSITIOnum, & conclusionum.

1 *Manifestum quoque.* Proponit sententiam mox probandam, quòd omnis demonstratio, id est, omnis syllogismus categoricus (sic enim demonstrationis verbum sæpe accipitur: quamuis plerumque significet speciem syllogismi præstantissimam, distinctam à syllogismo topico & sophistico) constat ex tribus terminis, non paucioribus, nec pluribus.

2 *Nisi per alia.* Priusquàm probet syllogismos constare ex tribus terminis, proponit aliquot exceptiones eius regulæ, vt excludat eas ratiocinationes, ad quas futura probatio non pertinebit, quia continent plures terminos. Prima exceptio est in hac particula, quando eadem conclusio probatur per plura media, atque ita sunt multi syllogismi probantes eandem conclusionem. Ita sunt plures, quàm tres termini. sunt enim duo termini in conclusione. quare si sumas duos medios terminos, & extruas duos syllogismos: erunt quatuor termini. si verò sumas tres, erunt quinque. Similis ratio est, si sumas quatuor, aut plures. Hoc autem bifariam contingere potest, & Aristoteles vtrumque modum proponit in contextu. Primus modus est, si ε probetur per αβ, & per γδ. ε significat conclusionem: reliqua elementa significant, singula propositiones singulas. & quidem prius elementum significat maiorem propositionem, posterius minorem. Ergo αβ est syllogismus inferens conclusionem ε: cuius syllogismi maior vocatur α, minor appellatur β. Rursus γδ est alter syllogismus, eandem conclusionem ε probans ex maiore γ & minore δ. Sicut igitur literæ γδ sunt omnino diuersæ à literis αβ: ita posterior syllogismus differt à priori: adeo vt extruantur ex diuersis mediis terminis: vnde fit, vt propositiones sint omnino diuersæ, vt in sequenti exemplo; in quo eadem conclusio, non omnem voluptatem esse bonam, probatur duobus syllogismis diuersis, ita vt in priori pro medio termino sumatur turpe, in posteriori fugiendum.

α	*Fe*	Nihil turpe est bonum:	γ	*Fe*	Nihil fugiendum est bonum:
β	*ri*	Quædam voluptas est turpis:	δ	*ri*	Quædam voluptas est fugienda: Ergo.
ε	*o*	Ergo Quædam voluptas non est bona.	ε	*o*	Quædam voluptas non est bona.

Alter modus est, si conclusio ε probetur per propositiones αβ, & per propositiones αγ, & per propositiones βγ. Hic vna est conclusio ε, syllogismi autem tres. Primus, αβ: vbi α est maior: β, minor. Secundus αγ: vbi α est maior: γ, minor. tertius γβ: vbi γ est maior: β, minor. Hi tres syllogismi non sunt omnino seiuncti: quoniam alteram propositionem eandem habent, alteram diuersam. Etenim αβ & αγ habent eandem maiorem, diuersam minorem. item αβ & γβ habent eandem minorem: & diuersam maiorem. Quod cùm ita sit: necesse est, in his tribus syllogismis esse eundem medium terminum diuersimodè cum extremis connexum. quotiescumque enim eadem est conclusio, & eadem propositio: necesse est eosdem esse terminos. nam in conclusione sunt ambo extrema: in qualibet propositione est medius terminus: constat itaque eadem esse extrema, & idem medium, vt in sequenti exemplo.

I.

α	*Fe*	Nihil turpe est bonum:
β	*ri*	Quædam voluptas est turpis: Ergo
ε	*o.*	Quædam voluptas non est bona.

II.

α	*Fer*	Nihil turpe est bonum:
γ	*i*	Aliquod turpe est voluptas: Ergo
ε	*o*	Aliqua voluptas non est bona.

III.

γ	*Fes*	Nihil bonum est turpe.
β	*ti*	Quædam voluptas est turpis: Ergo
ε	*no*	Quædam voluptas non est bona.

Apparet igitur, hoc modo eosdem esse terminos in omnibus syllogismis. Dicet aliquis: Hoc modo sunt tantùm tres termini, non plures: ergo hæc non est bona exceptio: immo continetur sub ipsa regula, quæ requirit tres terminos in syllogismo. Respondeo, hoc modo fieri plures terminos, si deinceps pergamus, & plures syllogismos extruamus. Cùm enim Aristoteles breuitatis causâ notauerit tres syllogismos, αβ, αγ, & βγ nos possumus eodem modo plures ad-

res adiungere, vt β δ, & γ δ: atque ita habebimus plures terminos.

3 *Rurſus.* Sequitur ſecunda exceptio, quando ſunt plures ſyllogiſmi non probantes eandem concluſionem, ſed vnus probans concluſionem principalem, alij verò probantes maiorem & minorem illius ſyllogiſmi principalis, qui vocantur proſyllogiſmi, id eſt, antecedentes ſyllogiſmi; quia priùs debent probari propoſitiones, ſi ſint ignotæ, quàm ex iis inferatur concluſio. Hæc quoque exceptio pluribus modis conſiderari poteſt. Primus modus eſt, ſi vtraque propoſitio ſyllogiſmi principalis probetur ſyllogiſmo. Secundus eſt, ſi altera probetur per ſyllogiſmum, altera per inductionem. Tertius eſt, ſi vtraque probetur per inductionem. Quid autem inductio & ſyllogiſmus differant, libro ſequenti explicabitur. Ariſtoteles breuitatis causâ tertium modum prætermittit: quia à quouis ſuppleri poteſt, cùm omnium eadem ſit ratio. Primo igitur loco proponit primum modum, in quo α β γ ſignificant ſyllogiſmum principalem. nam α eſt maior propoſitio: β minor: γ concluſio. At verò δ ε ſignificant proſyllogiſmum probantem α, id eſt, maiorem, adeo vt δ ſit maior, ε minor, α concluſio. Rurſus ζ θ ſignificant alterum proſyllogiſmum probantem β, id minorem ſyllogiſmi principalis propoſitionem: ita vt ζ ſit maior θ, minor: β concluſio, vt in ſequenti exemplo.

δ *Bar* Omne honorabile eſt bonum:
ε *ba* Omne honeſtum eſt honorabile:
ra Ergo α *Da* Omne honeſtum eſt bonum:
ζ *Da* Omne expetendum eſt honeſtum:
θ *ri* Quædam voluptas eſt expetenda:
i Ergo β *ri* Quædam voluptas eſt honeſta: Ergo
γ *i* Quædam voluptas eſt bona.

In hoc exemplo principalis concluſio eſt, quandam voluptatem eſſe bonam. termini autem ſunt quinque, voluptas, bonum, honeſtum, expetendum, honorabile. ſyllogiſmi verò ſunt tres: vnus principalis α β γ: & duo proſyllogiſmi, id eſt, δ ε α, & ζ θ β. Secundò Ariſtoteles, cùm ait, *vel alterum inductione, alterum ſyllogiſmo*, proponit ſecundum modum: quo continetur ſyllogiſmus principalis, α β γ, & probatio alterutrius propoſitionis per ſyllogiſmum, alterius verò per inductionem. Tertium modum, vt ſuprà notaui, prætermittit. Tertiò cùm ait, *verùm ſic quoque*, oſtendit, his quoque modis non minùs quàm iis modis, quos tradidimus in præced. parte eſſe plures concluſiones, proinde plures ſyllogiſmos. ſunt enim tres concluſiones, α, β, γ. α eſt concluſio primi proſyllogiſmi, vel inductionis. β eſt concluſio ſecundi proſyllogiſmi, vel ſyllogiſmi facti poſt inductionem. denique γ eſt concluſio ſyllogiſmi principalis.

4 *Quòd ſi non plures.* Sequitur tertia exceptio, nempe cùm eſt ſyllogiſmus compoſitus, qualis eſt, qui vulgò vocatur ſorites. nam ſorites nihil aliud eſt, quàm ſyllogiſmus compoſitus affirmatiuus in prima figura, in quo ideo ſunt multi termini, quia ſunt plures ſyllogiſmi, id eſt, quia ſyllogiſmus compoſitus in plures ſimplices reſoluitur, vt in hoc exemplo:

Omne viuens eſt ſubſtantia:
Omne animal eſt viuens.
Omnis homo eſt animal: Ergo
Omnis homo eſt ſubſtantia.

Hic enim ſyllogiſmus reſoluitur in duos: quorum prior eſt principalis, Omne animal eſt ſubſtantia, omnis homo eſt animal, ergo omnis homo eſt ſubſtantia: alter eſt proſyllogiſmus probans maiorem propoſitionem ſyllogiſmi principalis, nempe, Omne viuens eſt ſubſtantia, omne animal eſt viuens, ergo omne animal eſt ſubſtantia. Sed hæc proſyllogiſmi concluſio, quæ eſt maior propoſitio ſyllogiſmi principalis, in ſorite reticetur. Hoc igitur eſt, quod Ariſtoteles ait; ſi non ſint plures, (ſubaudi, ſyllogiſmi diſtincti) ſed vnus, (ſubaudi, compoſitus, vt ſorites) ſic poſſe per plura (ſubaudi, media) colligi eandem concluſionem, ita vt ſint plures quàm tres termini. Obiter notandum eſt, aliud eſſe ſyllogiſmum compoſitum, aliud proſyllogiſmum, quamuis proſyllogiſmus videatur à Ramo accipi pro ſyllogiſmo compoſito: ſecundùm quam ſignificationem videretur ſcribendum proſſyllogiſmus, non proſyllogiſmus Ariſtoteli proſyllogiſmus eſt ſyllogiſmus ſimplex probans propoſitionem alterius ſyllogiſmi. Latinè dici poteſt antecedens ſyllogiſmus.

5 *Vt autem γ.* Poſtquàm expoſuit aliquot exceptiones à regula propoſita in prima parte. nunc vult probare, præter eas exceptiones obtinere dictam regulam. Exceptiones erant, quando ſunt plures ſyllogiſmi: nunc igitur vult probare, cùm eſt vnus ſimplex ſyllogiſmus, non poſſe eſſe plures

tribus terminis: adeò vt rectè syllogismis tamquàm vitium obiici soleat, quod constent ex quatuor terminis. Primò proponit hanc sententiam, quòd syllogismus simplex non potest ex pluribus quàm tribus terminis constare. ait igitur, *vt γ [probatur] per αβ*, id est, quatenus conclusio vna, quæ hic vocatur γ, probatur per syllogismum simplicem, qui appellatur αβ, vtpote constans ex maiore α & minore β: hoc inquam modo esse impossibile vt sint plures termini quàm tres. Secundò cùm ait, *sit enim*, aggreditur probare, quod modò proposuit: & sumit conclusionem, quam vocat ε: ac ponit secundum aduersarium eam probari per quatuor propositiones, quas vocat αβγδ: vnde fit, vt sint quinque termini vt in subiecto exemplo.



Tertiò cùm ait, *ergo necesse*, incipit examinare hunc syllogismum αβγδ, vt ostendat in eo solo tres terminos perficere syllogismum simplicem. Ac primùm sumit hoc principium, in dicto syllogismo constante ex quatuor propositionibus necesse esse vt quædam ita sint inter se affecta, vt aliud habeat rationem totius, id est, vniuersalis; aliud partis, id est, particularis: quia suprà cap. 23. part. 4. expositum fuit, in omni syllogismo requiri terminos ita connexos, vt alter alteri attribuatur: & propositiones quoque similiter affectæ esse debent; vt vna sit vniuersalis, nempe maior; altera, tamquàm eius pars, nempe minor. nam respicimus ad primam figuram, à qua cetera oriūtur, ac pendent, adeo vt quod probabimus de prima figura, sine dubio etiam in reliquis obtineat. Quartò cùm ait, *ergo sic affectum*, principium quod modò accepit, accommodat syllogismo proposito. cùm igitur necesse sit in eo reperiri duas propositiones ita inter se affectas, vt termini sint eo modo, quem nunc exposui, connexi: sumit Aristoteles tales esse duas primas propositiones α & β. Siue enim sumas has duas, siue alias duas, putà βγ, aut γδ, perinde est: quia semper erit eadem demonstratio. Exempli igitur causà dicamus esse αβ. Quintò cùm ait, *est igitur*, vlterius progreditur, & ostendit, ex illis duabus propositionibus αβ, quia sunt syllogistice connexæ, colligi aliquam conclusionem: hoc enim probatum fuit suprà in expositione trium figurarum. Sextò cùm ait, *quæ aut est*, quærit quænam sit ea conclusio, quæ fit ex αβ: ac ponit enumerationem quadrimembrem. aut enim concluditur ε, quæ erat conclusio ab initio demonstranda: aut concluditur γ, aut δ, quæ sunt reliquæ duæ propositiones antea sumptæ: aut concluditur quiduis aliud putà ζ, vel η, vel θ. Septimò cùm ait, *Et siquidem*, incipit expendere singula ex his quatuor membris; vt ostendat, quodcumque membrum aduersarius sumpserit, semper fatendum esse, syllogismum constare ex tribus terminis. & in primis considerat illud membrum, quod ex αβ probatur ε: & inquit hoc modo contingere, vt syllogismus probans quod erat probandum, constet ex solis propositionibus αβ. Vnde poterat statim inferre reliquas duas propositiones, γ & δ, frustra ab aduersario adiectas esse. Vt tamen omnem tergiuersationem tollat: quia posset aduersarius dicere probationem quidem fieri per solas propositiones αβ, iuuari tamen & confirmari per γ & δ; idcirco Octauò cùm ait, *γ autem & δ*, eo retento, quòd ex αβ probetur ε, vlterius quærit quid efficiatur ex γ & δ. hic autem notanda est diuisio bimembris: aut enim hæ propositiones sunt eodem modo affectæ, quo diximus affectas esse αβ, id est nexu syllogistico, quia termini sunt inter se connexi vt totum & pars, id est, vt attributum & subiectum: aut non sunt ita affectæ, id est, non sunt syllogisticæ. Prius membrum consideratur in hoc versiculo, vbi Aristoteles inquit, si ita est, etiam ex γδ colligi aliquam conclusionem, sicut antea colligebatur ex αβ. quotiescumque enim propositiones syllogistico modo sunt expositæ, semper inferunt aliquam conclusionem. Nonò, cùm ait, *nempe aut ε*, subdiuidit prius illud membrum in quatuor. Est autem eadem diuisio, quæ suprà dicta fuit de αβ. Sicut enim αβ probabant vel ε, vel γ, vel δ, vel aliquid extraneum: ita etiam γδ, si quid probant, vel probant ε, vel α, vel β, vel quid extraneum. Decimò cùm ait, *Si [colligatur]* ε, incipit expendere singula membra expositæ subdiuisionis: & in hoc versic. simul coniungit tria membra. Siue enim per γδ probetur ε, siue probetur α, siue probetur β: cùm antea dixerimus per αβ probari ε,

non

non erit vnus syllogismus simplex, sicut initiò supponebatur; sed vel plures syllogismi, vel saltem vnus compositus. Nam si per α β probatur ε, & per γ δ probatur idem ε: iam sunt duo syllogismi diuersi probantes eandem conclusionem: quæ quidem erat prima exceptio exposita in partic. 2. Quòd si per γ δ probatur α, vel ϛ: iam γ δ est prosyllogismus, & α ϛ est syllogismus principalis. itaque aut est secunda exceptio, de qua in partic. 3. si hi syllogismi distinctè extruantur, principalis (inquam) & prosyllogismus: aut erit exceptio tertia, de qua in particula 4. si syllogismus principalis & prosyllogismus ita coniungantur vt fiat sorites. In summa non est vnus simplex syllogismus, sicut initiò supponebatur. Ergo aduersarius ponens in syllogismo plures tribus terminis, ducitur ad absurditatem, vt sibi ipsi contradicat: quia initiò ponebat syllogismum simplicem α β γ δ: nunc verò cogitur fateri non esse syllogismum simplicem. Vndecimò cùm ait, *Si aliud quidpiam*, expendit quartum membrum subdiuisionis, nempe si γ δ probent aliquid extraneum, putà ζ: & hoc quoque casu ducit aduersarium ad eandem absurditatem, immò euidentiorem, quàm antea fuerit. nam antea poterat aliquo modo dici vnus syllogismus, nempe compositus: hic verò duo sunt syllogismi omninò seiuncti, quia & propositiones & conclusiones sunt diuersæ. primus enim est α ϛ ε: secundus: γ δ ζ. Duodecimò, cùm ait, *si verò* ε, expendit secundum membrum diuisionis principalis, nempe cùm γ δ non sunt syllogisticè connexæ, ideóque nihil probant, eo scilicet supposito, quod antea diximus, per α ϛ probat ε. Hoc casu ait Aristoteles, γ δ frustra assumi. siquidem nihil probant, & probatio perficitur per sola α ϛ. Addit tamen quasdam exceptiones: quia etiamsi γ δ nihil syllogisticè probent, tamen possunt ob aliquam aliam causam assumi, sicut pluribus explicabitur lib 8. Topic. cap. 1. vbi traduntur quatuor causæ, quarum duas hoc loco Aristoteles nominatim proponit, reliquas generalibus verbis innuit. Prima causa est, vt per inductionem probetur aliqua propositio syllogismi principalis, vt α, aut ϛ. secunda causa est crypsis, id est, occultatio. nam opponentes solebant inter maiorem & minorem propositionem multas propositiones interiicere nihil ad rem facientes, tantùm ne appareret nexus inter maiorem & minorem, quò facilius respondens has propositiones concederet. Tertia causa est ornatus & amplificatio orationis. Quarta causa est perspicuitas, vt propositiones principales declarentur. Sine autem ob aliquam harum causarum, siue frustra assumantur γ & δ, semper verum est, syllogismum confici ex solis α ϛ. Decimotertiò ait, *Quòd si ex α ϛ.* Hic, vt scopus & nexus intelligitur, memoriâ repetendum est, Aristotelem initiò sumpsisse duas propositiones syllogisticas α β, ac subiecisse diuisionem, quòd vel probant ε, vel γ, vel δ, vel quiduis extraneum, putà ζ: hactenus expendit primum membrum, cùm ex α ϛ probatur ε: nunc coniunctim expendit reliqua tria membra, id est, cùm ex α ϛ probatur quiduis aliud præter ε, siue id sit γ, siue δ, siue ζ. Hic quoque ponit subdiuisionem quandam: quoniam eo posito de α ϛ, quærit quid efficiant γ & δ. In hac subdiuisione considerari possunt quinque membra: aut enim ex γ δ probatur ε, aut α, aut ϛ, aut aliquid extraneum putà ζ, aut nihil. Primum membrum in contextu ab Aristotele omittitur breuitatis studio: quia si γ δ probent ε, & α β probent quiduis aliud præter ε, (hoc enim est primum membrum) manifestum est, idem esse dicendum, quod suprà dicebamus, cùm ex α ϛ probatur ε, & ex γ δ quiduis aliud. In hoc igitur versic. expendit tria sequentia membra, nempe cùm γ δ probant quiduis aliud præter ε: siue id sit α siue ϛ, siue ζ & his casibus ait esse duos syllogismos, alterum α ϛ, alterum γ δ, quorum neuter probat conclusionem ε. Ergo aduersarius ducitur ad manifestam contradictionem: quoniam initiò supponebamus esse vnum syllogismum simplicem probantem conclusionem ε: nunc autem ostendimus esse duos syllogismos non probantes conclusionem ε. Decimoquartò, cùm ait, *si verò non colligitur*, expendit vltimum membrum, nempe cùm ex γ δ nihil concluditur, eo retento, quod suprà diximus, ex α ϛ probari quiduis aliud præter ε. Hoc casu ducit Aristoteles aduersarium ad duplicem absurditatem. Prior est: quia γ & δ non sunt partes syllogismi, cùm non sint syllogisticè compositæ: ideóque frustra sunt assumptæ. Adde ex præcedentibus exceptionem, nisi inductionis vel occultationis vel ornatus vel perspicuitatis causâ sint assumptæ. Sed hoc est contra hypothesim: quia supponebamus has quatuor propositiones, α, ϛ, γ, δ, esse partes syllogismi. Posterior absurditas est: quia non probatur ε, vt ab initio supponebatur. Decimoquintò, cùm ait, *Quare perspicuum*, ex dictis concludit, omnem demonstrationem & omnem syllogismum categoricum constare ex tribus terminis solis, qui faciunt duas propositiones: quia si plures ponamus, in contradictionem incidimus, vt ostensum

est. vide schediasma, quod contextui subieci.

6 *Cùm autem hoc.* Ex eo, quod proximè dictum est, syllogismum constare ex tribus terminis, colligit eum constare ex duabus propositionibus: quia tres termini faciunt duas propositiones, sicut tres columnæ faciunt duas fenestras, vt sequens tempus ostendit.

1 aptum ad ridendum, 2 rationale, 3 homo

α β γ

1 2

β

Propositio { 1. Omne rationale est aptum ad ridendum: (α)
γ ζ
2. Omnis homo est rationalis. }

Cùm autem ait, *nisi quid assumatur*, addit quandam exceptionem: quia ex tribus terminis interdum fiunt multæ propositiones, nempe duæ, ex quibus syllogismus extruitur in secunda vel tertia figura; & aliæ, per quas syllogismus secundæ vel tertiæ figuræ perficitur, id est, resoluitur in primam. Hoc autem fit vel per conuersionem propositionum, vel per deductionem ad impossibile, vt suprà expositum fuit. Cùm enim propositio conuertitur, non est ampliùs eadem: veluti, omnis homo est animal, aliquod animal est homo.

7 *Perspicuum igitur.* Ex dictis colligit, si plures sint quàm duæ propositiones proposita ad probandam conclusionem principalem, inde aut nihil concludi, aut esse quasdam propositiones non necessarias. Hic duo sunt notanda. Primò, Aristotelem non simpliciter requirere vt sint duæ propositiones tantùm, sed adiunctâ eâ limitatione, quæ sint propositæ ad probandam conclusionẽ principalem: quia possunt esse plures, si coniungas prosyllogismos cum syllogismo principali, vt ipse Aristoteles per parenthesim in contextu notat. Secundò notandum est, non dicere Aristotelem, quando sint plures propositiones, esse quasdam inanes, sed esse non necessarias. quædam enim sunt non necessariæ, quæ tamen non sunt inanes, id est, quæ afferuntur vel propter inductionem, vel propter aliam ex quatuor causis suprà expositis, vt Philosophus docebit dicto primo capite octaui Topici: vbi seiunget propositiones non necessarias à necessariis. necessariæ enim dicuntur eæ solæ, quæ conclusionem principalem efficiunt.

8 *Itaque si secundum.* Confert inter se terminos, propositiones, & conclusiones. Hæc collatio spectatur aut in vno & simplici syllogismo, aut in pluribus seu in syllogismo composito. De vno & simplici agitur in hac particula: de composito dicetur in seq. partic. In simplici syllogismo ait Philosophus propositiones esse pares, nempe duas: terminos autem esse impares, quia sunt vno plures propositionibus, id est, tres: conclusionem autem esse dimidium propositionum; nempe quia conclusio est vna, cùm propositiones sint duæ.

9 *Cùm autem.* Nunc agit de numero terminorum, propositionum, & conclusionum in syllogismis compositis. Ac primò proponit hanc sententiam, quòd in syllogismis compositis similiter termini sunt vno plures quàm propositiones, vt in syllogismo simplici antea dictum fuit. Ait, *cùm per prosyllogismos concluditur*, id est, quando probatur non solùm conclusio principalis, sed etiam syllogismi principalis propositiones probantur per prosyllogismos. Ait, *vel per plura media continua*, id est, cùm probatur syllogismo composito, qualis est sorites, de quo suprà dixi, Huius dat exemplum, cùm subdit, *vt* αζ. In hoc exemplo τὸ αβ probatur per γδ: est autem αζ conclusio: γ verò & δ sunt duo medij termini continui. Ideo autem duobus elementis significatur conclusio: quia constat duobus terminis; ita vt α significet maius extremum; β, minus extremum; vt in sequenti exemplo:

substãtia viuẽs animal homo

α γ δ ζ


2 2 2

2

β γ α
Omnis viuens est substantia:
δ γ
Omne animal est viuens:
β δ
Omnis homo est animal: Ergo
ζ α
Omnis homo est substantia.


Secundò, cùm ait, *aut enim extra*, probat, quod modò dixit, in syllogismis compositis vno plures esse terminos, quàm propositiones: quoniam omnibus terminis, quotquot sunt

ſunt, diſpoſitis, inueniemus interualla iis terminis interiecta, vno pauciora eſſe, quàm terminos; quemadmodum videmus vnà pauciores eſſe feneſtras, quàm columnas, quibus interiacent: propoſitiones autem tot ſunt, quot interualla: ſiquidem notantur lineis per interuallum à termino ad terminum ductis. Quod autem interualla ſemper vno pauciora ſint quàm termini, ſic oſtendit: ſupponit in tribus terminis ita rem habere: quia hoc iam docuit in præcedentibus: tres enim termini faciebant duas propoſitiones. Iam ſi addas nouum terminum: neceſſe eſt, vt addas extra, vel intra illos tres terminos. Exempli gratiâ, ſint tres termini, α, β, γ, facientes duas propoſitiones, α, β, & β γ vis addere quartum terminum δ. neceſſe eſt, vt addas vel extra, id eſt, ante α, aut poſt γ; vel intra, id eſt, inter α & β, vel inter β & γ: adeò vt quatuor modis poſſis addere quartum terminum atqui his omnibus modis, ſicut additur vnus terminus, ita etiam additur vna propoſitio. cùm igitur eadem additio fiat tam ad terminos, quàm ad propoſitiones: certè manet idem diſcrimen, quòd termini ſint vno plures quàm propoſitiones. Quòd autem, ſicut vnus terminus additur, ita etiam addatur vna propoſitio, perſpicuè apparebit ex 5. membro huius partic. Tertiò cùm ait, *non tamen*, poſtquàm docuit in quo conueniant ſyllogiſmus ſimplex & compoſitus, (nempe quia in vtroque termini ſunt vno plures, quàm propoſitiones) nunc docet eorum diſcrimen: quia in ſyllogiſmo ſimplici diximus ſemper propoſitiones eſſe pares, terminos verò impares: in ſyllogiſmo autem compoſito ſecus eſt: modò namque propoſitiones ſunt pares, termini impares: modò è contrario propoſitiones impares, termini pares. Hoc Ariſtoteles probat, inquiens, *nam vnà cum termino*. Probatio talis eſt: Adiecto nouo termino, adiicitur noua propoſitio, vt paulò antè probatum ſuit: ergo hac adiectione facta, termini ex imparibus fiunt pares, & propoſitiones ex paribus fiunt impares. ſurſus autem noua adiectione facta, termini fient impares, & propoſitiones pares. & ita deinceps. Quartò cùm ait, *Concluſiones verò*, docet alterum diſcrimen inter ſyllogiſmum ſimplicem & compoſitum. nam in ſimplicibus diximus concluſiones eſſe dimidiam partem propoſitionum: in compoſitis verò ſæpe concluſiones ſunt multò plures, quàm propoſitiones. quotieſcumque enim additur nouus terminus, additur quidem vna propoſitio, vt antea dictum fuit, ſed adduntur multæ concluſiones, id eſt, tot concluſiones, quot erant termini, vno excepto. Exempli gratiâ, ſi ſint tres termini, & addas quartum, addes duas concluſiones. ſi addas quintum, addes tres concluſiones. ſi ſextum, quatuor. ſi ſeptimum, quinque. & ita deinceps: quia concluſiones applicantur ad omnes terminos, excepto vltimo. Hoc non poteſt intelligi, niſi explicetur exemplis. Quintò igitur Ariſtoteles, cùm ait, *vt ſi ſit α β γ*, proponit exemplum ſyllogiſmi ſimplicis in quo ſumus eſſe tres terminos, propoſitiones duas, concluſionem vnam. Sunt igitur tres termini, α, ϐ, γ. Addit Ariſtoteles quartum terminum, δ: addit (inquam) extrà, id eſt, vltimo loco, nempe poſt γ. Sic additur noua propoſitio γ δ, duabus propoſitionibus antea ſumptis, α ϐ & ϐ γ. item concluſioni α γ adduntur duæ concluſiones, β δ & α δ, vt ſequens typus oſtendit.



Eadem ratio eſt, ſi nouus terminus primo loco ponatur, id eſt, ante α. Sextò cùm ait,

Similiter fit & in aliis, docet, si addas plures alios terminos, vt quintum, sextum, septimum, semper idem contingere, vt modo exposito multiplicentur conclusiones. Septimò cùm ait, *Et si medio*, ostendit idem fieri, etiamsi nouus terminus prioribus interiiciatur, siue sumatur inter α & β, vt in sequenti exemplo; siue inter β & γ. Hic aliquis dubitare posset: quia cùm nouus terminus alius interiicitur, videntur addi duæ propositiones, non vna, vt antea diximus. nam si τὸ δ ponatur inter α & β, nascuntur duæ propositiones: siquidem τὸ α dicitur de δ, & τὸ δ de β. item si τὸ δ ponatur inter β & γ, similiter nascuntur duæ propositiones, id est, τὸ β de δ, τὸ δ de γ. Respondeo, addi quidem duas propositiones, sed vnam demi, in cuius locum hæ duæ subrogantur, veluti cùm δ ponitur inter α & β. α β non est ampliùs propositio, sed conclusio. duabus ergo additis, & vnâ dempta, rectè dicimus vnam addi. Octauò cùm ait, *quare & multò plures*, concludit, in syllogismo composito multò plures esse conclusiones, quàm terminos vel propositiones: quod ita intelligendum est: quia semper addito nouo termino, adduntur plures conclusiones, quàm propositiones, vel termini. Sint enim tres termini, α β γ duæ sunt propositiones, α β, & β γ: vna est conclusio, α γ. adde quartum terminum δ: addis tertiam propositionem, γ de δ duas conclusiones. α de δ & β de δ. atqui antea erat vna conclusio, cui nunc addis duas. erunt igitur tres conclusiones, totidem scilicèt, quot sunt propositiones. Sed si vlteriùs pergas, conclusiones plures erunt. adde enim quintum terminum ε: sic addes quartam propositionem, δ de ε: erunt igitur quatuor propositiones: conclusiones autem sex; quia tribus antea positis addis alias tres, nempe α de ε, β de ε, & γ de ε. Sed δ de ε non est conclusio. hoc enim est, quod Aristoteles suprà dicebat, ad solum terminum extremum non applicari syllogismum. Eadem est ratio additionis, si plures alij termini deinceps adiungantur, vt in sequenti typo videre licet.



IN CAP. XXVI. DE PROBLEMATIS IN QVAQVE figura adstruendis, vel euertendis.

IN hoc capite duo Aristoteles docet: Primò quæ problemata in singulis figuris probari, vel euerti possint: Secundò quænam faciliùs aut difficiliùs probentur, vel euertantur.

1 *Quia verò*. Proponit regulam, qua cognoscamus, quæ faciliùs, & quæ difficiliùs probantur. faciliùs enim probantur, quæ probantur in pluribus figuris, & modis difficiliùs, quæ in paucioribus.

2 [*Problema*] *igitur*. Expendit singula problematum genera, ac docet, in quot, & quibus figuris, & quot modis probari possint. Primò igitur docet, problema vniuersale affirmans probari tantùm in prima figura, & in vno tantùm eius figuræ modo, nempe in Barbara. Secundò cùm ait, *Priuatiuum autem*, docet, problema vniuersale negans probari in prima, vel in secunda figura: in prima, inquam, figura vno modo, id est, in Celarent: in secunda duobus modis, id est, in Cesare, vel Camestres. Tertiò cùm ait, *Sed particulare*, docet, problema particulare affirmans probari in prima, vel in tertia figura: in prima, inquam, vno modo, id est, in Darij: in tertia tribus modis, id est, in Darapti, vel Disamis, vel Datisi. Quartò cùm ait, *Denique priuatiuum*, docet, problema particulare negans probari in omnibus figuris: id est, in prima figura vno modo, nempe in Ferio: in secunda duobus modis, id est, in Festino, & Baroco: in tertia tribus modis, id est, in Felapton, Brocardo, & Ferison. Memoriæ causâ notetur, in prima figura semper esse vnum modum probandi quoduis problema, in secunda duos, in tertia tres. Item in prima figura probari omnia problemata, in secunda omnia negantia, in tertia omnia particularia.

3 *Perspicuum igitur*. Ex dictis colligit, & singillatim explicat, quænam problemata faciliùs vel difficiliùs confirmentur; vel refel-

refellantur. Primò igitur ait, problema vniuersale affirmans difficillimè probari, nempe quia probatur vno modo in Barbara: facillimè autem refelli, nempe ob rationem, quæ mox proponetur in contextu. Secundo cùm ait, *& omnino*, incipit conferre problemata vniuersalia cum particularibus. Cúmque hæc collatio duabus sententiis contineatur; quarum prior est, quòd vniuersalia faciliùs euertantur, quàm particularia, posterior est, quòd particularia faciliùs confirmantur, quàm vniuersalia: hic proponit priorem sententiam. Tertiò cùm ait, *quia* [*vniuersalia.*] probat sententiam modò propositam, quòd vniuersalia faciliùs euertuntur, quàm particularia: nempe quia euertuntur in pluribus figuris, & modis. Hoc autem sic ostendit: quia vniuersale affirmans euertitur tam per contrarium, id est, vniuersale negans, quàm per contradictorium, id est particulare negans. siue enim probes nullam voluptatem esse bonam, siue non omnem voluptatem esse bonam: euertes problema statuens omnem voluptatem esse bonam. atqui particulare negans probatur in omnibus figuris: vniuersale autem negans probatur in prima, & in secunda figura. ergo his omnibus modis euertitur problema vniuersale affirmans, id est, in nouem modis, Celarent, Ferio, Cesare, Camestres, Festino, Baroco, Felapton, Brocardo, & Ferison. Similiter problema vniuersale negans euertitur per contrarium vniuersale affirmans, & per contradictorium particulare affirmans: Ergo euertitur in quinque modis, id est, in Barbara, Darij, Darapti, Disamis, & Datisi. Problema verò particulare euertitur tantùm per contradictorium, id est, particulare affirmans, per vniuersale negans: & particulare negans, per vniuersale affirmans. per contrarium verò non euertitur: in particularibus enim contraria sunt simul vera: vt, quidam homo est iustus, &, quidam homo non est iustus. nam hæc quæ vulgò vocantur subcontraria, ab ipso Aristotele vocari contraria, suprà docui. Ergo problema particulare affirmans euertitur tribus modis, id est in Celarent, Cesare, & Camestres: particulare autem negans vno modo in Barbara. Quartò cùm ait, *Ad confirmandum*, proponit posteriorem sententiam, quòd problemata particularia faciliùs probantur, quàm vniuersalia. Quintò cùm ait, *quia & in pluribus*, probat posteriorem sententiam huiusmodi syllogismo: Quæ in pluribus figuris & modis probantur, ea faciliùs probantur: atqui problemata particularia in pluribus figuris & modis probantur, quàm vniuersalia: ergo problemata particularia faciliùs probantur. Huius syllogismi maior propositio hîc prætermittitur: minor continetur his verbis: conclusio verbis proximè præcedentibus. Porrò maior patet ex particula prima, minor ex partic. 2.

4 *Et omnino.* Primùm ostendit vniuersalia euerti per particularia: subaudi, contradicentia: Contrà quoque particularia euerti per vniuersalia: similiter subaudi, contradicentia: quia si contradictionis altera pars est vera, altera est falsa. Deinde cùm ait *Confirmare autem*, confert inter se vniuersalia & particularia subalterna, quemadmodum proximè contulerat contradictoria: atque ait, ex particularibus non confirmari vniuersalia: quia non rectè arguitur: Quidam homo est iustus, ergo omnis homo est iustus. Contrà verò ex vniuersalibus confirmari particularia. rectè enim arguitur: Omnis homo est rationalis, ergo omnis homo est rationalis.

5 *Item planum.* Confert inter se confirmationem & refutationem problematis: & ait, faciliùs refutari, quàm confirmari. Vnde Lucretius lib. I.

„ *Nam quiduis citiùs dissolui posse videmus,*
„ *Quàm rursus refici.*--

Isocrates πρὸς Φίλιππον, Εἰδότας ὅτι συστῆσαι μὲν τὸν ἁπάντων χαλεπὸν, διαλῦσαι δὲ ῥᾴδιον. id est, scientes omnium rerum compositionem esse difficilem, dissolutionem facilem. Plutarchus περὶ τοῦ ἀκούειν, Ὥσπερ ὁ Λακεδαιμόνιος ἀκούσας ὅτι Φίλιππος Ὄλυνθον κατέσκαψεν, ἀλλ᾽ οὐκ ἀναστῆσαί γε τοιαύτην, ἔφη, πόλιν ἐκεῖνος ἂν δύναιτο. id est, quemadmodum Lacedæmonius, cùm audisset Philippum Olynthum diruisse, At non, inquit, instaurare talem vrbem ille posset.

6 *Quomodo igitur.* Primo tractatui de syllogismis extruendis, epilogo finem imponit.

DE INVENTIONE, TRACTATVS II.

IN CAP. XXVII. QVO TRADVNTVR DE SYLLOGISMIS PURIS PRÆCEPTA GENERALIA.

SEquitur secundus tractatus, qui inscribitur de inuentione, seu de copia & abundantia propositionum. Idem enim est, inuenire medium terminum, & inuenire propositiones: quia propositiones syllogisticæ conficiuntur ex medio termino & duobus

extremis: duo verò extrema non egent inuentione, cùm contineantur ipso problemate ad disquirendum proposito: tantùm igitur oportet inuenire medium terminum. Postquam ergo Aristoteles docuit, quomodo syllogismi fiant, & quam vim habeant: nunc vult rationem tradere, qua sint in promptu, vt nos reddat perfectos logicos. Ex eo namque dignoscimus præstantes artifices à rudioribus: quòd hi, etsi aliquo modo opus faciunt, non tamen ea facilitate & celeritate facere possunt, qua boni artifices. Et quemadmodum priùs discimus rationem legendi, posteà nobis comparamus habitum & promptitudinem, vt facilè & expeditè legamus: ita etiam in logica priùs discimus rationem faciendorum syllogismorum; postea rationem, qua syllogismi nobis suppetant, & in promptu sint. In hoc tractatu Aristoteles vtitur methodo ab vniuersalibus ad particularia: vbi præcipuè tres gradus spectantur: quædam enim sunt præcepta generalia, quæ pertinent ad omnia problemata: alia verò sunt minùs generalia, id est, quæ sunt propria cuiusque generis problematum, nempe vniuersalis affirmantis, & vniuersalis negantis, & particularis affirmantis, & particularis negantis: alia denique sunt magis specialia. Et hoc bifariam contingit: quædam enim specialia sunt ratione artis logicæ, velut præcepta Topica, quæ sunt propria syllogismi dialectici: alia verò sunt specialia ratione scientiarum, quibus accommodantur: qualia sunt præcepta de inuentione syllogismorum physicorum, aut geometricorum, aut medicorum. Incipit autem Philosophus à præceptis generalissimis, quæ quidem hoc capite tradit. sed antequam hoc faciat, quædam præmunit. Vnde hoc caput diuiditur in tres partes. Primò namque in prima particula proponit hunc tractatum. Secundò vsque ad partic. 5. explicat quasdam præmunitiones. Tertiò in partic. 5. & sequentibus proponit varia præcepta de inuentione.

1 *Quo autem modo.* In hac particula primùm proponit, quod deinceps est expositurus, nempe quomodo consequi possimus, vt syllogismis abundemus, & qua via seu methodo propositiones inuestigemus. Hæc autem dicuntur ἐν ἀφθονίᾳ. idem enim est, abundare syllogismis, & abundare propositionibus, vel abundare mediis terminis: quoniam (vt suprà notaui) qui habet medium terminum, facilè ex eo facit propositiones; propositiones autem constituunt syllogismum, vt partes totum. Secundò cùm ait, *quia fortasse*, rationem affert sui instituti, atque hunc tractatum cum superiori connectit, quoniam (inquit) fortasse non sufficit (τὸ fortasse non est dubitationis, sed modestiæ nota, qua Aristoteles sæpe vti solet, cum aliquid sine probatione proponit) ergo non sufficit nosse quomodo fiant syllogismi, nisi etiam acquiramus facultatem, qua possimus extruere syllogismos, quotiescumque iis opus habebimus. Hic igitur tractatus meritò præcedentem sequitur, vt practicus theoricum. Quod vt clariùs intelligatur; & methodus huius libri 1. Priorum appareat; nec minùs intelligatur, quàm ineptè à multis disputetur de ordine harum duarum logicæ partium, quarum altera est de inuentione, altera de dispositione: notandum est, primò naturam & vim syllogismorum esse cognoscendam, deinde ad vsum traducendam. Prior igitur pars est theorica, quam hactenus Aristoteles docuit: posterior est practica: & quidem bipertita: quia duplex est syllogismorum vsus: aut enim ipsi syllogismos inuenimus, & extruimus: aut de syllogismis, quos alij extruxerunt, ex præceptis artis iudicamus, & confusè conceptos, in figuras & modos resoluimus; vel certa forma digestos, in aliam formam conuertimus. Prior praxeos pars inscribitur de inuentione: posterior de iudicio, vel resolutione, vel dispositione. Ad priorem praxeos partem pertinet hic tractatus: ad posteriorem sequens tractatus. Quòd autem superior pars fuerit theorica, hic verò incipiat practica, verba Aristotelis apertè indicant, quibus ostendit superiorem partem pertinere ad theoriam seu contemplationem extruendorum syllogismorum, hanc verò ad acquirendam facultatem, qua possimus facilè efficere syllogismos. opponit enim verbum ποιεῖν verbo θεωρεῖν.

2 *Eorum igitur.* Sequuntur quædam præmunitiones cognitu necessariæ, priusquam tradantur præcepta de inuentione. Prima præmunitio diuidit omnes res in tria genera: quædam enim tantùm subiiciuntur, non attribuuntur, nempe indiuidua, vt Plato, & Socrates: alia tantùm attribuuntur, non subiiciuntur, vt quantitas, qualitas & reliqua generalissima: alia denique & attribuuntur & subiiciuntur, vt genera, & species subalternæ. Quod ad verba contextus attinet: postquam Aristoteles dixit, *vt Cleon & Callias*, subiicit, *& quod singulare* [*est*,] vt intelligamus eandem esse rationem cuiusvis alius indiuidui: singulare enim vocat indiuiduum. Deinde subiicit, *quòdque sub sensum cadit*, non vt aliquid noui adiiciat, sed vt quod dixit, magis explicet: idem enim est singulare, &c.

re, & quod sub sensum cadit: quia singularia sensu, vniuersalia intellectu percipiuntur. Quod verò ad ipsam diuisionem attinet, recte debet intelligi. cùm enim dicimus singularia nulli attribui, intelligimus attributionem per se, non per accidens, vt ipse Philosophus notabit in sequenti part. quod iam ad Porphyrium exposui. Rursus cùm dicimus quædam maximè vniuersalia non subiici, similiter est intelligendum de vera attributione & per se: nam aliquo modo omnia possunt subiici. quid enim magis generale est, quàm ens, & vnum? atqui Metaphysicus ait ens esse vnum, & vnum esse ens: sed hæ non sunt veræ attributiones: quales sunt, cùm dicimus hominem esse rationalem, vel aptum ad ridendum. Ergo illa maximè vniuersalia non subiiciuntur, id est, ferè non subiiciuntur. nam Aristoteles hanc particulam *ferè*, adhibet in calce quartæ particulæ.

3 *Constat igitur.* Probat diuisionem rerum in præcedenti particula allatam. Cùm autem ea diuisio fuerit trimembris, probat tantùm duo membra extrema, omisso medio, tamquàm minùs dubio. Primò igitur per sensum ostendit quædam esse, quæ nulli attribuuntur, id est, singularia. Cùm autem ait, *vnumquodque ferè, est eiusmodi*, &c. particulam *ὡς ἔπος*, *ferè* sic accipe: quia hæc quoque possunt aliquo modo attribui, non tamen per se, sed ex accidenti, vt ipse Aristoteles explicat, subiiciens verba illa, *nisi ex accidenti*. & sequentibus verbis, *dicimus enim*, proponit exemplum attributionis eiusmodi accidentariæ, quam nos iam ad Porphyrium exposuimus. Secundò cùm ait, *Sursum quoque*, assumit esse quædam suprema, quæ tantùm attribuuntur, non subiiciuntur, tamquàm demonstrandum libro primo Posteriorum cap. 19. & sequentib.

4 *De his igitur.* Sequitur altera præmunitio, qua explicatur, quatenus ea tria rerum genera in demonstrationem vel syllogismum cadunt. Primò igitur ait hæc, quæ postremo loco nominauit, id est, summa attributa, non cadere in demonstrationem tamquàm subiecta: siquidem dicimus ea nulli rei subiici. Secundò cùm ait, *nisi secundùm opinionem*, ostendit hæc posse subiici in syllogismo probabili & dialectico: quia (vt suprà exposui) nihil est tam generale, cui non possit aliquid attribui, quamuis secundum naturalem attributionem quæ in veris demonstrationibus obseruatur, nihil his rebus attribui possit. Tertiò cùm ait, *sed hæc de aliis*, ostendit hæc venire in demonstrationes, & syllogismos, tamquàm attributa, vt de aliis demonstrentur. [Atque hactenus locutus est de summis attributis. Quartò cùm ait, *Nec singularia de aliis*, transit ad alterum membrum extremum, id est, ad singularia, quæ docet non cadere in demonstrationem tamquàm attributa, sed tamquàm subiecta. Quintò cùm ait, *Quæ verò*, ostendit tertium membrum, id est, subalterna vtroque modo in demonstrationes cadere; id est, vt subiecta, de quibus demonstratur; & & vt attributa, quæ demonstrantur. Tandem cùm ait, *ac ferè*, docet disputationes dialecticas, & considerationes, id est, scientias ferè omnes in his tantùm subalternis versari. Vnde ad hæc præcipuè respiciemus in sequentibus præceptis de inuentione syllogismorum.

5 *Oportet autem.* Hactenus præmunitiones: sequuntur præcepta. Primùm præceptum est, vt initiò, tamquàm omnium fundamentum, ponatur id de quo agitur, id est, problema propositum: siue duo problematis termini; subiectum, de quo probatur; & attributum, quod probatur. Vulgò malè appellant minus extremum, & maius extremum. nam hæ appellationes spectantur tantùm in syllogismo, numquàm in conclusione, quæ non est pars syllogismi. & (vt suprà docui) non semper minus extremum est subiectum conclusionis, nec semper maius extremum est attributum conclusionis: sed tantùm in conclusionibus directis hoc obtinet; secus verò est in indirectis. Hoc posito, id est, vtroque problematis termino, oportet vtriusque consequentia, antecedentia & repugnantia quærere: quoniam in his tribus omnis inueniendi ratio consistit. Consequentia vocat Aristoteles ea, quæ attribuuntur: antecedentia verò, quæ subiiciuntur: quia posito subiecto, consequenter ponitur attributum; vt putà si est homo, est animal: posito verò attributo non necesse est consequi subiectum; veluti non est necesse, si animal sit, hominem esse. subiectum igitur antecedit; attributum consequitur. proinde subiectum vocatur antecedens: attributum, consequens. Si quis quærat, cur Aristoteles hic quoque non retineat illas appellationes subiecti, & attributi; & cur malit vocare antecedens, quàm subiectum; cur consequens, quàm attributum: respondebo, eum id fecisse duabus de causis. Prior est, vt vitaret confusionem & ambiguitatem. subiecti namque appellatione hic intelligimus subiectum problematis, id est, de quo probatur. attributi verò appellatione intelligimus attributum problematis, id est, id quod probatur. Quæ igitur his terminis attribuuntur vel subiiciuntur,

maioris distinctionis causâ vocantur conse-quentia & antecedentia: alioquin pluribus verbis dicendum esset minùs commodè, quod paucioribus exprimimus commodiùs & euidentiùs. exempli gratiâ, opus esset dicere attributum subiecti, vel attributi ipsius problematis, cùm vno verbo dicamus consequens. Altera ratio est: quia attributum & subiectum sunt partes propositionis: hic autem docet Aristoteles inuestigationem simplicium terminorum, ex quibus postea fient propositiones: proinde nondum sunt, sed erunt attributa & subiecta, cùm syllogismus extruetur. nam inuentio dispositionem præcedit. Iam verò, quod ad verborum expositionem attinet, notandum est, Aristotelem, cùm de consequentibus loquitur, nos docere, vt primò quæramus rei definitionem, & eiusdem proprietates, deinde quæ ei rei consequentia sunt. quæ verba non oportet ita accipere, quasi definitiones & proprietates seiungat à consequentibus: sed perinde ac si diceret, inuestigandas esse definitiones, & proprietates, & cetera consequentia: ita vt duobus membris specialiter enumeratis subiiciatur verbum generale, quo omnia consequentia comprehenduntur. De antecedentibus nihil notandum occurrit, præter ea, quæ iam notaui. De repugnantibus agitur in postremis verbis huius particulæ. hæc dupliciter spectari possunt, id est, quæ repugnant rei propositæ, & quibus res ipsa proposita repugnat: non tamen fiunt duo membra: quoniam eadem sunt, quæ repugnant, & quibus repugnatur, vt Aristoteles ostendit ex eo quòd propositio vniuersalis negans reciprocatur. Quoniam igitur propositio vniuersalis affirmans non reciprocatur, idcirco in terminis affirmatiuis distinguimus inter antecedentia & consequentia. quia verò vniuersalis negans reciprocatur, adeo vt, quod est antecedens, id est, subiectum, possit fieri consequens, id est, attributum, & contrà ex consequenti possit fieri antecedens: idcirco non distinguimus inter subiecta repugnantia, & attributa repugnantia, id est, negata.

6 *Distinguenda sunt.* Sequitur secundum præceptum, vt termini iam sumpti tamquàm consequentes, distinguantur in sua genera. Hic Aristoteles duplicem consequentium diuisionem ponit. Prima est: quòd alia attribuuntur essentialiter, vt genus, & differentia: alia, vt propria: alia, vt accidentia communia. Altera diuisio est: quòd alia attribuuntur secundùm opinionem, id est, probabiliter: alia reuera, id est, certitudine quadam. quæ distinctio magis explicabitur in Topicis. Vtilitatem harum diuisionum declarat Aristoteles, cùm ait, *nam quò maior:* quoniam hæc omnia consequentia valent ad copiam syllogismorum parandam. quò verò sunt magis essentialia, & quò sunt certiora, eò magis valent ad demonstrandum, & ad veram scientiam acquirendam.

7 *Oportet autem.* Tertium præceptum est, vt eligantur consequentia vniuersaliter, non in parte, nec indefinitè. Ratio huius præcepti affertur: quia syllogismus ex propositionibus vniuersalibus constat, non ex particularibus, nec ex indefinitis, nisi indefinita accipiantur pro vniuersalibus: quod cùm sit obscurum, rectiùs est accipere expressè vniuersalia. Hoc præceptum sic intellige: non quasi omnes syllogismorum propositiones semper sint vniuersales: scimus enim quasdam esse particulares: sed quia in omni syllogismo necesse est esse aliquid vniuersale, nec necesse est esse aliquid particulare, vt dictum fuit cap. 24. partic. 1. item quia propositiones vniuersales latiùs patent, & plura complectuntur, quàm particulares: & quia ex propositione vniuersali possumus facere particularem, non contrà ex particulari vniuersalem. etenim si omnis homo est animal, etiam aliquis homo est animal: sed si aliquod animal est homo, non propterea omne animal est homo: adeo vt qui habet propositionem vniuersalem, ille habeat etiam multas particulares sub ea contentas: qui verò habet particulares, non propterea habet vniuersales. Idcirco ad habendam syllogismorum copiam, eligendæ sunt potius propositiones vniuersales, quàm particulares: sic enim inquisitio breuior, facilior, & vtilior erit.

8 *Similiter eligenda.* Sequitur quartum præceptum tertio simile. Sicut enim tertio loco præcipiebat, vt acciperemus consequentia vniuersaliter: ita nunc præcipit, vt sumamus antecedentia, quibus res proposita vniuersaliter consequitur, ob eandem scilicet rationem, quia in syllogismis maior est vsus vniuersalium, quàm particularium, sicut antea exposui.

9 *Ipsum verò.* Quintum præceptum est, ne sumamus consequens, quod totum consequatur, sed quod toti sit consequens: id est, vt nota vniuersalis *omnis* vel *omne*, iungatur subiecto, non attributo propositionis. Primò Aristoteles proponit hoc præceptum. Deinde cùm ait, *verb. gratiâ*, præceptum illud exemplis illustrat. Tertiò cùm ait, *quoniam alterum*, duplici argumento præceptum illud confirmat. Primum est: quia si sumas id, quod totum consequitur, pars eius erit inutilis.

inutilis, & ad rem non facit. Alterum argumentum est: quia propositio erit impossibilis, id est, necessariò falsa. Posterius argumentum declarat his exemplis, Omnis homo est omne animal, &, iustitia est omne bonum. nam hæ propositiones sunt euidenter falsæ, vt etiam expositum fuit capite 7. de interpret. partic. 4. Prius argumentum ab Aristotele non explicatur. ideóque à nobis est breuiter explicandum. Ergo etiamsi verè dici posset, omnem hominem esse omne animal: tamen illud *omne*, nihil faceret ad concludendum problema. tantundem enim valet hæc propositio, omnis homo est animal. Exempli gratiâ, si probandum sit, omnem hominem viuere; & primùm sumatur hæc propositio, omne animal viuit: si addas assumptionem, quòd omnis homo est animal, etiamsi non sumas esse omne animal, tamen rectè colliges omnem hominem viuere. Postremò cùm ait, *sed cui* [*aliud*,] concludit vniuersalem illam notam *omnis*, esse subiecto adiungendam.

10 *Cùm autem.* Sextum præceptum est, vt sumantur consequentia proxima, non remota. vtputà ea quæ consequuntur animal, non sunt numeranda in iis, quæ consequuntur hominem: quia cùm ponimus animal esse homini consequens; satis intelligimus, ea omnia, quæ animal consequuntur. etiam homini esse consequentia: vt non sit opus ea repetere: quia quæcumque attribuuntur attributo vt animali, sine dubio attribuuntur etiam subiecto, vt homini. Categor. capite 3. partic. 1.
Primò igitur Aristoteles vetat sumi consequentia remota, id est, inter consequentia speciei non esse ponenda consequentia generis. Secundò, cùm ait, *quia in illis sumpta sunt*, affert rationem huius præcepti, ne scilicet idem sæpius sumatur: quod ad confusionem potiùs, quàm ad inuentionem & syllogismorum copiam valeret. Ait igitur, hæc iam sumpta esse in illis, id est, in consequentibus generis. Tertiò cùm ait, *quacumque enim*, declarat illud præceptum exemplo. Quartò cùm ait, *Eadem est ratio eorum, quæ non insunt*, hoc præceptum de consequentibus traditum producit ad repugnantia: quia repugnantia animali (exempli causâ) sumi non debent inter repugnantia homini. Quintò cùm ait, *Quæ verò cuiusque*, iubet accipi consequentia (idem intellige de repugnantibus) speciei propria: quia species habet quædam propria, quæ non sunt generi communia. Exempli gratiâ, aptum esse ad ridendum, homini est consequens, non animali.

11 *Neque verò.* Sequitur septimum præceptum sexto simile, nempe vt similiter accipiamus antecedentia proxima, non remota. Exempli gratiâ, cùm ponis antecedentia animalis, non debes in iis ponere antecedentia hominis. vtputà dices animalis antecedentia esse hominem, & brutum: sed non addes, quasi animalis antecedentia, grammaticum & musicum: quoniam hæc sunt antecedentia hominis: satis igitur est nouisse hominem, tamquàm antecedens animalis, quod secum trahit omnia sua antecedentia. nam si est musicus, est homo: & si est homo, est animal: ergo si est musicus, est animal. Quare musicum est animalis antecedens remotum. Ait, [*quasi*] *vniuersalis* [*antecedentia*,] id est, cùm res proposita est vniuersalis, putà animal, cuius antecedentia quærimus. Ait, *eligenda*, &c. id est, non sunt eligenda antecedentia speciei subiectæ, quæ continetur sub re proposita, vt species sub genere: vtputà non sunt eligenda antecedentia hominis, qui sub animali continetur.

12 *Sumenda* [*sunt.*] Octauum præceptum est, vt non solùm eligamus ea, quæ semper consequuntur, veluti omnem hominem esse rationalem: sed etiam ea, quæ plerumque consequuntur, veluti omnem virum barbam emittere: quia sicut ex illis propositionibus colliguntur propositiones semper veræ, ita ex his conclusiones plerumque veræ.

13 *Præterea quæ omnibus.* Nonum præceptum est, vt quæ omnibus sunt consequentia, tamquàm inutilia prætermittantur. Rationem ait se explicaturum in sequentibus, id est, capite sequenti, partic. 16. Breuiter ratio in eo consistit, quòd hæc attribuuntur vtrique extremo, atque ita fiet syllogismus ex duabus propositionibus affirmantibus in secunda figura, contra regulas illius figuræ.

IN CAP. XXVIII. DE SYLLOGISMIS PVRIS PRAECEPTA SPECIALIA.

HActenus præcepta generalia, & omnibus problematis communia: sequuntur specialia, & singulorum problematum propria.

1 *Volentibus igitur.* Incipit à problemate vniuersali affirmante quod si probare velis, debes respicere ad antecedentia attributi, & consequentia subiecti: (attributum vel

ſubiectum intellige, quod attribuitur vel ſubiicitur in problemate,vt & antea expoſui) ad.o vt ſi inuenias aliquem terminum, qui antecedat attributum, & ſequatur ſubiectum; eo accepto pro medio termino, poſſis extruere ſyllogiſmum in Barbara, & probare, quod erat probandum. Exempli gratiâ probandum ſit, omne vtile eſſe honeſtum. quæras primùm antecedentia honeſti: deinde quæras, an aliquod ex his antecedentibus reperiatur inter conſequentia vtilis. verbi gratiâ, antecedens honeſti eſto expetendum: quicquid enim eſt expetendum, eſt honeſtum. ſi igitur expetendum, eſt conſequens vtili, poteris erigere ſyllogiſmum: Omne expetendum eſt honeſtum: omne vtile eſt expetendum: ergo omne vtile eſt honeſtum. Maior propoſitio ſumitur ex antecedentibus honeſti: minor ex conſequentibus vtilis.

2 *Si verò.* Tranſit ad problema particulare affirmans, in quo probando reſpiciendum eſt ad ea, quæ vtrumque extremum antecedunt, id eſt, ſi reperiatur aliquis terminus, qui vtrique extremo ſubiiciatur, problema concludetur in Darapti, vel per minoris conuerſionem in Darii. exempli gratiâ probandum ſit, aliquam voluptatem eſſe honeſtam. ſi igitur & honeſtum & voluptas muſicæ attribuuntur, ſic argumentum extruetur: Omnis muſica eſt honeſta: omnis muſica eſt voluptas: ergo aliqua voluptas eſt honeſta. Maior ſumitur ex antecedentibus honeſti: minor ex antecedentibus voluptatis.

3 *Cùm autem nulli.* Tranſit ad problema vniuerſale negans, quod probatur duobus modis. aut enim ſumitur repugnans attributo, & conſequens ſubiecto: aut contrà conſequens attributo, & repugnans ſubiecto: quia neceſſe eſt alteram propoſitionem eſſe affirmantem alteram negantem. Primo modo ſyllogiſmus fit in Ceſare, & per conuerſionem maioris in Celarent; quia maior negatiua & minor affirmatiua poteſt eſſe tam in prima, quàm in ſecunda figura. poſteriori modo, quia minor negat contra regulam primæ figuræ, non poteſt fieri ſyllogiſmus, niſi in ſecunda figura, id eſt, in Cameſtres. Ergo priori modo maior propoſitio ſumitur ex repugnantibus attributi, minor ex conſequentibus ſubiecti: poſteriori modo maior ſumitur ex conſequentibus attributi, minor ex repugnantibus ſubiecti. Exempla ex his, quæ iam expoſui, quiuis ſupplere poteſt.

4 *Quòd ſi probandum.* Tranſit ad problema particulare negans. in quo probando reſpiciendum eſt ad repugnantia attributi, & antecedentia ſubiecti. veluti ſi probandum ſit, aliquam voluptatem non eſſe bonam: ſi idem terminus repugnet bono, & ſubiiciatur voluptati, ſyllogiſmus extruetur in Felapton, vel minore conuerſa in Ferio: vt, Nulla voluptas Venerea eſt bona: omnis Venerea voluptas eſt voluptas: ergo aliqua voluptas non eſt bona. Maior ſumitur ex repugnantibus boni, minor ex antecedentibus voluptatis.

5 *Sic autem fortaſſe.* Vt meliùs intelligamus inuentionis præcepta ad ſingula problemata accommodata, & vt ea nobis ob oculos ponat, more ſuo ea refert in typum: & primo loco ponit duos terminos, id eſt, α quod eſt attributum problematis, & ε, quod eſt ſubiectum problematis. Deinde his ſubiicit conſequentia, antecedentia, & repugnantia: quæ ſingula notat elementis, vt ſingula verba contextus facilè poſſint cum ipſo typo conferri. Sic ea quæ ſunt conſequentia ſiue attributa ipſi α, ſignificantur literâ β: & quæ ſunt antecedentia ſeu ſubiecto eidem α, notantur literâ γ: ac repugnantia eidem α, indicantur literâ δ. Ex altera parte τῷ ε conſequentia ſiue attributa notantur literâ ζ: ſubiecta ſiue antecedentia, literâ η: repugnantia, literâ θ: vt in ſequenti diagrammate intueri licet.

α	Problemæ	ε
β	Repugnantia	ζ
γ	Conſequentia	η
δ	Antecedentia	θ

Hinc habes nouem coniugationes: βζ, βη, βθ: γζ, γη, γθ: δζ, δη, δθ: quarum aliæ ſunt vtiles, & ſyllogiſticæ, aliæ inutiles, vt in ſequentibus particulis declarabitur. Vtiles ſunt ſex, γζ, γη, βη, δζ, βθ, δη: quarum prima concludit problema vniuerſale affirmans in Barbara: ſecunda particulare affirmans in Darapti: tertia particulare affirmans in Baralip (vulgò Baralipton) modo indirecto primæ figuræ: quarta vniuerſale negans in Celarent, vel Ceſare: quinta vniuerſale negans in Cameſtres: ſexta particulare negans in Felapton: vt ſequens diagramma oſtendit.

Proble-

Problema	Medius terminus.		Modus syllogisticus.
A	A. C	γ ζ	Barbara
I	A A	γ η	Darapti
	C. A	β η	Baralip
E	R. C	δ ζ	Celarent, Cesare
	C. R	β θ	Camestres
O	R. A	δ η	Felapton

Reliquæ tres coniugationes, βζ, γθ, δθ, sunt inutiles & ἀσυλλόγιστοι. Hæc omnia coniunctim proponuntur in typo, quem contextui subieci; nec est, cur hoc loco iterum describam.

6 *Si igitur.* Incipit eruere singulos syllogismos, id est, docere ex quibus probentur singula problematum genera: eruere, inquam, ex typo delineato: & vtens eo ordine, quo vsus est in primo capite, incipit à problemate vniuersali affirmante. quapropter hæc particula est conferenda cum part. 1. huius capitis. Ait igitur, si aliquod γ & aliquod ζ sint idem, id est, si vnus & idem terminus reperiatur, vbi γ, id est, inter antecedentia maioris extremi siue attributi problematis, item reperiatur, vbi ζ, id est, inter consequentia subiecti problematis: tunc ex hoc termino probari α de omni ε, nimirum in Barbara. veluti si inter boni antecedentia reperiatur expetendum, & inter voluptatis consequentia reperiatur idem expetendum: hoc sumpto pro medio termino, probabitur omnem voluptatem esse bonam: nimirum quia bonum attribuitur omni expetendo, quæ est maior propositio, & idem expetendum attribuitur omni voluptati, quæ est minor propositio: vnde colligitur, bonum attribui omni voluptati. Hunc syllogismum Aristoteles ex typo eruit, cùm ait, τὸ ζ, inesse omni ε, quæ est minor propositio, ac τὸ α inesse omni γ, quod perinde est, ac si dicamus omni ζ, quia supponimus idem esse γ & ζ: quare (inquit Aristoteles) τὸ α inest omni ε quæ est conclusio. Similis prorsus expositio est sequentium particularum: proinde eas breuiùs percurram.

7 *Si verò γ* Transgreditur ad problema particulare affirmans, de quo suprà in partic. 2. & ostendit hoc probari, (nempe in Darapti) si idem sit γ & η, id est, si idem terminus reperiatur, qui subiiciatur vtrique extremo. Confer cum partic. 2.

8 *Quòd si ζ.* Sequitur problema vniuersale negans, quod probatur duobus modis. Primus modus est, de quo suprà part. 3. cùm idem est δ & ζ, id est, cùm idem terminus repugnat maiori extremo, & attribuitur minori. nam ex hoc medio termino extruitur syllogismus in Cesare, vel Celarent, vt exposui ad dictam partic. 3. Quod ad verba attinet, explicandum est, quod ait Philosophus, probationem fieri per syllogismum: iam suprà exposui prosyllogismum esse syllogismum, quo probatur propositio aliqua syllogismi principalis. Ergo syllogismus principalis hoc loco est, quo sumitur α inesse nulli ζ, & ζ inesse omni ε: vnde concluditur in Celarent, α inesse nulli ε. prosyllogismus autem est, quo probatur maior propositio syllogismi principalis, hoc modo: α dicitur de nullo δ, & δ de omni ζ: Ergo α de nullo ζ.

9 *Rursus si β.* Sequitur alter modus probandi problema vniuersale negans, in Camestres, qui fuit expositus suprà in eadem tertia particula. Hoc modo vtimur, quando idem est β & θ, id est, cùm idem terminus attribuitur maiori extremo, & repugnat minori.

10 *Si verò δ.* Sequitur problema particulare negans, de quo suprà partic. 4. Hoc concluditur in Felapton, consequenter per conuersionem minoris in Ferio, si idem est δ & η, id est, si idem terminus repugnat maiori extremo, & subiicitur minori.

11 *Sin η & β.* Hactenus exposuit modos directò concludentes: nunc addit alium modum indirectè concludentem. nam si idem est β & η, non probatur α de omni ε, sed ε de omni α, & consequenter α de aliquo ε, quia vniuersalis affirmans in particularem conuertitur Etenim ε attribuitur omni η quod perinde est, ac si dicamus omni β, quia supponimus idem esse η & β. atqui β attribuitur omni α. proinde ε attribuitur omni α. Sed hoc non erat problema. nam è contrario quærebatur, an α diceretur de ε. verùm cùm ex eo syllogismo concludatur ε de omni α, consequenter concluditur α de aliquo ε, quod erat problema propositum. Si concludatur ε de omni α, syllogismus est in Barbara, quod non concluditur propositum, sed aliud quiddam. Si verò concludatur ε de aliquo α, syllogismus est indirectus, quem vulgò vocant Baralipton, vt in subiectis exemplis clariùs apparet.

Bar	Quicquid per β se expetitur, est	*Bar*	Quicquid per β se expetitur,

	ι voluptas:		ι eſt voluptas:
ba	α Omne bonum β per ſe expeti- tur: Ergo	al	α Omne bonum β per ſe expeti- tur: Ergo
ra	α Omne bonum ι eſt voluptas.	ip	ι Aliqua volu- α ptas eſt bona.

12 *Perſpicuum igitur.* Ex dictis colligit, totam inueniendi rationem conſiſtere in antecedentibus, conſequentibus, & repugnantibus; quæ ſpectantur ab vtraque parte problematis, id eſt, referuntur tam ad attributum, quàm ad ſubiectum problematis; numquàm ad vnum terminum, id eſt, ad ſolum attributum, vel ſolum ſubiectum; quia medius terminus connecti debet cum vtroque extremo. Imperfecta igitur eſt ea methodus, quæ ad vnum terminum refertur: vt ſi quis dicat argumentum ſumi ab antecedente, vel à conſequente, vel à repugnante. idem enim medius terminus in eodem ſyllogiſmo interdum eſt conſequens & antecedens, interdum conſequens & repugnans, interdum antecedens & repugnans. Non dico eam methodum eſſe falſam, aut prauam, ſed eſſe imperfectam, ſi eâ ſolâ vti velimus. Ariſtoteles igitur propoſuit nobis quinque inuentionis locos. Primus ab antecedente & conſequente probat problema vniuerſale affirmans in Barbara: Secundus ab eo quod antecedit vtrumque extremum, probat particulare affirmans in Darapti: Tertius à repugnante & conſequente probat vniuerſale negans in Celarent, vel Ceſare. Quartus à conſequente & repugnante probat vniuerſale negans in Cameſtres. Quintus à repugnante & antecedente probat particulare negans in Felapton. Atque hi ſunt quinque modi directi. quibus adiectus fuit vnus indirectus probans particulare affirmans ex conſequente & antecedente, in eo modo quem ſcholaſtici vocant Baralipton. hi verò omnes loci pertinent ad propoſitiones vniuerſales. quamuis enim etiam particulares in ſyllogiſmis locum habeant vt ſcilicet vna particularis ſit in vno ſyllogiſmo: tamen hæ ad copiam ſyllogiſmorum gignendam minùs valent, vt in præcedenti capite fuit expoſitum.

13 [*Cùm*] *autem.* Declarat, quænam conſequentia, vel antecedentia potiſſimùm ſumenda ſint, & ad inuentionem valeant. Et quemadmodum ſuprà prætulit propoſitiones vniuerſales particularibus, ita hic præfert conſequentia & antecedentia vniuerſalia particularibus. Primo igitur loco proponit regulam generalem, & communem tam antecedentibus, quàm conſequentibus, nempe ſumenda eſſe maximè vniuerſalia. Secundò cùm ait, *vtputà ex parte*, explicat eam regulam in conſequentibus τὸ ι, id eſt, minus extremum: & inquit reſpiciendum potiùs eſſe ad κζ, quàm ad ζ tantùm. τὸ ζ eſt conſequens ipſi ι minori extremo, vt & ſuprà acceptum fuit. τὸ κζ autem eſt genus τοῦ ζ: vocatur enim κζ, quia in ſe continet duas ſpecies, κ, & ζ, ergo τὸ κζ medium locum obtinet inter ι & ζ: nam eſt ſub ι, ſupra ζ. Tertiò cùm ait, [*ex parte*] *verò*, exponit eandem regulam in antecedentibus τοῦ α maioris extremi: & ait reſpiciendum eſſe potiùs ad κγ, quàm ad γ tantùm. τὸ γ eſt antecedens τοῦ α maioris extremi: ſic enim ſuprà accipiebatur: ergo etiam τὸ κγ eſt antecedens eiuſdem α, tamquàm genus τοῦ κ, & τοῦ γ: & collocatur inter α & γ, ita vt ſit ſub α, ſupra γ. Obſerua ſimilitudinem, & differentiam inter antecedens & conſequens. nam vtrumque accipitur quàm maximè ſumi poteſt vniuerſale. ſed antecedens quò propinquius eſt, eò magis: quò remotiùs, eò minùs eſt vniuerſalis. contrà conſequens, ſi eſt propinquius, eſt minùs vniuerſale: ſi remotius, magis vniuerſale, vt in ſequenti exemplo apparet.

α	ſubſtantia	
κγ	viuens	κζ
γ	animal	ζ
	homo	ι

Quartò cùm ait, *nam ſi τὸ α*, rationem affert, cur ex parte τοῦ ι potiùs reſpiciendum ſit ad κζ, quàm ad ζ: quia (inquit) ſi τὸ α attribuitur τῷ κζ, ſubſtantia viuenti, etiam attribuetur τῷ ζ animali, & τῷ ι homini. ſed etſi non attribuatur τῷ κζ, tamen fortaſſe attribuitur τῷ ζ & τῷ ι. Ergo vtilior eſt terminus vniuerſalis κζ: quoniam hinc fit propoſitio vniuerſalis, quæ vi & poteſtate quadam continet in ſe particularem, nec ab ea continetur. verbi gratiâ, ſi ſumis hanc propoſitionem, omne viuens eſt ſubſtantia, quodammodo ſumis etiam hanc, omne animal eſt ſubſtantia: quandoquidem animal continetur ſub viuente: & qui dicit omne viuens, non excludit animal: ſed ſi ſumas hanc, omne animal eſt ſubſtantia, non proptereà dicis omne viuens eſſe ſubſtantiam: quemadmodum cùm dicimus omne animal ſentire: quia multa dicimus omne viuens ſentire: quia multa dicuntur vniuerſaliter de ſpecie, quæ non attribuun-

tribuuntur, vniuerſaliter generi. Quartò cùm ait, *ſimilis ratio* [*eſt*,] docet eandem eſſe rationem ex parte τῦ α, id eſt, cur ſumatur potiùs antecedens κγ, quàm γ: videlicèt quia κγ, eſt magis vniuerſale, quàm γ. quare ſi τὸ α attribuitur τῷ κγ, attribuitur etiam τῷ γ: poteſt tamen attribui τῷ γ, licèt non attribuatur τῷ κγ. exempli causâ, ſubſtantia attribuitur omni viuenti, ergo etiam omni animali: ſenſus autem attribuitur omni animali, non omni viuenti. Denique cùm τὸ γ ſit pars τῦ κγ: ſumens τὸ κγ, quodammodo ſumit etiam γ: non contrà. Ait igitur, eandem eſſe rationem *in iis quibus ipſum eſt conſequens*, id eſt, in antecedentibus τῦ α, ſeu quæ τὸ α conſequitur. *nam ſi* [*ſequitur*] *prima*, id eſt, ſi τὸ α eſt conſequens, & attribuitur ſuis proximis antecedentibus, (vt τῷ κγ) *etiam ſequitur illa* antecedentia interiora, (vt τὸ γ) *quæ ſub his* proximis antecedentibus (vt ſub κγ) continentur. *quòd ſi* (τὸ α) *non* [*ſequitur*] hæc prima antecedentia, *tamen poteſt ea* inferiora ſequi, id eſt, iis attribui. (vt τῷ γ) *quæ ſub his* proximis antecedentibus [*ponuntur*,] veluti ſub κγ.

14 *Conſtat etiam.* Docet, hanc inueniendi rationem, quam expoſuimus, conſiſtere in tribus terminis, vt duabus propoſitionibus: quia duo ſunt termini in problemate: deinde additur terminus, qui idem eſt ab vtroque latere, id eſt, refertur & ad attributum & ad ſubiectum, tamquàm conſequens, vel antecedens, vel repugnans nam etſi ſumebamus antecedens, vel conſequens, vel repugnans τῷ α; & antecedens, vel conſequens, vel repugnans τῷ ε: non tamen ſumebamus duo antecedentia, vel duo conſequentia, &c. ſed dicebamus idem eſſe antecedens & conſequens, vel repugnans & conſequens, &c Ergo veritas veritati ſemper conſentanea eſt: & quemadmodum ſuprà oſtendimus omnem ſyllogiſmum ſpectari in tribus terminis, & duabus propoſitionibus; ita nunc oſtenſum eſt, rationem inuentionis ſpectari ſimiliter in tribus terminis, & duabus propoſitionibus.

15 *Et in prædictis.* Oſtendit expoſitam inueniendi rationem pertinere ad tres figuras antea expoſitas: ita vt quicumque ſyllogiſmi hac ratione inueniantur, ad aliquam ex illis figuris referantur. Et primò hanc ſententiam generaliter proponit. Secundò cùm ait, *Oſtenditur enim*, incipit eam ſententiam per partes confirmare, facto initio à problemate vniuerſali affirmante, quod tunc probatur, cùm idem eſt γζ, adeo vt hoc ſumatur pro medio termino & extruatur ſyllogiſmus in prima figura, nempe in Barbara. Tertiò cùm ait, *Alicui verò*, tranſit ad problema particulare affirmans, quod probatur, cùm idem eſt γ & η, quod pro medio termino accipitur, ita vt fiat ſyllogiſmus in tertia figura, nempe in Darapti. Quartò cùm ait, *Nulli autem*, tranſit ad problema vniuerſale negans, quod tunc probatur, cùm idem eſt δ & ζ, quod pro medio termino ſumitur vel in prima figura, id eſt, in Celarent, vel in ſecunda, id eſt, in Ceſare cùm enim δ ſit repugnans, ita vt æquè poſſit negari δ de α, & α de δ, quoniam propoſitio vniuerſalis negans reciprocatur: ſi α negetur de δ, & δ affirmetur de ε, ſyllogiſmus extruetur in Celarent ſi verò δ negetur de α, & affirmetur de ε, ſyllogiſmus fiet in Ceſare. Hoc loco Ariſtoteles breuitatis causâ prætermiſit alterum modum probandi problema vniuerſale negans, nempe cùm idem eſt β & θ, quod pro medio ſumptum efficit ſyllogiſmum in ſecunda figura, id eſt, in Cameſtres. Quintò cùm ait, *Alicui non ineſſe*, tranſit ad problema particulare negans, quod tunc probatur, cùm idem eſt δ & η, quo accepto pro medio termino erigitur ſyllogiſmus in tertia figura, id eſt, in Felapton. Sextò cùm ait, *Perſpicuum igitur*, concludit omnes ſyllogiſmos hac methodo inuentos referri ad tres figuras.

16 *Item non.* Oſtendit, quod ſe oſtenſurum pollicitus eſt in vlt. partic. cap. præcedentis, id quod omnibus rebus eſt conſequens, non eſſe eligendum, quia non valet ad efficiendum ſyllogiſmum, cùm non poſſit accipi pro medio termino, neque in ſyllogiſmo affirmatiuo neque in negatiuo, id eſt, non poteſt inferre concluſionem, nec affirmantem, nec negantem. non affirmantem: quia quod tantùm eſt conſequens, non antecedẽs, efficit ſecundam figuram, in qua non poteſt probari concluſio affirmatiua. non negãtem: quia eiuſmodi terminus in vtraque propoſitione affirmabatur: ex duabus autem propoſitionibus affirmantibus nõ poteſt probari concluſio negans, vt didicimus ex 3. part. cap. 24.

17 *Perſpicuum quoque.* Cùm ſuprà docuerit coniugationes vtiles (coniugationes appello, quibus conſequentia, antecedentia, & repugnantia maioris extremi conferuntur cum conſequentibus, antecedentibus, & repugnantibus minoris extremi; ita vt inueniatur aliquis terminus, qui vnus & idem ab vtroque latere collocetur) cùm inquam, expoſuerit coniugationes vtiles, id eſt, quinque directas γζ, γη, δζ, βθ, & δη, & vnam indirectam βη: nunc exponit reliquas coniugationes, quæ ſunt inutiles, nec ad ratiocinandum valent: hæ verò ſunt, βζ, γθ, & δθ: ex quibus oſtendit non poſſe confici ſyllogiſmum. Primò igitur generaliter ait, te-

liquas coniugationes, præter sex suprà expositas, esse inutiles. Secundò cùm ait, *veluti si vtrique*, enumerat has coniugationes inutiles, id est, tres illas, quas modò dixi. Tertiò cùm ait, *Nam si consequentia*, incipit singillatim ostendere has esse inutiles, facto initio à coniugatione $\beta \zeta$. nam si idem est β & ζ, id est, si idem terminus attribuitut vtrique extremo, fiet syllogismus in secunda figura ex ambabus propositionibus affirmantibus: ergo inutilis, non verus syllogismus. Quartò cùm ait, [*sin eadem*,] ostendit nihil concludi, si idem sit γ & θ: quia hic terminus subiicietur maiori extremo, & negabitur de minori: erit igitur prima figura ex minore negante: proinde nihil concludetur. Quintò cùm ait, *si verò* [*eadem*,] ostendit nihil concludi, si δ & θ sit idem ambæ propositiones negabunt contra regulam generalem, & omnibus syllogismis communem.

18 *Liquet etiam.* Termini $\zeta \gamma \delta$, id est, consequentia, antecedentia, & repugnantia maioris extremi, non vno modo conferri possunt cum $\zeta \eta \theta$, id est, cum consequentibus, antecedentibus, & repugnantibus minoris extremi: vel enim ita conferuntur, vt dicantur esse eadem, sicut hactenus Aristoteles fecit: vel vt dicantur esse diuersa, aut etiam contraria. Ne quis igitur putet, præter traditam methodum posse aliam excogitari, qua syllogismi inueniantur, puta si ζ & ζ sint contraria, vel diuersa: idcirco Aristoteles nunc vult ostendere non esse aliam methodum quærendam, præter eam, quam suprà exposuit: idque hoc argumento probat, quòd medius terminus debet esse vnus & idem in vtraque propositione, non autem debent esse duo termini diuersi, aut contrarij. Cùm igitur tota inuentio referatur ad medium terminum; qui in β, vel γ, vel δ, refertur ad maius extremum; & in ζ, vel η, vel θ, refertur ad minus extremum: necesse est, hæc sumi eadem, non diuersa. Exemplo fiet res perspicua. si idem sit γ & ζ, idem terminus subiicietur maiori extremo, & attribuetur minori: sic fiet syllogismus in Barbara. sed si γ & ζ sint diuersa, vel contraria: duo sunt termini, quorum ille subiicietur maiori extremo, hic attribuetur minori: ergo erit syllogismus in quatuor terminis, $\alpha, \epsilon, \gamma, \zeta$: quod fieri non posse, didicimus ex cap. 24.

19 *Deinde in quibus.* Soluit obiectionem, qua videtur probari noua illa inuentionis methodus, qua non sumuntur eadem, sed contraria, seu (quod idem valet) ea quæ non possunt eidem inesse: nam contrariorum hæc est natura, vt non possint eidem simul inesse. Obiectio est: quia sunt quædam coniugationes, in quibus si sumantur contraria, syllogismus inde eruetur: ergo videtur dari noua methodus. Respondet Aristoteles, talem methodum esse inutilem: quia nihil valet, nisi quatenus ad nostram methodum refertur, & in ea continetur.

20 *Vt si τὸ ζ.* Quod in præcedente particula generaliter docuit, duobus exemplis confirmat in duabus sequentibus particulis. Et primùm in hac particula ostendit, si ζ & ζ sint contraria, inde colligi syllogismum probantem in Camestres α nulli ϵ attribui: quia hæc coniugatio, qua $\beta \zeta$ dicuntur contraria, refertur ad illam coniugationem, qua diximus idem esse β & θ. nam si ζ & ζ sunt contraria, ita vt non possint eidem inesse: cùm sumamus ζ, tamquam consequens, quod inest ipsi ϵ: apparet, β non posse attribui eidem ϵ: alioquin vtrumque, id est & ζ & ζ, inesset eidem ϵ, contra hypothesim. quapropter ζ idem est, quod θ: quia vbi θ, posuimus omnia repugnantia, quæ non possunt inesse ipsi ϵ.

21 *Rursus si τὸ ζ.* Sequitur alterum exemplum. nam si ζ & η sunt contraria, inde probatur α non inesse alicui ϵ. hoc enim ita probatur: τὸ ζ inest omni α: idem ζ inest nulli η: ergo τὸ α inest nulli η: consequenter alicui ϵ, non inest; quia in nostro typo η ponitur quasi species τοῦ ϵ. Maior patet ex typo: quia ζ est consequens ipsi α. Minor patet ex hypothesi: quia supponebamus ζ & η esse contraria. Apparet igitur, conclusionem posse colligi ex eo, quòd ζ & η sunt contraria. Sed hoc ideò fit, inquit Aristoteles. quia ζ, idem est cum aliquo θ. cùm enim supponimus, ζ non inesse nulli η, proinde negari de aliquo ϵ: nihil aliud sumpsimus, quàm ζ esse idem cum aliquo θ; quoniam vbi θ, ponebamus omnia repugnantia, quæ negantur de ϵ.

22 *Perspicuum igitur.* Ostendit Philosophus, eos, qui sumunt terminos contrarios, quasi vtiles ad inueniendos syllogismos, ideo errare, quòd non intelligunt hanc methodum à contrariis sumptam contineri sub nostra methodo antea exposita, vt in primo exemplo, de quo in partic. 20. sumunt β & ζ esse contraria, non animaduertentes se hoc modo sumere idem esse $\zeta \theta$.

IN CAP. XXIX. DE SYLLOGISMIS DVCENTIBVS AD INCOMMODUM, & de reliquis hypothecis, nec non de coniugationibus vtilibus ex hypothesi, & de attributionibus modificatis.

Super-

Superiori capite exposuit inuentionis methodum accommodatam syllogismis categoricis & puris: nunc vult ostendere eandem obtinere etiam in aliis syllogismorum generibus, vt in hypotheticis, & modificatis, & obiter mentioni syllogismorum hypotheticorum adiicit coniugationes quasdam, quæ in ante delineato typo spectantur, vtiles ex hypothesi, id est, ratione materiæ, non formæ, vt posteriùs explicabo. Hoc caput diuiditur in quinque partes. Primùm enim vsque ad partic. 6. loquitur de syllogismis ducentibus ad incommodum. Secundò in partic. 6. & 7 de aliis syllogismis hypotheticis. Tertiò in particula 8. de coniugationibus ex hypothesi vtilibus. Quartò in particula 9. 10. & 11. de syllogismis modificatis. Postremò in particula 12. concludit expositam methodum valere ad omnes syllogismos inueniendos, nec præter eam esse aliam methodum.

1 *Eodem autem.* Producit suprà traditam inuentionis methodum ad syllogismos ducentes ad impossibile, duplici argumento. quorum prius est: quoniam etiam hi syllogismi fiunt ex antecedentibus, & consequentibus. supple, & repugnantibus. posterius est: quia eadem est consideratio in syllogismis categoricis, & in ducentibus ad impossibile, cùm vtrique fiant ex iisdem tribus terminis. Primò igitur Aristoteles ponit hanc conclusionem, quòd eadem methodo inueniuntur syllogismi ducentes ad impossibile, qua categorici. Deinde cùm ait, *nam hi quoque*, ponit prius argumentum. Tertiò cùm ait, *eademque [est,]* ponit alterum argumentum. Hæc duo argumenta in syllogismos ita digeri possunt: Primò omnes syllogismi, qui conficiuntur ex antecedentibus, consequentibus & repugnantibus, inueniuntur suprà expositâ methodo: atqui ducentes ad impossibile, conficiuntur ex antecedentibus, & consequentibus, & repugnantibus: ergo inueniuntur suprà expositâ methodo. Secundò, omnes syllogismi, qui fiunt secundùm eandem considerationem, & in iisdem terminis, secundùm quam & in quibus fiunt categorici, hi (inquam) omnes inueniuntur dictâ methodo: atqui tales sunt, qui ducunt ad impossibile: ergo & hi inueniuntur dictâ methodo. Horum syllogismorum maiores propositiones omittuntur in contextu, tamquàm manifestæ: minor prioris syllogismi ponitur in secundo membro particulæ: minor autem posterioris in tertio membro: communis conclusio, in primo membro.

2 *Verbi causâ.* Probat minorem propositionem prioris syllogismi, id est, syllogismos ad impossibile ducentes sumi ex consequentibus, antecedentibus, & repugnantibus: probat, inquam, per inductionem. Ac primò proponit exemplum syllogismi ducentis ad impossibile, quo probatur problema vniuersale negans, retentis terminis suprà in inuentionis diagrammate propositis. Probatur ergo nullum ε esse α, seu α dici de nullo ε: quia si α dicatur de aliquo ε, absurditas sequetur. Syllogismus itaque ad impossibile ducens, ita extruitur: Omne α est β: aliquod ε est α: ergo aliquod ε est β. Maior patet ex inuentionis diagrammate, in quo β ponebatur tamquàm consequens ipsi α. Minor ponitur ab aduersario, & volumus eam euertere, vt probemus contradictionem id est, nullum ε esse α. Conclusionis absurditas & falsitas apparet: quia supponimus, β & θ idem esse. Atqui in diagrammate illo τὸ θ repugnabat ipsi ε: ergo τὸ β repugnat eidem ε, & falsò affirmatur de aliquo ε. Falsa igitur est conclusio: ergo falsa est aliqua propositio. sed vera est maior: ergo falsa minor: vera igitur est contradictio: quod erat probandum. Sic apparet, hanc argumentationem spectari in consequentibus, antecedentibus, & repugnantibus: & in eo consistere, quòd τὸ β est consequens ipsi α, & τὸ θ repugnat ipsi ε: idem autem est β & θ. Exemplum in terminis realibus tale esto: Volo probare nullam voluptatem esse bonam: quia nisi hoc concedatur, ex contradictoria colligetur absurdum, facto syllogismo in Darij. Omne enim bonum est expetendum: atqui, per aduersarium, aliqua voluptas est bona: ergo aliqua voluptas est expetenda. Finge autem suppositum esse, nullam voluptatem esse expetendam.

Secundò cùm ait, *Rursus [probatur,]* affert alterum exemplum, quo probatur problema particulare affirmans, id est, aliquod ε esse α: quia datâ contradictione sequitur absurdum in Celarent, argumento sic extructo. Nullum ε est α: omne ζ est ε: ergo nullum ζ est α. Maior ponitur ab aduersario: & volumus eam euertere. Minor apparet ex typo inuentionis. Conclusionis falsitas ex eo apparet, quòd supponimus idem esse γ & ζ: vnde, cùm omne γ sit α, vt ex typo apparet, fieri non potest, vt ζ, quod idem est cum γ, non sit α. Exemplum in terminis realibus hoc esto: Vt probem aliquod animal esse album, sumptâ contradictione sic argumentor: Nullum animal est album: omnis cygnus est animal: ergo nullus cygnus est albus. Conclusio est falsa & contra hypothesim: minor autem est vera: ergo falsa est maior, nullum animal esse album: vera igi-

tur est contradictio, aliquod animal esse album: quod erat probandum. Tertiò cùm ait, *Similiter [fit,]* generalibus verbis ait eandem esse rationem omnium aliorum syllogismorum ducentium ad impossibile, atque ita perficit inductionem: quia non potuit singillatim omnes syllogismos ad impossibile ducentes enumerare, quod esset laboris infiniti.

3 *Ac [sanè]* Nunc probat minorem propositionem posterioris syllogismi proposiri in prima part. id est, syllogismos ducentes ad impossibile fieri secundùm eandem inspectionem, & in iisdem terminis, in quibus fiunt syllogismi categorici. probat autem eodem modo, quo suprà probauit minorem prioris syllogismi, id est, per inductionem. Ac primò generaliter proponit hanc sententiam. Secundò cùm ait, *Exempli gratiâ*, proponit exemplum, in quo idem problema probatur tam per impossibile, quàm categoricè in iisdem terminis. Atque hoc exemplum dupliciter expendit. Primùm enim incipiens à syllogismo per impossibile, eum resoluit in categoricum. Deinde ibi, *Rursus ostensiuè*, incipit à categorico, & eum resoluit in syllogismum ducentem ad impossibile. & vtroque modo apparet, vtrumque syllogismum fieri ex iisdem terminis. Exemplum igitur tale est.

Syllogismus ducens ad impossibile.		*Syllogismus categoricus.*	
Da	Omnis homo est animal:	*Cam*	Omnis homo est animal:
ri	Aliqua planta est homo:	*es*	Nulla planta est animal:
	Ergo		Ergo
j	Aliqua planta est animal.	*tres*	Nulla planta est homo.

Tertiò cùm ait, *Similiter [fit.]* generaliter ait eandem esse rationem omnium aliorum syllogismorum ducentium ad impossibile, quia semper necesse est accipere communem aliquem terminum, id est medium terminum, qui dicitur communis vtrique extremo, quatenus ad vtrumque aliquo modo refertur: quia cùm maiori extremo connectitur in maiori propositione, & cùm minori in minore propositione: necesse est, inquam, accipere aliquem terminum diuersum à terminis subiectis, id est, à terminis propositis in problemate, nempe à maiori & minori extremo. Ad quem medium terminum refertur syllogismus ducens ad impossibile, id est, quem medium terminum ponemus in conclusione syllogismi ducentis ad impossibile. Nec obstat, quod dici solet, medium terminum non ingredi conclusionem. nam ea regula intelligitur de eo syllogismo, in quo medius terminus est. Sed in præsentia dicitur medius terminus respectu syllogismi categorici, cuius conclusionem non ingreditur: sed ponitur in conclusione alterius syllogismi, id est, ducentis ad impossibile, in quo non accipitur pro medio termino, sed pro maiori extremo: ideòque rectè ingreditur conclusionem: & syllogismus ad impossibile ducens, dicitur ad eum referri, tamquàm ad maius extremum. cùm enim propriè loqui volumus, dicimus syllogismum esse maioris extremi de minori extremo ex medio termino, vt in exemplo antea proposito, *B*, siue animal, quod erat medius terminus in Camestres syllogismo categorico, accipiebatur pro maiori extremo in Darij ducente ad impossibile. Quartò cùm ait, *Quare conuersâ*, ex dictis colligit conclusione in contradicentem mutatâ, retentis iisdem terminis, fieri ex syllogismo ducente ad impossibile, syllogismum categoricum. Ait igitur, *conuersâ hac propositione*, id est, conuersâ conclusione in contradicentem, & hac accepta pro minore propositione, (ideò namque vocat propositionem, quia fit propositio in syllogismo categorico, cùm esset conclusio in eo qui ducit ad impossibile) *alterâ verò propositione eadem manente*, id est, retentâ eadem maiore, fore syllogismum categoricum *ex iisdem terminis*, ex quibus erat ducens ad impossibile. Vt in exemplo antea dato, conclusio syllogismi ducentis ad impossibile hæc erat, aliqua voluptas est expetenda: hanc conuerto in contradictoriam, & sumo pro minore in Camestres, nulla voluptas est expetenda: & addo maiorem, quam & in priori syllogismo erat maior, omne bonum est expetendum: vnde concludo, nullam voluptatem esse bonam: quod erat probandum.

4 *Differt autem.* Cùm docuerit similitudinem syllogismi categorici, & ducentis ad impossibile: nunc docet eorum differentiam, quæ aliquo modo valet ad probandum, quod suprà dictum & probatum est, syllogismos ducentes ad impossibile inueniri eâdem methodo, qua inueniuntur categorici. Ait enim Aristoteles, hos syllogismos eò differre: quòd in categorico ambæ propositiones ponuntur secundùm veritatem, id est, sumuntur tamquàm veræ: in eo verò, qui ducit ad impossibile, vna sumitur tamquam falsa, nempe ea, quam volumus euertere per deductionem illam ad impossibile. quasi diceret Aristoteles, hoc tantùm esse

inter

inter hos syllogismos discrimen, reliqua esse eadem: proinde eosdem esse terminos, & eandem inueniendi methodum.

5 *Hæc igitur.* Diligentiorem syllogismorum ad impossibile ducentium expositionem reiicit in suum locum, id est, in sequentem librum, in cuius capitib. 11. 12. & 13. docebit quomodo fiat deductio ad impossibile in tribus figuris, & in cap. 14. accuratiùs conferet syllogismos ducentes ad impossibile cum categoricis: nunc verò tantùm quædam delibauit, quatenus necessarium fuit ad probandum, omnes syllogismos eadem methodo inueniri.

6 *Quod attinet.* A syllogismis ducentibus ad impossibile, qui sunt species syllogismorum hypotheticorum, vt docuit suprà cap. 23. transit ad alios hypotheticos, quos eâdem methodo inueniri docet: ita tamen, vt inuentio referatur, non ad terminos initiò positos, sed ad transsumptos. & exempli gratia proponit duo syllogismorum hypotheticorum genera: quorum alterum vocat κατὰ μετάληψιν, id est, secundum transsumptionem: alterum, κατὰ ποιότητα, id est, secundùm qualitatem. Hæc omnia sunt valde obscura: quoniam etiamsi Philosophus in sequenti particula fateatur, accuratiùs explicandos esse, & in sua genera diuidendos syllogismos hypotheticos, tamen vel id postea non præstitit, vel iniuria temporum perierunt, quæ hac de re conscripsit. tantùm in Topicis habemus locos quosdam, quorum cognitio confert ad huiuscemodi syllogismos. Sed nec Theophrasti liber, quem de syllogismis hypotheticis conscripsit, ad eos peruenit: ex quo nonnulla referunt Alexander & Philoponus. Recentiores autem scriptores admodum imperfectè hos syllogismos docuerunt, nec omnia eorum genera declararunt. Nunc breuiter attingam summa rerum capita, quatenus ad hunc contextum intelligendum necessaria sunt. Inprimis placet Theophrasti diuisio syllogismos hypotheticos distribuentis in eos qui constant ex vtraque propositione hypothetica, & eos qui constant ex altera hypothetica & altera categorica: nam & hi meritò vocantur hypothetici, non categorici: quia in syllogismis semper spectatur deterior pars. Sic negantes vocamus eos, qui constant ex altera propositione affirmante & altera negante: eos verò affirmantes, quorum vtraque propositio affirmat. Syllogismi omnino hypothetici fiunt quidem in tribus figuris: sed in prima & secunda sunt similes categoricis, in tertia verò longè differunt. Sed quoniam horum in præsentia Philosophus mentionem non facit, omnia genera proposui cap. 11. Institutionum Logicarum: in præsentia sufficiat hoc vnum exemplum simile syllogismo categorico in Barbara: Si est animal, est viuens: si est homo, est animal: ergo si est homo, est viuens. Syllogismi verò mixti, id est, constantes ex categorica & hypothetica propositione, subdiuiduntur in duo genera, quorum mentio fit in contextu. quidam enim vocantur secundùm transsumptionem, alij secundùm qualitatem. Transsumi dicitur terminus, cùm ex propositione hypothetica transfertur in categoricam, ita vt categorica nullum nouum terminum hypotheticæ adiiciat, sed terminum in ea hypotheticè positum sumat & categoricè enunciet, id est, affirmet; aut neget. Tales autem sunt syllogismi, qui vulgò vocantur hypothetici: & partim sunt coniuncti, seu conditionales, (veluti, Si est homo, est animal, atqui est homo: ergo est animal: vbi terminus transsumptus est homo) partim disiuncti, veluti, Aut est dies, aut nox: sed est dies: ergo non est nox: vbi dies, est terminus transsumptus. Syllogismos autem secundum qualitatem (vt opinor) Aristoteles vocat, quos Theophrastus κατὰ πρόσληψιν, id est, secundùm assumptionem, nominauit. hi verò sunt, qui fiunt per comparationem in aliqua qualitate, id est, in aliquo accidente, (sæpe enim qualitatis appellatione significatur quoduis accidens) siue sumatur à maioribus, siue à minoribus, siue à paribus, siue à similibus, siue à dissimilibus: in his enim syllogismis non transfertur terminus ex propositione hypothetica in categoricam, sed nouus terminus in categorica assumitur, & in conclusione quoque ponitur, qui non fuit positus in hypothetica: veluti, Vbi est cadauer, ibi congregantur aquilæ: atqui in agro est cadauer: ergo in agro congregantur aquilæ. Item, Qualis est Socrates, talis est Plato: atqui Socrates est philosophus: ergo & Plato est Philosophus. Item, Rectiùs fuit constituta respublica Spartanorum, quàm Atheniensium: atqui in illa fuerunt quædam vitia: ergo multò magis in hac. Item, Magis valent consilio senes, quàm iuuenes: atqui senes sæpe aberrant: ergo multò magis iuuenes. Omnes hi syllogismi hypothetici, cuiuscumque generis sint, inueniuntur suprà expositâ methodo: quæ tamen refertur ad terminos transsumptos, non ad terminos initiò positos. Quod diximus transsumptos, supple, vel assumptos. Huius loci expositio pendet ex iis quæ dicta fuerunt dicto cap 23. quia principalem conclusionem non probamus syllogismo,

sed per hypothesim si quid aliud sit: illud, *aliud*, nunc vocamus transsumptum, vel assumptum: & illud ipsum debet syllogismo probari, syllogismo (inquam) categorico data methodo inuento. Exempli gratiâ, cùm dico, Aut est dies, aut nox; atqui est dies; ergo non est nox: non probaui categorice non esse noctem, sed sub hypothesi si non sit dies. huc igitur transfertur disputatio: & probandum est categoricè, non esse diem. Ad hoc autem probandum vtemur exposita inuentionis methodo, qua vtimur in omnibus syllogismis categorice extruendis.

7 *Considerare autem.* Quia mentionem fecit syllogismorum hypotheticorum: ne quis putet eos esse satis expositos, atque eos esse diligentiùs explicandos, & in sua genera diuidendos, quod tamen (vt dixi) vel ipse non præstitit, vel eius hac de re tractatus intercidit.

8 *Sic igitur.* Cùm suprà exposuerit omnes coniugationes, quæ simpliciter valent ad inueniendos syllogismos, qui per eas fiunt syllogismi obseruatis regulis trium figurarum: nunc docet esse quasdam coniugationes vtiles ex hypothesi: quarum duo exempla affert, pertinentia ad tertiam figuram. Nos autem possumus addere alia exempla referenda ad secundam figuram. Vt autem hæc planiùs intelligantur, notandum est, in secunda figura regulariter non posse argui ex duabus propositionibus affirmantibus: interdum tamen ratione materiæ rectè argui, nempe si maior propositio vniuersalis simpliciter reciprocetur, quia constet ex terminis conuertibilibus. Nam si propositio vniuersalis affirmans semper posset simpliciter conuerti, possemus semper argumentari in secunda figura ex duabus affirmantibus: maiore enim propositione conuersâ, ex secunda figura fit prima. sed quia propositio vniuersalis affirmans solet conuerti per accidens, id est, in particularem, in prima autem figura maior debet esse vniuersalis: ideirco in secunda figura nihil concluditur ex duabus affirmantibus, nisi maior ratione materiæ reciprocetur. Exempli gratiâ, ex his propositionibus, Omnis homo est animal, Omnis equus est animal, nihil concluditur: quia nec affirmatio colligi potest, cùm equus non sit homo: nec negatio, cùm ambæ propositiones affirment. Hic autem syllogismus rectè concludit, Omne animal est sensu præditum, omnis homo est sensu præditus, ergo omnis homo est animal; quia maior constat ex terminis conuertibilibus, & per eius conuersionem reducitur syllogismus ad Barbara, hoc modo, Omne sensu præditum est animal, omnis homo est sensu præditus, ergo omnis homo est animal. Hæc de secunda figura. Similiter in tertia figura regulariter conclusio est particularis, etiamsi ambæ propositiones sint vniuersales, propterea quòd resoluitur in primam figuram per conuersionem minoris: licèt enim interdum conuertatur maior: tamen id ita fit, vt ex maiore fiat minor, transpositis propositionibus, vt contingit in Disamis) ea verò minor in tertia figura semper affirmat: proinde siue sit vniuersalis, siue particularis, conuertitur in particularem: consequenter etiam conclusio est particularis. Si igitur contingat eam minorem esse vniuersalem, & ratione materiæ conuerti simpliciter, nempe quia constet ex terminis conuertibilibus: tunc rectè colligemus in tertia figura conclusionem vniuersalem: quia minore simpliciter conuersâ, syllogismus resoluetur vel in Barbara, vel in Celarent. Exempli gratiâ, Nullus homo est lapis, omnis homo est rationalis, ergo nullum rationale est lapis. conuerte minorem: erit syllogismus in Celarent, Nullus homo est lapis, omne rationale est homo, ergo nullum rationale est lapis. Rursus rectè sic arguitur in tertia figura, Omnis homo est animal, omnis homo est rationalis, ergo omne rationale est animal: quia per minoris conuersionem simplicem (potest autem ratione materiæ simpliciter conuerti) syllogismus resoluitur in Barbara, hoc modo: Omnis homo est animal, omne rationale est homo, ergo omne rationale est animal. Quoniam igitur eiusmodi syllogismi non concludunt secundùm generales regulas syllogismorum, sed ex hypothesi, id est, hoc supposito, quòd maior, vel minor propositio simpliciter reciprocetur: ideirco etiam in methodo inuentionis sunt quædam coniugationes vtiles ex hypothesi; ex quibus scilicèt extruemus syllogismos in secunda figura probantes conclusionem affirmatiuam, vel in tertia probantes vniuersalem: aut extruemus syllogismos in prima figura per conuersionem maioris, vel minoris, vt exposui. Huc Aristoteles respiciens, declarat nobis duas coniugationes pertinentes ad tertiam figuram: quarum prior valet ad conclusionem vniuersalem affirmantem, posterior ad conclusionem vniuersalem negantem. His præmunitis, accedamus ad explicationem contextus.

Primò Aristoteles ait singula problemata sic probari, id est, simpliciter ad problemata probanda valere eas coniugationes, quæ suprà expositæ fuerunt. Secundò cùm ait, *Sed &*

Sed & alio, inquit alio etiam modo posse quædam problemata concludi, nempe affirmantia posse concludi in secunda figura, & vniuersalia in tertia. Quia verò Aristoteles in sequentibus verbis tantùm loquetur de problematis vniuersalibus in tertia figura probandis, addamus nos hoc loco, quæ ad secundam figuram pertinent. Cùm igitur suprà dictum fuerit coniugationem βζ esse inutilem, id est, nihil concludi, si idem sit β & ζ, hoc est, si idem sit consequens vtrique extremo: nunc dico hanc coniugationem esse vtilem ex hypothesi, nempe si β attribuatur omni & soli α, adeo vt cum eo reciprocetur. Exemplum reale suprà attuli: nunc subiiciam exemplum syllogismi confecti ex elementis quæ sunt in inuentionis diagrammate Aristotelico.

A	Omne α est βζ:	Bar	Omne βζ est α:
A	Omne ι est βζ:	ba	Omne ι est βζ:
	Ergo		Ergo
A	Omne ι est α:	ra	Omne ι est α.

Eadem ratio est, si minor sumatur particularis. Sicut enim præcedens syllogismus reducebatur ad Barbara ita hic reducetur ad Darij, vt in sequenti exemplo:

A	Omne animal est sensu præditum:	Da	Omne sensu præditum est animal:
I	Aliqua substantia est sensu prædita: Ergo	ri	Aliqua substantia est sensu prædita: Ergo
I	Aliqua substantia est animal.	i	Aliqua substantia est animal.

Tertiò Aristoteles, cùm ait, *vt vniuersalia*, accedit ad proponenda exempla coniugationum vtilium ex hypothesi: & ait, interdum problemata vniuersalia per inspectionem particularem concludi ex hypothesi. *Per inspectionem particularem*, id est, per eas coniugationes, quas suprà diximus valere ad probandum particulare, non vniuersale: hæ verò erant, γη, & δη. *Ex hypothesi*, id est, si supponatur medium terminum conuerti cum minori extremo. Quartò cùm ait, *namsi γ*, dat exemplum coniugationis vtilis ex hypothesi, nempe si γ & η sit idem. nam simpliciter quidem valet ad probandum particulare affirmans in Darapti, vt suprà exposuimus. ex hypothesi verò, id est, si supponatur ι dici de solo η, adeo vt ι & η reciprocentur, concludetur vniuersale affirmans; quia per conuersionem minoris syllogismus resoluetur in Barbara. Exemplum reale suprà proposui: nunc subiiciam exemplum ex elementis Aristotelicis, vt hæc doctrina typo inuentionis possit accommodari.

a	Omne γη est α:	Bar	Omne γη est α
a	Omne γη est ι:	ba	Omne ι est γη:
	Ergo		Ergo
a	Omne ι est α.	ra	Omne ι est α.

Quintò, cùm ait, *Rursus si δ*, dat simile exemplum syllogismi negantis nam si idem sit δ & η: simpliciter potest concludi particulare negans in Felapton. ex hypothesi verò, id est, si supponamus ι attribui soli η, adeo vt hi duo termini reciprocentur, rectè concludetur vniuersale negans: quia per minoris conuersionē fiet resolutio in Celarēt. suprà dedi exemplum in rebus ipsis: nunc idem faciam in elemētis.

e	Nullum δη est α:	Ce	Nullum δη est α:
a	Omne δη est ι:	la	Omne ι est δη:
	Ergo		Ergo
e	Nullum ι est α.	rent	Nullum ι est α.

Sextò, cùm ait, *Apparet igitur*, concludit has coniugationes ex hypothesi vtiles, non esse aspernandas.

9 *Eodem modo*. Docet, eâdem methodo inueniri syllogismos modificatos, qua diximus inueniri syllogismos puros. Hoc autem ex eo probat, quòd tota inuentio refertur ad terminum, id est, ad medium terminum: syllogismi autem modificati & puri non differunt ratione terminorum, sed tantùm ratione modi adiecti, vel detracti: hæc enim propositio est pura, omnis homo est animal: hæc verò est modificata, necesse est omnem hominem esse animal: sed in vtrâque sunt iidem termini, homo, & animal.

10 *In contingentibus*. Docet, ad syllogismos modificatos cōtingentes conficiendos (id est, ad probandum id quod potest esse nec tamen est) sumendas esse propositiones eiusmodi, i. quibus significatur posse esse quod nōdū est.

11 *Similis ratio*. Quia tantùm mentionem fecit quorundam modificatorum syllogismorum, id est, in quibus modus est NECESSE vel CONTINGIT: nunc ait eandem esse rationem omnium aliorum modorum, & syllogismorum modificatorum.

12 *Ex dictis*. Concludit, expositam inuentionis methodum valere ad omnes syllogismos, nec esse aliam methodum præter hanc. Cùm autem huius conclusionis duæ sint partes: posterior pars, quòd non sit alia methodus, iam fuit probata. Prior pars, nempe hanc methodum valere ad inueniendos omnes syllogismos, probatur in sequen-

sed per hypothesim si quid aliud sit: illud, *aliud*, nunc vocamus transsumptum, vel assumptum: & illud ipsum debet syllogismo probari, syllogismo (inquam) categorico dicta methodo inuento. Exempli gratiâ, cùm dico, Aut est dies, aut nox; atqui est dies; ergo non est nox: non probaui categorice non esse noctem, sed sub hypothesi si non sit dies. huc igitur transfertur disputatio: & probandum est categoricè, non esse diem. Ad hoc autem probandum vtemur exposita inuentionis methodo, qua vtimur in omnibus syllogismis categoricè extruendis.

7 *Considerare autem.* Quia mentionem fecit syllogismorum hypotheticorum: ne quis putet eos esse satis expositos, ait eos esse diligentiùs explicandos, & in sua genera diuidendos, quod tamen (vt dixi) vel ipse non præstitit, vel eius hac de re tractatus intercidit.

8 *Sic igitur.* Cùm suprà exposuerit omnes coniugationes, quæ simpliciter valent ad inueniendos syllogismos, quia per eas fiunt syllogismi obseruatis regulis trium figurarum: nunc docet esse quasdam coniugationes vtiles ex hypothesi: quarum duo exempla affert, pertinentia ad tertiam figuram. Nos autem possumus addere alia exempla referenda ad secundam figuram. Vt autem hæc planiùs intelligantur, notandum est, in secunda figura regulariter non posse argui ex duabus propositionibus affirmantibus: interdum tamen ratione materiæ rectè argui, nempe si maior propositio vniuersalis simpliciter reciprocetur, quia constet ex terminis conuertibilibus. Nam si propositio vniuersalis affirmans semper posset simpliciter conuerti, possemus semper argumentari in secunda figura ex duabus affirmantibus: maiore enim propositione conuersâ, ex secunda figura fit prima. sed quia propositio vniuersalis affirmans solet conuerti per accidens, id est, in particularem, in prima autem figura maior debet esse vniuersalis: idcirco in secunda figura nihil concluditur ex duabus affirmantibus, nisi maior ratione materiæ reciprocetur. Exempli gratiâ, ex his propositionibus, Omnis homo est animal, Omnis equus est animal, nihil concluditur: quia nec affirmatio colligi potest, cùm equus non sit homo: nec negatio, cùm ambæ propositiones affirment. Hic autem syllogismus rectè concludit, Omne animal est sensu præditum, omnis homo est sensu præditus, ergo omnis homo est animal; quia maior constat ex terminis conuertibilibus, & per eius conuersionem reducitur syllogismus ad Barbara, hoc modo, Omne sensu præditum est animal, omnis homo est sensu præditus, ergo omnis homo est animal. Hæc de secunda figura. Similiter in tertia figura regulariter conclusio est particularis, etiamsi ambæ propositiones sint vniuersales, propterea quòd resoluitur in primam figuram per conuersionem minoris: licèt enim interdum conuertatur maior: tamen id ita fit, vt ex maiore fiat minor, transpositis propositionibus, vt contingit in Disamis) ea verò minor in tertia figura semper affirmat: proinde siue sit vniuersalis, siue particularis, conuertitur in particularem: consequenter etiam conclusio est particularis. Si igitur contingat eam minorem esse vniuersalem, & ratione materiæ conuerti simpliciter, nempe quia constet ex terminis conuertibilibus: tunc rectè colligemus in tertia figura conclusionem vniuersalem: quia minore simpliciter conuersâ, syllogismus resoluetur vel in Barbara, vel in Celarent. Exempli gratiâ, Nullus homo est lapis, omnis homo est rationalis, ergo nullum rationale est lapis. conuerte minorem: erit syllogismus in Celarent, Nullus homo est lapis, omne rationale est homo, ergo nullum rationale est lapis. Rursus rectè sic arguitur in tertia figura, Omnis homo est animal, omnis homo est rationalis, ergo omne rationale est animal: quia per minoris conuersionem simplicem (potest autem ratione materiæ simpliciter conuerti) syllogismus resoluitur in Barbara, hoc modo: Omnis homo est animal, omne rationale est homo, ergo omne rationale est animal. Quoniam igitur eiusmodi syllogismi non concludunt secundùm generales regulas syllogismorum, sed ex hypothesi, id est, hoc supposito, quòd maior, vel minor propositio simpliciter reciprocetur: idcirco etiam in methodo inuentionis sunt quædam coniugationes vtiles ex hypothesi; ex quibus scilicèt extruemus syllogismos in secunda figura probantes conclusionem affirmatiuam, vel in tertia probantes vniuersalem: aut extruemus syllogismos in prima figura per conuersionem maioris, vel minoris, vt exposui. Hunc Aristoteles respiciens, declarat nobis duas coniugationes pertinentes ad tertiam figuram: quarum prior valet ad conclusionem vniuersalem affirmantem, posterior ad conclusionem vniuersalem negantem. His præmunitis, accedamus ad explicationem contextus.

Primò Aristoteles ait singula problemata sic probari, id est, simpliciter ad problemata probanda valere eas coniugationes, quæ suprà expositæ fuerunt. Secundò cùm ait,

Sed & alio, inquit alio etiam modo poſſe quædam problemata concludi, nempe affirmantia poſſe concludi in ſecunda figura, & vniuerſalia in tertia. Quia verò Ariſtoteles in ſequentibus verbis tantùm loquetur de problematis vniuerſalibus in tertia figura probandis, addamus nos hoc loco, quæ ad ſecundam figuram pertinent. Cùm igitur ſuprà dictum fuerit coniugationem β ζ eſſe inutilem, id eſt, nihil concludi, ſi idem ſit β & ζ, hoc eſt, ſi idem ſit conſequens vtrique extremo: nunc dico hanc coniugationem eſſe vtilem ex hypotheſi, nempe ſi β attribuatur omni & ſoli α, adeo vt cum eo reciprocetur. Exemplum reale ſuprà attulit: nunc ſubiiciam exemplum ſyllogiſmi confecti ex elementis quæ ſunt in inuentionis diagrammate Ariſtotelico.

A	Omne α eſt β ζ:	*Bar*	Omne β ζ eſt α:
A	Omne ε eſt β ζ:	*ba*	Omne ε eſt β ζ:
	Ergo		Ergo
A	Omne ε eſt α:	*ra*	Omne ε eſt α.

Eadem ratio eſt, ſi minor ſumatur particularis. Sicut enim præcedens ſyllogiſmus reducebatur ad Barbara ita hic reducetur ad Darij, vt in ſequenti exemplo:

A	Omne animal eſt ſenſu præditum:	*Da*	Omne ſenſu præditum eſt animal:
I	Aliqua ſubſtantia eſt ſenſu prædita: Ergo	*ri*	Aliqua ſubſtantia eſt ſenſu prædita: Ergo
I	Aliqua ſubſtantia eſt animal.	*i*	Aliqua ſubſtantia eſt animal.

Tertiò Ariſtoteles, cùm ait, *vt vniuerſalia*, accedit ad proponenda exempla coniugationum vtilium ex hypotheſi: & ait, interdum problemata vniuerſalia per inſpectionem particularem concludi ex hypotheſi. *Per inſpectionem particularem*, id eſt, per eas coniugationes, quas ſuprà diximus valere ad probandum particulare, non vniuerſale: hæ verò erant, γ η, & δ η. *Ex hypotheſi*, id eſt, ſi ſupponatur medium terminum conuerti cum minori extremo. Quartò cùm ait, *nam ſi γ*, dat exemplum coniugationis vtilis ex hypotheſi, nempe ſi γ & η ſit idem. nam ſimpliciter quidem valet ad probandum particulare affirmans in Darapti, vt ſuprà expoſuimus. ex hypotheſi verò, id eſt, ſi ſupponatur ε dici de ſolo η, adeo vt ε & η reciprocentur, concludetur vniuerſale affirmans; quia per conuerſionem minoris ſyllogiſmus reſoluetur in Barbara. Exemplum reale ſuprà propoſui: nunc ſubiiciam exemplum ex elementis Ariſtotelicis, vt hæc doctrina typo inuentionis poſſit accommodari.

a	Omne γη eſt α:	*Bar*	Omne γη eſt α
a	Omne γη eſt ε:	*ba*	Omne ε eſt γη:
	Ergo		Ergo
a	Omne ε eſt α.	*ra*	Omne ε eſt α.

Quintò, cùm ait, *Rurſus ſi δ*, dat ſimile exemplum ſyllogiſmi negantis nam ſi idem ſit δ & η: ſimpliciter poteſt concludi particulare negans in Felapton. ex hypotheſi verò, id eſt, ſi ſupponamus ε attribui ſoli η, adeo vt hi duo termini reciprocentur, rectè concludetur vniuerſale negans: quia per minoris conuerſionẽ fiet reſolutio in Celarẽt. ſuprà dedi exemplum in rebus ipſis: nunc idem faciam in elemẽtis.

e	Nullum δη eſt α:	*Ce*	Nullum δη eſt α:
a	Omne δη eſt ε:	*la*	Omne ε eſt δη:
	Ergo		Ergo
e	Nullum ε eſt α.	*rent*	Nullum ε eſt α.

Sextò, cùm ait, *Apparet igitur*, concludit has coniugationes ex hypotheſi vtiles, non eſſe aſpernandas.

9 *Eodem modo.* Docet, eâdem methodo inueniri ſyllogiſmos modificatos, qua diximus inueniri ſyllogiſmos puros. Hoc autem ex eo probat, quòd tota inuentio refertur ad terminum, id eſt, ad medium terminum: ſyllogiſmi autem modificati & puri non differunt ratione terminorum, ſed tantùm ratione modi adiecti, vel detracti: hæc enim propoſitio eſt pura, omnis homo eſt animal: hæc verò eſt modificata, neceſſe eſt omnem hominem eſſe animal: ſed in vtrâque ſunt iidem termini, homo, & animal.

10 *In contingentibus.* Docet, ad ſyllogiſmos modificatos cõtingentes conficiendos (id eſt, ad probandum id quod poteſt eſſe nec tamen eſt) ſumendas eſſe propoſitiones eiuſmodi, i. quibus ſignificatur poſſe eſſe quod nõdũ eſt.

11 *Similis ratio.* Quia tantùm mentionem fecit quorundam modificatorum ſyllogiſmorum, id eſt, in quibus modus eſt NECESSE vel CONTINGIT: nunc ait eandem eſſe rationem omnium aliorum modorum, & ſyllogiſmorum modificatorum.

12 *Ex dictis.* Concludit, expoſitam inuentionis methodum valere ad omnes ſyllogiſmos, nec eſſe aliam methodum præter hanc. Cùm autem huius concluſionis duæ ſint partes: poſterior pars, quòd non ſit alia methodus, iam fuit probata. Prior pars, nempe hanc methodum valere ad inueniendos omnes ſyllogiſmos, probatur in ſequen-

tibus verbis, cùm ait, *ostensum namque.* syllogismus ita extruitur: Omnes tres figuræ syllogismorum fiunt per consequentia, & antecedentia: supple. & repugnantia: atqui omnes syllogismi fiunt in tribus illis figuris: ergo omnes syllogismi fiunt ex antecedentibus, consequentibus, & repugnantibus, quorum inuentio continetur methodo suprà exposita. Minor propositio patet ex cap. 23. Maior probatur ab Aristotele duobus argumentis: quorum prius est: quia propositiones, ex quibus syllogismi constant, ex antecedentibus, & consequentibus conficiuntur; nempe quia quælibet propositio constat subiecto & attributo; quorum illud est antecedens, hoc est consequens: & quidem propriè dicitur consequens, si affirmetur de subiecto; vel repugnans, si negetur. Alterum argumentum est: quia syllogismorum vis consistit in medio termino, adeo vt omnis inuentio ad solum medium terminum referatur, vt suprà exposui: medius autem terminus ex consequentibus & antecedentibus sumitur: quoniam in prima figura partim antecedit, partim consequitur; in secunda consequitur; in tertia antecedit. Huius syllogismi Aristoteles primò ponit minorem propositionem ibi, *ostensum namque.* postea maiorem ibi, *hæ verò.* deinde prius argumentum, quo ea maior probatur ibi, *quandoquidem ex his.* tertiò posterius argumentum, quo eadem maior probatur, ibi, *& medius terminus accipitur.* tandem conclusionem ibi, *quare syllogismus.*

IN CAP. XXX. DE SYLLOGISMIS IN PHILOSOPHIA, VEL in quauis arte, aut disciplina, & de quacumque re extruendis.

POstquàm docuit expositam methodum pertinere ad omnes syllogismorum formas, siue sint puri & categorici, siue hypothetici, siue modificati: nunc consequenter docet eandem methodum applicari cuicumque materiæ, & vsum habere in omnibus scientiis, & artibus.

1 *Omnium itaque.* Accommodat expositam methodum omnibus scientiis & artibus. huius autem doctrinæ duæ sunt partes: vna, vt inueniamus terminos, & rerum copiam nobis paremus: altera, vt sciamus illis terminis vti, & intelligamus, quinam ad confirmandum valeant, vel ad refutandum, &c. Vtraque pars ab Aristotele hic proponitur, Primò igitur ait, *omnium*, id est, in omnibus rebus, eandem esse viam seu methodum, tum in Philosophia, tum in arte qualibet & disciplina. Hæc tria coniunguntur: quia, propriè loquendo, distinguuntur; in omni autem cognitionis genere, quod per ratiocinationem acquiritur, eadem methodus locum habet. Artes propriè dicuntur, quarum finis est effectio, id est, quæ efficiunt aliquod opus post effectionem permanens: vt ars sutoria efficit calceum, ædificatoria domum: post effectionem autem calcei manet calceus, & post ædificationem manet domus. Disciplinæ propriè vocantur mathematicæ, quæ, propriè loquendo, non sunt partes philosophiæ, quia mathematicæ versantur in accidente, id est, quanto continuo, vel discreto; philosophia verò versatur in substantia, adeo vt tot dicantur esse philosophiæ partes quot sunt substantiæ lib. 3. Metaphys. cap. 2. Secundò cùm ait, *oportet enim*, incipit explicare, quomodo hæc methodus valeat in philosophia, artibus, & disciplinis & inquit, proposito quocumque problemate, cùm in eo sint duo termini, vtriusque termini quærenda & colligenda esse antecedentia, & consequentia: supple semper, repugnantia: quæ etiam aliquo modo appellatione antecedentium & consequentium continentur, quia negatiuè antecedunt, vel consequuntur, id est, subiiciuntur, vel attribuuntur. Tertiò cùm ait, *atque hæc per tres*, transit ad alteram huius doctrinæ partem, vt eorum terminorum antecedentium & consequentium vsum teneamus. Hic igitur tradit aliquot præcepta. Primum præceptum est, vt considerentur per tres terminos: quia omnis syllogismus fit ex tribus terminis, maiore extremo, minore extremo, & medio termino. Alterum præceptum est, vt alio modo considerentur, si probanda sit negatio; alio modo, si affirmatio. Quinam verò sint hi diuersi modi, suprà fuit expositum, cùm declaratæ fuerunt sex illæ coniugationes γζ, γα, δζ, βθ, δη, &c. quarum aliæ valebant ad concludendam affirmationem, aliæ ad negationem. Tertium præceptum est, vt aliter spectentur termini veritatis causâ, id est, ad afferendas veras demonstrationes, aliter ad conficiendos syllogismos dialecticos. nam illæ constant ex propositionibus veris, & necessariis: hi, ex probabilibus. Hic locus & hoc tertium præceptum vel solum sufficit ad redarguendam eorum opinionem, qui inuentionem analyticam nihil cum dialectica habere commune contendunt. nam Aristoteles in præsentia disertis verbis iubet dialecticum vti hac inuentione analytica, & suprà non semel dixit,

non posse reperiri aliam methodum præter hanc. Nec moueri debemus, quòd in Topicis videtur alia methodus tradi: nam ea non est ab hac omnimodo diuersa, sed sub hac continetur, vt species sub genere, sicut etiam ex vlt. part. huius cap. liquebit. Primum præceptum continetur illis verbis, *atque hac per tres terminos considerare.* Secundum præceptum ponitur ibi, *hoc modo.* Tertium ibi, *& veritatu quidem.*

2 *Principia syllogismorum.* Cùm docuerit expositam methodum communem esse omnibus scientiis & artibus: priusquàm transgrediatur ad explicandas duas methodos speciales, commodè ex dictis colligit hanc expositam methodum esse generalem, quò rectiùs intelligimus illas, vt speciales, sub hac contineri: alioqui falsum esset, quod suprà diximus, præter hanc non esse aliam methodum: sunt enim & aliæ methodi, non tamen præter hanc, sed sub hac contentæ. Cùm autem dicat se exposuisse methodum generalem, & principia vniuersalia omnium syllogismorum: nempe consequentia, antecedentia, & repugnantia: ne quis hinc ducatur in errorem, in quo nonnulli veterum fuerunt, id est, ne putet omnium syllogismorum esse omnino eadem principia (quem errorem refutabit lib. 1 Poster. cap. 32) idcirco in præsentia, cùm ait, *ne respiciamus*, subiicit expositionem, declarans, quomodo sint, vel non sint ea principia vniuersalia. Ita namque dicimus principia esse omnium syllogismorum, consequentia, antecedentia, & repugnantia; vt nihilominùs alia sint principia syllogismorum affirmantium, alia negantium: rursus alia vniuersalium, alia particularium: quia pro diuersitate syllogismorum diuersimode consequentia, antecedentia, & repugnantia sumuntur. Exempli gratiâ, vniuersale affirmans probatur per γ ζ: vniuersale negans per δ ζ, vel β θ: particulare affirmans per γ η: particulare negans per δ η: hæc autem diuersa sunt, γ ζ, δ ζ, γ η, & δ η.

3 *Circa singulas.* Iam accedit ad explicandas methodos speciales: quæ quidem duæ sunt, altera demonstratiua siue analytica, altera dialectica. Incipit ab analytica, quæ est præstantior, &, vt artificiosè doceat hanc esse illius generalis speciem, progreditur ab illa vniuersali ad hanc specialem: & in hac speciali idem facit, quod in generali fecit, id est, primò proponit problema, deinde quærit principia, quibus id problema demonstratur. Et quoniam hic non loquitur de simplici forma syllogismi, sed eam accommodat materiæ necessariæ: idcirco, omissis elementis alphabeticis, proponit tantùm exempla realia. In hac igitur particula proponit problema, cuius subiectum est bonum: attributum verò, scientia: quæritur enim, an boni sit scientia, nec ne; vel an boni sit vna scientia. Ait, *Circa singulas res*, (id est, singularum rerum quæ in scientiis tractantur) *oportet eligere*: supple, antecedentia, consequentia & repugnantia: *vt de bono, vel scientia*, id est, horum duorum terminorum: quorum bonum ponitur, vbi suprà ponebamus α: scientia verò, vbi ε. Secundò cùm ait, *Propria verò*, docet, quomodo sint inuenienda antecedentia, consequentia, & repugnantia singularum rerum; vt boni, & scientiæ: & ait inueniri experientiâ: quod confirmat exemplo Astrologiæ. Primùm enim Astrologi obseruarunt ea, quæ vocarunt φαινόμενα, id est, apparentias cœlestes, vt putà Solem æstate propiùs accedere ad nostrum Zenith, seu punctum verticale, hyeme ab eo recedere, & multa alia eiusmodi: vnde postea collegerunt demonstrationes astrologicas, exempli gratiâ, quia viderunt Lunam semper splendere Solem versus, collegerunt Lunam accipere lumen à Sole, vt sumam hoc exemplum ex vltimo capite lib. 1. Poster. Item quia obseruarunt stellas non apparere maiores in summitate cœli, id est, quando sunt remotissimæ ab horizonte, quàm cùm oriuntur, vel occidunt: inde collegerunt cœlum esse rotundum. itaque experientia vel historia suppeditat nobis huiusmodi principia: nec aliunde possumus ea habere, nisi ipsi ea obseruemus, vel ab aliis obseruata accipiamus, & discamus. Confer cum hac particula cap. vlt. lib. 2 Poster. & cap 1. lib. 1 Metaphys. Hoc methodo ipse Aristoteles in Physicis est vsus: scripsit enim libros de historia animalium, in quibus collegit, & exposuit ea, quæ in animalibus obseruauit: vnde libri illi viam sternunt & aditum faciunt ad libros de animalibus, apodicticè conscriptos: quales sunt libri de partibus animalium, de anima, & plures alij.

4 *Ergo vniuersaliter.* Transit ad alteram specialem methodum, quam etiam collocat sub generali antea exposita, ne quis ineptè separet Topica ab Analyticis, ac duas separatas logicas constituat. Ait igitur se exposuisse vniuersaliter, quomodo inueniantur propositiones syllogisticæ: exquisitè autem & specialiter se expositurum in eo tractatu, qui ad dialecticam pertinet, id est, in Topicis, in quibus prolixè docebit principia syllogismorum dialecticorum: quibus instructi, facilè in promptu habebimus syllogismos dialecticos in vtramque partem.

IN CAP. XXXI. DE DIVISIONE.

VEtus error est, per demonstrationem cognosci accidentia, per diuisionem cognosci substantiam, diuisionem enim esse instrumentum quoddam sciendi, à syllogismo & demonstratione diuersum; vnde multi tres logicæ partes faciunt, quasi vna pars doceat rationem definiendi, altera diuidendi, tertia demonstrandi seu ratiocinandi: quam diuisionem videntur colligere ex 1. cap. Porphyrij, sed huiuscemodi opiniones alienæ sunt à doctrina Aristotelica. Etenim Aristoteles ea omnia, quæ in logica tractantur, ad syllogismum refert, tamquàm ad commune totius logicæ subiectum. Ac libro quidem 1. Poster. cap. 8. part. 2. & lib. 2. cap. 10. docebit, omnem definitionem aut esse principium demonstrationis, aut conclusionem demonstrationis, aut à demonstratione non differre nisi ratione positionis terminorum; quòd iidem termini paulò aliter collocentur in demonstratione, aliter in definitione; adeo vt quemadmodum syllogismi ex vna figura resoluuntur in alteram, ita demonstratio resoluatur in definitionem, & definitio in demonstrationem: nunc autem reducit diuisionem ad syllogismum: ac docet; qualis syllogismus sit: consequenter docet eam inueniri eâdem methodo, qua diximus inueniri syllogismos.

1 *Diuisionem autem.* Summam rei proponit, quæ tribus membris seu clausulis continetur. Primò namque ait diuisionem generum id species esse paruam particulam huius methodi, id est, expositam inuentionis methodum, cùm sit generalis, pertinere ad omnes syllogismos, quorum particula quædam est diuisio. Diuisionem vocat paruam particulam huius methodi, propter imperfectiones, quas in diuisione inesse ostendet. Secundò cùm ait, *diuisio namque est*, probat id quod proximè dixit; quia diuisio est velut imbecillus syllogismus. Consequentia est manifesta, nam si diuisio est syllogismus; syllogismi autem omnes inueniuntur hac methodo, vt suprà probatum fuit: proculdubio etiam diuisio inuenitur eâdem methodo. Ideo autem ait esse velut imbecillum syllogismum, vt confirmet, quod dixit, hanc esse paruam particulam. Cur dicat esse imbecillum, patebit ex sequenti membro huius particulæ Si quis autem quærat, quæ sit vis illius particulæ, *velut*, & cur diuisio dicatur velut syllogismus: respondebo hanc esse causam; quia licèt diuisio referatur ad syllogismum, tamen non solet proponi formâ syllogisticâ. nam qui dicit, omne animal esse rationale aut irrationale, & subdiuidit rationale in mortale & immortale, non extruit aliquem syllogismum, sed velut syllogismum, ob rationem, quæ posteriùs explicabitur. Tertiò cùm ait, *petit enim*, docet, cur diuisio sit syllogismus imbecillus, non firmus syllogismus; nempe quia committit illud vitium, quod vocamus petitionem quæsiti, vulgò petitionem principij. non probat enim, quod probari debet, sed id petit sibi concedi. Dices, cur igitur est syllogismus? Respondet Aristoteles, quia probat *aliquid*, non quidem quod probari debuit, sed *aliquid ex superioribus*, id est, aliquid vniuersale, sub quo continetur id quod probari debuit. Quemadmodum igitur peccat, qui probat aliquid esse animal, cùm debeat probare esse hominem; quia non, si animal est, propterea homo est: ita peccat, qui diuidit: probat enim (exempli gratiâ) hominem esse rationalem vel irrationalem, cùm specialiter probare debeat esse rationalem, vt ex sequentibus apparebit. Hæc igitur est imperfectio diuisionis. Sunt & aliæ, de quibus in 4. parte Non tamen ideo reiiciendæ sunt diuisiones: habent enim summam vtilitatem, vt lib. 2. Poster. explicabitur.

2 *Primùm autem.* Ostendit duos veterum errores circa diuisionem, qui putarunt substantiam demonstrari diuisione, sicut accidentia demonstrantur syllogismo. Primus est: quia seiunxerunt diuisionem à syllogismo, non intelligentes diuisionem, prout ea vtebantur, esse syllogismum. Alter error est: quia putarunt se rectè demonstrare, nec intellexerunt se petere quæsitum.

3 *In demonstrationibus.* Iam ostendit diuisionem esse syllogismum petentem quæsitum; quia non probat, quod quæritur, sed aliud magis vniuersale. Hoc ostendit Philosophus per comparationem diuisionis cum demonstratione. Nam veteres illi vtebantur demonstratione, & diuisione, quasi duobus instrumentis sciendi: malè autem inter ea distinxerunt. Quare nunc intelligenda est vera distinctio: atque ita intelligemus, qualis syllogismus sit diuisio. Primo igitur loco ponit conditionem demonstrationis, nempe quòd sumit medium terminum inferiorem maiori extremo, quippe qui subiicitur maiori extremo in maiori propositione: ac naturaliter subiicitur: siquidem demonstratio naturalem ordinem sequitur. cùm itaque tres sint termini; exempli gratiâ α β γ: quorum primus est α; secundus, β; tertius, γ: demonstratio sumit α pro maiori termino, β pro medio: cùm in diuisione contrarium fiat, vt mox audiemus. Verbi gratiâ demonstratur hominem esse aptum ad ridendum quia est rationalis. Ergo

go rationale, est medius terminus, cui attribuitur aptitudo ad ridendum. Atque in hoc exemplo termini sunt conuertibiles. sed fieri potest, vt maius extremum latius pateat, quàm medius terminus, vt in hoc syllogismo, Omne rationale est animal, omnis homo est rationalis, ergo omnis homo est animal. Secundò cùm ait, *è contrario diuisio*, ponit conditionem diuisionis contrariam conditioni demonstrationis: quia diuisio accipit medium terminum naturâ priorem & superiorem maiori extremo: siquidem accipit pro medio termino genus, pro maiori autem extremo differentias diuidentes illud genus, vt mox cum Aristotele explicabo. Tertiò namque cùm ait, *fit enim animal*, declarat, & confirmat eam conditionem diuisionis exemplo definitionis hominis inuestigatæ hac methodo diuisiua. In primis notandum est, Aristotelem non considerare simpliciter diuisionem; veluti si quis dicat, animalium alia esse mortalia, alia immortalia; & mortalium alia rationalia, alia irrationalia: nam hìc nullus est syllogismus: sed considerat diuisionem seu methodum diuisiuam, quatenus per eam veteres quærebant cognitionem essentiæ, & inuestigabant definitiones. Proponit igitur exempli gratiâ inuestigandam hanc hominis definitionem, animal mortale pedestre bipes: quæ cùm inuestigetur methodo diuisiua, incipiendum est à genere, & progrediendum ad species: quoniam à genere ad species progredimur diuidendo, sicut à speciebus ad genera progredimur vniendo, vt Porphyrius docuit cap. 2. partic. 36. Sumitur ergo genus, animal: & hinc progredimur diuidendo, donec perueniamus ad vltimam differentiam, & perficiamus definitionem. hoc autem fit per diuisionem animalis, & duas subdiuisiones. Prima diuisio ponitur in hoc membro. omne enim animal aut est mortale, aut immortale: atqui homo est animal: ergo est mortalis vel immortalis. Maior patet: quia mortalis & immortalis sumuntur vt differentiæ oppositæ, animal diuidentes. Minor patet: quia supponimus animal esse genus hominis, vt per diuisionem huius generis inueniamus definitionem hominis. Concluditur ergo, omnem hominem esse mortalem vel immortalem. verùm non hoc erat concludendum, sed specialiter esse mortalem: hoc autem diuidens non probat, sed petit sibi concedi: proinde petit quæsitum, si id spectemus, quod probare debeb.t: facit tamen rectum syllogismum, quatenus probat aliquid magis vniuersale, id est, hominem esse mortalem vel immortalem. Quartò cùm ait, *Rursus ponens*, affert subdiuisionem animalis mortalis & extruit syllogismum similiter non probantem quod erat probandum, id est, hominem esse pedestrem, sed aliquid magis vniuersale, id est, vel habere pedes vel carere pedibus. Syllogismus ita extruitur: Omne animal mortale est vel pedestre vel expes: omnis homo est animal mortale: ergo omnis homo est pedestris aut expes. Maior patet: quia pedestre & expes sumuntur vt veræ differentiæ oppositæ, diuidentes animal mortale tamquam genus. Minor sumitur, vt probata per antecedentem syllogismum, seu antecedentem diuidentem. Conclusionis autem eadem est ratio hic, quæ suprà: quia non probatur præcise, esse pedestrem: quod erat probandum. Quintò cùm ait, *atque hoc modo*, docet similem esse progressum in aliis diuisionibus, siue subdiuisionibus. Breuitatis enim causâ omittit alteram subdiuisionem, quòd animal pedestre vel est bipes vel multipes: vnde, cùm probandum sit hominem esse bipedem, non probatur, sed petitur. syllogismus enim ita extruitur: Omne animal pedestre est bipes aut multipes: atqui homo est animal pedestre: vnde concluditur hominem esse bipedem aut multipedem. Generaliter autem inquit Philosophus in omnibus his syllogismis diuisionis pro medio termino sumi genus, & pro maiori extremo differentias diuisiuas eius generis. Sextò cùm ait, *ad postremum*, concludit, huiusmodi syllogismos non probare, quod erat probandum: ideò veteres defecisse in probanda rerum essentia: quia non habuerunt aliam, quàm hanc diuisiuam methodum, quæ est insufficiens: veram autem inquirendi methodum, quam ipse Aristoteles docuit, non solùm non sunt assecuti, sed ne quidem cogitarunt aut suspicati sunt illam esse.

4 *Perspicuum autem*. Colligit imperfectiones methodi diuisiuæ, quas hoc ordine recenset. Primò non valet ad euertendum, id est, ad probandum problema negans: quia semper vtraque propositio sumitur affirmans: cùm & differentiæ de genere, & genus de specie dicatur. Secundò non valet ad probandum accidens, vel proprium, vel genus, sed tantùm definitionem: ergo ex quatuor problematum generibus, de quibus cap. 5. & 8. lib. 1. Top. ad vnum tantùm pertinet methodus diuisiua. Tertiò non valet hæc methodus ad ea, in quibus dubitatur vtrum contrarium insit. Cùm enim (exempli gratiâ) diameter aut habeat aut non h.beat communem mensuram cum

latere: non ita facile est sumere communem mensuram, vt, cùm homo sit vel mortalis vel immortalis, sumebamus eum esse mortalem. vbi igitur res est perspicua, possumus vti diuisione: vbi verò est obscura, requiritur aliud instrumentum, vt apertiùs explicabitur lib. 2. Poster. Illud in præsentia notetur ex illis verbis, *Habens aut non habens*, Aristotelem perspicuè, posteaquàm rem exposuit, id est, exemplum diametri, deinde eam conferre in typum, vt quodammodò oculis eam subiiciat, & apertiorem reddat: vt tam ex hoc, quàm ex aliis pluribus locis appareat falsum esse, quod Ramus putauit, hæc elementa, α β γ, &c. alium vsum habere, siue aliter accipi ab Aristotele in his libris, quàm à mathematicis.

5 *Perspicuum igitur.* Concludit, diuisionem, seu diuisiuam methodum non posse accommodari ad ea problemata, sed tantùm ad problema definitionis: & in hoc ipso problemate non multùm valere, quia petit quæsitum, vt suprà expositum fuit. nec propterea tamen dicimus diuisiones esse inutiles: habent enim suas vtilitates, de quibus lib 2. Poster. cap. 13.

9 *Ex quibus igitur.* Breui epilogo imponit finem secundo tractatui, qui est de inuentione & copia syllogismorum.

DE RESOLVTIONE SYLLOGISMORVM in figuras & modos.

TRACTATVS III.

IN. CAP. XXXII. DE ACCIPIENDIS PROPOSITIONIBUS, terminis, medio termino, & figura.

1 POSTHÆC. In principio huius capitis ipse Aristoteles proponit scopum huius tractatus, & nexum cum præcedentibus, de quo videmur satis dixisse ad principium capitis 27. Itaque hæc particula est cum eo loco, & cum ibi notatis conferenda. & obseruandum est, Aristotelem hic contemplandi seu theoriæ verbum tribuere primo tractatui huius libri; δύναμιν verò, id est, facultatem inueniendi, & resoluendi syllogismos tribuere secundo & tertio tractatui. Qua ratione loquēdi vtebatur etiam in d. part. 1. cap. 27. vt ibi notaui. Vnde apparet, verum esse, quod dixi, priusquàm de inuentione seu dispositione logica agitur, intelligendam esse naturam & theoriam syllogismorum. atque hoc in primis ex hac particula notetur. Secundò notetur, priùs agendum esse de inuentione, quàm de dispositione: quod confirmat Philosophus 8. Top. cap. 1. part. 1. adeo vt non sint veri Aristotelici, qui contendunt dispositionem inuentioni esse præferendam. Tertiò notetur, non esse libros Analyticos referendos ad partem Logicæ de dispositione, Topicos autem ad partem de inuentione: quoniam vtrobique habetur tam inuentio, quàm dispositio, vt ex ipsis verbis Aristotelis apparet. Sed in his libris Priorum habentur præcepta generalia de inuentione, & dispositione quorumcumque syllogismorum: in Posterioribus autem & ceteris libris sequentibus declarantur præcepta specialia: nam in Posterioribus continetur inuentio & dispositio apodictica: in Topicis inuentio & dispositio dialectica: in Elenchis inuentio & dispositio sophistica, vt singulis locis perspicuè apparebit. Quartò notetur, secundum huius libri tractatum, qui est de inuentione, ad hoc valere, vt nosmet ipsi inueniamus & extruamus syllogismos: hunc autem tertium tractatum eò præcipuè spectare, vt de aliorum argumentis rectè iudicare possimus, & intelligere, qualia sint, & quam vim habeant: quod consequemur per resolutionem quarumcumque orationum in figuras & modos syllogisticos. Nam tres illæ figuræ, & earum modi sunt quasi lapis Lydius, ad quem omnes argumentationes examinare oportet: atque ita Aristoteles diuisionem examinauit cap. præced. vnde hic tractatus æquè inscribi potest de analysi, & de dispositione, vel de iudicio. Sed prima inscriptio de analysi, hoc loco videtur ab ipso Aristotele eligi; quemadmodum inscriptio de dispositione, lib. 8. Top. Postremò notetur sententia illa, quæ est in contextu, semper verum vero esse consentaneum: quamuis falsa sæpe inter se pugnent: veluti cùm duæ sunt contrariæ vniuersales enunciationes, ambæ sunt falsæ, vt omnem hominem esse musicum, & nullum hominem esse musicum.

2 *Primùm igitur.* Incipit Aristoteles explicare varia præcepta de analysi, quibus possimus ex quibuscumque & quantumcumque confusis orationibus eruere syllogismos, si modò syllogismi in iis lateant. Summa præceptorum, quæ hoc capite continentur, hæc est, vt seligantur propositiones & termini: atque horum dispositio consideretur: ac syllogismi figura, & modus discernatur.

cernatur. Primum igitur praeceptum est, dandam esse operam, vt ex quacumque oratione proposita eruamus duas propositiones. Rationem affert, cur orationes priùs resoluuntur in propositiones, quàm in simplices terminos, de quibus postea praecipiet. quia facilius fit diuisio in maiora, quàm in minora.i.in maiores & magis cōpositas partes, quā in minores & magis simplices: sicut facilius est diuidere Organum logicū in libros, quàm in capita, vel particulas: & facilior est anatome, cùm animal scinditur in maiores, quàm cùm in minores partes.

3 *Deinde* [*oportet.*] Secundum praeceptum est, vt quantitas selectarum propositionum spectetur: &, si diuersae quantitatis sint, consideretur, vtra sit vniuersalis, & vtra particularis: & immo si vtraque sit vniuersalis, consideretur, vtra latiùs pateat, vtra angustiùs: hoc enim valet ad cognoscendū syllogismum; vt quia in prima figura semper maior propositio est vniuersalis, & sub se minorem continet: quādoquidem in maiore maius extremum dicitur de medio termino, & in minore medius terminus de minore extremo.

4 *Et si ambae.* Tertium praeceptum est bipertitum. Prior pars est, vt si qua propositio ad syllogismum efficiendum necessaria in data oratione desideretur, eā nos suppleamus. Posterior pars est, vt, si propositiones aliquae redundent, seu non necessariae sint eas in analysi praetermittamus. quasdā enim propositiones non necessarias adhiberi, exposui cap 25. part.4. Quod attinet ad seriem contextus, Primò Aristoteles proponit priorem praecepti partem. Secundò cùm ait, *nam qui scribunt*, affert rationem eius praecepti sumptam à consuetudine eorum qui scribunt, vel interrogant. solent enim quaedam necessaria omittere, alia superuacua proponere. Scribentes vocat, eos qui sententias tradunt, praecipuè respiciens, more suo, & habita suorum temporum ratione, ad mathematicas quae traduntur per descriptiones. vnde etiam *διαγραμμάτων*, seu descriptionum appellatione interdū significatdemōstrationes: quoniam illa aetate solas mathematicas ante logicam discebant. Interrogantes autem appellat, dialecticos, qui per interrogationes disputare solebant, vt dictum fuit cap.1. huius libri. Quoniam autem haec auctorum & disputantium consuetudo non tantùm est caussa prioris partis, sed etiam posterioris partis huius praecepti: ideirco Aristoteles Tertio loco, cùm ait, *videndum igitur*, colligit vtrāque partem huius praecepti, nempè vt necessaria omissa suppleantur, & superflua expressa omittantur, veluti quae ornatûs, aut amplificationis causâ dicta sint. Quartò cùm ait, *etenim fine his*, confirmat dictum praeceptum: quia nisi ita habeam us duas propositiones syllogisticas, non possimus reducere, id est, resoluere in figuram & modum orationes ita interrogatas, id est, argumentationes ab eo qui contra thesim opponit, propositas; nēpe in quib. necessaria desideratur & superflua adiunguntur.

5 *In quibusdam.* Sequitur quartū praeceptum, vt caueamus, ne putemus omnem orationem, ex qua aliquid necessariò colligitur, esse syllogismum: quia necessarium, inquit Aristoteles, id est, oratio aliquid necessariò inferens, latius patet, quàm syllogismus. Hoc praeceptum non debet ita accipi, quasi sint aliae argumentationes praeter syllogismum: quia contrarium docebit Philosophus libro sequenti, cap. 23. part. 1. Sed sensus est, non esse syllogismos actu: quia propositiones nō sunt ita positae, vt diximus ponendas esse in extruendis syllogismis. sūt tamen syllogismi potestate, id est, sunt eiusmodi orationes; quibus, si quid mutes, vel addas, vel detrahas, facilè apparebit syllogismus. Denique in his orationibus inest necessitas, quam vocāt necessitatem materiae; non necessitas formę, quia non adest forma syllogistica. Quod attinet ad seriem contextus, Primò Aristoteles discrimen inter orationes ponit, inquiēs in quibusdam facilè videri quid desit, (exempli gratiâ, si quis ita argumentetur, Omnis homo est animal, ergo omnis homo est corpus: facilè intelligimus deesse, & supplendam maiorem propositionem, omne animal est corpus) in quibusdā verò orationibus hoc latēre, & falsò videri nihil desiderari, quia cōtinent necessitatem quandam, non tamē prouenientē ex forma syllogistica. Secundò cùm ait, *vt si sumptum*, affert exemplū orationis, quae falsò videri potest esse syllogismus. Oratio talis est: Non sublatā substātiā, non tollitur substantia: atqui partibus sublatis, tollitur quod ex his constat: ergo partes substantiae sunt substantiae. Haec oratio non est syllogismus: quia sunt multi termini, nec sunt propositiones syllogisticè cōpositę: verumtamen in hac oratione tamquā in materia quadā confusa latent propositiones, quae debent inde erui, vt fiat syllogismus. Ac primū primā propositio sic mutetur. Id, quo sublato substantia tollitur, est substantia. antea verò dicebamus, nō sublatā substātiā non tolli substantiam. quapropter ex negatione fecimus

affirmationē æquiualētem, propterea quòd conclusio est affirmatiua, partem substantiæ esse substātiam. Similiter altera propositio, quia nimis est generalis, adeo vt propter diuersitatem terminorū non cohæreat præcedēti: sic debet coāgulari, & mutari, vt dicamus, sublata parte substantiæ tolli substantiam. Vnde concluderetur, partem substantiæ esse substantiam. Tertiò cùm ait, *Rursus si eum*, affert alterum exēplum, in quo negat esse syllogismum, id est, syllogismum categoricum: nam est syllogismus hypotheticus in prima figura, in quo ambæ propositiones sunt hypotheticæ, & conclusio quoque hypothetica: nēpe, Si est animal, est substantia: si est homo, est animal; ergo si est homo, est substantia. Fit autem syllogismus categoricus, si ipsę propositiones ex hypotheticis mutentur in categoricas: veluti, omne animal est substantia, omnis homo est animal, ergo omnis homo est substātia. Quartò cùm ait, *In his autē*, declarat causam erroris, propter quam putamus esse syllogismum, cùm non sit syllogismus: nempe quia falsò putamus omnem orationem necessariam esse syllogismum, id est, habere formam syllogismi. Quintò cùm ait, *Quamobrem non continuò*, cōcludit, eiusmodi orationes non esse reducendas ad figuras & modos syllogismorū, priusquàm sumantur duę propositiones syllogisticæ, quæ in iis latent.

6 *Ita deinde*. Hactenus præcepta de propositionibus eruendis: sequitur quintum præceptum, vt propositiones diuidantur in terminos; vt non solùm habeamus partes syllogismorum compositas, sed etiam simplices.

7 *Ex terminis*. Sextum præceptum est, vt inspiciatur, quisnam ex tribus terminis sit medius: quem ex eo dignoscemus, quòd ponitur in vtraque propositione. Adde, quòd non ponitur in conclusione. Vtrumque autem extremum è contraria ponitur in conclusione, & in vna tantùm propositione: videlicèt maius extremum in maiore propositione, & minus in minore.

8 *Si igitur*. Septimū præceptū est, vt ex medio dignoscamus figuram syllogismi. ex diuersa enim eius positione distinguuntur tres figuræ, vt suprà fuit satis expositum.

9 *Perspicuum igitur*. Octauum præceptum est, vt si in aliqua oratione nullus sit terminus, qui bis ponatur, eam respuamus, tamquàm non syllogisticam: quia nō potest esse syllogismus sine medio termino: nec est medius terminus, nisi ponatur, quandoquidem debet connecti cum duobus extremis.

10 *Cùm autem habeamus*. Nonum præceptum est, vt figuram quæramus, non tantùm ex medio termino, sed etiam ex problemate. nam in qua figura problema non potest concludi, frustra in ea quæretur syllogismus. vtputà si conclusio sit vniuersalis affirmās, syllogismus quæri debet in prima figura. quæ autem problemata in singulis figuris concludantur, ait Aristoteles nos iam habere, id est, iam scire ex iis quæ exposita fuerunt cap. 26.

IN CAP. XXXIII. DE TERMINORVM QVANTITATE spectanda.

HOc capite proponitur decimum pręceptum, vt caueamus, ne decipiamur accipiētes propositionem indefinitam pro vniuersali: quia hoc non semper facere licet, cùm interdum indefinita sit vera; quę si efficiatur vniuersalis, erit falsa.

1 *Sæpe igitur*. Necessitatem huius præcepti ostendit; quia vt sæpe fallimur; non distinguentes inter necessariam orationem, & syllogismum, sicut expositum fuit superiori cap. part. 5. ita etiam nō rarò fallimur propter similitudinem positionis terminorum, id est, quia non distinguimus, sed idē valere putamus terminos positos vniuersaliter. & positos indefinitè: quod nunc est explicādū.

2 *Vt si τὸ α*. Decimum præceptum, & errorē, quem eo præcepto vitare iubemur, declārat exemplo alphabetico, in quo ambæ propositiones sunt indefinitæ: vnde videtur esse syllogismus, cùm reuera nō sit. Nā si τὸ α dicitur de β, & τὸ β dicitur de γ, non præterea τὸ α dicitur de γ: quia oportebat sumere α de omni β, vt seruaretur regula primæ figuræ, quæ requirit maiorem propositionem vniuersalem.

3 *Sit enim vbi α*. Exemplo alphabetico subiicit duo exempla realia: vnum in hac particula, alterum in sequenti. Non dubito, quin hæc exempla Aristotelis tempore peruulgata fuerint, & his vsi sint sophistę ad falsas cōclusiones probandas. Prius exēplū est:

Intelligibilis Aristomenes semper est:
Atqui Aristomenes est intelligibilis Aristomenes:
Ergo Aristomenes semper est.

Conclusio est falsa, cùm tamen propositiones sint veræ: proinde ex iis propositionibus non colligitur. Videtur quidem esse syllogismus in prima figura: sed vitiū est: quia contra regulas primæ figuræ, maior est indefinita,

definita, non vniuersalis: &, si vniuersalis accipiatur, erit falsa. In explicando hoc exemplo valde laborant interpretes, & alij aliter accipiunt. Ego sic explico: Aristomenes intelligibilis sumitur vt quiddam vniuersale, conueniens tam Aristomeni, quàm Platonicæ ideæ. nam idea non dubium est quin sit intelligibilis. sed & Aristomenem possumus intelligere: ergo etiam Aristomenes est intelligibilis. verùm idea secundum Platonem est æterna, Aristomenes autē est mortalis, quare maior propositio est vera indefinitè, non vniuersaliter: quia vera est de Aristomene, non de idea.

4 *Rursus esse.* Sequitur alterum reale exēplum: quo similiter puto Sophistas tum temporis vsos esse:

Musicus Miccalus interibit cras:
Miccalus est musicus Miccalus: Ergo
Miccalus interibit cras.

Maior vera est: quia supponimus Miccalum cras desiturum esse musicum. minor est manifestè vera: quia supponimus Miccalū esse musicum. cōclusio tamen est falsa: quia Miccalus non interibit cras: supponimus enim cum diutiùs esse victurum. Hic est idē vitium, quod in superiori exemplo: quia maior non est vniuersalis, nec omnino & in vniuersum musicus Miccalus interibit cras, sed tantùm ratione partis, id est, musicæ.

3 *Atque hæc deceptio.* Declarat causam huius erroris, quam ait esse παρὰ τὸ μικρὸν, id est, ob exiguitatem discriminis, quod est inter propositionem vniuersalem, & indefinitam: vnde fit, vt illud discrimen, & illius discriminis vis sæpe à nobis non animaduertatur. Confer hanc partic. cum partic. 8. cap. 7. Elenchorum. In Politicis quoque Aristoteles notat hanc sæpe esse causam subuersionis rerumpublicarum.

IN CAP. XXXIV. DE NOMINIBVS CONCRETIS, ET ABstractis.

SEquitur vndecimum præceptum, vt caueamus, ne vtamur nominibus abstractis, vbi adhibenda sunt in concreto: alioquin conclusio reperietur falsa, quamuis propositiones sint veræ.

1 *Sæpe etiam.* Primò Aristoteles proponit præceptum, quod modò exposui. Secundò cùm ait, *vt si τὸ α*, explicat illud præceptum exemplo pertinente ad primam figuram, quod tale est:

Ce Necesse est sanitatem inesse nulli morbo:
la Morbus inest omni homini: Ergo
rent Necesse est sanitatem inesse nulli homini.

Syllogismus est in Celarent ex maiore necessaria, & minore pura vnde secundum Aristotelem sequitur conclusio negans necessaria, sicuti suprà docuit cap. 9. part. 2. Hic tamen; quamuis maior sit vera, quia morbus non potest esse sanitas; & minor vera, quia supponimus omnem hominem ægrotare, quod possibile est; conclusio tamen est falsa, quia non est necesse vt nullus homo sit sanus: immo cōtingere potest vt omnes sint sani. addo, vt omnis cauillatio tollatur, si quis nolit admittere minorem propositionem, quia sit vniuersalis, cum tamen cogi fateri, morbum inesse in aliquo homine: qua propositione accepta, syllogismus erit particularis in Ferio, & similiter debebat esse conclusio necessaria, nempe necesse esse vt aliquis homo non sit sanus, vt Aristoteles docuit d. cap. 9. part. 7. verumtamē hæc quoque conclusio est falsa. Tertiò cùm ait, *Cuius rei causa*, aperit causam erroris, quia scilicèt sumpti sunt termini in abstracto, id est, sanitas & morbus: qui si accipiantur in concreto, id est, sanum & morbidum, omnis difficultas tolletur: apparebit enim, maiorem propositionem esse falsam. syllogismus ita extrueretur:

Ce Necesse est nullum ægrotum esse sanum.
la Omnis homo ægrotat: Ergo
rent Necesse est nullum hominem esse sanum.

In hoc syllogismo falsa est maior: quia quod ægrotat, non necessariò ægrotat, sed potest fieri sanum.

2 *Rursus in media.* Cùm docuerit, quando error accidat in prima figura propter terminos abstractos, nunc declarat eūdem errorem in secunda figura. Exemplū tale est:

Ces Necesse est sanitatem inesse nulli morbo:
a Contingit sanitatem inesse omni homini: Ergo
re Morbus inest nulli homini.

Talis conclusio in Cesare colligitur ex maiore necessaria & minore contingente, vt Aristoteles docuit cap.19.partic.2. Atq; hic conclusio est falsa, cùm tamen propositiones sint veræ supponimus enim, aliquē hominem ægrotare. Causa erroris eadem est, quæ suprà: quia termini sumi debuerunt in concreto, non in abstracto: his autem sumptis in concreto, apparebit maiorem esse falsam, vt suprà exposui, quoniam hæc maior syllogismi in Cesare, eademest cum maiore suprà extructi syllogismi in Celarent.

3 *In tertia verò.* Nunc declarat eundem errorem in tertia figura: inqua tunc accidit, cùm sumuntur propositiones contingentes, quibus cōtraria eidem subiecto attribuuntur, vt in sequenti exemplo.

Da Contingit sanitatem inesse omni hominí:
ap Contingit morbum inesse omni homini: Ergo
ti Contingit sanitatem inesse alicui morbo.

Talis cōclusio sequi debet ex vtrisque propositionibus contingentibus, in Darapti, vt Aristoteles docuit cap.20.part.2. Conclusio tamen hic est falsa, cùm propositiones sint veræ: nempe ob eandem causam, quia sanitas & morbus sumuntur in abstracto. nam si sumantur in concreto: sicut propositiones sunt veræ, ita etiam conclusio erit vera, syllogismus enim sic extruitur:

Da Contingit omnem hominē esse sanū:
ap Contingit omnem hominem ægrotare: Ergo
ti Contingit aliquem ægrotantem esse sanum. id est, aliquis ægrotus potest fieri sanus.

4 *Perspicuum igitur.* Concludit, in expositis exemplis, & aliis similibus errorem contingere ex eo, quòd sumuntur terminiin abstracto: ideóque monet, vt sumantur in concreto. hoc enim est, quod ait, loco habitus sumendum esse id quod habitu est præditum.

IN CAP. XXXV. DE IIS QVÆ NOMINE CARENT.

SEquitur præceptum duodecimum, quo Aristoteles monet, integram orationem pro termino interdum sumēdam esse, putà definitionem subiecti de quo demōstratur. cùm enim per definitionem demonstratur: si putares tot esse terminos syllogismi, quot sunt partes definitionis, omnino turbareris: quia suprà diximus cap.24. debere esse tantùm tres terminos in vno syllogismo; sed hac ratione essent multò plures. Quòd autem pro medio termino interdum non sumamus rem omnino separatā ab extremis, vt definitio non est res seiuncta à definito, Aristoteles declarat exēplo mathematico. hæc enim affectio, habere tres angulos æquales duobus rectis, inest omni triangulo: itaque per triangulū probatur inesse æquicruro siue isosceli, quod est triāguli species: & in hac probatione sunt tres distincti termini. syllogismus enim ita extruitur: Omne triangulum habet tres angulos, &c. Omne æquicrurum est triangulum: ergo omne æquicrurum habet tres, &c. Nam quia hæc affectio non inest æquicruro per se, sed per triangulum, rectè de æquicruro probatur per triangulum. Cū n autem ipsi triangulo per se insit, non potest de eo per aliam rē demonstrari, putà per figuram: sed pro medio termino opus est sumere aliquam orationem, putà definitionem triāguli. In summa notandum est, tres syllogismi terminos interdum significari simplicibus vocabulis, interdum integris orationibus: & hoc casu orationes illas nō debere diuidi in simplices terminos. Quamuis enim hoc præceptum in præsentia aprauerimus medio termino, tamen idem obtinet etiam in extremis.

IN CAP. XXXVI. DE NOMINE RECTO AT OBLIQVIS casibus.

SEquitur decimumtertium præceptū, vt, quando seligimus & consideramus terminos syllogismi per se, eos ponamus in rēcto casu: eùm autem extruimos syllogismū, modò vtamur recto, modò obliquis casibus, prout loquendi ratio requirit.

1 *Primum autem.* Ostendit terminos non semper in propositionibus poni secundum rectam appellationem, id est, in nominatiuo, sed interdū in aliquo casu obliquo: immo non semper in eodem casu sumi terminos in maiore, & in minore propositione eiusdem syllogismi, sed sæpenumero in diuersis casibus.

2 *Veluti quod contrariorum.* Quod generaliter in prima partie. proposuit, deinceps per partes exemplis confirmat: & primò loquitur de affirmationibus, postea de negationibus. Quod attinet ad affirmationes, initio profert exemplum propositionis per se acceptæ, id est, extra syllogismū, quæ concipitur in casu obliquo, nempe, contrariorum

riorum vna est scientia. hic vna scientia attribuitur contrariis,non quòd contraria dicantur esse vna scientia, sed contrariorum, ita vt attributio fiat in patrio casu.

3 *Accidit autem.* Exemplo propositionis affirmantis subiicit exempla syllogismorum affirmantium in prima figura. Et primùm in hac particula proponit exemplum,in quo maior propositio est recta,minor & conclusio obliquæ.syllogismus enim ita extruitur:Sapientia est scientia. boni est sapientia:ergo boni est scientia. Intelligendum est,propositiones indefinitas hic, vt & alibi sæpe, accipi pro vniuersalibus:alioqui si maior propositio æquiualeret particulari, syllogismus nullus esset. Nec Aristoteles cap.33. prohibuit nos vti indefinitis sumptis pro vniuersalibus:sed monuit, ne deciperemur , putantes esse verum vniuersaliter, quod tantùm indefinitè & particulariter verum est.

4 *Interdum verò.* Sequuntur exempla syllogismorum affirmantium in prima figura,in quibus minor propositio est recta, maior & conclusio obliquæ.Primum exemplum est:Cuiusuis qualis est scientia : atqui bonum est quale:ergo boni est scientia. Alterum exemplũ est:Omnis contrarij est sciẽtia : atqui bonum est contrarium : (nempe malo)ergo boni est scientia.

5 *Quandoque verò.* Sequuntur exempla syllogismorum affirmantium in prima figura , in quibus ambæ propositiones sunt obliquæ,conclusio autem modò recta, modò obliqua.Primum exemplum est: Cuius est scientia,eius est genus : boni autem est scientia:ergo boni est genus. In hoc exemplo ait Aristoteles nullum terminum alij attribui.subaudi,in recto casu: sic enim attributionem hic accipit angusta quadã significatione:alioqui non possunt sumi propositiones,nisi termini ita connectantur, vt alij aliquo modo attribuantur,alij subiiciantur, vt dictum fuit cap. 23. Alterum exemplum est:Cuius est scientia, illud est genus : atqui boni est scientia:ergo bonum est genus.

6 *Eodem modo.* Hactenus locutus est de affirmationibus , & syllogismis affirmantibus : nunc transit ad negationes, & syllogismos negantes.&primo loco proponit hoc præceptum,quòd in propositionibus conficiendis aliàs sumenda est recta nominis appellatio,aliàs casus obliquus.

7 *Voputà non est.* Præceptum modò datum illustrat exemplis syllogismorum negãtium,in quibus ambæ propositiones sunt obliquæ,& conclusio recta.Primum exemplum est:Motionis non est motio:atqui voluptatis est motio:ergo voluptas nõ est motio. Alterum exemplum est: Generationis non est generatio: voluptatis autem est generatio:ergo voluptas nõ est generatio.Tertium exemplum est:Ipsius risus est signum: signi autem non est signum : ergo risus non est signum. Obserua , hos omnes syllogismos æquè posse referri ad primã,atque ad secundam figuram:quia idem est maius extremum,& medium. Alexander tamen eos simpliciter refert ad primam figuram , ad quam videtur Aristoteles respexisse.

8 *Similiter [fit.]* Cùm attulerit quædam exempla syllogismorum negãtium,siue accipiantur in prima , siue in secunda figura: nunc generaliter ait idem esse intelligẽdum de omnibus aliis syllogismis negantibus in secunda figura.hoc est , quod ait , similiter fieri , id est, propositiones & conclusiones modò rectas , modò obliquas concipi *in aliis,* (subaudi syllogismis) *in quibus euertitur problema,*id est,cõcluditur negatio,*ex eo quòd genus*(id est,medius terminus,qui in secunda figura habet quodammodo rationem generis, quatenus vtrique extremo attribuitur)*aliquo modo,*(id est,vel in recto,vel in obliquo casu)*ad id* (subaudi,problema) *refertur.* Dicitur genus, id est medius terminus, referri ad problema , hoc est ad terminum problematis , nempe ad maius extremum, cum quo confertur in maiore propositione: & ad minus extremum,cum quo connectitur in minore. Ad hæc igitur duo extrema medius terminus refertur modò in recta,modò in obliqua significatione.

9 *Rursus occasio.* Subiicit exemplum syllogismi negantis in tertia figura: in quo propositiones sunt obliquæ,conclusio recta. In hoc exemplo propositiones obliquæ cõcipiuntur in datiuo casu, cùm in superioribus exemplis sumptæ fuerint in genitiuo.Exemplum tale est: Deo non est tempus opportunum:Deo est occasio:ergo occasio nõ est tempus opportunum. Ad hoc exemplum Aristoteles,cùm ait,*terminos enim,* accommodat præceptum modò traditum, nempe vt sumamus terminos per se , occasionem,tempus opportunum , & Deum:in conficiendis verò propositionibus vtamur iis terminis in eo casu , quem linguæ ratio requirit.

10 *Simpliciter enim.* Simpliciter , id est, generaliter concludit , terminos per se sumi debere *secundum nominum appellationes,*id est,in recto casu: ponendos autẽ esse in pro-

positionibus, modò rectè, modò obliquè, prout varia loquendi postulat.

IN CAP. XXXVII. DE VARIIS ATTRIBVTIONVM generibus.

SEquitur decimum quartum præceptum vt obseruemus varia genera categoriarum, seu varios modos attribuendi. Nam Aristotelis verba duas interpretationes recipere possunt. categorias namque appellat, vel substantiam, quantitatem, qualitatem, &c. de quibus in libro Categoriarum: vel attributiones puras, & modificatas, vt necessarias vel contingentes, sicuti suprà cap. 29. part. II. Vtraque interpretatio verbis conuenit, vtraque rectum habet sensum, & veram sententiam. Græci tamen interpretes priorem expositionem accipiunt. Mihi videtur, cùm verba sint generalia, vtraque interpretatio esse coniungenda, vt omnino inspiciendum sit, cuiusmodi sit attributio, vtrùm essentialis, vt homo est animal: an accidentalis, vt homo est albus: (nam & suprà cap. 27. partic. 6. iubebat distingui attributa seu consequentia essentialia, & accidentalia) rursus sitne attributio pura, an modificata: &, si modificata, vtrùm sit necessaria, an contingens. Nam & modos attributionum supra considerauit, cùm in multis capitibus primi tractatus, tum etiam in calce cap. 29. pertinentis ad secundum tractatum. Hoc præceptum proponit Aristoteles in primis verbis contextus. Postea cùm ait, *atque has*, addit alterum præceptum non planè diuersum, sed quod similiter eò spectat, vt videamus qualis sit attributio, vtrùm scilicèt aliquid attribuatur quadamtenus, an simpliciter. Exempli gratiâ, albor non attribuitur Æthiopi simpliciter, sed secundum quid: quoniam est albus dentes, simpliciter autem non est albus. nix verò simpliciter est alba. Vnde quamuis albor insit & in Aethiope, & in niue: tamen non verè dicitur, Æthiopem esse album, sicut verè dicitur niuem esse albam. Quod quidem in analysi diligenter est obseruandum: quoniam hi termini differunt, esse album dentes, & simpliciter esse album. Tertiò cùm ait, *Item aut simplices*, adiungit aliud præceptum, seu potiùs aliam partem eiusdem præcepti, nempe vt videamus, vtrùm attributio sit simplex, an coniuncta. Simplex est, veluti, cygnus est animal: coniuncta, veluti, cygnus est animal album. Itaque aliter hìc accipitur attributio simplex, quàm in verbis proximè præcedentibus. Quartò cùm ait, *Similitérque*, quoniam hactenus locutus est de propositionibus affirmantibus, nunc docet eadem esse obseruanda in negantibus. Quintò cùm ait, *Hæc autem meliùs*, inquit hæc esse meliùs & diligentiùs consideranda. Quibus verbis non hoc significat, se posteriùs hæc diligentiùs expositurum, sed se paucis verbis esse complexum, ac summatim exposuisse ea, quæ possunt accuratiùs diuidi, & exemplis quæ in contextu sunt omissa, declarari. Hoc autem nobis faciendum relinquit: quia facilè possumus hæc supplere, cùm & decem categoriæ, & modi propositionum sint nobis noti.

IN CAP. XXXVIII. DE ITERATIONE SEV REPETItione termini.

SEquitur decimum quintum præceptum de iteratione, seu repetitione, seu reduplicatione termini, quæ aliquando fit in syllogismis. Præcipit autem Aristoteles, vt eam iungamus maiori extremo. Quod præceptum fuit omnino necessarium: quoniam hoc ignorato, facilè possemus in alterum duorum errorum incidere, id est, vel iterationem iungere medio termino, vel existimare esse in syllogismo quatuor terminos. Vt hoc & sequentia intelligantur, iu primis sciendum est, cùm dicimus aliquid alicui competere quà tale est, nos nihil aliud significare, quàm causam, cur id competat, eam esse, quia tale est, adeo vt idem iis omnibus & solis competat, quæ talia sunt. Verbi gratiâ, si dicamus, animal respirare, quà pulmonem habet significamus pulmonem esse causam respirationis, adeo vt ea omnia & sola respirent, quæ pulmonem habent. vnde hæc propositio est falsa, Animal, quà animal, respirat: quia non omnia animalia respirant. Item hæc est falsa, Homo, quatenus est animal, respirat: quoniam esse animal, non est causa cur homo respiret, alioquin omnia animalia respirarent. Hę verò propositiones veræ sunt, Homo, quà pulmonem habet, respirat: animal, qua animal, est sensu præditum: homo, quà animal, est sensu præditus. Ad probandas huiusmodi conclusiones necesse est sumere medium terminum diuersum à terminis in ipsa conclusione positis. atqui in conclusione videntur esse tres termini: veluti, homo, animal, & respirare, in ea conclusione, Homo, quà est animal, respirat: ergo adiecto medio termino, fient quatuor termini in syllogismo: aut

aut si volumus efficere tres terminos, necesse est, vt eos, qui in conclusione videbantur tres, referamus ad duos tantùm: quod reuera est facio lum, vt duo coniungantur, & pro vna accipiantur. Vnde quaeritur, cui termino illa iteratio sit iungenda. Aristoteles docet iungendum esse maiori extremo, quamuis prima facie videatur potiùs iungenda medio termino, quia plerumque medius terminus reperitur: vt si probes hominem, quatenus est animal, respirare: animal repetitur siue iteratur: nam quia animal, quà animal respirat; & homo est animal, inde concludimus, hominem, quà est animal respirare. Prima igitur facie videntur esse tres termini huius syllogismi, homo, animal, & respirare: nam illa repetitio, quà animal, nec debet facere quartum terminum, nec videtur differre à medio termino, qui est animal. Sed Aristoteles docet, tres terminos esse accipiendos, vt minus extremum sit homo, medius terminus sit animal; maius extremum, respirare quà animal.

1 *Quod autem iteratur.* Initiò proponit praeceptum, vt iteratio iungatur maiori extremo, non medio termino, multò minùs minori extremo.

2 *Verbi causâ.* Datum praeceptum illustrat exemplo, & primò accommodat praeceptum ipsi exemplo. fingit enim hoc problema esse demonstrandum, iustitiae esse scientiam quòd sit bonum: vel iustitiae esse scientiam quà bonum, id est, quatenus ipsa iustitia est quid bonum: & ait illam reduplicationem, *quòd sit bonum*, vel *quà bonum*, esse iungendam primo, id est, maiori extremo: ita vt in hoc problemate intelligamus esse tres terminos: & iustitia sit minus extremum: scientia quòd est bonum, (id est, scire eam esse rem bonam) vel, scientia quàm bonum, sit maius extremum. Secundò cùm ait, *Sit enim*, extruit hunc syllogismum:

Boni est scientia quòd sit bonum:
Iustitia est bonum: Ergo
Iustitiae est scientia quòd sit bonum.

Tertiò cùm ait, *Si verò τῷ β*, ostendit retento eodem exemplo, reduplicationem non posse iungi medio termino. nam si id fiat, maior quidem propositio erit vera, minor autè erit falsa, vel potiùs nullū sensum habebit, sed erit planè inepta. maior enim erit, Boni quòd sit bonum, est scientia: minor autem, iustitia est bonum quòd sit bo-

num: quia nullam potest recipere commodam interpretationem.

3 *Item [...] dicendum*] Subiicit alia tria exempla ad eandem regulam seu praeceptum pertinentia. Primum exemplum est: Omne bonum est scibile quà bonum: at quod salubre est bonum: ergo salubre est scibile quà bonum. Secundum exemplum est: Non ens est opinabile quà non ens: (id est, sic in opinionem cadit, vt opinemur id non esse) atqui hircocerius est non ens: ergo hircocerius est opinabilis quà non ens. Obiter obserua, minorem propositionem non esse negantem, cùm syllogismus sit in prima figura, sed affirmantem attributum infinitum, id est, non ens, de subiecto hircoceruo. Tertium exemplum est: Omne sensibile est interitui obnoxium: quà sensibile: atqui omnis homo est sensibilis: ergo omnis homo est interitui obnoxius, quà sensibilis.

4 *Non [est] autem.* Declarat differentiam inter tria syllogismorum genera, id est, inter syllogismum simplicem omni iteratione carentem, & eum, in quo repetitur siue iteratur medius terminus, qui est essentialis minori extremo, adeo vt [...] ipsum minus extremum quodammodo repetatur; & eum, in quo repetitur medius terminus, qui non significat essentiam minoris extremi. Nam in primo syllogismo medius terminus generalis simpliciter sumitur, vt ens: in secundo repetitur medius terminus specialis: in tertio repetitur medius terminus generalis. Haec perspicuè apparebunt in exemplis quae proponentur in tribus sequentibus particulis. *Ait, cum simpliciter.* Hoc est primum ratiocinationis genus, quò vocatur simplex, id est omni iteratione carens. Ait, *cùm hoc aliquid.* Hoc est secundum genus, in quo medius terminus est hoc aliquid, id est, essentia minoris extremi. Ait, *aut quadamtenus, aut quodammodo.* Hoc est tertium genus, in quo medius terminus, qui iteratur non est essentia minoris extremi. Ait, *Verbi causâ, cùm bonum.* Hoc est exemplum primi generis. Ait, *& cùm ostenditur.* In hoc exemplo est iteratio: proinde est secundum, vel tertium genus.

5 *Verum si simpliciter.* In praeced. partic. tantùm proposuit exempla problematum: quorum vnum erat simplex, bonum esse scibile: alterum habebat iterationem, nempe bonum est scibile quòd bonum: deinceps autem vult syllogismos integros proponere, in quibus appareat discrimen, quod antea attigimus. Incipit ergo à primo genere, id est, à syllogismo simplici, in quo nulla

est iteratio, veluti, Omne ens est scibile, omne bonum est ens, ergo omne bonum est scibile.

6 *Quod [si probetur.]* Sequitur exemplum secundi generis, in quo medius terminus significat essentiam minoris extremi: proinde, dum iteratur medius terminus etiam iteratur minus externum. Exemplum tale est: Expetendi est scientia quòd est expetendum: atqui bonum est expetendum: ergo boni est scientia quòd est expetendum: consequenter boni est scientia quòd bonum, quia supponimus expetendum significare essentiam boni.

7 *Sin ens ponatur.* Sequitur exemplum tertij generis, in quo tantùm medius termi nus repetitur: veluti, Entis est scientia quòd est ens: atqui bonū est ens: ergo boni est sci entia quòd est ens. sed nō propterea boni est scientia quòd bonum: quoniam ens non significat essentiam boni.

8 *Perspicuum igitur.* Concludit, in syllogismis, qui fiunt ex parte, id est, cum adie ctione siue iteratione aliqua, terminos ita esse sumendos, vt iam exposuit. Aliter enim hic accipit syllogismus ex parte, quàm acce pit suprà, vbi distinxit syllogismos particulares ab vniuersalibus.

IN CAP. XXXIX. DE COMMVTATIONE ORATIOnum, & nominum.

1 *Oportet.* Decimum sextum præceptū est, vt in resoluēdis syllogismis, si opus sit, mutemus nomina & orationes, retentis tamen rebus significatis, quò facilior sit resolutio. Hoc præceptum est tripertitum. Primò namque sumere debemus pro nomi ne obscuriori nomen apertius. Secundò pro oratione obscuriore orationem faciliorem, vel breuiorem. Tertiò loco orationis, si fieri potest, sumendum est vnum vocabulum.

2 *Verbi gratiâ.* Affert exemplum dati præcepti: quod tamen exemplum magis Græcę quàm Latinę linguæ est accommodatum. Græcè enim dicitur esse ὅπερ ἀγαθὸν, id est, id quod bonum, quod verè, propriè, & essentialiter est bonum: & dicitur ὅπερ ἀγαθόν, id est, id quod bonum quoddam, quod boni species est. Secundum hæc, homo verè dicitur ὅπερ ζῷον: sed falsò dicitur ὅπερ λευκόν, quàuis verè dicatur λευκός. Hæ igitur duæ orationes, suspicabile est genus opinabilis, & opinabile est id quod suspicabile, idē valēt: sed in priori sunt tria vocabula, suspicabile, opinabile, genus: in posteriori sunt tantùm duo, id est, opinabile, & suspicabile. quapropter sumenda est oratio posterior.

IN CAP. XL. DE ARTICVLIS.

Sequitur decimumseptimum præceptū, quod in iis tantùm linguis vsum habet, in quibus adhibentur articuli. Monet enim Aristoteles, ne confundamus, & pro eodem habeamus nomen cum articulo, & sine articulo. nam sępe articuli magna est vis adeo vt interdum habeat vim notę vniuersalis: interdum significet excellētiam quandam, vt cùm dicimus τὸ ἀγαθὸν, ipsum bonum, id est, summum bonum. Verè enim dices secundum Aristotelem diuitias siue sanitatem esse ἀγαθόν, falsò autem esse τὸ ἀγαθόν, quia non sunt summum bonum.

IN CAP. XLI. QVO DECLARANTVR NONNVLlæ orationes.

Hoc caput declarat aliquot orationes, quarum vis obscura videtur, vt sciamus quomodo in syllogismos resolui debeant. Itaque cùm hactenus dederit præcepta maximè vniuersalia, nunc progreditur ad magis particularia.

1 *Hæc autem.* Quò faciliùs intelligantur, quæ ad hanc & sequentes particulas dicturi sumus: sicut Aristoteles vtitur tribus elementis, α β γ, sic nos vtemur tribus vocabulis, primum, secundum, tertium. α, seu primum significat maius extremum: β, seu secundum, medium terminum: γ, seu tertium, minus extremum. Hoc præmunito, singula explicemus. In hac particula ponit Aristoteles discrimen inter hanc orationem, Cui secundum Inest, ei omni primum inest, & hanc, Cui omne secundum inest, ei omni primū inest. nam prior oratio habet minorem indefinitum, maiorem vniuersalem, ideóque potest resolui in Darij: posterior autem habet vtramque vniuersalem, ideóque resoluitur in Barbara. Exemplum prioris orationis tale esto.

Da Omni pulchro inest expetendum:
ri Atque albo inest pulchrum:
i Ergo Albo inest expetendum.

Idem erit syllogismus, si ita concipiatur:

Da Omne pulchrum est expetendum:
ri Al-

ri Album est pulchrum: Ergo
ri Album est expetendum.

Intellige inesse attributum subiecto. In hoc igitur exemplo & minor conclusio sunt indefinitæ. proinde non est necesse, omne album esse pulchrum, expetendum: sed fortasse album est turpe, & non expetendum, vt oculi albi. Hoc exemplũ proponitur ab Aristot. in contextu, ibi, *Vt puta τὸ β.* Omittit autem exemplum alterius orationis, tamquàm magis perspicuæ. possumus tamen nos id quoque adiungere, veluti: Cui omni inest albor, ei omni inest color: atqui omni cygno inest albor: ergo omni cygno inest color. Idem erit syllogismus, si ita concipias:

Bar Omne album est coloratum:
ba Omnis cygnus est albus: Ergo
ra Omnis cygnus est coloratus:

Adieci terminum expetendum, in contextu omissum, vt perficerem syllogismum, cuius tantùm minorem propositionem Aristoteles proponit.

2 *Itaque si τὸ α.* Proponit orationem non syllogisticam: quia refertur ad coniugationem primæ figuræ inutilem, eò quòd maior propositio est particularis. Propositio namque est, primum inesse secundo non omni. vnde siue sumatur, secundum inesse omni tertio, siue alicui tertio: tamen nihil concludetur. Exempli gratiâ, aliquod animal est quadrupes: omnis homo est animal: ex his propositionibus nihil concluditur.

3 *Si verò de quo.* Sequitur oratio, De quo verè dicitur secundum, ei omni inest primum. Hæc oratio idem valet, ac si dicatur primum attribui omni secundo, veluti corpus attribui omni animali. Vnde si sumatur secundum attribui omni tertio, syllogismus fiet in Barbara. si verò secundum alicui tertio, in Darij.

4 *Quòd si τὸ α.* Sequitur oratio inutilis, De quo omni dicitur secundum, de eo dicitur primum: nam hoc modo fit maior indefinita, & minor vniuersalis in prima figura: id est, primum dicitur de secundo, & secundum de omni tertio: vnde nihil colligitur.

5 *In tribus.* Sequitur oratio, De quo dicitur secundum, de eo omni dicitur primum. Hæc oratio idem valet, ac si dicatur, de omni secundo dici primum: vnde syllogismus fiet in Barbara, vel in Darij. Obseruandum est, ne quis putet Aristotelem sæpe repetere eandem orationem, esse quidem multas ex his orationibus inter se similes, sed nihilominùs differre ratione verbi vt in 3. particula dicebatur, De quo secundum verè dicitur, ei omni primum inest: hic verò dicimus, De quo secundum, de eodem omni primum dicitur. Ergo hæ oratio nes differunt, vt verbum Esse & verbum Dici. Sententia quidem est eadem, sed verba sunt diuersa: Aristoteles autem in præsentia respicit ad verba, & hoc ipsũ est, quod vult docere, alias orationes eãdem vim habere, alias esse diuersas; & alias esse syllogisticas, alias minimè. Ait, *in his tribus terminis*: id est, si proferantur, tres termini reales, in iis intelligimus verũ esse, quod dicimus. Exempli gratiâ, De quo dicitur bipes, de eo omni dicitur animal: atqui bipes dicitur de quodam albo. Nam si omne bipes est animal, & aliquod album est bipes: certè aliquod album est animal.

6 *Non oportet.* Quia proximè dixit, in tribus realibus terminis veritatem apparere, & sæpe vsus est exemplis realibus: ideirco, ne quis putet hæc exempla fallere, quasi doctrina Aristotelis non sit generalis, sed tantùm in his exemplis valeat: monet Philosophus, nihil absurdi ex illis exemplis colligi. i. per ea nos non falli: quoniã his exemplis non vtimur probandi, sed explicandi causâ, probationes autem sunt generales. Hoc declarat exemplo mathematicorum, qui, cum loquuntur, de lineis, & triangulis, hæc in abaco pingunt, & fingunt esse lineã rectam, vel duorum pedum, quæ est obliqua, & multò breuior: & ita multa alia fingunt, quæ non sunt: nec propterea nos fallunt, quia non demonstrant de lineis, vel angulis in abaco pictis, nec per lineas, vel angulos in abaco pictos, sed de iis & ex iis demonstrant, quæ animo concipiuntur, & tantùm explicandi causâ qualitercumque in abaco repræsentantur. Sic igitur & nos non vtimur expositiõe terminorum, id est, non proferimus terminos reales, animal, hominem, album, &c. quasi de his vel ex his aliquid probemus: sed tantùm vt declaremus probationes illas vniuersales, quæ alias sunt obscuriores. Valde enim exempla valent ad doctrinas illustrandas, & ad rudes tyrones instituendos.

IN CAP. XLII. DE RESOLVTIONE SYLLOGISMORVM compositorum.

NVnc specialiter loquitur de syllogismis compositis. sæpe enim contingit, vt vna oratio contineat plures syllogismos

inter se coniunctos. vnde videndum est, quo modo fiat horum omnium resolutio.

1 [*Illud*] *non lateat*. Cùm omnis syllogismus compositus constet ex multis simplicibus: monet Aristoteles, non omnes semper esse referendos ad eandem figuram: interdum enim contingit, vt alij in alijs figuris extruantur: singuli igitur debent in suas figuras resolui. Ait, *non omnes conclusiones per vnam figuram effici*. Caue sic accipias hæc verba, quasi Aristoteles neget fieri posse, vt omnes partes syllogismi compositi referantur ad eãdem figuram. id enim sæpe fit, vt in sorite quem vocant: veluti, omne corpus est substantia, omne viuens est corpus, omne animal est viuens, omnis homo est animal, ergo omnis homo est substantia. Nam si resoluas hunc soritem in multos syllogismos simplices, extrues omnes in Barbara. Tantùm igitur vult Aristoteles docere, hoc non esse necessarium, nec semper fieri, vt omnes syllogismi referantur ad eandem figuram, sed interdum resolui in diuersas.

2 *Quia verò non omne*. Docet, quò resolutio syllogismorũ compositorũ facilior sit, nõ esse ad omnes figuras in analysi respiciẽdum, sed tantùm ad eam vel eas figuras, in quibus problema probari potest. Idem quodammodò docuit suprà cap. 32 part. vlt. sed ibi loquebatur de syllogismis simplicibus: hic verò de compositis. quare in vtrisque hoc præceptum est obseruandum.

IN CAP. XLIII. DE REPREHENDENDA DEfinitione.

HOc caput specialiter pertinet ad problema definitionis, & ad syllogismos, qui definitionem euertunt. Cùm igitur vna definitionis parte reprehensá constet definitionem euerti: inquit Aristoteles, vt analysis facilior sit, non esse pro termino sumendam totam definitionem, sed tantùm eam partem, quæ reprehenditur: quia quò pauciores termini sumuntur, eò facilior est resolutio. Sit (exempli gratiâ) proposita tamquàm hominis definitio, animal rationale grammaticum. si hæc definitio impugnetur, quia non omnis homo est grammaticus, definitio verò debet omnibus sub definito contentis conuenire: in resolutione, & in syllogismo extruendo, omittenda sunt ea vocabula, animal rationale, quæ ad syllogismum non faciunt; & sumendus tantùm ille terminus, grammaticum.

IN CAP. XLIV. DE RESOLUTIONE SYLLOGISMORUM, ducentium ad incommodum, & cæterorum, qui fiunt ex hypothesi.

HOc caput specialiter pertinet ad syllogismos hypotheticos, ad quos refertur syllogismos ad impossibile, suprà didicimus.

1 *Iam verò conari*. Agit de syllogismis hypotheticis: in quibus considerat duas probationes: alteram per syllogismum, quæ reducitur ad aliquam figuram, alteram ex hypothesi, quæ non refertur ad vllam figuram: quod explicat exemplo. Probandum sit hypotheticè, non esse contrariorum vnam scientiam. in primis supponitur, Si non est eadem facultas contrariorum, non esse eandem scientiam: adeo vt syllogismus hypotheticus sit à positione antecedentis ad positionem consequentis: Si non est eadem facultas contrariorum, non est eadem scientia: atqui non est eadem facultas: ergo non est eadem scientia. deinde non esse eandem facultatem probatur syllogismo, quia non est eadem facultas salubris & insalubris. hic igitur syllogismus, qui per salubre & insalubre probat non esse vnam contrariorum facultatem, resoluitur in tertiam figuram, hoc modo: Salubris & insalubris non est eadem facultas: salubre autem & insalubre sunt contraria: ergo quorundam contrariorum non est eadem facultas. Ita contrariorum non esse eandem facultatem, probatũ est syllogismo, & hunc syllogismum resoluimus in tertiam figuram: contrariorum autem non esse eandem scientiam, non est probatum syllogismo, sed ex hypothesi, quoniam ab initio supposuimus non esse vnam scientiam, si probetur non esse vnam facultatem: quæ conditio postea est impleta, cùm probatum fuit non esse vnam facultatem. Hæc igitur probatio hypothetica, qua ostenditur non esse vnam contrariorum scientiam, non resoluitur in aliquam figuram, quia non est syllogismus, id est, non est verus & categoricus syllogismus, sed hypotheticus. Ait, *vt salubris & insalubris*. His verbis continetur medius terminus: proinde, innuitur syllogismus, qui resoluendus est in tertiam figuram, vt suprà exposui. Obiter obserua, syllogismum tertiæ figuræ hic proponi contractum, vt vocatur à Pe. Ramo lib. 2. cap. 10. vbi proponit hæc exempla: Quædam confidentia est

virtus.

virtus, vt constantia: Quædam confidentia non est virtus, vt audacia. Sic Aristoteles in præsentia, Contrariorum non est vna facultas, vt salubris & insalubris. sed differentia in his exemplis est: quòd apud Ramum conclusiones sunt particulares, hic verò apud Aristotelem conclusio est indefinita. Ait, *quia idem simul esset salubre & insalubre.* His verbis probat maiorem illius syllogismi categorici, id est, salubris & insalubris non esse vnam facultatem. Probatio hæc non est categorica, sed hypothetica ducens ad impossibile: ideóque non potest in vllam figuram resolui. est enim syllogismus hypotheticus, quẽ vocant à destructione consequentis ad destructionẽ antecedentis, hoc modo: Si salubris & insalubris est eadẽ facultas, idem erit salubre & insalubre: atqui falsum & impossibile est posterius: ergo & prius. Hæc tamen verba à quibusdam scriptis libris absunt, & sine vllo doctrinæ Aristotelicæ detrimento possunt omitti. Verùm in aliis leguntur: & Alexander quoque ea agnoscit. Vtrauis lectio probetur, haud in magno ponam discrimine.

2 *Similis [est] ratio.* Quod dixit de hypotheticis, quibus ex consensu, & conuentione præcedente, aliquid probatur, nunc producit ad alios syllogismos hypotheticos, qui ducunt ad impossibile. hic deductio ad impossibile resoluitur in figuram, & modum, quia fit categoricè: probatio verò conclusionis principalis non potest resolui, quia non est syllogismus categoricus, sed tantùm probat ex hypothesi; quia si neganda est cõtradictio problematis, eò quòd ex ea sequitur aliquod absurdum, certè concedendum est ipsum problema, cùm semper altera pars contradictionis sit vera, altera falsa.

3 *Differunt autem.* Cùm exposuerit id in quo conueniunt syllogismi hypothetici, de quibus dictum fuit in prima parte: & ducentes ad impossibile, de quibus in secunda parte. nunc declarat eorum discrimen. nam primi illi hypothetici probabant principalem conclusionem ex præcedente conuentione: veluti cùm prius conuenisset, si contrariorum non est vna facultas, etiam non esse vnam scientiam concedi oportere; postea probabatur, non esse vnam facultatem. in his autem qui ducunt ad impossibile, non est opus vlla conuentione præcedente. Discriminis ratio est: quoniam hypothesis, quæ accipiebatur in primis syllogismis, nõ omnino erat euidẽs. vnde aduersarius, nisi ab initio eã concessisset, post categoricum syllogismũ prolatũ, facile eã negaret, cùm alias intelligeret se esse cõuictum. cũ enim defendat contrariorũ esse vnã sciẽtiam: si prius ostendas non esse vnam facultatem; & postea supponas, si non est vna facultas, non esse vnam scientiam: sine dubio negabit eam suppositionem. alia ratio est syllogismorum ducentium ad impossibile: quoniam absurditas, ad quam deducunt, est euidens & manifesta: vt in exemplo, quod Aristoteles in contextu proponit, si dicatur dimetientem & latus quadranguli habere cõmunem mensuram; inde colligitur, imparia esse paribus æqualia: quod nemo sana mente præditus concedet.

4 *Multi quoque.* Ne putemus eos tantùm esse syllogismos hypotheticos, quorum mentionem suprà fecit, ait esse plura hypotheticorũ syllogismorum genera, quæ sunt accuratiùs ac dilucidiùs explicanda: quam explicationem se posteriùs traditurum pollicetur. Sed vel postea promissa non præstitit, vt Philoponus ex interpretibus notat, vel eius tractatus de syllogismis hypotheticis iniuriâ temporum periit. Nos quædam notauimus ad 6. partic. cap. 29. & Institutionum logicarum cap. 11.

IN CAP. XLV. DE RESOLVTIONE SYLLOGISMORVM vnius figuræ in aliam.

POstquàm docuit, quomodo ex orationibus confusis & indigestis eruantur syllogismi, ac resoluantur in figuras & modos: nũc docet, quomodo syllogismi in quacumque figura extructi possint in alias figuras resolui: idque singillatim docet de singulis syllogismorũ figuris, & modis. Si obiicias, Aristotelem suprà in primo huius libri tractatu resoluisse secundam & tertiam figuras in primam, ideóque hæc frustra in præsentia repetere: respondebo, inter illam & hanc doctrinam esse discrimen. nam ibi non spectabatur problema, sed tantùm syllogismus, id est propositionum coniugatio vim habens quidnis probandi: atque illa vis probandi siue inferendi conclusionem aliquam ostendebatur per regulam De omni, vel De nullo, in syllogismis perfectis; per reductionem verò ad primam figuram in syllogismis imperfectis, qui per hanc reductionẽ perficiuntur. hic verò certum est problema, quod cùm possit probari in pluribus figuris, docet Aristoteles, quomodo probatio in v-

nã figurã facta possit in aliam figurã resolui. itaque propriè loquendo, hîc agitur de resolutione, ibi de perfectione syllogismorũ. Iã verò vt huius capitis doctrina facilè intelligatur, & memoriæ mandetur, tria sunt generaliter notanda. Primò notandum ex prima figura oriri secundã & tertiam, id est, ex conuersione maioris propositionis oriri secundã figuram, ex conuersione minoris tertiam. Vnde si vis resoluere syllogismum primæ figuræ in secundã, debes cõuertere maiorem: aut si conuertenda sit minor, debes eam facere in prima figura maiorem. tunc enim est conuertenda minor, cùm est negatiua: quia semper resolutio fit primæ figuræ in secundã, vel secundæ in primam, per conuersionẽ propositionis vniuersalis negantis. Quòd si velis resoluere primam figuram in tertiam, debes conuertere minorem. similiter si resoluas tertiam in primam, debes aut conuertere minorem; aut, si conuertas maiorem, vt interdum fit, debes transponere propositiones; quia omnino propositio conuersa, debet fieri minor in prima figura. Denique si resolnas secũdam in tertiam, vel tertiã in secundã, debes conuertere vtramq; propositionem. Secundò notandum, ita demum fieri resolutionem ex vna figura in aliam, si problema in vtraque probari possit. vnde syllogismus inferens conclusionem affirmantem, nõ potest resolui in secundam figuram, & colligens conclusionem vniuersalem, non potest resolui in tertiam figuram. Postremò notandũ, omnes resolutiones indicari illis syllogismorum nominibus, Barbara, Celarẽt, &c. sed hîc notetur, modos à litera B incipientes non posse resolui in aliam figuram: nempe Barbara in prima figura, Baroco in secunda, & Brocardo in tertia. Reliqui omnes modi resoluuntur in alios modos aliarum figurarum incipientes ab eadem litera, vt Ferio, Festino, & Ferison, in se inuicem resoluuntur. Cùm autem in alia figura reperiuntur plures modi incipiẽtes ab eadem litera, debes resoluere in eum modum, à quo abest litera M. id est, in quo non est facienda propositionum transpositio. Secundum hanc regulam reduces Celarent ad Cesare, non ad Camestres: resolues autem tam Cesare, quàm Camestres, in Celarent: nimirum quia in prima figura vnus modus est, Celarent, incipiens à litera C, in secunda verò duo sunt modi, Cesare, & Camestres.

1 *Quacumque autem.* Initiò proponit sententiam generalem, quòd syllogismus ex vna figura in alteram resolui potest, dummodò problema in vtraque figura probari possit. Secundò cùm ait, *vt [syllogismum,]* dat exemplum primæ & secundæ figuræ, quæ in se inuicem resoluuntur. Tertiò cùm ait, *non omnes autem*, docet excipi quosdam syllogismos. quinam verò illi sint, in præsentia non aperit, sed ait se in sequentibus particulis expositurum: vbi ostendet non posse resolui in aliam figuram, licèt in ea probetur idem problema, hos duos modos, Baroco & Brocardo. Non addo Barbara, qui ideo non potest resolui in aliam figuram, quòd conclusio vniuersalis affirmans non potest in alia figura probari.

2 *Nam si τῷ α.* Deinceps singillatim expendit syllogismos, quorum conclusiones in pluribus figuris probari possunt. & primò docet resolutionem primæ figuræ in secundam, incipiens à resolutione τοῦ Celarent in Cesare, quæ fit per simplicem conuersionem maioris. Exempla huius & sequentium resolutionum quia subieci contextui, nolo hîc frustra repetere.

3 *Similitérque.* Resoluit Ferio in Festino, similiter per conuersionem maioris.

4 *Ex syllogismis.* Transit ad resolutionem secundæ figuræ in primam: & generaliter in hac particula docet, quinam syllogismi possint, aut non possint ita resolui: atque ait vniuersales, nempe Cesare & Camestres, resolui in primam figuram, id est, in Celarent: ex particularibus verò vnum tantùm, id est Festino, resolui in Ferio; alterum, id est Baroco, non posse resolui in primam figuram.

5 *Insit enim.* Resoluit Cesare in Celarent eodem modo, quo suprà resoluit Celarent in Cesare, id est, per simplicem conuersionem maioris propositionis. Coniunge partic. 7. cap. 5.

6 *Quòd si affirmatio.* Resoluit Camestres in Celarent, per simplicem conuersionem minoris propositionis, & conclusionis, & transpositionem propositionum. Hæc resolutio exposita est partic. 8. cap. 5. Ait, *si affirmatio iungatur τῷ ς*, id est, si minor propositio neget, (nam τὸ ς, est minus extremum) & maior affirmet. Ait, *primus terminus poni debet τὸ γ*: id est, τὸ γ, quod in Camestres est minus extremum, debet in resolutione sumi pro maiore extremo in Celarent: ita vt attribuatur tam medio termino in maiori propositione, quàm

quàm minori extremo in couclusione.

7 *Si verò syllogismus.* Resoluit Festino in Ferio, per simplicem conuersionem maioris propositionis. Hæc resolutio fuit exposita particulá 15. eiusdem capitis 5. Eodem modo paulò antè resoluit Ferio in Festino.

8 *Cùm autem.* Ostendit Baroco non posse resolui in primam figuram: quia maior propositio, cùm sit vniuersalis affirmans non potest conuerti simpliciter. quòd si conuertatur per accidens, fiet ex vniuersali particularis. atqui etiam minor est particularis. erunt igitur ambæ propositiones particulares, ex quibus nihil concluditur, ideóque in partic. 16. dicti capitis 5. Baroco non confirmabatur per conuersionem, sed per deductionem ad impossibile.

9 *Rursus* [*syllogismi.*] Hactenus de prima & secunda figura: sequitur mutua resolutio primæ & tertiæ figuræ. In hac particula duo continentur. Primò inquit Aristoteles, non omnes syllogismos tertiæ figuræ resolui in primam; nempe quia excipitur Brocardo. Secundò cùm ait, *sed qui sunt*, docet, omnes syllogismos primæ figuræ resolui in tertiam. Intellige omnes syllogismos particulares, id est, Darij, & Ferio. Nam Barbara & Celarent non possunt resolui in tertiam figuram: immo Barbara in nullam aliam figuram resolui potest. Cur ergo Aristoteles simpliciter ait *omnes*, cùm duo tantùm resoluantur, & totidem non resoluantur? Memineris Aristotelem in hoc capite loqui de iis solis syllogismis, quorum conclusiones in vtraque figura probantur, vt constat ex prima particula. nam alioqui frustra resolutio quæreretur. suprà namque non semel monuit, id est, cap. 32. particula vltima, & capite 42. partic. 2. non esse quærendum syllogismum in ea figura, in qua couclusio probari nequit. Itaque de Barbara in toto hoc capite nullum verbum. Similiter Cesare hic non considerat, cùm agamus de resolutione facienda in tertiam figuram, in qua non probatur conclusio vniuersalis.

10 *Insit enim.* Resoluit Darij in Darisi, per simplicem conuersionem minoris propositionis.

11 *Itidémque si priuatiuus.* Resoluit eodem modo Ferio in Ferison, id est, per simplicem minoris conuersionem, & exemplo.

12 *Ex syllogismis.* Transit ad resolutionem tertiæ figuræ in primam: & primùm generaliter docet quinam syllogismi tertiæ figuræ sic resoluantur, inquiens omnes resolui, excepto vno, id est, Brocardo.

13 *Attribuatur enim.* Resoluit Darapti in Darij per accidentariam conuersionem minoris propositionis Hæc resolutio exposita fuit partic. 6. cap. 6.

14 *Et si non.* Resoluit Datisi in Darij, per simplicem conuersionem minoris propositionis. Vide particulam 13. dicti cap. 6.

15 *Quòd si non.* Resoluit Disamis in Darij, per simplicem conuersionem maioris propositionis, & conclusionis, adhibitâ transpositione propositionum. Hæc resolutio exposita fuit eodem capite sexto, particula 12.

16 *Et si priuatiuus.* Resoluit Felapton in Ferio per accidentariam conuersionem minoris propositionis. Coniunge partic. 7. dicti cap. 6.

17 *Similiter fiet.* Resoluit Ferison in Ferio per simplicem conuersionem minoris propositionis, vt fuit expositum eod. cap. 6. partic. 17.

18 *Si verò in parte.* Ostendit Brocardo non posse resolui in primam figuram: quia minor propositio, cùm sit vniuersalis affirmans, non potest conuerti, nisi in particularem: quo facto ambæ propositiones erunt particulares: proinde nihil concludent.

19 *Perspicuum autem.* Ex dictis concludit resolui primam figuram in tertiam, & tertiam in primam, per conuersionem minoris propositionis. quamuis enim interdum conuertatur maior, vt in Disamis; tamen per transpositionem euadit minor, atque ita fit transitus, id est, resolutio in primam figuram.

20 *Ex* [*syllogismis.*] Sequitur resolutio secundæ figuræ in tertiam. Ait igitur, ex syllogismis, qui sunt in media figura, (subaudi quorum conclusio potest probari etiam in tertia figura: quod perinde est, ac si dicamus ex syllogismis particularibus; quia in tertia figura non probatur conclusio vniuersalis) ex his igitur syllogismis alterum, id est Festino, resolui in tertiam figuram, nempe in Ferison; alterum, id est Baroco, non resolui in tertiam figuram, quemadmodum nec in primam resoluebatur.

21 *Cùm enim.* Resoluit Festino in Ferison per simplicem conuersionem vtriusque propositionis.

22 *Cùm autem.* Ostendit Baroco non resolui in tertiam figuram: quia conuersione facta, non habebimus vllam propositionem vniuersalem: vnde non erit syllogismus. maior enim quæ est vniuersalis affirmans, conuertitur in particularem affirmantem: minor autem, quæ est particularis negans, non conuertitur, nisi fortè ratione materiæ, quia sit materia impossibilis, veluti, quidam homo non est lapis, & quidam lapis non est homo: sed tunc ambæ propositiones sunt particulares, ideóque nihil concludunt.

23 *Ex tertia quoque.* Transit ad resolutionem tertiæ figuræ in secundam, & resoluit Felapton & Ferison in Festino. Ait igitur *cùm priuatiuum* [*pronunciatum*] *est vniuersale*, id est, cùm propositio negans in tertia figura, est vniuersalis, vt contingit in Felapton, & Ferison, resolutionem fieri in tertia figura: quod declarat exemplo: *Sit α* [*inest*] *nulli γ*, (hæc est maior propositio in Felapton, vel Ferison) *& τὸ β* [*inest*] *alicui γ*, (hæc est minor in Ferison) *vel τὸ β* inest *omni γ*: (hæc est minor in Felapton) fit resolutio in Festino: *etenim τὸ γ* inest *nulli α* (hæc est maior conuersa) *&* idem *α* inest *cuidam β*. hæc est minor conuersa. nam etiamsi alia sit minor in Felapton, alia in Ferison, quia illa est vniuersalis, hæc particularis: tamen vtrobique conuersa est eadem; quia tam vniuersalis affirmans, quàm particularis affirmans conuertitur in particularem affirmantem. vide exempla, quæ contextui subieci.

24 *Si verò.* Ostendit Brocardo non resolui in secundam figuram: quia maior propositio, cùm sit particularis negans, non conuertitur. Adde, quòd minor, cùm sit vniuersalis affirmans, conuertitur in particularem: qua conuersione facta, reperientur ambæ propositiones particulares.

25 *Perspicuum igitur.* Ex dictis colligit, *eosdem syllogismos*, id est, Baroco & Brocardo, *non resolui in his figuris*, id est, ex secunda in tertiam, vel ex tertia in secundam, *qui nec in primam resoluebantur*, ideóque cùm sunt confirmandi per primam figuram, ad eam non referuntur per conuersionem propositionũ, sed per deductionem ad impossibile, vt de Baroco expositum fuit cap. 5. partic. 16. & de Brocardo cap. 6. particula 15.

26 *Quomodo igitur.* Hæc particula continet epilogum huius capitis.

IN CAP. XLVI. DE ATTRIBUTIS FINITIS, VEL INFINITIS & de habitibus, vel priuationibus.


Hoc capite declarat Philosophus differentiam inter attributum finitè negatum, veluti, non est album; & attributum infinitè affirmatum, veluti est non album: vnde colligit diuersas esse eorum resolutiones, cùm alterum syllogismo negatiuo probetur, alterum affirmatiuo.

1 *Refert autem.* Ostendit hanc considerationem, qua quæritur, an idem valeant attributum negatum & attributũ infinitum, pertinere ad resolutionem syllogismorum; vt sciamus, ad quam figuram, & ad quem modum resolutio fieri debeat: quandoquidẽ non eodem modo probantur affirmationes & negationes.

2 *Neque enim.* Proponit duplex discrimen attributi negati & attributi infiniti. Alterum est: quòd non idem significant: alterum est, quòd per vnum non fit negatio opposita affirmationi, per alterum non item. quod declarat hoc exẽplo: Aliud significat non est album: aliud, est non album: & illa est negatio opposita affirmationi, est album. hæc verò minimè, quia non est negatio, sed affirmatio.

3 *Cuius* [*rei*] *ratio.* Deinceps tribus argumentis probat expositas differentias. Primum, quod proponitur in hac particula, sumitur ab analogia: qui locus proponitur 1. Top. cap. 17. part. 1. Primò Aristoteles sumit hanc hypothesim, eandem esse rationem attributionum, quæ habent verbum *nouit* seu *scit*, vel verbum *potest*, vel verbum *est*. verbi gratiâ, quam rationem habet hæc attributio *potest ambulare*, ad hanc, *potest non ambulare*: eandem habet hæc, *est album*, ad hanc, *est non album*: & hæc, *scit bonum*, ad hanc, *scit non bonum*: quia semper eadem est enunciationum forma; cùm semper aduerbium NON, subiiciatur verbo, & præponatur attributo. Secundò cùm ait, *quoniam hæc*, probat eam analogiam seu similitudinẽ dictarum attributionum: quoniam ea verba, *potest*, & *scit* seu *nouit*, resoluuntur in verbum *est*, & participium veluti, *potest ambulare*, idem valet, quod, *est potens ambulare*: & *scit bonum*, idem valet, quod, *est sciens bonum*. Hæc Aristoteles primo loco docet de affirmationibus. Deinde, cùm subiicit, *quapropter etiam*, per argumentum ab oppositis, (qui est secundus locus 7. libri Top.) colligit idem esse dicendum de negationibus oppositis: veluti idem valent, *non potest ambulare*, & *non est potens ambulare*. Atque hæc duo, quia pertinent ad probationem eiusdem hypotheseos, coniunctim refero ad secundum membrũ huius particulæ. Tertiò cùm ait, *si igitur hoc*, adiungit alteram hypothesim, seu præmunitionem:

tionem, declarans differentiam inter has attributiones, *potest non ambulare*, & *non potest ambulare*; nec non inter has, *nouit non bonum*, &, *non nouit bonum*. Hæc autem differre probat syllogismo hypothetico, quo arguit à destructione cōsequentis ad destructionem antecedentis, hoc modo: Si hæc duo idem significant, *non potest ambulare*, & *potest non ambulare*: vel, *nouit non bonum*, & *non nouit bonum*: eueniet, vt cōtradictio vtraque pars simul vera sit: atqui hoc est falsum, & impossibile: ergo & illud, ex quo sequitur Huius syllogismi Aristoteles primùm proponit propositionem hypotheticam. Deinde ibi, *affirmatio verò*, subiicit propositionem categoricam, conclusio est supplenda. Cùm ait, *hæc simul inerunt in eodem*, sensus est, has duas orationes, quæ subiiciuntur in contextu, simul esse veras. Vnde si essent affirmatio & negatio oppositæ, vtraque pars contra dictionis esset vera. Cùm igitur mox subiicit, *quoniam idem*, proponit illas binas orationes. Particula, γὸ, *quoniam*, hoc loco est explicandi nota. Sunt igitur enunciationes hæ, *potest ambulare*, & *potest non ambulare*: itē, *est sciens boni*, & *est sciens non boni*: *vel scit bonum*, & *scit non bonum*. Quartò cùm ait, *quemadmodum igitur*, ex dictis hypothesibus seu præmunitionibus colligit argumentationem principalem, qua colligit idem esse dicendum de attributionibus habentibus verbum *est*, quod dictum fuit de habentibus verbum *potest*, vel, *nouit*. Consequētiam probat ab analogia: *quia si ex analogia altera sint diuersa, etiam altera* [*ita se habent.*] Vt hoc facilè intelligatur, describantur in typo quatuor analoga hunc in modum:



Analoga sunt α β γ δ: quia vt se habet α ad β, ita etiā γ ad δ. quoniā igitur α & β diuersa sunt, vt suprà fuit probatum: apparet, etiam γ & δ diuersa esse.

4 *Neque* [*idem est.*] Sequitur secundum argumentum ad probandum eandem conclusionem, quod sumitur à subiecto, qui est sextus locus septimi Topici. Hic Aristoteles mutat exempla: quod etiam faciet in seq. particulā: vt non solùm multitudine rationum, sed etiam multitudine exemplorū, in quibus vera sententia eius repetitur, maiorem fidem faciat. Ait igitur, hæc duo, *esse non æquale*, & *non esse æquale*, non idem valere: quoniam illi subiicitur aliqua res, huic verò nihil. Etenim si non æquale, est aliquid: sed si non est æquale, potest esse nihil. hæc enim est pura negatio: illa verò est affirmatio. Inde Aristot. cùm ait, *Idcirco non omne*, ex dictis colligit, non omne esse æquale vel inæquale: quia quod non est, neque est æquale neque inæquale: sed omne esse æquale vel non esse æquale: quia hæc est cōtradictio: & de eo quod non est, verè dicitur non esse æquale, licèt falsò dicatur esse inæquale.

5 *Præterea hæc.* Sequitur tertium argumentum, sumptum ab adiuncto, qui est sextus locus septimi Topici. Atqui superiorem quoque locum dixi esse sextum: nēpe quia Aristo. 7. Top. vtrumque locum simul declarat, à subiecto, & ab adiuncto. Vis huius argumenti in eo consistit, quod negatio finita, & attributio infinita, nō sunt semper simul veræ: consequenter non sunt eædem: quia vni attribuitur veritas, alteri falsitas. Quod declarat Aristoteles hoc exemplo: Sint hæ duæ attributiones, *non est lignum album*, & *est lignum non album*: vtrique adiungatur idem subiectum, putà lapis: illa propositio erit vera, *lapis non est lignum album*; hæc autem falsa, *lapis est lignum non album*. Quapropter hę attributiones non idem valent, sed attributio infinita differt à negatione finita.

6 *Quare perspicuum.* Concludit attributionem infinitam, veluti, *est non bonum*, nō esse negationem: quia probauit differre à negatione. Inde colligit esse affirmationem: quia omnis enūciatio est vel affirmatio, vel negatio & cùm sit affirmatio, deinde quærit, quænam sit illius negatio: quoniam in libro de Interpretatione iam docuit omni affirmationi opponi negationem, & omni negationi affirmationem. ca. 7 part. 11. & 12. ac docet huius infinitæ affirmationis, *est non bonum*, negationem esse, *non est non bonum*. subaudi in vtraque subiectum, veluti, *animal est non bonum*, *animal non est non bonum*.

7 *Habent autem.* Declarat ordinem inter quatuor attributiones, affirmantem finitam, negantem finitam, affirmantem infinitam, & negantem infinitam. Omittit breuitatis studio subiectum, quia tota hæc doctrina refertur ad attributum, id si sup-

uti, *non omnia animalia sunt alba*, aut *non est*, *vnumquodque animal album*. nam hæc perinde valeant, ac si quis diceret, aliquod animal nō est album affirmatio verò est falsa, veluti, *omne animal non est album*. Secundò cùm ait, *Similiter huius*, docet alterum discrimen inter has enunciationes: quoniam illius affirmationis, *omne animal est album*, hæc non est negatio, *omne animal est non album*, sed ista, *nō omne animal est album*. Confer hanc partic. cum 2. partic. nam in vtraque traduntur eædem duæ differentiæ inter negationem finitam & affirmationem infinitam: sed ibi loquebatur de propositionibus indefinitis, veluti, *animal est album*, hic verò de definitis, veluti, *omne animal est album*, &c.

10 *Cùm autem constet*. Postquàm exposuit discrimen inter illas attributiones, non est albū, & est nō albū: nūc inde colligit diuersas esse earum resolutiones: (hic enim est scopus huius tractatus) quoniam altera refertur ad syllogismum affirmatiuum, qua dicitur esse nō album: altera ad negatiuum, qua dicitur non esse album. Hæc particula habet plura membra. Primò Aristoteles ex dictis colligit, quod modò proposui, id est, quia *esse non album*, est affirmatio & , *non esse album*, est negatio, ea non posse probari eodem modo: nempe quia modi syllogismorū partim sunt affirmantes, partim negantes: qui non debent confundi; quia nec syllogismus affirmatiuus probat negationem, neque negatiuus affirmationem. Secūdò cùm ait, *perspicuum* [*est*,] quod modò dixit, declarat exemplis, & proponit tres conclusiones, quæ non probantur eodem modo: quia prima & secunda sunt negantes, tertia est affirmans. Prima conclusio est, *quodcumque est animal, non est album*: quod perinde valet, ac, nullum animal est album. est igitur vniuersalis negatio pura, quæ probatur in Celarent, vel Camestres, vel Cesare. Secunda conclusio est, *contingit non esse album*. Hic Aristoteles breuitatis causā omittit subiectum, quod ex præcedenti exemplo est repetendum, vt conclusio sit, contingit, quodcumque est animal, non esse album, id est, contingit nullum animal esse album: hæc re vera est affirmatio, cùm modus *contingit*, affirmetur, vt didicimus ex libro de Interpret. ab Aristotele tamen in hoc libro Priorum accipitur quasi negatio; quia probatur iisdem modis, quibus negatio, quemadmodum suprà docui: de omnibus propositionibus & conclusionibus modificatis. Tertia conclusio est, verè dicitur non album. Hic quoque supplendum est subiectum, vt conclusio sit, Verè dicitur, quodcumque est animal, esse non album. est igitur conclusio vniuersalis affirmans, quę habet attributum infinitum. Tertiò, cùm ait, *Sed hac*, proponit duas cōclusiones, quas ait probari eodē modo, quia sunt ambæ affirmantes, quāuis altera habeat attributum finitum, altera infinitum. Prior conclusio est, verè dicitur omne animal esse album. Posterior est, verè dicitur omne animal esse non album. vtrumque ait probari adstruendo per primā figuram, id est, in modo affirmatiuo Barbara. quod confirmat ex eo, quia illud verbum, *verè dicitur*, seu *verum est*, æquè affirmat, ac verbū *est*: & (vt fuit suprà expositū) hæc non est negatio, esse non albū: sed hæc, nō esse albū. Quartò, cùm ait, *Quòd si* [*hoc*,] apertius explicat, quomodo hæ cōclusiones sint probandæ, facto initio à syllogismis affirmatiuis, qui extruuntur in Barbara. hi verò duo sunt. Vnus ex maiori extremo finito constans, ita erigitur: Quicquid est animal, est musicum: omnis homo est animal: ergo omnis homo est musicus. Alter syllogismus huic similis habet maius extremum infinitum, nempe, Omne animal est nō musicum: omnis homo est animal: ergo omnis homo est non musicus. Horum syllogismorum omittitur in contextu minor propositio. Quintò, cùm ait, *At verò quodcumque*, transit ad exemplum conclusionis negantis, *Quodcumque est homo, non est musicum*, id est, nullus homo est musicus: quam ait probari in dictis tribus modis, id est, in modis illis antea expositis, Celarēt, Cesare, Camestres. In Celarent ita extruitur syllogismus: Nullum animal est musicū: omnis homo est animal: ergo nullus homo est musicus. In Cesare sic: Nullum musicum est animal: omnis homo est animal: ergo nullus homo est musicus. In Camestres autem non potest probari per medium terminum animal: sed sumi debet terminus conuerso modo, id est, qui attribuatur musico, & negetur de homine, veluti, omnis musicus est sciens, nullus homo est sciens, ergo nullus homo est musicus.

11 *Simpliciter autem*. Hactenus locutus est de attributionibus finitis vel indefinitis, vt est bonum, non est bonum, &c item de habitibus, & priuationibus, vt æquale, & inæquale, &c. & inter ea docuit certam proportionem: nunc quasdam partes eius proportionis, supponens, vult reliquas partes generaliter demonstrare: proinde vtitur (vt solet) elementis, quibus possint accommodari quæcumque exempla. Sumit igitur quatuor terminos, vt antea, α β γ δ; sed aliter eos disponit. nā suprà posuit γ sub β & δ

ſub α: hic autē ponit γ ſub α, & δ ſub β. nam his elementis pro libitu vtimur. Typus igitur paulò aliter eſt delineandus, quàm ſuprà, nempe hoc modo:

non æquale	α	β	æquale
inæquale	γ	δ	non inæquale

Hoc typo poſito, ad explicationem textus accedo: in quibus Ariſtoteles quædā ſumit pro confeſſis, & ex his alia quędam colligit, cùm enim ſex in hoc typo ſiut collationes, vt ſuprà notaui: tres Philoſophos ſupponit: α ε, α γ, γ δ: reliquas tres probat, α δ, ε γ, ε γ. Sed hæc latiùs explicemus. Primò ſupponit, aut verum eſſe α aut ε, ita vt nec poſſint eſſe ſimul vera, nec ſimul falſa; ſed ſem per vnum verum, alterum falſum. Secundò ſupponit, eodem modo ſe habere γ & δ, id eſt, alterum ſemper eſſe verum, alterum falſum. Tertiò ſupponit valere conſeqoentiam à γ ad α, non contrà ab α ad γ. His tribus ſuppoſitis, tria inde colligit. Primò valere conſequentiam, à ε ad δ, non contra à δ ad ε. Secundò à & δ poſſe eſſe ſimul vera. Tertiò β & γ noo poſſe eſſe ſimul vera. Quod ad ſeriem & methodum Ariſtotelicam attinet, Primò proponit Philoſophus hanc ſentētiam, quam modò expoſui. Secundò cùm ait, *Primùm igitur*, probat valere conſequentiam à ε & δ: quia poſito ε, niſi pooatur δ, oportebit ponere γ: iam enim ſuppoſuimus ſemper verum eſſe aut γ, aut δ) poſito autem γ, pooitur α: (nam ſuppoſuimus valere conſequentiam à γ ad α) ergo poſito β, ponetur α: quod eſt abſurdum, & contra primā hypotheſim, quia ſuppone bamus α & ε non poſſe eſſe ſimul vera. Tertiò cùm ait, *Rurſus quia*, probat α & δ poſſe eſſe ſimul vera: quia ſuppoſuimus, poſito α, non ſemper poni γ: ſed interdum α eſſe verum, & γ falſum, quòd ſi γ eſt falſum, δ eſt verum, per ſecundam hypotheſim. ergo hoc caſu α & δ ſunt ſimul vera. Quartò cùm ait, *verùm τὸ β*, probat γ & β non poſſe eſſe ſimul vera: quia poſito γ, ſemper ponitur α, per tertiam hypotheſim: conſequenter deſtruitur β, per primam hypotheſim. Quintò cùm ait, *Perſpicuum igitur*, probat non valere conſeqoentiam à δ ad β, id eſt, poſito δ, non ſemper poni β: quia in tertio membro huius particulę fuit probatum, vrà cum δ interdum eſſe verum α: nunquam per primam hypotheſim non poteſt eſſe verum ε.

12 *Interdum verò.* Monet, interdum videri valere conſequentiam à δ ad ε, cootra id quod proximè docuit: ſed id propterea contingere, quòd malè accipiuntur oppoſita, id eſt, pro negatione oppoſita accipitur, quæ reuera non eſt talis. Deinde cùm ait, *vt ſi τὸ α*, proponit exemplum alphabeticum, in quo dictus error admittitur. ſumit enim quatuor literas, quæ ita ſunt diſponendæ:

α		ε
γ		δ

Supponit aotem regulas ſuprà traditas de α ε, de γ δ, & de α γ: id eſt, vel eſſe α vel ε. item vel eſſe γ, vel δ: ac valere conſequentiam à γ ad α quibus poſitis analogia ſuprà declarata requirit, vt conſequentia valeat à ε ad δ, nō à δ ad ε. dubitādi autē cauſâ Ariſtoteles probandā proponit conſequētiam oppoſitam, id eſt, à δ ad ε. Vt omnia perſpicuè intelligas, obſerua analogiam in dictis quatuor terminis hanc eſſe: vt ex vna parte antecedens ſit ſoperiori loco, conſequens inferiori; ex altera è contrario antecedens ponatur inferiori loco, conſeqnens ſuperiori. Secundum hanc analogiam ſi γ eſt antecedens, α conſequens, id eſt, ſi valet conſequentia à γ ad α: opus eſt, vt ab altera parte β ſit antecedens, δ conſequens. ſed iam oppoſitum dubitādi causâ probabitur. Tertiò cùm ait, *Sumatur enim*, dictis quatuor terminis, α β γ δ, adiūgit alios duos ζ, θ: quorum illum accipit tanquàm negationē τοῦ α ε. hunc, tamquàm negationē τοῦ γ δ. Diſponeudi ſunt termini hunc in modum, adiectis perſpicuitatis causâ terminis realibus.

α	ε	ζ
noo eſt bonū	eſt bonum	neque non eſt bonum, neque eſt bonum.
eſt non booū	eſt non oōbonū	neque eſt bonom. neque nō eſt non bonum.
γ	δ	θ

Quartò cùm ait, *neceſſe igitur*, erigit probationem, qua vult confirmare cōſequentiam à δ ad β hic conſiderat tres conſequentias, primam à γ ad α, ſecundam, à ζ ad θ, tertiam à δ ad ε. Prima conſequentia patet ex hypotheſi: quia tales terminos ſuppoſuimus ab initio. Ex hac colligitur ſecunda conſequentia; quia cùm ſupponamus τὸ ζ eſſe negationē τοῦ α, & τὸ θ eſſe negationē τοῦ γ, analogia expoſita requirit, vt quē admodū prima cōſequētia adſcendit à γ ad α, ita ſecūda deſcendat à ζ ad θ. Similiter ex ſecunda colligitur

1 igitur tertia consequentia à δ ad β: quia similiter supponimus τὸ ζ esse negationem τοῦ β, & τὸ θ esse negationem τοῦ δ: vnde eadem analogia postulat, vt sicuti consequentia descendit à ζ ad θ, ita adscendat à η ad ε: quod erat probandum. Summa huius probationis est: si valet cõsequentia à γ ad α, valet etiam à ζ ad θ: atqui si valet à ζ ad θ, valet etiã à δ ad ε: ergo si valet à γ ad α, valet etiam à δ ad β. Quintò cùm ait, *quod tamen*, refutat dictam consequentiam à δ ad γ, quam disputandi causâ modò probauit. refutationem autem colligit ex iis quæ suprà docuit: nam in superiori partic. ostendit, α β γ δ, ita esse inter se affecta: vt cùm valeat consequentia à γ ad α, nõ ab α ad ε, valeat etiã à β ad δ, nõ à δ ad β.

13 *Non enim*. Soluit dubitationem particulæ præced. quia in ea malè sumebatur ζ quasi negatio ipsius α per se, & ipsius β per se: item θ malè sumebatur vt negatio ipsius γ per se, & ipsius δ per se. aliud enim est, si dicatur, non est α: aliud, non est β: aliud, neque est α neque β. similiter aliud est, non est γ: aliud, non est δ: aliud, neque est γ neque δ. quare in ea dubitatione malè sumebatur aut esse α aut ζ. nihil enim prohibet, quò minùs sit ε item malè sumebatur esse γ aut θ: quia potest esse δ. Rursus malè sumebatur esse β aut ζ: quia potest esse α. item malè sumebatur esse η aut θ: quia potest esse γ.

IVLII PACII A BERIGA IN ANALYTICORVM PRIORVM LIB. II. COMMENTARIUS Analyticus.



SVPERIORE libro considerauit Aristoteles syllogismũ, quatenus fit: & primò progressus est à propositionibus ad cõclusiones, docẽs, quænã propositiones habeãt vim cõclusionis inferẽdæ, & quam conclusionem colligant. secundò progressus est à conclusione ad propositiones, exponens, quomodo, quocumque problemate posito, possimus inuenire principia ad id probandum. tertiò progressus est ab oratione, in se duas propositiones & conclusionẽ continẽte, in figurã & modum syllogisticum resoluenda. In hoc autem secundo libro considerat syllogismũ iam extructum. & similiter huius libri tres sunt partes. In prima declarantur vires & potestates syllogismorum. in secunda infirmitates & imbecillitates. in tertia & vltima ostenditur nullã esse argumentationẽ præter syllogismum: inductionem namque, enthymema, exemplum, & id genus cetera, ad syllogismos esse referenda. Potestates, quæ prima parte explicantur, sunt sex: Prima, plura concludere. Secunda, ex falsis verum probare. Tertia, circulus. Quarta, conuersio. Quinta, deductio ad incõmodum. Sexta, ratiocinatio ex oppositis: quarum vsum & vtilitatem singillatim enarrabo suis locis.

DE POTESTATIBVS SYLLOGISMORVM TRACTATVS

IN CAP. I. DE POTESTATE PLVRA CONCLVDENDI.

EXplicat primam syllogismorũ potestatem. & ostendit, ex vno & eodem syllogismo colligi plures cõclusiones. Vnde perspicuũ est, syllogismũ hic accipi pro duabus propositionibus, secus à cõclusione: alioquin mutata cõclusione, mutaretur syllogismus, præsertim secundũ vulgarẽ eorũ sententiã, qui cùm asserant conclusionẽ esse partẽ syllogismi, inquiunt esse præcipuã partẽ, atque adeo esse formam syllogismi. nam certum est, mutatâ formâ rem mutari.

1 *In quot igitur*. Priusquàm accedat ad explicãdas vires syllogismorũ, proponit breuẽ *ἀνακεφαλαίωσιν*, & summariã repetitionem eorũ, quæ superiori libro docuit. Et primò repetit ea, quæ tradidit in prima eius libri parte de structura syllogismorũ. Secundò cùm ait, *amplius ad quæ*, repetit ea, quæ exposuit in secũda parte de inuẽtione medij termini seu propositionum. Tertiò cùm ait, *præterea quâ via*, repetit ea, quæ declarauit in tertia parte de resolutione syllogismorum.

2 *Cùm autẽ syllogismorũ*. Incipit explicare primã potestatẽ syllogisticam, quæ est Plura cõcludere. Duplex autẽ est ratio plura concludẽdi: quarũ prior, quæ declaratur in hac partic. sumitur à conuersione conclusionis. Cùm enim quædam conclusiones, sicuti propositiones, conuertantur; syllogismus inferens aliquam conclusionem, probat

etiam conuerſam. veluti ſi probat omnem hominem eſſe animal, probat etiam aliquod animal eſſe hominem. &, ſi probat nullum hominem eſſe lapidem, ſimul probat nullum lapidem eſſe hominem. item ſi probat aliquem hominem eſſe album, probat etiam aliquod album eſſe hominem. Huius poteſtatis duplex eſt vtilitas. Prima eſt euidens. ſcire enim oportet, quot concluſiones poſſimus inferre ex ſyllogiſmo, vt poſſimus illas colligere, quę ſunt à nobis probandę: veluti ſi probandum eſt, aliquod animal eſſe hominem, expedit ſcire hanc concluſionem rectè colligi ex illis propoſitionibus, Omne rationale eſt animal, omnis homo eſt rationalis. & eo magis expedit hoc ſcire, quòd in diſputationibus aduerſarius minùs animaduertet, & minùs intelliget noſtrum ſcopum, & vim noſtri ſyllogiſmi, ſi ita inferamus concluſionem conuerſam, quàm ſi directam colligeremus. Eſt & altera vtilitas: quoniam hinc habemus confirmationem ſententiæ Ariſtotelicæ, quòd tres tantùm ſunt figuræ ſyllogiſmorum, & confutationem quartæ figuræ à Galeno perperam introductæ, nec ab Auerroë confutatę. nam Auerroës fatetur dari quartam figuram, ſed inquit eam fuiſſe ab Ariſtotele prętermiſſam, eò quòd non eſt naturalis, quia in concluſione minus extremum dicitur de maiori, id eſt, quia concluſio eſt conuerſa & indirecta, cùm in concluſione directa maius extremum attribuatur minori. Atqui Ariſtoteles ſæpius conuertit propoſitiones & concluſiones, & expoſuit etiam ſyllogiſmos indirectos, quos Auerroës ait eſſe non naturales. ex terminorum autem, præſertim medij termini poſitione demonſtrauit, nullo modo eſſe plures figuras, quàm tres. Huic ſententiæ conſentanea eſt doctrina huius capitis. Nam ſiue concluſionem directam colligas, ſiue conuerſam, cùm eædem ſint propoſitiones, Ariſtoteles eundem ſyllogiſmum appellat, adeo vt idem ſyllogiſmus dicatur plures concluſiones inferre: propterea quòd ſyllogiſmus nihil aliud eſt, quàm duæ propoſitiones rectè connexæ. Hoc non animaduertit Galenus, qui eundem ſyllogiſmum refert ad primam figuram, ſi concluſio ſit directa; & ad quartam, ſi concluſio ſit conuerſa. Exempli gratiâ, hic eſt ſyllogiſmus in prima figura, id eſt, in Barbara, Omne rationale eſt animal, omnis homo eſt rationalis, ergo omnis homo eſt animal. Conuerte concluſionem, & tranſpone propoſitiones: efficies quartam Galeni figuram, quæ nihilominùs nobis eſt prima: nempe, Omnis homo eſt rationalis, omne rationale eſt animal, ergo aliquod animal eſt homo. Quod attinet ad ſeriem contextus, Primò Ariſtoteles præmunit diuiſionem ſyllogiſmorum in vniuerſales & particulares. Vniuerſales vocat hoc loco eos, qui colligunt concluſionem vniuerſalem: particulares verò, qui efficiunt concluſionem particularem. Secundò cùm ait, *vniuerſales omnes*, declarat, quinā ſyllogiſmi plura concludant, vel non concludat: & docet, omnes plura concludere, exceptis ſolis particularibus negantibus.

Tertiò cùm ait, *nam alia*, affert rationem eius quod proximè dixit. ideo namque ſoli ſyllogiſmi particulares negantes vnam concluſionem inferunt: quia tantùm concluſio particularis negans non conuertitur: reliquæ omnes conuertuntur vt ſuperiori libro expoſitum fuit. Quartò cùm ait, *quapropter alij*, incipit diſtinctiùs explicare, quas concluſiones ſinguli ſyllogiſmi inferant: ac docet, in Barbara & Darij colligi duas concluſiones, alteram directam, alteram conuerſam. Eſt autem directa in Barbara vniuerſalis, in Darij particularis: conuerſa autem vtrobique eſt particularis. Quintò cùm ait, *quòd ſi [oſtenſum,]* docet ex Celarent colligi duas concluſiones vniuerſales negantes, alteram directam, alteram conuerſam.

Sextò cùm ait, *at ſi τὸ a*, docet, in Ferio probari vnam concluſionem directam, nullam conuerſam. Septimò cùm ait, *hæc igitur*, concludit hanc rationem plura concludendi non eſſe propriam ſyllogiſmorum vniuerſalium, ſed conuenire etiam particularibus, nempe affirmatiuis, vt Darij. Quamuis autem hæc ſint expoſita in ſyllogiſmis primæ figuræ: tamen intelligendum eſt, eadem obtinere etiam in aliis figuris. Hanc verò concluſionem ideo adiecit, vt ſeiungeret hanc rationem plura concludendi à ſequenti ratione, quę erit propria ſyllogiſmorum vniuerſalium.

3 *Licet autem*. Sequitur ſecunda ratio plura concludēdi, ſumpta à dicto De omni, vel De nullo, ideóque propria ſyllogiſmorum vniuerſalium, aut ſaltem propoſitionum vniuerſalium. Nam aliquo modo videtur poſſe accommodari propoſitionibus vniuerſalibus poſitis in ſyllogiſmis particularibus, veluti maiori propoſitioni in Darij: reuera tamen hæc ratio eſt propria ſyllogiſmorum vniuerſalium, vt ex ſequentibus apparebit. Primùm igitur Ariſtoteles in hac particula generaliter hanc rationem proponit, & ait ſyllogiſmum vniuerſalem non tantùm eſſe illius concluſionis, quæ principaliter infertur, ſed etiam eorum omnium, quæ continentur ſub medio termino,

mino, vel ſubconcluſione, id eſt, ſub minori extremo. Verumtamen quod dicit de contentis ſub medio, poſtea corriget: quia valde impropriè dicitur ſyllogiſmus eſſe eorum, quæ ſub medio continentur, ſed propriè eſt eorum quæ ſub minori extremo continentur. Hæc ſunt obſcuriora, cùm ita generaliter traduntur: ſed perſpicua fient ſubiectis exemplis in ſequentibus particulis: idcóque ad ſequentes particulas explicandas tranſeamus.

4 *Ὑπάρχει εἰ τὸ α.* Rationem plura concludendi, quam propoſuit in præcedente particula, deinceps declarat in aliquot ſyllogiſmorum modis. In hac particula loquitur de Barbara, ſumens α pro maiori extremo, β pro minore extremo, γ pro medio termino. Primò igitur proponit ipſum ſyllogiſmum, quo probatur α de β per medium γ. Quòd ſi placet loco elementorum, vti terminis realibus, ſyllogiſmus talis proponi poteſt:

Bar Omne viuens eſt ſubſtantia:
ba Omne animal eſt viuens: Ergo
ra Omne animal eſt ſubſtantia.

Secundò cùm ait, *neceſſe* [*eſt,*] huic propoſito ſyllogiſmo accommodat ſecundam rationem plura concludendi. & cùm hęc ratio ſit bipertita; quia conſideramus, quæ ſunt ſub medio, & quæ ſub minori extremo: Ariſtoteles vtramque partem ſimul proponit, & ait idem α, id eſt, ſubſtantiam, quod probatum fuit de β, id eſt, de animali, neceſſariò dici etiam de aliis contentis ſub β, id eſt, de ſpeciebus animalis. cùm enim concluſerimus omne animal eſſe ſubſtantiam, ſimul aliquo modo concluſimus, aliquod animal, putà hominem, vel equum, eſſe ſubſtantiam: quia ſub vniuerſalibus particularia continentur; & qui dicit omne animal, is nullum animal prætermittit. Item ait Ariſtoteles idem α, id eſt, ſubſtantiam, dici de aliis contentis ſub γ, id eſt, de ſpeciebus viuentis, quod ſumptum fuerat pro medio termino. Cùm enim in ſyllogiſmo antea propoſito fuerit ſumpta hæc maior, omne viuens eſſe ſubſtantiam: aliquo modo etiam ſumptum fuit, quoddam viuens, putà plantam, eſſe ſubſtantiam. Ergo & hæc propoſitio, omnis planta eſt ſubſtantia, quodammodò continetur in eo ſyllogiſmo, non quòd in eo expreſſè poſita fuerit, ſed quia continetur ſub maiore propoſitione illius ſyllogiſmi, tanquàm ſpecies ſub genere. Hinc apparet, hanc poſteriorem partem ſecundæ rationis reuera ad propoſitum non pertinere, vt & ipſe Ariſtoteles in ſequentibus docebit: quia loquimur de ratione plura concludendi: ſicut autem maior propoſitio non concluditur, ita nec propoſitio particularis, quæ ſub ea maiore continetur, alioquin hęc ratio plura concludendi pertinere etiã ad ſyllogiſmos particulares, vt ad Darij in quo ſimiliter maior eſt vniuerſalis. Sed quia reuera tantùm ſpectanda eſt concluſio, quæ in ſyllogiſmis particularibus eſt particularis: idcirco hæc ratio plura concludendi, id eſt, prior eius pars, quæ pertinet ad contenta ſub concluſione, eſt propria ſyllogiſmorum vniuerſalium. Tertiò Ariſtoteles, cùm ait, *nam ſi τὸ δ*, probat priorem partem huius ſecundæ rationis plura concludendi, id eſt, probat α, quod concluſum fuit de β, concludi etiam de δ contento ſub C Verbi gratiâ, ſubſtantiam, quæ fuit concluſa de animali, concludi etiam de homine, qui eſt ſpecies animalis. Hoc autem probat nouo ſyllogiſmo in Barbara, quod tale eſt: Omne animal eſt ſubſtantia, omnis homo eſt animal, ergo omnis homo eſt ſubſtantia. Maior patet: quia fuit probata per ſyllogiſmum initio poſitum. Minor patet ex hypotheſi: quia ſupponimus hominem eſſe ſpeciem animalis. Quartò cùm ait, *Rurſus ſi τὸ ε*, ſimili ſyllogiſmo in Barbara probat alteram partem huius ſecundæ rationis plura concludendi, id eſt, cùm α dicatur de ſ, hoc eſt, ſubſtantia de viuente, dici etiam de ſpecie ipſius ſ, ſeu viuentis, veluti de planta. Syllogiſmus ita extruitur: Omne viuens eſt ſubſtantia, omnis planta eſt viuens, ergo omnis planta eſt ſubſtantia. Maior patet: quia fuit ab initio conceſſa in primo ſyllogiſmo, vbi ſimiliter erat propoſitio maior. Minor patet ex hypotheſi: quia ſupponimus plantam eſſe ſpeciem viuentis.

5 *Similis ratio.* Quod in præced. partic. docuit de Barbara, nunc producit ad Celarent, cuius ait eandem eſſe rationem. Sit (exempli gratiâ) hic ſyllogiſmus, Nullum viuens eſt lapis, omne animal eſt viuens, ergo nullum animal eſt lapis. dico, dum fuit concluſum, nullum animal eſſe lapidem, ſimul quodammodò fuiſſe concluſum, nullum hominem eſſe lapidem, quia homo eſt ſpecies animalis. vnde ſic extruo ſecundum ſyllogiſmũ: Nullũ animal eſt lapis, omnis homo eſt animal, ergo nullus homo eſt lapis. Maior patet quia fuit probata per primum ſyllogiſmum. Minor patet ex hypotheſi. Rurſus dico, cùm ſumptum fuit, nihil viuens eſſe lapidem, quodammodò ſumptum fuiſſe, nullam plantam eſſe lapidem: quia planta eſt ſpecies viuentis. Vnde tertius ſyllogiſmus ſic extruitur:

Nihil viuens est lapis, omnis planta est viuens, ergo nulla planta est lapis. Maior fuit concessa in primo syllogismo. Minor patet ex hypothesi: quia supponimus plantam esse speciem viuentis. Hæc dicta sint de modis vniuersalibus primæ figuræ, Barbara, & Celarent.

6 *In secunda autem.* A syllogismis vniuersalibus primæ figuræ transit ad vniuersales secundæ figuræ: in qua similiter considerat duos illos modos, quos diximus pertinere ad secundam rationem plura concludendi, & ostendit, aliquo modo concludi quod continetur sub conclusione, id est, sub minori extremo: quod verò continetur sub medio termino, id non concludi, sed sumi sine probatione. Primò igitur proponit hanc sententiam, quod syllogismus in secunda figura est dumtaxat eius quod continetur sub conclusione: nempe quia hoc solum probatur: alterum verò, quod est sub medio, non probatur, vt modò notaui, immo in Camestres nulla ratio in hoc tractatu haberi debet eius quod sub medio continetur vt paulò pòst declarabo. Secundò cùm ait, *vt si τὸ α* incipit sententiam propositam distinctiùs explicare, & extruit syllogismum in Cesare, cuius exemplum subiiciam.

Ces Nullus lapis est viuens:
a Omne animal est viuens: Ergo
re Nullum animal est lapis.

Hic est syllogismus, quem docere volumus plura concludere. Tertiò cùm ait, *Si igitur τὸ δ*, explicat priorem partem secundæ rationis plura concludendi: quia dum probatum est β de nullo Γ, quodammodò probatum est de nullo δ, cùm τὸ δ sit species τῷ γ. veluti cùm probaui nullum animal esse lapidem, etiam probaui aliquod animal, putà hominem, non esse lapidem. Quartò cùm ait, *In verò quæ*, transit ad alterã partem huius modi plura concludẽdi, id est, ad ea quæ continentur sub medio termino: & ait, hæc non cõcludi per syllogismum propositum, quia scilicèt tantùm sumuntur, vt iam sępe dixi. Immo hîc ne quidem sumpta hæc fuerunt: idcóque nullum locum habent in hoc nostro tractatu, vt in dicto exèmplo medius terminus erat viuens, quod negabatur de lapide & affirmabatur de animali, iam si loco animalis sumas aliam speciem contentam sub eodem medio termino, vt plãtam, quæ est species viuentis, rectè concludes lapidem de nulla planta, sicut ante concluseras lapidem de nullo animali. syllogismus enim ita potest extrui: Nullum viuens est lapis, omnis planta est viuens, ergo nulla planta est lapis. Quare cùm sumpsimus nihil viuens esse lapidem, quodammodò sumpsimus, aliquod viuens, putà plantam, non esse lapidem. sed hoc non probauimus: immo non omnino sumpsimus: quia in primo syllogismo maior propositio non fuit hæc, Nihil viuens est lapis, qua nunc vtimur, sed fuit conuersa, nempe Nullus lapis est viuẽs. Quia tamen hæc propositio vniuersalis negans reciprocatur: dum sumpsimus nullum lapidẽm esse viuens, quodammodò sumpsimus nihil viuens esse lapidem. sed vtrumque sumpsimus, certè non probauimus: proinde non probauimus vllo modo, plantam non esse lapidem. quamquàm hoc potest probari eo syllogismo, quem paulò antè extruxi. Hoc igitur est, quod Aristoteles hîc ait, nõ esse perspicuum per syllogismũ, id est, non esse probatum syllogismo, quòd τὸ β, vt, lapis non attribuitur contentis sub α, id est sub viuente, putà τῷ ε, id est, plantæ: quamuis verum sit, lapidem dici de nulla planta. Hæc ita se habent in Cesare. Quod verò ad Camestres, cõclusionis quidem eadem est ratio: sed quod sub medio continetur, nullo modo in hanc rationem venit, id est, neque concluditur, neque sumitur. Ratio est: quia semper retinemus maiorem, & mutamus minorem, sumẽtes aliud contentum sub α medio termino. quo facto reperiuntur ambæ propositiones affirmantes in secunda figura, ex quibus nihil colligitur. Exempli gratiâ, sit syllogismus in Camestres, omne animal est viuens, nullus lapis est viuens, ergo nullus lapis est animal. dum concluditur, nullum lapidem esse animal, quodammodò cõcluditur, aliquem lapidẽ, putà adamantem, non esse animal. Quòd si ad alteram partem transeas, & loco lapidis sumas aliquam speciem viuentis, putà plantam: ita argumentaberis: Omne animal est viuens, omnis planta est viuens. sed ex his propositionibus nihil concluditur. Quintò cùm ait, *sed nulli quidem*, declarat discrimen inter contenta sub conclusione, & contenta sub medio termino: quia illa aliquo modo sunt conclusa: hæc verò tantùm accepta, nõ conclusa seu probata. Ait igitur, quòd nulli γ insit ipsum β, id est, quòd lapis attribuatur nulli animali, probatum fuisse per syllogismum, nempe in Cesare. supple, ideóq; fuit quodammodò probatum, lapidem attribui nulli homini. Quòd verò idẽ β dicatur de nullo α, id est, lapis de nullo viuente, inquit Aristoteles sumptũ fuisse sine demonstratione. (Intellige sumptum aliquo modo, propter vim conuersionis, vt antea expo

sui

fui: quia in syllogismo extructo in Cesare conuersa propositio sumpta fuit, id est, α de nullo β, viuens de nullo lapide) vide concludit Aristoteles, tantùm sumptum fuisse sine probatione, τὸ ϛ attribui nulli ε, id est, lapidem nulli plantæ. In summa quod attinet ad syllogismos vniuersales, sēper quod probatum fuit de minori extremo, siue affirmatiuè, siue negatiuè, in quacumque figura vel modo, probatū quoque est de omnibus contentis sub eodem minori extremo. Rursus quod sumptum est in maiore propositione, simul etiam sumptum est de aliis contentis sub medio termino. Sed hæc secunda regula patitur exceptionem in Camestres. Hæc cognitio est admodum necessaria, præsertim propter disputationes, vt sciamus quænam concessa, vel probata sint: alioquin sæpe possent quædam nos latêre. exempli causâ posset aliquis cōcedere, nullum lapidem esse animal, non animaduertens simul concedere nullum hominem esse lapidem.

7 *In particularibus.* A syllogismis vniuersalibus transit ad particulares. & primò expēdit priorem partem huius secundæ rationis plura concludendi, id est, considerat contenta sub conclusione: & inquit hanc rationem hic non posse considerari, quia scilicèt cōclusio est particularis. Secundò cùm ait, *quia non fit*, affert rationem eius dicti, cur scilicèt inferens conclusionem particularem, non simul inferat aliquid sub ea contentum. Ratio (inquit) est: quia cùm hæc sumitur in parte, id est, cùm hæc conclusio primi syllogismi, quæ accipitur pro maiore propositione in secundo syllogismo, vt exposui suprà ad 4. partic. cùm (inquam) hæc est particularis, non fit syllogismus, id est, secundus ille syllogismus, quo concluditur de contentis sub minori extremo, est inutilis, eò quòd fit in prima figura ex maiore propositione particulari, vt perspicuè intelligetur in sequenti partic. vbi dabitur exemplum. Tertiò, cùm ait, *eorum autem*, considerat alteram partem huius rationis plura concludendi, respiciēs ad contenta sub medio termino: & inquit hæc quidem sumi, sic ut sumebātur in syllogismis vniuersalibus, non tamen probari per syllogismum. Hoc etiam explicabitur in sequentibus particulis: vbi docebo, in quibus modis hæc secunda regula obtineat.

8 *Vt si τὸ α.* Quæ generaliter docuit in partic. præced. nunc accommodat syllogismo in Darij. & primò proponit syllogismum primum, id est, maiorem & minorē propositionem, omissâ conclusione.

Da Omnis homo est bipes:
ri Aliquod animal est homo:
i Ergo Aliquod animal est bipes.

Secundò cùm ait, *quòd enim positum*, accommodat huic syllogismo priorem regulam: nempe hunc syllogismum non probare aliquid sub conclusione contentum; quia conclusio est particularis. Tertiò cùm ait, *quòd verò*, accommodat eidem syllogismo secundam regulam, & docet eundem syllogismum aliquo modo esse aliarum rerum contentarum sub medio termino, nō tamen vt eas probet, sed tantùm sumat sine probatione. Verbi gratiâ, quoniam Æthiops sub homine cōtinetur: dum sumpsimus omnē hominem esse bipedem, simul sumpsimus aliquem hominem, putà Æthiopem, esse bipedem.

9 *Similis [est] ratio.* Cùm in præced. par. locutus sit de syllogismis particularibus in prima figura: (dedit enim exemplum in Darij: & eadem est ratio syllogismi in Ferio) nunc consequenter loquitur de syllogismis particularibus secundæ vel tertiæ figuræ. & primò generaliter ait eandem esse rationem harum figuratum & primæ. Secundò cùm ait, *quòd enim*, incipit ostendere eandem esse rationem, & docet priorem regulam hic quoque accōmodari, id est, numquàm concludi aliquid sub conclusione contentum, propterea quòd conclusio est particularis. Tertiò cùm ait, *alterum concludetur*, accōmodat iisdē syllogismis particularibus in secūda vel tertia figura posteriorem regulam de contentis sub medio termino: inquit hæc quidem concludi, non tamen per eum syllogismum. Quibus verbis hoc significat, in eo syllogismo tantùm sumi, non probari: ad ea verò probanda efficiendum, esse nouum syllogismum, quem in part. 4. vocabam syllogismum tertium: quia primus erat syllogismus principalis: secundus, contentorum sub minori extremo: tertius, contentorum sub medio termino. Proponamus exemplum in Festino. Syllogismus principalis sit: Nullus coruus est albus, aliquod animal est album, ergo aliquod animal non est coruus. Hic medius terminus est *album*: & idem dicendum est, quòd suprà diximus de Cesare. Dum enim sumptum fuit nullum coruum esse album, quodāmodò sumptum fuit nihil album esse coruum: quia propositio vniuersalis negans reciprocatur. simul igitur sumptum fuit sine vlla probatione, aliquod album, putà niuem, non esse coruū: quia constat niuem esse albam: adeo vt qui concedit hanc propositionem, nullus

coruus est albus, hancquoque aliquo modo concedat, nulla nix est coruus. Quòd si velis hanc probare, nouus syllogismus ita extruetur: Nihil album est coruus, omnis nix est alba, ergo nulla nix est coruus. Maior patet ex primo syllogismo, & ex natura conuersionis, vt iam exposui. Minor patet: quia supponimus niuem sub albo contineri. Quartò cùm ait, *qua etiam*, probat, quod modò dixit, id est, probat contenta sub medio termino non concludi, sed sumi: quoniam ita fiebat etiā in syllogismis vniuersalibus: & eadem, quatenus ad hoc, est ratio syllogismorum vniuersalium, & particularium. Notandum porrò st, excipi debere à posteriori regula syllogismorum vnum in secūda figura, id est, Baroco; & duos in tertia, id est, Disamis & Brocardo. in his enim modis nō solùm non concluditur aliquid contentum sub minore extremo, sed etiam nō sumitur aliquid cōtentum sub medio termino, quod nouo quodam syllogismo probetur, vt modò fiebat in Festino. Quod ad Baroco attinet, ratio eadem est, quæ in Camestres: quia cùm maior affirmet: si accipiatur nouus terminus contentus sub eodem medio termino, vtraque propositio affirmabit in secunda figura, qui modus est inutilis. Sit (exempli gratiâ) hic syllogismus: Omnis cygnus est albus, aliquod animal non est album, ergo aliquod animal nō est cygnus. iam loco animalis sumas aliquid sub albo contentum, putà niuem: propositiones erunt affirmātes in secunda figura. Omnis cygnus est albus, omnis nix est alba: vnde nihil concluditur. Hæc igitur est causa cur contenta suo medio termino, nihil pertineant ad syllogismū extructum in Camestres, vel Baroco. Quod verò ad Disamis, & Brocardo attinet: ratio est, quia nouus ille syllogismus, qui fit de cōtētis sub medio termino, erit in prima figura ex maiore propositione particulari, proinde inutilis. Nā quæ erat maior in Disamis, aut Brocardo, eadem est maior in hoc nouo syllogismo. Exempli gratiâ, sit syllogismus in Disamis: Aliqua auis est alba, omnis auis est animal, ergo aliquod animal est album. iam sume aliquid contētum sub medio termino, id est speciem aliquam auis, putà coruum: propositiones erunt, Aliquid auis est alba, omnis coruus est auis: vnde nihil colligitur. Eadem ratio est syllogismi in Brocardo: nam erit in prima figura maior particularis negans, & minor vniuersalis affirmans. Sit enim syllogismus in Brocardo, Quædam auis non est alba, omnis auis est animal, ergo quoddam animal nō est albū. medius terminus est auis: minus extremum est animal. si sumamus, quod est sub medio, vt aquilam: propositiones erunt, Quædam auis non est alba, omnis aquila est auis. si verò sumamus, quod est sub minori extremo, vt equum: propositiones erunt, Quoddam animal non est album, omnis equus est animal. in vtroque autem exemplo est prima figura, & maior propositio est particularis: proinde nihil concluditur.

IN CAP. II. DE CONCLVSIONE FALSA EX VERIS PROPOSITIONIBUS NON COLLIGENDA, & VERA EX FALSIS COLLIGENDA IN PRIMA FIGURA.

SEquitur secunda syllogismorum potestas. quamuis enim ex veris propositionibus falsam conclusionē efficere non possint; tamen ex vtrisque falsis, vel ex altera vera & altera falsa cōclusionem veram possunt inferre. Magna est vtilitas huius cognitionis. hinc enim intelligimus valere hāc argumentationem, quæ vsum habet ferè in omnibus syllogismis: Propositiones sunt veræ: ergo conclusio est vera. item valere hāc argumentationem, qua vtimur in syllogismis ducentibus ad impossibile. Conclusio est falsa: ergo vel vtraque, vel vna propositio est falsa. non valere autem hanc argumentationem: Propositiones sunt falsæ: ergo conclusio est falsa. neque hanc: Conclusio est vera: ergo propositiones veræ. De hac potestate habemus tria capita. In hoc enim capite consideratur prima figura: in duobus sequentibus capitibus, secunda & tertia figura.

1 *Potest igitur.* Præmunit diuisionem propositionum, & diuisionem conclusionis à veritate & falsitate sumptam. Nam propositiones sint aut veræ, aut falsæ: & conclusio quoque aut est vera, aut falsa. vnde videndum est, ex qualibus propositionibus quales conclusiones inferantur.

2 *Ex veris.* Proponit summum doctrinæ, quam deinceps singillatim explicabit. Hæc summa continetur duabus regulis. Primò ponit priorem regulā, quòd ex propositionibus veris non potest colligi cōclusio falsa. Secundò cùm ait, *ex falsis*, subiungit alteram regulam, quòd ex propositionibus falsis potest colligi vera conclusio. Intellige ex falsis, vt clariùs dicetur in 4. part. siue ambæ sint falsæ, siue alterutra: itē siue sint falsæ in totum, siue ex parte. Falsas in totum vocamus propositiones vniuersales,

regula, id est, conclusio vera esse possit; & tales, quæ sunt contrariæ propositionibus veris: falsas autem ex parte, propositiones vniuersales, quæ contradicunt propositionibus veris. Cùm enim vniuersales propositiones contrariæ numquàm sint simul veræ, sed aliquãdo simul falsę aliquãdo altera vera, altera falsa, vt didicimus ex lib. de Interpretat. c. 7. si sint ambæ falsæ, dicuntur falsæ ex parte, vt omnis homo est albus, nullus homo est albus. sin autem altera vera sit, altera falsa: hæc dicitur omnino & in totum falsa; quæ quidem modò est affirmatio, vt omnis homo est lapis, nullus homo est lapis: modò negatio, vt omnis homo est animal, nullus homo est animal. hæc enim affirmatio est falsa in totũ, Omnis homo est lapis: quia vera est cõtraria negatio, Nullus homo est lapis. Itẽ hęc negatio est falsa in totum, siue omnino falsa, Nullus homo est animal: quia vera est contraria affirmatio, Omnis homo est animal. Hæc autẽ affirmatio est falsa ex parte, Omnis homo est iustus: quia nõ est vera cõtraria negatio, Nullus homo est iustus, sed cõtradictoria, Non omnis homo est iustus. Item hæc negatio est falsa ex parte, Nullus homo est iustus: quia non est vera cõtraria affirmatio, omnis homo est iustus, sed contradictoria. Aliquis homo est iustus. Vt redeam ad nostram secundam regulam: generaliter tenendum est, ex qualibuscumque propositionibus (qualescumque intellige ratione veritatis vel falsitatis) posse colligi conclusionem veram, vnâ exceptione adhibita, quando maior propositio est in totum falsa, & minor vera in Barbara, vel Celarent. hoc enim solo casu necesse est conclusionem esse falsam, cùm aliàs semper possit esse vera, vt ex sequentibus apparebit. Tertiò cùm ait, *non [ita] tamen*, explicat posteriorem regulam. quod enim diximus, ex falsis verum concludi, sic ait esse accipiendum, vt probetur τὸ ὅτι, id est, rem esse, non διότι, id est, cur sit. Quam autem ob causam non probetur cur sit, ait se posteriùs explicaturum, nempe lib. 1. Posteriorum. Sed quod ait, ex falsis probari rem esse, non debemus ita intelligere quasi absolutè & simpliciter probetur. nam ei tantùm probatur, qui falsas propositiones concessit: propterea quod concedens propositiones siue veras, siue falsas, non potest negare conclusionem inde illatam. Cæterùm alius eas falsas propositiones rectè negabit, eique nihil probatum erit.

3 *Primum igitur.* Cùm in præced. partic. proposuerit duas regulas; deinceps vtramque vult confirmare. In hac igitur particula confirmat priorem regulam, quod ex veris falsum concludi nequit. Ac primo loco proponit ipsum problema, quod demõstrare vult. Secundò cùm ait, *Nam si cùm*, præmunit axioma quoddam, id est, sumit hoc pro confesso, quod est fundamentũ syllogismi hypothetici à destructione consequentis ad destructionẽ antecedẽtis: & ait, si posito primo ponitur secundum, euerso secundo euerti primum. Veritas huius axiomatis perspicua est: quia si euerso secundo non euerteretur; sed poneretur primum; cùm iam diximus, posito primo poni secundum, sequeretur hæc absurditas, quòd euerso secundo poneretur primum, & primo posito poneretur secundum: quare euerso secundo poneretur secũdum: quod est impossibile, & implicat contradictionem. veluti, Si est homo, est animal: ergo si non est animal, non est homo. nisi enim hoc concedatur: certè si non est animal, est homo. atqui iam diximus, Si est homo, est animal. ergo si non est animal, est animal: quod est impossibile. Tertiò cùm ait, *Si igitur verum*, per syllogismum hypotheticum ducentem ad impossibile, id est, arguendo à destructione consequentis ad destructionem antecedentis, probat dictam regulam priorem hoc modo: Nisi ex veris propositionibus sequatur vera conclusio, eadem conclusio erit & non erit: atqui hoc est falsum, & impossibile: ergo & id, ex quo sequitur, falsum & impossibile est, ex propositionibus veris colligi conclusionem non veram. Huius syllogismi ponit conclusionẽ, ibi, *Si igitur verum*. Deinde maiorem propositionẽ ibi, *alioqui accidet*. Postea minorem ibi, *quod [est] impossibile*. In contextu Aristoteles propositiones vocat α: conclusionem, β. Ipse autem in sequentibus verbis se explicat. Nam quartò cùm ait, *Neque verò*, declarat, in dicta argumentatione per α non esse intelligendum vnum terminũ, vel vnam propositionem, sed vnum syllogismum cõstantem ex duabus propositionibus: quia superiori libro ostensum fuit, nihil necessariò colligi, nisi sint tres termini constituentes duas propositiones syllogisticas. per β autẽ ait intelligendam esse vnam conclusionem. Hæc dicta sunt de syllogismis affirmantibus. Quintò cùm ait, *In priuatiuis*, hæc producit ad syllogismos negantes, quorum ait eandem esse rationem.

4 *Ex falsis autem.* Transgreditur ad diligentiorem expositionem & confirmationem posterioris regulæ. & primò eam accõmodat syllogismis vniuersalibus primæ figuræ, in quibus ostendit quando obtineat

regula, id est, conclusio vera esse possit; & quando fit locus exceptioni, id est, conclusio necessariò sit falsa. In summa docet, tum demum necessariò falsam esse conclusionē, cùm maior propositio est in totum falsa, & minor vera, alias semper conclusionem posse esse veram. Hæc ita generaliter traduntur; in sequentibus autem particulis specia liter confirmabuntur.

5 *Insit enim.* Ostendit verum concludi posse in Barbara ex propositionibus omnino falsis: veluti, omnis lapis est animal, omnis homo est lapis, ergo omnis homo est animal.

6 *Eadem[est]ratio.* Quod modò docuit de Barbara, nunc idem docet de Celarent, in quo ponit tale exemplum, Nullus homo est animal, omnis lapis est homo, ergo nullus lapis est animal. Propositiones sunt in totū falsæ: & conclusio vera.

7 *Similiter ostendetur.* A propositionibus omnino falsis trāsit ad propositiones ex parte falsas: & ait, similiter ex his posse verum concludi. Omittit exempla, quæ nos possumus adiūgere: vt in Barbara, Omne albū est animal, omnis auis est alba, ergo omnis auis est animal: & in Celarēt, Nihil album est animal, omnis lapis est albus, ergo nullus lapis est animal.

8 *Cùm autem.* Hactenus de syllogismis, quorum ambæ propositiones sunt falsæ: sequuntur syllogismi cōstātes ex altera vera, & altera falsa. Incipit autē Philosophus ab iis, qui habent vnam propositionē in totum falsam: & inquit, si hæc sit maior, conclusionē necessariò fore falsam. si verò sit minor, conclusionē posse esse verā. Deinde cùm ait, *Totā falsam*, declarat, quę sit propositio in totū falsa: quod nos explicare iā anteuertimus.

9 *Insit enim.* Ostendit, in Barbara conclusionē necessariò falsam esse, si maior sit in totū falsa, & minor vera: veluti, Omne animal est lapis, omnis homo est animal, ergo omnis homo est lapis.

10 *Similiter autem.* Quod proximè docuit de Barbara, nūc docet de Celarēt, in quo potest poni tale exemplum, Nullum animal est viuēs, omnis homo est animal, ergo nullus homo est viuens.

11 *Perspi num igitur.* Ex dictis colligit falsam esse cōclusionem syllogismi vniuersalis in prima figura extructi, quando maior est in totum falsa, & minor vera.

12 *Quod si non tota.* Postquàm locutus est de syllogismo in Barbara, vel Celarent, habentem maiorem in totum falsam, & minorem veram: deinceps ponit maiorem ex parte falsam, & minorem similiter veram: & ostendit, hinc quoque inferri veram conclusionem in Barbara: veluti, Omne album est animal, omnis cygnus est albus, ergo omnis cygnus est animal.

13 *Similitérque.* Idem probat de Celarent, afferens hoc exemplum, Nihil album est animal, omnis nix est alba, ergo nulla nix est animal.

14 *Quòd si propositio.* Hucusque considerauimus maiorē falsam, & minorem veram: deinceps considerabimus è contrario maiorem veram, & minorem falsam. Pone hāc minorē esse omnino falsam: tamen poterit esse conclusio vera in Barbara: veluti, Omnis equus est animal, omnis homo est equus, ergo omnis homo est animal.

15 *Similiter [res.]* Idem ostenditur obtinere in Celarent: veluti, Nulla musica est animal, omnis medicina est musica, ergo nulla medicina est animal.

16 *Et si non tota.* Idem ostēditur, quando minor est falsa pro parte in Barbara: veluti, Omnis homo est animal, omne pedestre est homo, ergo omne pedestre est animal.

17 *Similis ratio.* Idem ostenditur accedere in Celarent, cùm similiter minor est falsa ex parte: veluti, Nulla prudentia est animal, omnis contemplatiua cognitio est prudentia, ergo nulla contemplatiua cognitio est animal.

18 *In particularibus.* A syllogismis vniuersalibus, Barbara, & Celarent, transit ad particulares, Darij, & Ferio: & in hac particula generaliter docet, ex quibusuis coniugationibus, id est, ex quibuscumque propositionibus posse effici conclusionē verā tam in Darij, quàm in Ferio. Obserua, in seq. parte distinctionē illam propositionis in totum, vel ex parte falsę, spectari tantùm in maiori propositione, nō etiam in minori: quoniam hæc distinctio vniuersalium propositionum propria est, in particularibus locū nō habet.

19 *Nihil enim.* Quod generaliter tradidit in partic. præced. deinceps per partes confirmat, incipiēs à syllogismis illis particularibus, quorū altera propositio est vera, altera falsa. Ità hac igitur partic. ostendit cō clusionem veram esse posse, cùm maior est in totum falsa, & minor vera in Darij, veluti, Omnis nix est animal, aliquod album est nix, ergo aliquod album est animal.

2 *Similiter [ducendum.]* idem ostendit fieri in Ferio, cùm similiter maior est in totū falsa, & minor vera: veluti, Nullus homo est animal, aliquod album est homo, ergo aliquod album non est animal.

21 *Etsi propositio.* Cùm posuerit maiorem in totum falsam tam in Darij, quàm in Fe-

in Ferio: nunc ponit maiorem ex parte falsam,& minorem similiter veram:& ostendit conclusionem veram colligi in Darij: veluti, Omne pulchrum est animal, aliquod magnum est pulchrum, ergo aliquod magnum est animal.

22 *Similitérque.* Idem ostendit euenire in Ferio,& per eosdem terminos, animal pulchrum, magnum, eodem modo positos; quatenus in vtroque syllogismo, id est, tam in Darij, quàm in Ferio: animal sumitur pro maiori extremo, pulchrum pro medio termino, magnum pro minori extremo. Syllogismus igitur in Ferio est, Nihil pulchrum est animal, quoddam magnũ est pulchrum, ergo quoddam magnum non est animal.

23 *Rursus si[propositio.*] Postquàm posuit maiorem falsam, & minorem veram: nunc è contrario ponit maiorem veram, & minorem falsam:(hîc non quęrimus, vtrùm minor sit falsa in totum, an ex parte: quia est particularis, vt suprà notaui) & ostendit cõclusionem veram colligi in Darij: veluti, Omnis cygnus est animal, aliquod nigrum est cygnus, ergo aliquod nigrũ est animal.

24 *Similis [est] ratio.* Idem ostendit effici in Ferio: veluti, Nullus numerus est animal, aliquod album est numerus, ergo aliquod album non est animal.

25 *Et si falsa.* Adhuc de syllogismis particularibus ex altera propositione vera, & altera falsa: sequuntur particulares ex vtrisque falsis. Hic ostendit Philosophus, veram effici conclusionem, cùm maior est falsa ex parte in Darij: veluti, Omne album est animal, aliquod nigrum est album, ergo aliquod nigrum est animal.

26 *Itidémque si propositio.* Idem ostendit, cùm maior est falsa ex parte in Ferio: veluti, Nihil album est animal, aliquod nigrum est album, ergo aliquod nigrum non est animal.

27 *[Sed] & si.* Idem ostendit, cùm maior est in totum falsa in Darij: veluti, Omnis numerus est animal; aliquod album est numerus, ergo aliquod album est animal.

28 *Similitérque.* Idem ostendit, cùm maior est in totum falsa in Ferio: veluti, Nullus cygnus est animal, aliquod nigrum est cygnus, ergo aliquod nigrum est animal.

IN CAP. III. DE POTESTATE CONCLVDENDI VERVM EX falsis in secunda figura.

IN hac secunda figura omnimodo & indistinctè potest colligi vera conclusio, vt Aristoteles docebit, tam in syllogismis vniuersalibus, quàm in particularibus.

1 *In media verò.* Summam rei proponens, docet conclusionem indistinctè verã sequi posse in hac figura.

2 *Nam si via.* Quod summatim docuit, deinceps per partes confirmat, tam in syllogismis vniuersalibus, quàm in particularibus. Incipit ab vniuersalibus: & primo loco ostẽdit conclusionẽ veram effici in Camestres ex vtrisque propositionibus in totum falsis, veluti, omnis lapis est animal, nullus equus est animal, ergo nullus equus est lapis.

3 *Similitérque.* Idem ostendit in Cesare, quem ait esse eundem syllogismum. Atqui nec propositiones eędem sunt, neque conclusio eadem in Cesare & Camestres, & omnino sunt modi distincti, licèt fiat syllogismus ex iisdẽ terminis: veluti, nullus equus est animal, omnis lapis est animal, ergo nullus lapis est equus. talem enim syllogismum Aristoteles hic innuit. Sed neque maior eadem est; quia in Camestres affirmat, in Cesare negat: nec minor eadẽ; quia in Camestres negat, in Cesare affirmat: neque conclusio eadem; quia in Camestres concluditur, nullum equum esse lapidem; in Cesare autem, nullum lapidem esse equum: hæ verò sunt duæ diuersæ cõclusiones, vt ipse Aristoteles superiori libro disertis verbis pronunciauit. quomodo igitur dici potest idẽ syllogism'? Respondeo, secludendam esse conclusionẽ, quam antea monui non esse partem syllogismi: reuera enim conclusiones diuersæ sunt: propositiones verò sunt omnino eędẽ, sed transpositæ. nã quæ erat minor in Camestres, est maior in Cesare: & quæ maior in Cesare, est minor in Camestres: propterea quòd in Camestres, lapis, erat maius extremum; equus, minus extremum: in Cesare è contrario equus, est maius; lapis, minus extremum. Hac igitur ratione idem syllogismus dicitur, quòd eædem sunt propositiones, licèt transpositæ.

4 *Rursus si altera.* Similiter ostendit effici veram conclusionem, quãdo altera propositio est vera, altera in totum falsa: & in hac particula ponit propositionem affirmãtem veram, negãtem in totum falsam, siue in Camestres; veluti, omnis equus est animal, nullus homo est animal, ergo nullus homo est equus; siue in Cesare, veluti, nullus equus est animal, omnis homo est animal, ergo nullus homo est equus.

5 *Item si altera.* Idẽ ostendit, cùm propositio affirmans est omnino vera, & negãs est falsa pro parte, in Cesare: veluti, nihil a bũ

est animal, omnis coruus est animal, ergo nullus corous est albus.

6 *Itidemq. priuatiuæ.* Quod in præced. partic. docuit de Cesare, id nunc ostendit euenire etiam in Camestres: veluti omnis coruus est animal, nihil album est animal, ergo nihil album est coruus.

7 *Item si affirmatiua.* Cùm posuerit affirmantem veram, & negantem falsam: nūc è contrario ponit negatiuem veram, & affir mantem ex parte falsam in Camestres: veluti, omne album est animal, nulla pix est animal, ergo nulla pix est alba. Adde exemplum in Cesare, nulla pix est animal, omne album est animal, ergo nihil album est pix. Item adde syllogismum in Camestres, vel Cesare, ex negante vera, & affirmante in totum falsa. In Camestres: veluti, omnis lapis est animal, nulla pix est animal, ergo nulla pix est lapis. In Cesare: veluti, nulla pix est animal, omnis lapis est animal, ergo nullus lapis est pix.

8 [*Sed*] *& si ambæ.* Hactenus posuit alteram propositionem veram, alteram falsam: deinceps ponit vtramque falsam. Hic dari possunt octo exempla, id est, quatuor in Camestres, & quatuor, in Cesare. Aut enim ambæ propositiones sunt in totum falsę: aut ambæ ex parte falsę: aut maior in totum fal sa, minor ex parte: aut contrà maior ex parte, minor in totum falsa. Ex his exemplis, Aristoteles ponit vnum in Camestres, & vnū in Cesare: reliqua breuitatis studio prætermittit. Syllogismus in Camestres ex vtrisque propositionibus pro parte falsis ita extruitur: omne album est animal, nihil nigrum est animal, ergo nihil nigrū est albū.

9 *Similiter si transponatur.* Syllogismus in Cesare ex ambabus propositionibus pro parte falsis talis est: nihil album est animal, omne nigrum est animal, ergo nihil nigrū est album.

10 *Perspicuum autem.* A syllogismis vniuersalibus trāsit ad particulares: & hic quoque ostendit, semper conclusionem veram effici posse. Primo loco proponit syllogismū in Festino ex maiore omnino falsa, & minore vera: veluti, nullꝰ homo est animal, aliquod album est animal, ergo aliquod album non est homo.

11 *Eadem* [*est*] *ratio.* Subiicit similem syllogismum in Baroco, id est, ex maiore in totū falsa, & minore vera: veluti, omne inanimatum est animal, aliquod album nō est animal, ergo aliquod albū nōest inanimatū.

12 *Item si vniuersalis.* Sequitur syllogismus in Festino ex maiore vera, & minore falsa: nullus numerus est animal, aliquod inanimatū est animal, ergo aliquod inanimatum non est numerus.

13 *Idem* [*est.*] Sequitur Baroco ex maiore vera, & minore falsa: omnis homo est animal, aliquod pedestre non est animal, ergo aliquod pedestre nonest homo.

14 *Perspicuū autē.* Sequitur syllogismꝰ in Festino ex vtrisq; propositionibus falsis: nullus homo est animal, aliquod inanimatū est animal: ergo aliquod inanimatū nō est homo. Quod ad verba contextus attinet, mendum subest in Græcis codicibus: sed recta est lectio, quam antiquus interpres Boetius secutus est. Philoponus verò corruptā ipse quoque habuit: quam vt tueretur, distinctionem quandam finxit, vt mihi quidē videtur, nullius momenti. Vt autem hoc intelligatur, inquit Aristoteles, prout Græci contextus habent, ἐνδέχεται τὸ α καὶ τῷ β καὶ τῷ γ ὅλῳ ὑπάρχειν, id est, accidit vt τὸ α & toti β & toti γ insit. postea sumit propositiones, quòd α inest nulli β, & idem α inest alicui γ: & inquit has propositiones esse falsas. Atqui secundum eam lectionē minor propositio est vera. nā si τὸ α inest omni γ, verè dicitur etiam inesse alicui γ, quæ erat minor propositio in Festino. Ergo cum Boetio legendum, ἐνδέχεται τὸ α καὶ τῷ β καὶ τῷ γ, τῷ μὲν ὅλῳ, τῷ δὲ, μηδενὶ ὑπάρχειν. vt sensus sit ipsū α inesse omni β, & nulli γ: sic.o. ambæ propositiones falsæ erūt.

15 *Item si vniuersalis.* Sequitur similis syllogismus in Baroco, id est, ex vtrisq; propositionibus falsis: Omnis scientia est animal, quidam homo nō est animal, ergo quidam homo non est scientia.

IN CAP. IV. DE POTESTATE CONCLVDENdi verum ex falsis in tertia figura.

IN tertia quoque figura ostendit ex qualibuscumque propositionibus posse conclusionem veram effici. Hoc caput diuiditur in duas partes. Prior pars est de tertia figura, vsque ad partic. 15. Posterior autem in partic. 15. & sequentibus generaliter colligit quædam corollaria, ex quibus apparet vtilitas huius secundæ potestatis syllogismorū.

1 *In postremā.* Summam rei proponens, ait conclusionem in hac figura indistinctè posse veram colligi.

2 *Nihil enim.* Quod sūmatim proposuit, deinceps per partes confirmare incipit autē à syllogismis vniuersalibus, id est, quorum ambæ propositiones sunt vniuersales, nempe Darapti, & Felapton. Ac primo loco pro ponit syllogismum ex ambabus propositionibus in totum falsis in Darapti, omne inanimatum

nimatum est homo, omne inanimatum est pedestre, ergo aliquod pedestre est homo.

3 *Idem* [*est.*] Subiicit similem syllogismũ in Felapton, nullus cygnus est animal, omnis cygnus est niger, ergo aliquod nigrum non est animal.

4 [*Sed*] *& si vtraque.* Subiicit syllogismum ex vtrisque propositionibus pro parte falsis in Darapti, omne animal est album, omne animal est pulchrum, ergo aliquod pulchrum est album.

5 *Item si priuatiua.* Subiicit similem syllogismum in Felapton: nullũ animal est album, omne animal est pulchrũm, ergo aliquod pulchrum non est album.

6 *Item si altera.* Subiicit syllogismum ex maiore in totũ falsa, & minore vera in Felapton, nullus cygnus est animal, omnis cygnus est albus, ergo aliquod album non est animal.

7 *Item si τὸ C.* Subiicit syllogismum ex maiore vera, & minore in totũ falsa in Felapton, nullus cygnus est niger, omnis cygnus est inanimatus, ergo aliquod inanimatum non est nigrum.

8 *Sed & si amba.* Subiicit syllogismũ ex maiore in totũ falsa, & minore vera, in Darapti: omnis cygnus est niger, omnis cygnus est animal, ergo aliquod animal est nigrum.

9 *Item si vera.* Subiicit syllogismum ex maiore vera, & minore omnino falsa, in Darapti: omnis cygnus est animal, omnis cygnus est niger, ergo aliquod nigrum est animal.

10 *Rursus si altera.* Sequitur syllogismus ex maiori falsa pro parte, & minore vera, in Darapti, omnis homo est pulcher, omnis homo est bipes, ergo aliquod bipes est pulchrũ.

11 *Item si propositio.* Sequitur syllogismus ex maiore vera, & minore falsa ex parte, in Darapti: omnis homo est bipes, omnis homo est pulcher, ergo aliquod pulchrũ est bipes. Hic ait Aristoteles esse eosdẽ terminos, qui in praecedenti syllogismo, sed transpositos: quoniã in praecedenti particula pulchrũ, erat maius extremum; bipes, minus extremum: hic autem è contrario bipes, est maius; pulchrum, minus.

12 *Etsi altera.* Sequitur syllogismus, cuius maior est falsa ex parte, minor vera, in Felaptõ: vt nullus homo est albus, omnis homo est animal, ergo aliquod animal nõ est albũ.

13 *Rursus quia.* Sequitur syllogismus, cuius maior est vera, minor falsa ex parte, in Felapton: vt, nullus homo est lapis, omnis homo est albus, ergo aliquod album non est lapis.

14 *Perspicuũ autẽ.* Quod hactenus docuit de syllogismis vniuersalib. Darapti, & Felaptõ, id nunc producit ad particulares, Disamis, Datisi, & ceteros. nam & hi similiter colligunt verum ex falsis. Primò proponit hanc sententiam. Secundò cùm ait, *iidem enim termini*, hanc sententiam confirmat per eosdem terminos. ex quibus enim terminis suprà extruximus syllogismos vniuersales, ex iisdem possumus extruere particulares. Exempli gratiâ fuit syllogismus in Darapti, Omnis homo est bipes, omnis homo est pulcher, ergo aliquod pulchrum est bipes. muta solam maiorem, & fac particularem, Aliquis homo est bipes: syllogismus erit in Disamis: & nihilominùs propositio vera manet. quod enim verum est, vniuersaliter enunciatum, id etiam in parte verè enunciatur. Tertiò cùm ait, [*nempe*] *in attributiuis*, declarat, quomodo termini ex syllogismis vniuersalibus sint transferendi ad particulares, vt habeamus exempla syllogismorum particularium à se praetermissa. & inquit terminos attributiuos id est, sumptos in syllogismo affirmante, Darapti accipiendos esse in extruendis syllogismis attributiuis: sub. particularibus, id est, Disamis, & Datisi: sicut nos modò ex Darapti fecimus Disamis. Similiter ait terminos priuatiuos, id est, positos suprà in Felapton, sumendos esse in priuatiuis, id est, in extruendis syllogismis negantibus particularibus, Brocardo, & Ferison. Quartò cùm ait, *nihil enim refert*, confirmat id quod dixit, ex eo quòd quantum ad terminorum expositionem, id est, quantum ad hoc vt prolatis terminis realibus (hoc enim exponendi verbo significari, exposui ad superiorem librum) ostendatur verum concludi ex falsis: quantum, inquã, ad hoc, *nihil refert, vtrùm* &c. id est, nihil refert vtrùm propositio vniuersalis sit falsa omnino, veluti quia ponit omni inesse, cùm nulli insit; an falsa ex parte, vt quia ponit nulli inesse, cùm insit alicui. Hoc mẽbrum pertinet ad syllogismos affirmatiuos. Quintò igitur cum ait, *Similis* [*est*] *ratio*, producit doctrinam modò traditam de propositionibus affirmantibus, ad negantes.

15 *Apparet igitur.* Postquàm exposuit potestatem concludendi verum ex falsis in singulis figuris: nunc ex dictis colligit, quomodo liceat, vel non liceat argumentari à conclusione ad propositiones, vel à propositionibus ad conclusionem. Et primò inquit valere consequentiam à falsitate conclusionis ad falsitatem propositionis vel propositionum. Haec consequentia est fundamentum deductionis ad impossib. ideo namque ducimus ad conclusionem falsam & ad impossibile, vt ex eius falsitate probe-

mus falsitatem alicuius propositionis, & consequenter colligamus veritatem propositionis contradicentis. Secundò cùm ait, *cùm autem*, docet non valere consequentiam à veritate conclusionis ad veritatem propositionum: quia iam docuimus verũ ex falsis colligi. Hic notanda sunt illa verba, *fieri posse vt cùm nihil veri sit in syllogismo, conclusio vera sit*. Duo namque ex his verbis colliguntur. Primò hæc verba non solùm cohærent præcedentibus, & ostendunt non valere argumentum à veritate conclusionis ad veritatem propositionum, quia potest conclusio esse vera, cùm propositiones sint falsæ: sed etiam ostendunt non valere consequentiam à falsitate propositionum ad falsitatem conclusionis. Denique generaliter sciendum est, cùm argumentamur à propositionibus ad conclusionem, arguendum esse à veritate ad veritatem: cùm autem à conclusione ad propositiones, arguendum esse à falsitate ad falsitatem. Præterea hæc verba perspicuè ostendunt, conclusionem nõ esse partem syllogismi: cùm Aristoteles dicat nullam syllogismi partem esse veram, seu nihil in syllogismo esse verum, conclusionem autem esse veram. Quare conclusio non est in syllogismo, sed ex syllogismo.

16 *Causa autem.* In hac particula rationem affert, cur valeat consequentia à falsitate conclusionis ad falsitatem propositionis, vel propositionum. Ratio est hæc, quæ est fundamentum syllogismorum hypotheticorum κατὰ μετάληψιν, qui fiunt per particulam *si*: quia propositiones habent rationem antecedentis: conclusio verò, consequentis: argumentum autem, quod a consequente sumitur, debet accipi destructiuè; veluti, si est homo, est animal; sed non est animal, ergo non est homo: non positiuè, veluti, Si est homo, est animal, atqui est animal, ergo est homo. Sic ergo in præsentia dicendum est: si propositiones sunt veræ, conclusio est vera, vt diximus ex primo libro: ergo si conclusio non est vera, propositiones non sunt veræ. malè autem argumentaberis, si dicas: Atqui conclusio est vera, ergo propositiones veræ. perinde enim est, ac si diceres: Atqui est animal, ergo est homo. Ait igitur Aristoteles, *causa* [*est*:] (subaudi, cur argumentandum sit à falsitate, non à veritate conclusionis) *quia cùm duo*, (id est, antecedens & consequens: veluti syllogismus, & conclusio: nam syllogismus est antecedens, conclusio, consequens) *cùm*, inquam, *duo inter se affecta* sunt &c. id est, cùm posito primo tanquàm antecedente, ponitur secundum vt consequens: tunc, *nisi hoc sit*, id est, si euertatur consequens, *neque illud erit*, id est, euertetur etiam antecedens, *sed si sit*, id est si ponatur consequens: *non necesse* [*est*] *illud esse*, id est antecedens poni.

17 *At verò si idem.* In hac particula ostendit non valere consequentiam à falsitate propositionum ad veritatem conclusionis. nam ostendimus quidem ex falsis propositionibus posse verum concludi: non tamen est hoc necessarium: quia potest ex falsis falsum concludi: veluti, Omne animal est lapis, omnis nix est animal: ergo omnis nix est lapis. Itaq; ex veris semper cõcluditur verum: ex falsis autẽ modò verũ, modò falsũ. Quòd autẽ ex falsitate propositionũ non liceat arguere ad veritatẽ cõclusionis, Aristoteles ita ostendit: quia veritas conclusionis colligitur ex veritate propositionum: ergo non potest colligi ex earundem falsitate. Ratio consequentiæ apparebit ex interpretatione contextus. Primò igitur Aristoteles proponit suam sententiam, id est, fieri non posse vt eodem antecedente, putà syllogismo, posito & non posito, idem consequens, siue eadem conclusio necessariò colligatur. Intellige poni antecedens, quando sumitur esse verum: non poni autem, quando sumitur esse falsum. Sensus ergo est, non posse ex veritate & falsitate eiusdem antecedentis colligi consequens: veluti, si rectè dicitur, si est homo, est animal: malè dicetur, si non est homo, est animal. Secundò cùm ait, *vt putà si τὸ α*, declarat dictam sententiam exemplo: in quo sumit pro antecedente, α est album, purà cygnus est albus; & pro consequente, β est magnum, putà mons est magnus. fieri ergo non potest, vt hæ argumentationes ambæ sint necessariæ: Cygnus est albus, ergo mons est magnus: item, cygnus non est albus, ergo mons est magnus. Nam etiamsi mõs possit esse magnus, siue cygnus sit albus, siue non sit albus: non tamen inde probabitur esse magnus. Tertiò cùm ait, *cùm enim*, progressurus ad probationem suæ sententię, quam confirmabit syllogismo ducente ad impossibile, in primis vult duo præmunire. Prior præmunitio ponitur in hoc membro, nempe si valet consequentia à primo ad secundum, & à secundo ad tertium, valere etiam à primo ad tertium: veluti si primum est album, secundum est magnum: si secundum est magnum, tertium non est album. ergo si primum est album, tertium non est album. Quartò cùm ait, *Et cùm duobus*, ponit alteram præmunitionem, siue alterum principium, quod sumitur ex præcedente particula, nempe valere argumentũ ab euersione consequẽtis ad euersionem antecedentis: hoc enim est, quod ait, *Cùm duobus propositis*, id est, antecedente & consequente,

si unum, id est, antecedens *sit*, *necesse est alterum* seu *primum*, id est consequens non *esse*: tunc *si hoc* consequens *non fit, necesse [est primum*, id est antecedens, *non esse*. Quinto cùm ait, *Ergo cùm τὸ Ϛ*, extruit syllogismũ, qui est omnino hypotheticus, ducens ad impossibile, hoc modo: Si primum non est album, secundum est magnum: si secundum non est magnum, primum non est album: ergo si secundum non est magnum, secundum est magnum: Minor patet ex secũda præmunitione exposita in 4. membro huius particulæ. Maior propositio ponitur ab aduersario: quia primũ esse album, sumptum fuit tanquàm antecedẽs, ex quo sequebatur secundum esse magnum. itaque suppositum fuit, hanc propositionem esse veram, si primum est album, secundum est magnum, qua progredimur à positione anteceẽtis ad positionem consequentis. aduersarius autem vult nos posse progredi etiam à destructione antecedentis ad positionem consequentis, veluti, si propositiones non sunt veræ, cõclusio est vera: ac talis progressus est in hac propositione, Si primum non est album, secundum est magnum. Illationis necessitas, id est, ex dictis propositionibus hypotheticis colligi conclusionem illam absurdam, Si primum non sit magnum, primum esse magnum, patet ex priori præmunitione exposita in 3. membro huius particulæ. In contextu Aristoteles ponit minorem propositionem. Deinde ibi, *quòd si cùm τὸ α*, maiorem. Deinde ibi, *necessariò euenit*, conclusionem. Deinde ibi, *hoc autem [est] impossibile*, inquit eam conclusionem esse impossibilem, ad quam aduersarium deduxit: atque ita eum redarguit. Sextò cùm ait, *nam si τὸ β*, repetit eundem syllogismum, & similiter incipit à minore. Deinde ibi, *si igitur*, adiungit maiorem. Postea ibi, *efficitur quasi*, colligit cõclusionem illam impossibilem. Similis deductio ad impossibile fieri potest in subiecto argumento, id est, in propositionibus & conclusione, videlicet: Si conclusio non est vera, propositiones non sunt veræ, si propositiones non sunt veræ, conclusio est vera: ergo si conclusio non est vera, conclusio est vera. Huius syllogismi hypothetici conclusio est manifestè falsa & absurda: & minor propositio est vera, quam probauimus in 4. membro: nec potest negari absurdum colligi ex dictis propositionibus. falsa igitur est minor propositio, quam ponit aduersarius: proinde non licet arguere à falsitate propositionum ad veritatem conclusionis. Quod autem ait, *quasi per tres terminos*, hanc habet sententiam, esse hic tantùm duos terminos, primum, & secundum: sed nihilominùs æquè conclusionem sequi, ac sequebatur in tertio membro, vbi ponebantur tres termini, primum, secundum, & tertium: quoniam hic secundum bis ponitur, & dicitur magnum in maiori extremo, & non magnum in minori extremo.

IN CAP. V. DE PROBATIONE CIRCVLARI SEV RECIPROCA IN PRIMA FIGURA.

SVccedit tertia syllogismorum potestas, id est, Circulus, seu probatio circularis. nempe cùm facto syllogismo, sumimus eius conclusionem, & ei adiungimus alterutram propositionem conuersam: vnde concludimus alteram propositionem, vt postea clariùs intelligetur. Huius potestatis cognitio necessaria est, Primò quia veteres quidam Philosophi putabant omnium rerum scientiam acquiri circulo, quos Aristoteles reprehendet lib. 1. Poster. cap. 2. nec potest eorum sententia & illius sententiæ refutatio intelligi, nisi sciamus, quid sit circulus, & quomodo fiat. Deinde quia Circulus in philosophia vsum habet. nam & in demonstrationibus rerum naturalium circulum quẽdam ostendet Philosophus lib. 2. Post. c. p. 12. part 13. hoc exemplo, quòd ex pluuia madefit terra, ex terra madefacta oritur vapor, ex vapore fit nubes, ex nube efficitur pluuia, & iterum ex pluuia madefit terra, atque ita deinceps per circulum. ipse quoque Aristoteles solet vti circulo quodam, quem scholastici vocant regressum: vt in 8. Physico ex motu æterno probat æternum motorem, deinde regreditur, & per motorem æternum demonstrat æternitatem motus: quod rectè fieri, alibi ostendendum erit.

1 *Circulo autem*. Definitione explicat, quid sit circulus, seu circularis probatio, & quomodo fiat. Ex hac definitione colligimus quatuor requiri, vt dicatur fieri circulus. Primò extruendus est circulus ex terminis, vt posteriùs declarabitur, conuertibilibus. Secundò sumenda est cõclusio illius syllogismi, & accipienda pro propositione vel maiore, vel minore. Tertiò adiungenda est alterutra eiusdẽ syllogismi propositio, sed conuersa. Quartò ex his concludenda est altera propositio: vt in exemplis, quæ postea proponentur, perspicuè apparebit. Dicitur ergo circulus per metaphorã: quia sicut in figura & motu circulari reuertimur ad idem punctũ, à quo discessimus, ita etiã hic, cùm prius progressi fuerimus à propositionibus ad cõclusionẽ, postea reuertimur à conclusione ad easdem propositiones. Est autem circulus perfectus, cùm vtraq; propositio probari dicto modo potest: quod cõtingit solùm in Barbara, minùs perfect' est, cũ vna tãtùm

propoſitio ſic probatur, imperfectus eſt, cùm non ſtatim probatur propoſitio primi ſyllogiſmi, ſed eius conuerſa, ex qua conuerſa colligitur ipſa propoſitio probanda. Item imperfectus eſt, qui mutat propoſitionem categoricam in hypotheticam, quæ omnia ex ſequentibus particulis erunt manifeſta.

2 *Vt ſi probare.* Definitioni circuli ſubiicit exemplum continens tres ſyllogiſmos, quorum ſecundus probat maiorem primi, tertius minorem eiuſdem primi: atque ita eſt circulus perfectus, qui fit in Barbara. Cùm autem Ariſtoteles vtatur elementis: operæ pretium eſt, adſcribere typum, eique adiungere terminos reales, & ſubſcribere integros ſyllogiſmos. Inſcribatur ergo circulo triangulum, & è regione angulorum adſcribantur literæ α β γ, & reales termini hunc in modum:

aptum ad ridendum

α



β γ

rationale homo

Hic conſiderantur tres ſyllogiſmi. primus eſt $\alpha \beta \gamma$: ſecundus, $\alpha \gamma \beta$: tertius ϐ $\alpha \gamma$. primus per β concludit α de γ: ſecundus probat maiorem primi: tertius confirmat minorem eiuſdem primi. Integri ſyllogiſmi ita concipiuntur.

I.

β α

Bar Omne rationale eſt aptum ad ridendum:

γ β

ba Omnis homo eſt rationalis: Ergo

γ α

ra Omnis homo eſt aptus ad ridendum:

II.

γ α

Bar Omnis homo eſt aptus ad ridendum:

ϐ α

ba Omne rationale eſt homo: Ergo

β α

ra Omne rationale eſt aptum ad ridendum.

III.

α ϐ

Bar Omne aptum ad ridendum eſt rationale:

γ α

ba Omnis homo eſt aptus ad ridendum: Ergo

γ β

ra Omnis homo eſt rationalis.

3 *Aliter verò.* Oſtendit non poſſe alio modo fieri circulum, reiectis duobus aliis modis, qui excogitari poſſũt. Primus modus eſt, ſi pro medio termino ſumatur nouus aliquis terminus, qui poſitus in primo ſyllogiſmo nõ fuerit. Exempli gratiá, in tertio ſyllogiſmo pro medio termino accipimus α aptum ad ridendum, quod in primo ſyllogiſmo erat maius extremum. erit autem nouus medius terminus, ſi accipiamus (exempli causâ) δ diſciplinæ capax. Sed hoc modo nullam propoſitionem ſumemus ex primo ſyllogiſmo: proinde non erit circulus, ſed nouus ſyllogiſmus erit a primo ſeiunctus: nempe, Omne diſciplinæ capax eſt rationale, omnis homo eſt diſciplinæ capax: concluſio quidem eadem ſequetur, quæ in tertio illo ſyllogiſmo, Ergo omnis homo eſt rationalis: ſed nihilominùs ſyllogiſmus ipſe, id eſt, propoſitiones diuerſæ ſunt. Hoc igitur modo non eſt circulus: quia neutra propoſitio noui ſyllogiſmi ſumitur ex primo. Alio modo non erit circulus, ſi vtraque ſumatur ex primo. nam ita non poterit probari propoſitio primi, ſed eadem concluſio, quæ per primum probabatur: quandoquidẽ propoſitiones eędem ſunt. Vnde Ariſtoteles concludit, vnam tantùm propoſitionem ſumendam eſſe ex primo ſyllogiſmo, non vtramque: vnam, inquam, ſumendam, & conuertendam, atque ei concluſioni adiungendam. Obiicio, quòd, etiãſi ſumamus eaſdem propoſitiones, tamen, quia conuertuntur, non ampliùs colligetur eadem cõcluſio, ſed fortaſſe conuerſa. Ergo Ariſtotelis ratio praua eſſe videtur. Reſpondeo, nihilominùs argumentum Ariſtotelis manere: quia per circulum non eſt probanda eadem concluſio, id eſt, neque omnino eadem, neque conuerſa, cùm per circulum oporteat regredi à concluſione ad propoſitiones.

4 *In ijs igitur.* Oſtendit non fieri perfectum circulum niſi termini ſint conuertibiles, & primò docet, quando termini non conuertuntur, ſeu non reciprocantur, neceſſe eſſe vt aliqua propoſitio ſit indemonſtrabilis, id eſt, nõ poſſit probari per circulum. Deinde cùm ait, *in ijs verò*, docet vtramque propoſitionem probari circulo, quando termini ſunt conuertibiles. Hæc vera eſſe, ex ſequentibus apparebit.

5 *Oſtenſum enim ſit.* Incipit explicare, quomodo, & qualis circulus fiat in ſingulis modis

modis primæ figuræ: & incipit à Barbara, in quo fit circulus perfectissimus, constans ex sex syllogismis. primus est fundamentum ceterorum: secundus probat maiorem primi: tertius probat minorem eiusdem primi. & hic quidem videri potest circulus perfectus: sed quia in secũdo sũpta est minor propositio nondũ probata, necnon in tertio maior nondum probata, ideirco adduntur duo syllogismi, quartus probans maiorem tertij, & quintus probans minorem secundi. est autem eadem propositio maior syllogismo quinto, & minor in quarto, quæ probatur sexto syllogismo. in sexto autem syllogismo nulla sumitur propositio, quæ non fuerit antea probata. nam maior sexti probatur quinto syllogismo, & minor sexti probatur quarto syllogismo. Ita omnes propositiones per se inuicem probantur, & fit verus & perfectissimus circulus, vt in typo quẽ contextui subieci, dilucidè apparet. Alia quoque ratione deprehendemus fieri in circulo sex syllogismos, si consideremus circulum paulò ante descriptum, cui adiuncti erant tres termini, α, β, γ, id est, aptum ad ridendum, rationale, homo. nam initium syllogismi vel fit ab α, vel à β, vel à γ. ab α autem vel progredimur ad γ per β, vel ad β per γ: ita fiunt duo syllogismi, α β γ, α γ β. à β similiter aut progredimur a d γ per α, aut ad α per γ: sic adiunguntur alij duo syllogismi, β α γ, β γ α. denique à γ progredimur vel ad β per α, vel ad α per β, ita vt adiiciantur alij duo syllogismi, γ α β, γ β α. Quod ad seriem textus attinet, Primò Aristoteles proponit primum syllogismum. Secundò cùm ait, *& rursus*, subiicit secundum syllogismũ, qui probat maiorem primi. Tertiò cùm ait, *item τὸ β γ*, addit tertium syllogismum, qui probat minorem primi. Quartò cùm ait, *oportet autem*, ostendit, non esse omnino perfectum circulum, quamuis & maior & minor primi syllogismi probatæ sint, quia adhuc supersunt probandæ maior tertij & minor secundi. Non dico minorem tertij, quæ eadem est cum maiore secundi: nam hæc fuit probata primo syllogismo. Quintò cùm ait, *Si igitur sumptum fuerit τὸ β*, ponit quartum syllogismum, qui probat maiorem tertij. Sextò cùm ait, *Rursus si sumptum*, addit quintum syllogismum, quo probat minorem secundi. Septimò cùm ait, *in ambobus igitur*, ostendit superesse vnam propositionem probandam, quæ est minor in quarto syllogismo, & maior in quinto. Nam maior quarti iam probata est tertio syllogismo: & minor quinti iam probata est secundo syllogismo. Octauò cùm ait, *si igitur sumptum fuerit τὸ γ*, subiungit sextum syllogismum, quo probat propositionem illam, quæ erat minor in quarto & maior in quinto: atque ita perficit circulum. Nonò cùm ait, *Perspicuum igitur*, quia præceden. partic. vsus est elementis α β γ, nunc monet, si loco elemẽtorum sumere velimus terminos reales, accipiendos esse terminos conuertibiles: alioqui non fieret circulus: etiamsi syllogismus esset in Barbara, vt dictum fuit in partic. 4.

6 *Sed & in his.* Ex dictis in 5. partic. apparet, tres priores syllogismos esse inter se connexos; quia secundus probat maiorem primi, & tertius probat minorem eiusdem primi, adeo vt propositiones primi probentur secundo & tertio syllogismis: nunc eundem nexum declarat inter tres posteriores syllogismos, quartum, quintum & sextum: nam similiter propositiones sexti probantur quarto & quinto: minor enim probatur quarto, maior quinto.

7 *In priuatiu autem.* Transit ad Celarent, cuius maiorem propositionem circulariter probat in hac particula. vide exemplum, quod contextui subieci.

8 *Quòd si τὸ C.* Ostendit minorem τοῦ Celarent non posse probari circulo per conuersionem maioris: quoniã maior conuersa, eadem manebit. Intellige manere eandem in genere, id est, manere negantem. nã alioqui propositio, quando conuertitur, non manet eadem, vt Aristoteles cùm alibi docet, tum infrà cap. 7. part. 5. Vis huius rationis est: cùm conclusio sit negatiua, & maior conuersa similiter sit negatiua, non posse ex his concludi minorem affirmatiuam.

9 *Sed accipiendum.* Probat minorem τοῦ Celarent, sumptâ conclusione, & cõuersâ maiore, non simpliciter propter rationẽ adductam in part. præced. sed ita vt ex categorica negãte fiat hypothetica affirmans: atque ita probat minorem syllogismo hypothetico, quod vocatur ἐκ τῆς ὑποθέσεως, id est, per assũptionem: quia in minore propositione assũmitur nouus terminus, qui non fuit expressus in maiore. Exemplum tale est:

Ce	Nihil corruptibile est æternum:	Cui nullum æternũ attribuitur, ei omni corruptibile attribuitur:
la	Omne genitũ est corruptibile. Ergo	Nulli genito æternũ attribuitur: Ergo
rent	Nihil genitum est æternum:	Omni genito corruptibile attribuitur.

Eiusmodi conuersio propositionis negantis in affirmantem non potest fieri per se, sed tum demum, cùm illius propositionis termini habent vim contradicentium, adeo vt ne-

cesse sit alterutrum esse. Exempli gratiâ, omne animal aut est rationale aut irrationale:ergo hæc propositio negans,Nullum animal rationale est brutum, potest conuerti in affirmantem hoc modo:Cui animali rationale non attribuitur, ei brutum attribuitur. Hæc autē est propositio hypothetica: quam si quis velit efficere categoricam, poterit id facere,si subiectum infinitum reddat, velu ti, omne animal non rationale est brutum. Hac ratione suprà scriptus syllogismus hypotheticus potest conuerti in categoricum, videlicet, Omne non æternum est corruptibile,atqui omne genitum est non æternum, ergo omne genitum est corruptibile. atque ita categoricè probatur minor τοῦ Celarēt: Si quæras,cur Aristoteles, omisso hoc syllogismo categorico, probauit eam minorem hypotheticè:respondebo:quia voluit retinere eosdem terminos:nō manet autem idem terminus,quando ex finito fit infinitus, vt fit in hac probatione categorica.

10 *Quare cùm tria.* Colligit ex dictis, etiam in Celarent fieri circulum: quia cùm sint tria pronunciata, maior propositio, minor propositio,& conclusio;omnia sunt cōclusa,& probata: vnum est conclusum primo syllogismo in Celarent, alterum secundo syllogismo in Celarent,tertium syllogismo hypothetico.

11 *In particularibus.* Transgreditur ad syllogismos particulares primæ figuræ: & primùm in hac particula docet eorum maiorem non posse probari circulo,sed tantùm minorem. Præcipuè autem respicit ad Darij.nam de Ferio posteriùs loquetur.

12 *Vniuersalem igitur.* Ostendit maiorem τοῦ Darij non posse probari circulo: & affert duplex argumentum. Prius est:quia maior illa est vniuersalis, conclusio autem est particularis: nec potest probari vniuersale.Posterius argumentum proponitur ibi, *Præterea omnino.* Inquit Aristoteles: Si velis circulum facere, ac sumas τὸ Darij conclusionem,& minorem inuersam:tantum abest vt possis concludere maiorē, vt immo nihil possis cōcludere:quia & cōclusio est particularis, & minor conuersa est particularis: ex duabus autē particularibus nihil cōcluditur.

13 *Vniuersalem igitur.* Circulo probat minorem τοῦ Darij. Exemplum contextui subieci.

14 *Quòd si syllogismus.* Tandem loquitur de Ferio:& primùm in hac particula ostendit eius maiorem nō posse probari circulo, ob causam expositam in partic.12.quia scilicet per conclusionem particularem non potest probari maior vniuersalis, immo ex duabus particularibus nihil concluditur, vt supra fuit expositum.

15 *Particularem autem.* Ostendit minorem τοῦ Ferio circulo nō probari categoricè, sed hypotheticè, ob eandem causam, ob quam ita probatur minor τοῦ Celarent. Primò igitur ait hanc non probari categoricè, quemadmodum non probatur in vniuersalibus,id est,in syllogismis extructis in Celarent. Secundò cùm ait,*verum per assumptionem*, docet eam probari per assumptionem,id est, syllogismo hypothetico,qui vocatur κατὰ πρόσληψιν, vt in exemplo, quod subieci contextui. Tertiò cùm ait, *Quòd si termini*, probat,si termini aliter habeant,id est, si maior propositio simpliciter conuertatur,& categoricè arguatur,nihil concludi: quia minor reperietur negatiua in prima figura:quæ enim erat conclusio in Ferio, sumitur pro minore in secundo syllogismo. Adde quod etiam maior conuersa negaret:atque ita ambæ propositiones essent negantes: proinde non solùm peccaretur in regulā primæ figuræ, quæ requirit minorem affirmantem, sed etiam in regulam vniuersalem & communem omnibus syllogismis, quandoquidem ex duabus negantibus nihil concluditur.

IN CAP. VI. DE PROBATIONE circulari in secunda figura.

Transgreditur ad secūdam figuram,in qua similiter docet quatenus circulus locum habeat.

1 *In secunda.* De syllogismis vniuersalibus,Cesare& Camestres,tradit duas regulas.Vna est,propositionem affirmantem circulo non probari,altera est, propositionem negantem probari circulo.

2 *Affirmatiuum non probatur.* Confirmat priorem regulam: quia ex conclusione negatiua non potest concludi affirmatio.

3 *Pronunciatum autem.* Confirmat posteriorem regulam in Camestres, cuius probat minorem propositionem, vt in exēplo, quod contextui subieci.

4 *Quòd si pronunciatum.* Confirmat eandem posteriorē regulā in Cesare, cuius maiorem propositionem, quodāmodo probat circulo.Dixi,quodammodo:quia nō statim concluditur ipsa maior, sed eius conuersa, vt in exemplo,quod subieci contextui.

5 *Si verò non vniuersalis.* Transit ad syllogismos particulares:&primo loco docet maiorem non probari circulo: quia maior est vniuersalis,& cōclusio particularis: vniuersale autem ex particulari non concluditur.

6 *Particularis autem* Circulariter probat minorem τοῦ Baroco, vt in exemplo, quod subieci contextui.

7 Si ve-

7 *Si verò [propositio.]* A Baroco transgreditur ad Festino. & Primò ostēdit minorem τῶ Festino per simplicem conuersionem maioris non probari: quia secundus syllogismus habebit vel vtrāque, vel alterā, id est, minorem propositionem negātem: minor autem τῶ Festino erat affirmans. Erunt ambę propositiones secūdi syllog·smi negātes, si sumamus cōclusionem sine vlla mutatione, & maiorem conuersam simpliciter. Erit autem minor affirmans, si conclusio primi syllogismi, quæ erat particularis negans, & sumitur pro minore in secundo syllogismo, mutetur in affirmantē: quod potest fieri ratione materię, quād › materia est contingēs, adeo vt duæ subcontrariæ sint simul veræ: veluti si conclusio erat, aliquod animal non est album, vel, aliquis homo non est iustus: possumus eā conuertere in affirmātem, aliquod animal est album, aliquis homo est iustus Quod si materia sit necessaria, id est, impossibilis, veluti si conclusum sit, aliquod animal non esse lapidem: hæc conclusio non potest conuerti in affirmãtem. Secundò cùm ait, *Sed similiter*, probat minorē τοῦ Festino syllogismo hypothetico. vide exemplum contextui adiectum.

IN CAP. VII. DE PROBATIONE circulari in tertia figura.

1 IN *tertia* figura ostēdit propositionem vniuersalem non posse probari circulo, quia cōclusio est particularis.

2 *Sin altera.* Particularem propositionem interdum circulo probari docet. Probatur maior τοῦ Disamis, non probatur minor τοῦ Datisi, vt in sequentibus particulis clariùs explicabitur.

3 *Infit enim.* Ostendit minorem τοῦ Datisi non probari vero circulo: quia non ipsa minor, sed eius conuersa concluditur, vt in exemplo, quod adieci contextui.

4 *Si verò τὸ β.* Maiorē τοῦ Disamis circulo probat in Disamis: quæ probatio apparet in typo, & exemplo, quæ subieci contextui.

5 *Et cùm altera.* Maiorem τοῦ Brocardo circulo probat in Brocardo. Similis est typus & simile exemplum contextui subiectum.

6 *Cùm autem priuatiua.* Minorem τοῦ Ferison probat hypotheticè. vide exemplum contextui adnexum.

7 *Alio modo.* Ostendit non posse vero circulo categorico probari minorē τοῦ Ferison: quia sumpta eius conclusione, & maiore conuersa, habebimus duas propositiones negantes, ex quibus nihil concluditur.

8 *Perspicuum igitur.* Ex dictis colligit duo corollaria de circulo, pertinentia ad omnes figuras: vnū in hac particula, alterum in part. seq Primum corollarium est, syllogismum circularem modò in eadem figura fieri, in qua factus est primus syllogismus, modò in diuersa. Hoc corollarium est tripertitum, prout tres sunt figurę syllogismorum, de quibus Aristoteles in contextu distinctè loquitur, incipiens à prima figura, de qua primò proponit generaliter hanc sententiam, quòd probatio reciproca, id est syllogismus circularis modò fit in prima figura, modò in tertia. Secundò cùm ait, *nempe cùm attributiua*, docet, quādo fiat syllogismus circularis in eadem prima figura, & inquit id fieri in syllogismis affirmantibus. nam & maior & minor τοῦ Barbara probatur circulariter in Barbara: item minor Darij. in Darij: maior autem τοῦ Darij non probatur circulo. Tertiò cùm ait, *cùm priuatiua*, declarat, quando fiat syllogismus circularis in tertia figura: & inquit hoc accidere in syllogismis negatiuis. Quæ sententia nisi rectè explicetur, falsa esse videbitur. Itaque duo sunt notanda. Primò Aristotelem intelligere tertiam figuram, non syllogismorum categoricorum, sed hypotheticorum. Nam syllogismus, quo probabatur minor τοῦ Celarent in tertia figura, erat hypotheticus: ac dicitur esse in tertia figura, quia vnū habet subiectum, & duo attributa, vt contingit etiam in tertia figura syllogismorum categoricorum. Dicebatur enim in hypothesi, cap. 5 part. 10. Cui nulli attribuitur æternū, ei omni attribuitur corruptibile: quare duo sunt attributa, æternū & corruptibile: vnū autē est subiectū, quod postea in minore vocat genitū, de quo æternum dicitur negatiuè, & corruptibile affirmatiuè. Eadē est ratio aliorum syllogismorū hypotheticorū, quos in hoc tractatu suprà habuimus. Secundò notandum est, Aristotelem respicere ad probationem minoris propositionis affirmantis: sic enim hypotheticè probatur minor τοῦ Celarēt, & τοῦ Ferio. ceterùm maior τοῦ Celarēt probatur circulo in Celarēt: maior autem τοῦ Ferio non probatur circulo. Hæc de prima figura. Post hæc, cùm ait, *in media verò*, transit ad secundam figuram: & hîc primo loco proponit hāc generalem sententiam, quòd probatio circularis modò fit in eadem secūda, modò in prima figura, quando syllogismus est vniuersalis. Nā maior τοῦ Cesare probatur in Celarēt. maior autē τοῦ Camestres probatur in Camestres: maior verò τοῦ Camestres, & minor τοῦ Cesare, non probantur circulo. Secundò cùm ait, *cùm particularis*, aliam regulam proponit de syllogismis particularibus ameiusdem figuræ: videlicèt quòd probatio cir-

cularis modò fit in ipſa ſecunda figura, modò in tertia: nempe quia Minor τῶ Baroco probatur in Baroco, & minor τῶ Feſtino probatur ſyllogiſmo hypothetico, quem docuimus referri ad tertiá figuram. Neque autẽ maior τῶ Feſtino, neque maior τῶ Baroco probantur circulo. Hæc de ſecunda figura. Tandem cùm ait, *In tertia autem*, tradit regulam de tertia figura, inquiens omnes eius probationes circulares fieri in eadem figura. Intellige, quando eſt verus circulus, ita vt ipſa propoſitio concludatur, non conuerſa. Maior enim τῶ Diſamis probatur in Diſamis: & maior τῶ Brocardo, in Brocardo: & minor τῶ Feriſon probatur hypotheticè. Minor autem τῶ Datiſi nõ probatur vero circulo, ſed cõuerſa probatur in Darij: ac ſimiliter maior τῶ Ceſare non probabatur circulo in Celarẽt, ſed probabatur conuerſa. Vnde apparet, aliter eſſe accipienda verba Ariſtotelis, vbi locutus eſt de ſecunda figura, aliter, vbi de tertia. Nam de ſecũda loquens, dixit circulum fieri modò in ſecunda, modò in prima: atqui in prima non eſt verus circulus, vt modò notaui: ergo ibi appellatione probationis circularis intellexit tam verum circulum, quo propoſitio concluditur; quàm imperfectum circulum, quo non ipſa propoſitio ſtatim concluditur, ſed cõuerſa: hîc autem de tertia figura loquens, ſi appellatione circuli intellexiſſet etiam circulum imperfectum, debuiſſet dicere circulum fieri modò in prima, modò in tertia figura: ſed cùm dicat fieri tantùm in tertia, oſtẽdit ſe loqui tantùm de perfecto circulo. nam qui fit in prima, id eſt, in Darij, eſt imperfectus, id eſt, non ſtatim cõcludit propoſitionem, ſed conuerſam. Vt autem hæc omnia vno intuitu cerni, & facilè ac diſtinctè comprehendi poſſint, ſubiiciam diagramma in quo omnia manifeſtiſſimè apparebunt.

Circulo probatur.

	τῶ	Maior	Minor
I.	Barbara	in Barbara.	in Barbara
	Celarent	in Celarent.	hypotheticè.
	Darij		in Darij.
	Ferio		hypotheticè.
II.	Ceſare	in Celarẽt imperfectè	
	Cameſtres		in Cameſtres.
	Feſtino		hypotheticè.
	Baroco		in Baroco.
III.	Darapti		
	Felapton		
	Diſamis	in Diſamis.	
	Datiſi		in Darij imperfectè.
	Brocardo	in Brocardo.	
	Feriſon		hypotheticè.

9 *Perſpicuum* [*eſt*.] Sequitur alterum corollarium, nempe quando propoſitiones ſyllogiſmi in ſecunda vel tertia figura extructi probantur circulariter in alia figura; tunc vel non eſt circulus appellandus, vel ſaltem non perfectus. Hoc intellige de probatione categorica, per quam non ſtatim concluditur propoſitio, ſed conuerſa. Hoc igitur corollarium pertinet ad maiorem τῶ Caſare probandũ circulariter in Darij. nam hæ duæ probationes imperfectæ ſunt, vt ſuprà expoſui.

IN CAP. VIII. DE CONVERSIONE SYLLOGISMORVM in prima figura.

SEquitur quarta syllogismorum facultas, quæ vocatur Conuersio, vel per conuersionem ratiocinatio. Cuius vtilitas duplex est. Primò confert ad intelligendos syllogismos ducētes ad impossibile. syllogismus enim ducens ad impossibile, est similis conuersioni, vt Aristoteles docebit cap. 11. part. 1. Posterior vtilitas proponitur à Philosopho lib. 8. Topic. c. 14 part. vbi iubet vt nos exerceamus in conuertendis syllogismis: quoniam hæc conuersio valet ad hoc, vt habeamus in disputationibus copiā propositionū.

1 *Conuertere autem.* Initiò definit, quid sit conuertere. sed hæc definitio videtur esse angustior, & referri tantùm ad syllogismos in Barbara. sæpe enim Aristoteles hac methodo vtitur in libris Priorū: propterea quòd vtitur methodo inductiuā, quę progreditur à particularibus ad vniuersalia. Cæterùm definitio generalis habetur dicto cap. 14 part. 1. lib. 8. Top. Generaliter enim, conuertere, nihil aliud est, quàm facto aliquo syllogismo, sumere propositionem, conclusioni oppositam, id est, contrariam, vel contradicentem, eique adiungere alterutram propositionem, & inde euertere reliquam propositionē. Sic facto syllogismo in Barbara, cōuersio fit, si trāsponatur conclusio, id est, mutetur in oppositam, & ex cōclusione fiat propositio, atque inde colligatur vel maius extremū nō inesse medio, id est, falsam esse maiorem ipsius Barbara, vel medium non inesse minori extremo, id est, falsam esse minorē ipsius Barbara, vt clariùs ex sequentibus exemplis apparebit.

2 *Interest autem.* Definitioni conuersionis subiicit diuisionē in duo genera. conclusio namque cōuertitur vel in oppositam, vel in cōtrariam. Oppositas in præsentia vocat Aristoteles, eas quæ differūt qualitate, & quātitate. i. quæ propriè vocātur cōtradicentes: vt omne & nō omne, itē aliquod & nullum. contrarias verò appellat, quæ diffe rūt solū qualitate, non quantitate. Hę autem sunt vel affirmatio & negatio vniuersales, quæ etiam vulgò vocantur contrariæ: vel affirmatio & negatio particulares, quæ vulgò nominantur subcontrariæ, vt aliquod & nō omne.

3 *Sit enim.* Incipit explicare conuersionē in singulis primæ figuræ modis, & facto initio à modis vniuersalibus, & à conclusionis conuersione in propositionem contrariam, primo loco sumit syllogismū in Barbara; cuius maiorem contradictoriè euertit in Eclapton, minorem contrariè euertit in Camestres; vt in exemplo, quod contexitur subieci. Quod attinet ad ordinem contextus, Primò Aristoteles proponit primū syllogismum in Barbara. Secundò cùm ait, *Si igitur sumptum*, proponit syllogismum in Camestres, quo euertit minorem τῶ Barbara. Tertiò cùm ait, *Et si [sumptum sit,]* addit syllogismum in Eclapton, quo euertit maiorem eiusdē Barbara. Quartò cùm ait, *Et omnino*, affert rationem, cur maior propositio τῶ Barbara non possit euerti contrariè, vt minor, sed contradictoriè: quia scilicèt necesse est eum syllogismum, qui euertit maiorem, fieri in secunda figura, eo quòd in conclusione ponendi sunt priores termini α β, quibus subiicitur vltimus terminus sumptus pro medio termino: in tertia verò figura semper est conclusio particularis, quæ non est contraria, sed contradicit vniuersali.

4 *Iidem [fiet.]* Conuertit conclusionem τῶ Celarent in propositionem contrariam atque ita maiorem cōtradictoriè euertit in Darapti, minorem contrariè euertit in Cesare. Primò igitur ait, eandem esse rationem syllogismi priuatiui, id est, Celarent, quam suprà diximus esse τῶ Barbara, nempe vt maior contradictoriè euertatur in tertia figura, minor contrariè in secunda. Secundò cùm ait, *Ostensum enim*, proponit primū syllogismum in Celarent. Tertiò, cùm ait, *Ergo si sumptum*, proponit syllogismum in Cesare, quo euertitur minor τῶ Celarent. Quartò cùm ait, *Quòd si τὸ α*, proponit syllogismum in Darapti, quo euertitur maior propositio eiusdem Celarēt. His quoque, & in sequentibus particulis vide exempla contextui subiecta.

5 *Si verò oppositè.* Hactenus de conuersione conclusionis in propositionē contrariam: sequitur conuersio in contr. dicentem. In hac igitur particula ait Aristoteles, vtramque propositionem syllogismorū vniuersaliū hac ratione euerti cōtradictoriè.

6 *Sit enim.* Quod generaliter dixit in præcedenti part. id nunc specialiter confirmat in Barbara: cuius maiorem cōtradictoriè euertit in Brocardo, minorem contradictoriè in Batoco. Ac primò proponit primum syllogismum. Secundò cùm ait, *Ergo si τὸ α*, addit syllogismū in Batoco, quo euertitur minor τῶ Barbara. Tertiò cùm ait, *Et si τὸ α*, subiungit syllogismum in Brocardo, quo euertitur maior eiusdem Barbara.

7 *Similiter [fiet.]* Idem ostendit in Celarēt: cuius maiorem contradictoriè euertitur

D.samis, minorem cõtradictoriè in Festino. Ac primò ponit primum syllogismum. Secũdò cùm ait, *nam si τὸ α*, adiũgit syllogismũ in Ferison, quo euertitur minor τοῦ Celarẽt. Tertiò, cùm ait, *Et si τὸ α*, addit syllogismum in Disamis, quo euertitur maior eiusdem Celarent.

8 *In syllogismis autem.* Hactenus de syllogismis vniuersalibus, Barbara & Celarẽt: sequentur particulares, Darij, & Ferio. In hac partic. generaliter inquit Philosophus, vtramque propositionem euerti, si conclusio conuertatur in cõtradicentem: neutram euerti, si conclusio conuertatur in contrariam. Hæc specialiter confirmabuntur in particulis sequentibus.

9 *Ostensum enim.* Conclusionẽ τοῦ Darij conuertit in propositionẽ contradicentẽ: & contradictoriè euertit maiorem in Ferison, minorem in Camestres. Ac primò ponit primum syllogismum. Secundò ibi, *ergo si sumptum*, subiicit alterum syllogismũ in Camestres, quo euertitur minor τοῦ Darij. Tertiò ibi, *Et si τὸ α*, ponit syllogismum in Ferison, quo euertitur maior eiusdem Darij. Quartò ibi, *Quare euertuntur*, concludit, hoc modo euerti vtramque propositionem τοῦ Darij.

10 *Si verò contrariè.* Ostendit, si conclusio τοῦ Darij mutetur in propositionem contrariam, neutram propositionẽ τοῦ Darij euerti. Ac primò proponit hãc sẽtẽtiã, quòd neutra propositio euertetur. Secundò cùm ait, *Nam si τὸ α*, proponit syllogismũ in Baroco, quo nõ euertitur minor τοῦ Darij: propterea quòd minor τοῦ Darij est particularis affirmans, vt aliqua voluptas est expetẽda; conclusio autem τοῦ Baroco est particularis negans, vt aliqua voluptas non est expetenda: simul autem vera esse possunt, particularis affirmatio, & particularis negatio: quia fieri potest vt aliqua voluptas sit expetenda, & aliqua non expetenda. Tertiò, cùm ait, *vniuersalis autem*, ostendit non posse maiorem euerti. cùm enim conclusio τοῦ Darij sit particularis affirmans: si conuertatur in cõtrariã, fiet particularis negans: iã si ei adiungatur minor τοῦ Darij, quæ est particularis affirmans: erunt ambæ propositiones particulares. quare tãtum abest vt possit euerti maior τοῦ Darij, vt immo nihil concludatur.

11 *Similiter [fiet.]* Quæ suprà docuit de Darij, nunc producit ad Ferio: quia si sumatur τὸ α inesse omni γ, id est, si conclusio conuertatur in contradicentem, vtraque propositio euertetur contradictoriè; nempe maior in Datisi, minor in Cesare. si verò sumatur α inesse alicui γ, id est, conclusio conuertatur in contrariam, ita vt ex particulari negante fiat particularis affirmans: neutra propositio τοῦ Ferio euertetur. Cuius rei demonstrationem ait Aristoteles esse eandem, hoc est, qua suprà vsi sumus in Darij. Quod enim attinet ad minorem, syllogismus fiet in Festino: cuius cõclusio cùm sit particularis negans, potest esse simul vera cum minore τοῦ Ferio, quæ est particularis affirmans. Quod verò ad maiorem euertendam spectat, incidemus in duas propositiones particulares: quia sumetur particularis affirmans, contraria conclusioni τοῦ Ferio; & adiũgetur minor τοῦ Ferio, quæ similiter est particularis affirmans: ergo nihil poterit concludi: vide exempla contextui subiecta.

IN CAP. IX. DE CONVERSIONE SYLLOGISMORVM IN secunda figura.

1 IN *secunda.* Transit à prima figura ad secundam: & sumpto initio à syllogismis vniuersalibus, Primò tradit regulas de vtraque propositione: ac docet, maiorem non posse euerti contrariè, sed tantùm contradictoriè: minorem verò per conuersionem contrariam, (id est, quando conclusio in propositionem contrariam conuertitur) euerti contrariè, per contradictoriam contradictoriè.

2 *Insit enim.* Conuertens conclusionem τοῦ Camestres in propositionem cõtrariam, euertit maiorem in Felaptõ contradictoriè, minorem in Barbara contrariè. Ac primò proponit primum syllogismum in Camestres. Secundò, cùm ait, *Si igitur sumptum*, addit syllogismum in Barbara, quo euertitur minor τοῦ Camestres. Tertiò, cùm ait, *Quod si τὸ ς*, subiungit syllogismum in Felaptõ, quo euertitur maior eiusdẽ Camestres.

3 *Si verò opposite.* Conuertens conclusionem τοῦ Camestres in propositionem cõtradicentem, euertit contradictoriè maiorem in Ferison, & minorem in Darij. Ac primò tradit regulas de hac conuersione, inquiens α β similiter probari, id est, maiorem τοῦ Camestres eodem modo euerti, quo fuit conuersa conclusio. sicut enim conclusio cõuersa est contradictoriè, ita etiam maior euertitur contradictoriè. Possumus etiam illud verbum ὁμοίως, simili modo, aliter & meo iudicio cõmodiùs interpretari, vt respiciat ad particulam præcedentem. quia sicut ibi maior euertebatur cõtradictoriè, ita etiam hîc. maioris ergo euersio est similis. minoris autem

autem euerſio eſt diſſimilis, vt mox exponam. Subiicit enim Ariſtoteles, αγ, id eſt, minorem propoſitionem euerti oppoſitè, id eſt, contradictoriè. atqui in particula præcedenti minor euertebatur contrariè. minoris igitur euerſio eſt diſſimilis. Secundò cùm ait, *Nam ſi τὸ ζ*. proponit ſyllogiſmum in Feriſon, quo euertitur maior τοῦ Cameſtres. Tertiò, cùm ait, *Rurſus ſi τὸ β*, ponit ſyllogiſmum in Darij, quo euertitur minor eiuſdem Cameſtres.

4 *Similiter etiam*. Quæ dixit de Cameſtres, producit ad Ceſare. nam hic quoque maior ſemper euertitur contradictoriè: nempe in Darapti, ſi concluſio contrariè conuerſa fuerit; vel in Datiſi, ſi concluſio contradictoriè conuerſa fuerit. minor autem per conuerſionem concluſionis contrariam euertetur contrariè in Celarent, per contradictoriam contradictoriè in Ferio. Exempla contextui ſubieci.

5 *Si verò ſyllogiſmus*. Tranſit ad ſyllogiſmos particulares: & tradit regulas de conuerſione contraria, vel contradictoria: quia per illam neutra propoſitio euertitur, per hanc vtraque euertitur contradictoriè, vt ſingillatim explicabitur in ſequentibus particulis.

6 *Ponatur enim*. Oſtendit, conuerſâ concluſione τοῦ Feſtino in propoſitionē contrariam, neutram propoſitionem euerti. Ac primò ponit primum ſyllogiſmum in Feſtino. Secundò cùm ait, *Si igitur poſitum*, adiungit ſyllogiſmum in Ferio, quo non euertitur minor τοῦ Feſtino: quia illa cōcluſio eſt particularis negans, hæc minor eſt particularis affirmans: ideóque ſimul veræ eſſe poſſunt. Tertiò cùm ait, *Rurſus ſi τὸ ζ*, tranſit ad extruendum alium ſyllogiſmum, vt euertat maiorem: ſed oſtendit hic nullum ſyllogiſmum fieri, cùm ſumantur duæ propoſitiones particulares; nempe minor τοῦ Feſtino, quæ eſt particularis affirmans; & concluſio eiuſdem Feſtino cōuerſa in contrariam; id eſt, particularem affirmatiuam.

7 *Quòd ſi oppoſitè*. Conuertens concluſionem τοῦ Feſtino in propoſitionem contradicentem, euertit contradictoriè maiorem propoſitionem in Diſamis, minorem in Celarent. Ac primò tradit regulam de hac conuerſione, inquiens per eam euerti ambas propoſitiones. Secundò, ibi, *Nam ſi τὸ ζ*, ponit ſyllogiſmum in Celarent, quo euertitur minor τοῦ Feſtino. Tertiò, ibi, *Rurſus ſi τὸ β*, addit ſyllogiſmum in Diſamis, quo euertitur maior eiuſdem Feſtino.

8 *Eadem erit*. Quæ docuit de Feſtino, producit ad Baroco: cuius ſimiliter neutra propoſitio euertitur per conuerſionem concluſionis in propoſitionem contrariam, vtraque autem contradictoriè euertitur per conuerſionem concluſionis in contradictoriam; nempe maior euertitur in Brocardo, minor in Barbara: vt apparet in exemplis contextui ſubiectis.

IN CAP. X. DE CONVERSIONE SYLLOGISMORVM IN TERtia figura.

1 IN *tertia verò*. De hac figura tradit duas regulas. Prima eſt, ſi concluſio contrariè conuertatur, neutram propoſitionem euerti. Altera eſt, ſi concluſio contradictoriè conuertatur, vtramque propoſitionem euerti.

2 *Oſtenſum enim*. Examinaturus ſingulos ſyllogiſmos, incipit ab affirmatiuis, & à conuerſione concluſionis in propoſitionem contrariam: ac primùm in hac particula oſtendit neutram propoſitionem τοῦ Darapti ſic euerti. Primo igitur loco proponit ſyllogiſmum in Darapti. Secundo, cùm ait, *ergo ſi ſumptum*, quærit, an poſſit euerti maior propoſitio: & inuenit non poſſe euerti: quia maior eſt particularis negans in prima figura: concluſio namque τοῦ Darapti, quæ eſt particularis affirmans, conuertitur in particularem negantem, & ſumitur pro maiori propoſitione in ſecundo ſyllogiſmo. Tertiò cùm ait, *Item ſi τὸ α*, quærit an poſſit euerti minor: & ſimiliter deprehendit non poſſe euerti: quia maior propoſitio reperitur particularis negans in ſecunda figura. Exempla habes contextui adiecta.

3 *Similiter oſtendetur*. Oſtendit, ſimiliter non euerti propoſitiones τοῦ Diſamis, vel Datiſi: quia ſimiliter reperietur maior propoſitio particularis negans in prima & ſecunda figuris, in quibus maior ſemper debet eſſe vniuerſalis. Exempla contextui ſubieci. Illud notandum eſt, quod Ariſtoteles hic ait, modò vtramque propoſitionem fore particularem, modò ſolam minorem fore vniuerſalem, quamuis enim in præcedente particula ſemper maior eſſet particularis negans, minor autem particularis affirmans: tamen hic maior quidem eſt ſemper particularis negans, ideóque modus eſt inutilis; ſed minor modò eſt vniuerſalis affirmans, modò particularis affirmans. Nam ſi conuertas in Diſamis: in prima figura, minor erit vniuerſalis affirmans, nempe quæ erat minor in ipſo

Disamis, minorem cõtradictoriè in Festino. Ac primò ponit primum syllogismum. Sec.ũ dò cùm ait, *nam si τῷ α*, adiũgit syllogismũ in Ferison, quo euertitur minor τοῦ Celarẽt. Tertiò, cùm ait, *Et si τῷ α*, addit syllogismum in Disamis, quo euertitur maior eiusdem Celarent.

8 *In syllogismis autem.* Hactenus de syllogismis vniuersalibus, Barbara & Celarẽt: sequentur particulares, Darij, & Ferio. In hac partic. generaliter inquit Philosophus, vtramque propositionem euerti, si conclusio conuertatur in cõtradicentem: neutram euerti, si conclusio cõuertatur in contrariam. Hæc specialiter confirmabuntur in particulis sequentibus.

9 *Ostensum enim.* Conclusionẽ τοῦ Darij conuertit in propositionẽ contradicentẽ: & contradictoriè euertit maiorem in Ferison, minorem in Camestres. Ac primò ponit primum syllogismum. Secundò ibi, *ergo si sumptum*, subiicit alterum syllogismũ in Camestres, quo euertitur minor τοῦ Darij. Tertiò ibi, *Et si τῷ α*, ponit syllogismum in Ferison, quo euertitur maior eiusdem Darij. Quartò ibi, *Quare euertuntur*, concludit, hoc modo euerti vtramque propositionem τοῦ Darij.

10 *Si verò contrariè.* Ostendit, si conclusio τοῦ Darij mutetur in propositionem contrariam, neutram propositionẽ τοῦ Darij euerti. Ac primò proponit hãc sẽtẽtiã, quòd neutra propositio euertetur. Secundò cùm ait, *Nam si τῷ α*, proponit syllogismũ in Baroco, quo nõ euertitur minor τοῦ Darij: propterea quòd minor τοῦ Darij est particularis affirmans, vt aliqua voluptas est expetẽda; conclusio autem τοῦ Baroco est particularis negans, vt aliqua voluptas non est expetenda: simul autem vera esse possunt, particularis affirmatio, & particularis negatio: quia fieri potest vt aliqua voluptas sit expetenda, & aliqua non expetenda. Tertiò, cùm ait, *vniuersalis autem*, ostendit non posse maiorem euerti. cùm enim conclusio τοῦ Darij sit particularis affirmans: si conuertatur in cõtrariã, fiet particularis negans & si ei adiungatur minor τοῦ Darij, quæ est particularis affirmans: erunt ambæ propositiones particulares. quare tãtum abest vt possit euerti maior τοῦ Darij, vt immo nihil concludatur.

11 *Similiter [fiet.]* Quæ suprà docuit de Darij, nunc producit ad Ferio: quia si sumatur τῷ α inesse omni γ, id est, si conclusio conuertatur in contradicentem, vtraque propositio euertetur contradictoriè; nempe maior in Darisi, minor in Cesare. si verò sumatur α inesse alicui γ, id est, conclusio conuertatur in contrariam, ita vt ex particulari negante fiat particularis affirmans: neutra propositio τοῦ Ferio euertetur. Cuius rei demonstrationem ait Aristoteles esse eandem, hoc est, qua suprà vsi sumus in Darij. Quod enim attinet ad minorem, syllogismus fiet in Festino: cuius cõclusio cùm sit particularis negans, potest esse simul vera cum minore τοῦ Ferio, quæ est particularis affirmans. Quod verò ad maiorem euertendam spectat, incidemus in duas propositiones particulares: quia sumetur particularis affirmans, contraria conclusioni τοῦ Ferio; & adiungetur minor τοῦ Ferio, quæ similiter est particularis affirmans: ergo nihil poterit concludi: vide exempla contextui subiecta.

IN CAP. IX. DE CONVERSIONE SYLLOGISMORVM IN secunda figura.

1 *IN secunda.* Transit à prima figura ad secundam: & sumpto initio à syllogismis vniuersalibus, Primò tradit regulas de vtraque propositione: ac docet, maiorem non posse euerti contrariè, sed tantùm contradictoriè: minorem verò per conuersionem contrariam, (id est, quando conclusio in propositionem contrariam conuertitur) euerti contrariè, per contradictoriam contradictoriè.

2 *Insit enim.* Conuertens conclusionem τοῦ Camestres in propositionem cõtrariam, euertit maiorem in Felaptõ contradictoriè, minorem in Barbara contrariè. Ac primò proponit primum syllogismum in Camestres. Secundò, cùm ait, *Si igitur sumptum*, addit syllogismum in Barbara, quo euertitur minor τοῦ Camestres. Tertiò, cùm ait, *Quod si τῷ ζ*, subiungit syllogismum in Felaptõ, quo euertitur maior eiusdẽ Camestres.

3 *Si verò oppositè.* Conuertens conclusionem τοῦ Camestres in propositionem cõtradicentem, euertit contradictoriè maiorem in Ferison, & minorem in Darij. Ac primò tradit regulas de hac conuersione, inquiens α β similiter probari, id est, maiorem τοῦ Camestres eodem modo euerti, quo fuit conuersa conclusio. sicut enim conclusio cõuersa est contradictoriè, ita etiam maior euertitur contradictoriè. Possumus etiam illud verbum ὁμοίως, *simili modo*, aliter & meo iudicio cõmodiùs interpretari, vt respiciat ad particulam præcedentem: quia sicut ibi maior euertebatur cõtradictoriè, ita etiam hîc. maioris ergo euersio est similis. minoris autem

autem euersio est dissimilis, vt mox exponam. Subiicit enim Aristoteles, κγ,id est, minorem propositionem euerti oppositè, id est,contradictoriè. atqui in particula præcedenti minor euertebatur contrariè. minoris igitur euersio est dissimilis. Secundò cùm ait, *Nam si τὸ C.* proponit syllogismum in Ferison, quo euertitur maior τοῦ Camestres. Tertiò,cùm ait, *Rursus si τὸ β*, ponit syllogismum in Darij, quo euertitur minor eiusdem Camestres.

4 *Similiter etiam.* Quæ dixit de Camestres, producit ad Cesare. nam hic quoque maior semper euertitur contradictoriè: nempe in Darapti, si conclusio contrariè conuersa fuerit;vel in Datisi,si conclusio cōtradictoriè conuersa fuerit. minor autem per conuersionem conclusionis contrariam euertitur contrariè in Celarent, per contradictoriam contradictoriè in Ferio. Exempla contextui subieci.

5 *Si verò syllogismus.* Transit ad syllogismos particulares: & tradit regulas de cōuersione contraria, vel contradictoria: quia per illam neutra propositio euertitur: per hanc vtraque euertitur contradictoriè, vt singillatim explicabitur in sequentibus particulis.

6 *Ponatur enim.* Ostendit, conuersâ conclusione τοῦ Festino in propositionē contrariam, neutram propositionem euerti. Ac primò ponit primum syllogismum in Festino. Secundò cùm ait, *Si igitur positum*, adiungit syllogismum in Ferio,quo non euertitur minor τοῦ Festino:quia illa cōclusio est particularis negans, hæc minor est particularis affirmans:ideóque simul veræ esse possunt. Tertiò cùm ait, *Rursus si τὸ C*, transit ad extruendum alium syllogismum,vt euertat maiorem: sed ostendit hic nullum syllogismum fieri, cùm sumantur duæ propositiones particulares; nempe minor τοῦ Festino,quæ est particularis affirmans;& conclusio eiusdem Festino cōuersa in contrariam; id est,particularem affirmatiuam.

7 *Quòd si oppositè.* Conuertens conclusionem τοῦ Festino in propositionem contradicentem, euertit contradictoriè maiorem propositionem in Disamis,minorem in Celarent. Ac primò tradit regulam de hac conuersione, inquiens per eam euerti ambas propositiones. Secundò,ibi, *Nam si τὸ C*,ponit syllogismum in Celarent,quo euertitur minor τοῦ Festino. Tertiò,ibi, *Rursus si τὸ β*,addit syllogismum in Disamis,quo euertitur maior eiusdem Festino.

8 *Eadem erit.* Quæ docuit de Festino, producit ad Baroco: cuius similiter neutra propositio euertitur per conuersionem conclusionis in propositionem contrariam, vtraque autem contradictoriè euertitur per conuersionem conclusionis in contradictoriam; nempe maior euertitur in Brocardo, minor in Barbara: vt apparet in exemplis contextui subiectis.

IN CAP. X. DE CONVERSIONE SYLLOGISMORVM IN TERtia figura.

1 IN *tertia verò.* De hac figura tradit duas regulas. Prima est, si conclusio contrariè conuertatur, neutram propositionem euerti. Altera est, si conclusio contradictoriè conuertatur, vtramque propositionem euerti.

2 *Ostensum enim.* Examinaturus singulos syllogismos,incipit ab affirmatiuis, & à conuersione conclusionis in propositionem contrariam:ac primùm in hac partic.ostendit neutram propositionem τοῦ Darapti se euerti. Primo igitur loco proponit syllogismum in Darapti.Secundo,cùm ait, *ergo si sumptum*, quærit, an possit euerti maior propositio:& inuenit non posse euerti: quia maior est particularis negans in prima figura:conclusio namque τοῦ Darapti, quæ est particularis affirmans,conuertitur in particularem negantem, & sumitur pro maiori propositione in secundo syllogismo. Tertiò cùm ait, *Item si τὸ α*, quærit an possit euerti minor: & similiter deprehendit nōn posse euerti: quia maior propositio reperitur particularis negans in secunda figura. Exempla habes contextui adiecta.

3 *Similiter ostendetur.* Ostendit, similiter non euerti propositiones τοῦ Disamis, vel Datisi:quia similiter reperietur maior propositio particularis negans in prima & secunda figuris,in quibus maior semper debet esse vniuersalis. Exempla contextui subieci. Illud notandum est, quod Aristoteles hic ait, modò vtramque propositionem fore particularem, modò solam minorem fore vniuersalem, quamuis enim in præcedente particula semper maior esset particularis negans,minor autem particularis affirmans: tamen hic maior quidem est semper particularis negans, idcóque modus est inutilis; sed minor modò est vniuersalis affirmans, modò particularis affirmans. Nam si conuertas in Disamis: in prima figura, minor erit vniuersalis affirmans, nempe quæ erat minor in ipso

Disamis:in tertia verò figura minor erit particularis affirmans, nempe quæ erit maior in Disamis.in Conuersione autem τοῦ Disi contrario modo res habet: in primâ enim figurâ minor est particularis affirmans;in tertiâ verò figurâ est vniuersalis affirmans.Ratio est,quia in his conuersionibus minor secundi syllogismi sumitur ex minore primi: minor autem tertij ex maiore primi.Secundum syllogismum appello,quo volumus euertere maiorem: tertium,quo volumus euertere minorem.

4 *Quod si oppositè*. Hactenus egit de conuersione conclusionis in propositionem cōtrariam: nunc transit ad conuersionem contradictoriā:& in hac partie. generaliter ait vtrasque propositiones hôc modo euerti,vt deinceps singillatim docebit.

5 *Nam si τὸ α*.Per hanc conuersionēcon clusionis in propositionem contradicentem euertit cōtrariè maiorem τοῦ Darapti in Celarent,minorem in Cesare. Supposito igitur primo syllogismo in Darapti, primò ponit syllogismum in Celarent,quo euertit maiorem τοῦ Darapti.Deinde ibi,*Rursus si τὸ α*,adiungit syllogismum in Cesare, quo euertit minorem eiusdem Darapti.

6 *Iidem [fit.*]Per eandem conuersionē conclusionis,in propositionem contradicentem,euertit contradictoriè maiorem τοῦ Datisi in Ferio, minorem eiusdē Datisi in Cesare.Primò igitur, ait, si altera propositio nō sit vniuersalis,quia videlicet syllogismus sit in Datisi, vel in Disamis,similiter propositiones euerti contradictoriè. Secundò cùm ait,*Nam si τὸ α*,id explicans in Datisi,& supponens ipsum syllogismum in Datisi,adiungit syllogismum in Ferio,quo euertit maiorem τοῦ Datisi. Tertiò cùm ait, *Si verò τὸ α*, adiicit syllogismum in Cesare, quo euertit minorem eiusdem Datisi.

7 *Similiter fit*. Hactenus locutus est de syllogismis affirmatiuis:sequūtur negatiui. Primò generaliter ait,idem fieri in syllogismis priuatiuis, id est,similiter euerti propositiones per conuersionem cōtradictoriam, non per contrariam.Secundò cùm ait , *Ostensum enim*, id incipit explicare in Feláptō, & proponit primum syllogismūin Felaptō. Tertiò cùm ait,*cùm igitur*, docet,per conuersionem conclusionis τοῦ Felapton in propositionem contrariam,id est,in particularem affirmantem,neutram propositionem euerti: quod deinceps in sequentibus verbis probabit. Quartò enim cùm ait, *nam si τὸ α*,tētat erigere secundum syllogismum , quo euertat maiorē τοῦ Felapton: sed inuenit modum inutilem , quia maior est particularis affirmans in prima figura.Quintò cùm ait,*Item si τὸ α*, entat erigere tertium syllogismum , quo euertat minorem eiusdem Felapton : & inuenit modum inutilem , quia maior est particularis affirmans in secunda figura.Sextò cùm ait, *quare non* , concludit neutram propositionē τοῦ Felapton hoc modo euerti.

8 *Cùm autem oppositum*. Conuertens conclusionem τοῦ Felapton in propositionē contradicentem , id est,in vniuersalem affirmātem, contrariè euertit maiorē in Barbara, minorem in Camestres. Primò igitur proponit hāc sententiam, quòd cùm oppositum sumptum fuerit,id est, sumpta fuerit propositio contradicens conclusioni τοῦ Felapton, euertuntur ambæ propositiones ipsius Felapton. Secundò, cùm ait , *nam si τὸ α* , erigit secundum syllogismum in barbara, quo euertit maiorem τοῦ Felapton. Tertiò, cùm ait,*Rursus si τὸ α*,extruit tertium syllogismū in Camestres , quo euertit minorem eiusdē Felapton.

9 *Similiter ostenditur*. Conuertens conclusionem τοῦ Ferison in propositionem cōtradicentem, id est, vniuersalem affirmantem , contradictoriè euertit maiorem in Darij,minorem in Camestres:ac primò proponit hanc sententiam, quòd *similiter ostenditur*,(subaudi, euerti propositiones per cōuersionem conclusionis in propositionem contradicentem)*similiter*,inquam,*ostenditur*, *si propositiones* (subaudi, primi syllogismi) *non sint* ambæ *vniuersales* , sed altera vniuersalis,altera particularis,vt in Ferison,& Brocardo.Non dico in Disamis,vel Datisi:quia sunt modi affirmatiui , de quibus suprà dictum est: nunc autem loquimur de syllogismis negantibus. Ratio autem huius sententiæ est: quia in secundo syllogismo , qui fit in prima figura:& in tertio , qui fit in secunda, maior propositio erit vniuersalis, & minor particularis: ideóque seruantur regulæ illarum figurarum.Secundòcùm ait,*quia τὸ α γ*,dictam sententiam accommodat syllogismo in Ferison: & proponit ipsum primum syllogismum in Ferison in quo α γ,id est maior propositio,est vniuersalis negans: altera vera propositio, id est minor, est particularis affirmans. Tertiò cùm ait , *Si igitur*, extruit secundum syllogismum in Darij, quo euertit maiorem τοῦ Ferison. Quartò cùm ait,*Rursus si τὸ α*,extruit tertium syllogismum in Camestres, quo euertit minorem eiusdem syllogismi.


10 *Si verò τὸ α*. Conuersâ conclusione τοῦ Ferison in propositionem contrariam , id est, in particularem affirmantem , neutram pro-

propositionem euerti ostendit. Supponit autē primum syllogismum in Ferison, quē antea posuit: & primò proponit secundum inutilem, quia constat ex duabus particularibus affirmantibus in prima figura. Secundò, cùm ait, *Quòd si τὸ α*, erigit tertiū inutilem, quia maior est particularis affirmans in secunda figura. vide exempla ad contextum adiecta. Tertiò, cùm ait, *Quocirca illo modo*, concludit, *illo modo*, id est, per conuersionem conclusionis in contradictoriam, euerti propositiones syllogismorum negantium tertiæ figuræ: *hoc* autem modo, id est, per conuersionem conclusionis in propositionem contrariam, non euerti propositiones eorundem syllogismorum.

11 *Ex dictis igitur*. Ex dictis colligit quædam corollaria cōmunia omnibus figuris. Primū corollarium est, ex dictis constare, quomodo conuersa conclusione (id est, vtrùm conuersâ in contrariam, an in contradictoriam) fiat syllogismus: subaudi, euertens propositiones.

12 *Et quando*. Sequitur secundum corollarium, ex dictis constare, quando propositio euertatur contrariè, & quando contradictoriè.

13 [*Apparet etiam*.] Sequitur tertiū corollarium, de figura, in qua fit syllogismus euertens aliquam propositionem. Primò igitur ait, propositiones primæ figuræ euerti modò in secunda, modò in tertia figura: & hoc distinctiùs declarans, subiicit, minorem propositionem euerti in secunda figura, maiorem in tertia. Secundò, cùm ait, *In secunda autem*, docet propositionē, secundæ figuræ, modò euerti in prima, modò in secunda figura: & hoc declarās, subiicit, minorē euerti in prima maiorē in tertia. Tertiò cùm ait, *In tertia verò*, docet propositiones tertiæ figuræ modò euerti in prima, modò in secūda: nempe maiorem in prima, minorē in secunda. Vt autem hæc omnia faciliùs appareant, hoc breui typo representantur:



Vt huius figuræ vsus intelligatur: sciendum est, numeris illis, 1. 2. 3. significari tres syllogismorum figuras, lineis autem trianguli notari propositiones. adscriptæ sunt singulis lineis literæ Græcæ, vt intelligatur, quæ propositio sit. nam α, maiorem propositionem significat: γ, minorem: β, si comparetur cum α, est minor propositio: si cum γ, est maior. sic enim binæ literæ accipi semper debent, vt quæ in alphabeto est prior, maiorem propositionem indicet, posterior minorē. quò tamen faciliùs hoc intelligatur, in ipsa figura adscripsi etiam hanc interpretationem, nam vbi est α, ibidem scriptum est maior: vbi γ, minor: vbi β, maior, &, minor. Si igitur scire vis, in qua figura fiat syllogismus conuersiuus, constitue primum syllogismum in eo angulo, in quo est numerus syllogismi figuram indicans, id est, syllogismum primæ figuræ in primo angulo, secundæ in 2. tertię in 3 & inspice duas lineas ad eum angulum ducentes, ac duos numeros extremis illis lineis adscriptos. sic habebis figuras, in quibus fiunt syllogismi conuersiui, quorum alter euertit maiorem, alter minorē. Exempli causa sit primus syllogismus in Barbara: hunc cōstitue in angulo 1. hic angulus conficitur ex duabus lineis: quarum alteri adscriptum est α, maior, & in fine eius est numerus 3. vnde intelligo maiorem τοῦ Barbara euerti in tertia figura. alteri lineæ adscriptū est γ, minor, & in calce adscriptus numerus 2. vnde intelligit minorē τοῦ Barbara euerti in secunda figura. Eadem est aliorum syllogismorum ratio. Sed vt perspicuè vno intuitu appareat, non solùm in qua figura, sed etiam in quo modo fiat syllogismus conuersiuus, addo sequens diagramma.

Syllogismi conuersiui

	Syllogismi primi.	ex contrario euertentes		ex cõtradictione euertentes	
		maiorem.	minorem.	maiorem.	minorem.
I.	Barbara	Felapton	*Camestres*	Briocardo.	Baroco.
	Celarent	Darapti	*Cesare*	Disamis.	Festino
	Darij			Ferison	Camestres
	Ferio			Datisi	Cesare
II.	Cesare	Darapti	*Celarent*	Datisi	Ferio
	Camestres	Felapton	*Barbara*	Ferison	Darij
	Festino			Disamis	Celarent.
	Baroco			Broeardo	Barbara.
III.	Darapti			*Celarent*	*Cesare*
	Felapton			*Barbara*	*Camestres*
	Disamis			Celarent	Festino
	Datisi			Ferio	Cesare
	Brocardo			Barbara	Baroco
	Ferison			Darij	Camestres

Hoc diagramma cõstat quinque columnis. Prima columna continet primos syllogismos, id est eos, quorum conclusio conuertitur, vt maior, vel minor euertatur. Reliquę columnæ continent syllogismos euertentes, quos conuersiuos vocant, quia ex conuersione conclusionis primorum syllogismorum oriuntur. Qui Romanis characteribus scripti sunt, contradictoriè euertunt, id est, conclusionem colligunt propositioni euertendæ contradicentem. *qui Italicis*, euertunt contrariè, id est, conclusionem inferunt propositioni euertendæ contrariam. In secunda columna omnes syllogismi euertūt contradictoriè: in quarta omnes contrariè: in tertia & quinta omnes contradictoriè, exceptis iis, quibus euertuntur propositiones τοῦ Darapti, & τοῦ Felaptõ. In secunda & tertia columnis conclusio primi syllogismi cõtrariè conuertitur: in quarta & quinta contradictoriè. In secunda & quarta euertitur maior propositio: in tertia & quinta euertitur minor.

IN CAP. XI. DE PROBATIONE PER IMPOSSIBILE IN prima figura.

SEquitur quinta syllogismorum potestas, deductio ad impossibile: cuius vsus est frequētissimus, eámque Aristoteles suprà adhibuit aliquoties in confirmandis syllogismis & secundæ & tertiæ figuræ, vtiturauté hoc probādi genere tam demõstrator, lib. 1. Poster. cap. 26. quàm dialecticus, Top. lib. 8. cap. 2. part 8.

1 *Per impossibile.* Initiō declarat, quid sit probatio per impossibile, & quomodo fiat. ac primò definitionem proponit, inquiens syllogismum per impossibile probātem, esse eum, in quo ponitur contradictio conclusionis seu problematis, & adiūgitur alia propositio. Ergo sicut alij syllogismi, ita etiam ductus ad impossibile constat ex duabus propositionibus. Harum autem propositionum vna contradicit problemati demonstrando, & ponitur ab aduersario,

qui

qui nō vult concedere problema:(nam quia negat problema, cogitur concedere propositionem contradic tem:cùm contradictionis semper altera pars sit vera, altera falsa) altera autem est manifestè vera, & concessa ab vtraque parte. Ex his duabus propositionibus colligitur conclusio manifestè, falsa & absurda. Vnde quia suprà ostendimus valere argumentationem à falsitate conclusionis ad falsitatem propositionum, vel propositionis:appatet, cùm sit conclusio falsa, & vna propositio vera, consequenter altera, quæ problemati contradicit, esse falsam. Quòd si illa falsa est, certè problema verum est, cùm hæc sibi inuicem contradicant. In hoc consistit vis argumentationis ad impossibile. Secundò cùm ait, *Et autem*, declarat, quomodo fiat hæc argumentatio: atque eam fieri in omnibus figuris. quòd confirmat ex eo, quia conuersioni, quam proximè exposuimus, est similis. Nam ea quoque conuersio fiebat in omnibus figuris. Tertiò cùm ait, *sed eo differt*, diligenuùs confert deductionem ad impossibile cum conuersione, cui dixerat esse similem, docēns, quatenus conueniant, & quatenus differant. In primis ponit differentiam: quia in conuersione priùs extruebatur syllogismus, deinde eius conclusio euertebatur; itaque ibi erant duo syllogismi, primus ostēsiuus, secundus euertens propositionem primi, in deductione autem ad impossibile secus est: quia non præcedit aliquis syllogismus ostēsiuus, sed vnus syllogismus fit ducens ad impossibile. Quocirca in conuersione prius sumebantur duæ propositiones concessæ, ex quibus extruebatur primus syllogismus:in deductione autem ad impossibile vna est propositio concessa, altera est controuersa: & est euertenda. Dices fortasse, etiam in deductione ad impossibile duo esse pronunciata concessa, nempe vnam propositionē, & conclusionis contradictionem:quia cùm pateat conclusionem esse falsam, simul patet contradictionem esse veram. Respondeo cum Aristotele in contextu, hanc contradictionem non esse expressè positam & concessam, sed per se fuisse manifestā proinde manet hoc discrimen, quòd in conuersione sunt ab initio concessæ propositiones, ex quibus erigebatur primus syllogismus, in deductione verò ad impossibile, nihil est expressè positū & concessum præter vnam propositionē. Quartò cùm ait, *vtpote cùm in a*, proponit exemplū deductionis ad impossibile, quam appatet esse similem conuersioni proponit autē coniunctim duplex exemplum, alterum in Camestres, alterum in Baroco: quorum vtrumque est alphabeticum, nos terminos reales literis adiecimus tam in diagrammate, quàm in syllogismis conficiendis. hæc coniunctim contextui sunt inserta: nunc separatim hos syllogismos expendam. Syllogismus in Barbara omittitur in deductione ad impossibile, qui fiebat in conuersione. Syllogismus autem in Camestres ita extruitur.

Cam Omne animal est substantia:
es Nullus homo est substantia:
Ergo
tres Nullus homo est animal.

Huius syllogismi maior supponitur vera, & cōclusio falsa atque impossibilis. hoc igitur impossibile non sequitur ex maiore, cùm maior ponatur vera, sed ex maiore. quare aduersarius ponens eam minorem, inde ducitur ad impossibile. vnde apparet, minorem esse falsam. Syllogismus autē in Baroco sic erigitur.

Bar Omne animal est substantia:
oc Aliquis homo non est substantia:
Ergo
o Aliquis homo non est animal.

Hìc similiter falsa est conclusio: ergo falsa est etiam vtraque, vel alterutra propositio. atqui supponimus maiorem esse veram. ergo minor est falsa, quam aduersarius ponebat. sic igitur ponēs propositionē falsam, ducitur ad impossibile. Notādum est discrimē inter Camestres & Baroco, nam problema demonstrandum erat, omnem hominem esse substantiam: cui in Camestres sumitur minor propositio contraria, in Baroco autem sumitur contradictoria. sic etiam in sequentibus Aristoteles modo sumit contrariam, modò contradictoriam: seu modò vniuersalem, modò particularem: propterea quòd is qui negat problema, cogitur concedere vel propositionem contrariam, vel contradictoriam: vtroque autem modo ducitur ad impossibile. Obiiciet aliquis: Immo necessariò cogitur ponere contradictoriam; quia contradictionis semper altera pars est vera, altera falsa. Vt hæc obiectio soluatur: notandum est, propositionem particularem posse capi duobus modis. vel enim sumitur tamquàm vera solùm in parte, vel tāquàm vera etiam generaliter. Exempli gratiâ, cùm dico aliquam voluptatem non esse expetendam: aut significo quandam debere, & quandam non debere expeti: aut simplicitter significo aliquam non

debere expeti, non adsignificans aliquam debere expeti. Cùm ergo dicimus contradictionis alteram partem esse veram, alteram falsam: accipimus propositionem particularem simpliciter:hic autem accipimus particularem angustiùs,pro ea quæ tantùm particulariter vera est. Ita in nostro exemplo, cùm aduersarius neget omnem hominem esse substantiam,cogitur fateri alteram partē contradictionis,id est,aliquem hominem non esse substantiam. Iam si velimus explicare hanc aduersarij sententiam,ea potest accipi duobus modis. vel enim contendi t nullum hominem esse substantiam, vel aliquem esse & aliquem non esse substantiam: vtrumuis enim horū ponatur,falsum erit illud pronūtiatum, omnem hominem esse substantiam. Quintò cùm ait, *Similiter[sit,]* docet eandem esse rationem aliarum figurarum, sicut enim in omnibus figuris fit conuersio, ita etiam in omnibus fit deductio ad impossibile, vt in sequentibus distinctè & singillatim docebit.

2 *Omnia igitur.* Quia proximè dixit, in omnibus figuris posse fieri probationem per impossibile: nunc docet,quænam problemata in singulis figuris potbari possint: & ait omnia problemata, idest,vniuersale affirmans,vniuersale negans,particulare affirmans,& particulare negans posse probari in quacunque figura, hoc excepto, quòd vniuersale affirmans non potest probari in prima figura: quia scilicèt in primā figurā nulla est propositio particularis negans,quæ contradicat problemati, vt ex eius propositionis falsitate possimus colligere problematis veritatem.

3 *Supponatur enim.* Incipit examinare primā figurā& singula problemataprobāda per impossibile in hac figura: incipit autē à problemate vniuersali affirmante, quod diximus in hac figura non posse probari.Hoc Aristoteles ostendit expendens varios modos,quibus videri possit probari in prima figura, nec tamen probatur. Primus modus est,si sumatur propositio contradicens problemati: qui modus subdiuiditur in duos: quoniam ea propositio sumitur vel pro maiore, vel pro minore. sed neutro modo erit syllogismus:quia cùm problema sit vniuersale affirmans, propositio contradicens erit particularis negans:qualis propositio in prima figura sumi nō potest, nec vt maior,nec vt minor:quia maior debet esse vniuersalis, hæc autem est particularis: item minor debet affirmare,hæc autem negat.

4 *Sin nulli.* Tertius modus est, vt sumatur propositio maior problemati contraria,id est,vniuersalis negans. Hoc modo fit syllogismus in Celarent,quo ducitur aduersarius ad impossibile, sumptā maiore falsā, & minore verā.nam ex falsitate conclusionis,ac veritate minoris propositionis, rectè colligitur falsitas maioris.sed non possumus vlteriùs progredi,& ex falsitate maioris colligere veritatem problematis:quia cùm sint pronunciata contraria, possunt esse simul falsa.veluti si problema sit,omnem hominē esse iustum;& sumpta sit contraria propositio,nullum hominem esse iustum.

5 *Si verò assumatur.* Quartus modus est, vt sumatur minor propositio problemati cōtraria,nempe vniuersalis negans.hoc modo nō est syllogismus,quemadmodū ex secūdo modo,id est,cùm minor eratparticularis negans:propterea quòd in primafigura minor debet esse affirmans.

6 *Quare perspicuum.* Ex dictis concludit,non probari problema vniuersale affirmans in prima figura.

7 *Aliud verò.* Reliqua problemata inquit probari in prima figura:quod deinceps per partes explicabit & confirmabit.

8 *Supponatur enim.* Incipit considerare problema particulare affirmans: cuius probandi duos modostradit.Primus est,si sumatur contradicens propositio,id est,vniuersalis negans,& accipiatur pro maiore in Celarent.nam si maior τοῦ Celarent est falsa,problema contradicens est verum. Secundus modus est primo similis, si talia propositio maior sumatur in Ferio.nam Celarēt& Ferio non differunt maiore propositione.

9 *Quòd si iuxta.* Tertius modus est, si sumatur propositio minor cōtradicens problemati,id est,propositio vniuersalis negās, quia problema erat particulare affirmans. hoc modo nihil concluditur:quia minor negat in prima figura.Ait, *iuxta a sumpta fuerit altera propositio.* Alteram propositionem appellat propositionem veram,quæ adiūgitur propositioni falsæ cōtradicenti problemati. Inquit hanc poni *iuxta a*,id est,fieri maiorē propositionē:adeo vt illa propositio contradicēs problemati,quę est vniuersalis negās, fiat minor,contra regulam primæ figuræ.

10 *Neque cùm suppositum.* Adiungit duos alios modos, quibus non probatur problema particulare affirmans,nempe si sumatur propositio contraria(contrariam hîc vocamus,quam vulgò appellant subcontrariam) id est particularis negās,siue accipiatur pro maiore propositione,siue pro minore. cum enim (vt suprà notaui)eiusmodi propositio non habeat locum in prima figura, modus est inutilis.& nihil concludit.

11 *Rursus supponatur.* Transit ad problema vniuersale negans, cui similiter vel contradicens, vel contraria propositio sumitur. Incipit à contradicente, & ostendit problema demonstrari per falsitatem minoris propositionis in Darij. nam si ea propositio particularis affirmās est falsa, sine dubio cōtradictio, id est, vniuersalis negatio, erit vera.

12 *Similiter [fiet.]* Addit alium modum idem probandi per falsitatem minoris in Ferio. hic enim est eadem ratio: quia Darij & Ferio non differunt, minore propositione.

13 *Quòd si propositio.* Postquam ostendit probari problema per propositionem contradicentem, si ea propositio fiat minor: nunc ostendit non probari, si ea propositio contradicens sit maior: quia cùm problema sit vniuersale negans, propositio, quæ contradicit, est particularis affirmans, proinde non potest fieri maior in prima figura, in qua maior debet esse vniuersalis.

14 *Sin contrarium.* Adhuc de propositione contradicente problemati neganti vniuersali: sequitur propositio contraria, per quam problema probari non potest, ob rationem suprà expositam, quia possunt ambo contraria simul esse falsa.

15 *Supponatur enim.* Quod generaliter dictū est in præced. partic. deinceps per partes confirmatur, examinatis variis modis, quibus sumi potest ea propositio problemati contraria. Primus modus est, si sumatur pro minore in Barbara.

16 *Similiter [fiet.]* Secundus modus est, si sumatur pro maiore in Barbara. hoc est, quod Aristoteles ait, alteram propositionē, id est, propositionem verā, sumi ad β, id est, fieri maiorem propositionem. Nam si hæc est minor: altera, quæ problemati contradicit, est maior. Ceterùm sequentia verba continent aliquid obscuritatis, dum ait Aristoteles, hoc quidem modo effici syllogismum ducentem ad impossibile, non tamen tolli hypothesim. Hypothesim appellat propositionem problemati cōtrariam. Syllogismus enim ducens ad impossibile constat ex duabus propositionibus: quarum altera est perspicuè vera, altera, quæ problemati contradicit, nominatur hypothesis, quia supponitur in hoc syllogismo ex cōcessione aduersarij, non ponitur simpliciter quasi vera. Sed hâc hypothesim nō tolli, falsum est. cùm enim cōclusio fit falsa & impossibilis, & altera propositio sit vera: necesse est hypothesim esse falsam, per argumentum à falsitate conclusionis ad falsitatem propositionis. Verba igitur Aristotelis sunt intelligenda cautè, & quantum ad effectum, seu ratione instituti. nam institutum erat, confirmare problema: hypothesis autem tollitur quidem, non tamen ita tollitur, vt hoc modo confirmetur problema. quare locutio est Aristotelica, id est, concisa atque ita supplenda, siue explicāda: Non tollitur hypothesis, id est, non ita tollitur hypothesis, vt confirmetur problema: quia cùm hypothesis & problema sint contraria, possunt esse ambo falsa. Ex dictis apparet, problema vniuersale negans nunquàm probari per propositionem contrariam. Vnde Aristoteles in fine huius partic. cùm ait, *quoniam oppositum*, colligit sumēdum esse pronunciatum oppositum, hoc est, quod contradicat problemati vniuersali neganti.

17 *Vt autem probetur.* Transit ad problema particulare negans: quod potest concipi duobus modis, id est, aut per particulatem, *non omnis*, vel, *non omne*, veluti, non omnis homo est iustus, non omne animal est album: aut per particulam, *aliquis*, seu, *quidam*, veluti, aliquis homo non est iustus, quoddam animal nō est album. verba sunt diuersa: sententia est eadem. quapropter quod dicetur de problemate *non omnis*, postea producetur ad problema *aliquis non.* In primis respiciens Aristoteles ad priorem formulam, ostendit eiusmodi problema confirmari per propositionem contradicentem, non per cōtrariam. Quod attinet ad propositionem cōtradicentem, quę est vniuersalis affirmans: hæc sumi potest quatuor modis: quorum tres priores sunt syllogistici, & confirmant problema, vltimus est modus inutilis, & ἀσυλλόγιστος. Primus modus est, si hæc hypothesis sit minor in Barbara.

18 *Similiter [fiet.]* Secundus modus est, si hypothesis sit maior in Barbara.

19 *Itidémque.* Tertius modus est, si hypothesis sit minor in Celarent.

20 *Quòd si τῷ β.* Quartus modus est, si hypothesis sit maior in modo inutili AE, id est, si hypothesi adiungatur minor negans: hic enim modus est inutilis in prima figura.

21 *Si verò non fuerit.* Egimus de hypothesi contradicente problemati: consequenter agamus de contraria, per quam problema non confirmatur, ob rationem suprà expositam, quia contraria possunt simul esse falsa. Primò Aristoteles proponit hanc sententiam: si sumatur hypothesis contraria, id est, subcontraria, nempe propositio particularis affirmans, per eam non cōfirmari propositum problema particulare negans, sed vniuersale negans. Secundò, cùm ait, *Nam si τῷ α*, eam sententiā confirmat hoc exemplo: Omne bonū est substantia: quædā voluptas est bona: ergo quędā voluptas est substantia.

Huius syllogismi conclusio est falsa. & maior ponitur tanquàm vera: ergo falsa est minor, quandam voluptatem esse bonam. vnde colligitur, nullam voluptatem esse bonam. hoc autem non erat problema probandum: sed probandum erat, tantùm aliquam esse bonam. Tertiò cùm ait, *Præterea non propter*, eandem sententiam confirmat hac ratione, quod falsum & impossibile non colligitur ex illa hypothesi, sed potiùs ex altera propositione. illa enim hypothesis est vera, siquidem problema est verũ: quia volumus probare hoc problema particulare, aliquam tantùm voluptaté non esse bonam. Ergo hoc intendimus, aliquam esse bonam, aliquam non esse bonam. Illa igitur hypothesis, quædam voluptas est bona, vera est. Quartò cùm ait, *Quare non* [*est*,] concludit non esse supponendum, inesse alicui, sed omni, id est, non esse accipiendam hypothesim particularem affirmantem, quę sit problemati contraria; sed vniuersalem affirmantem, quæ problemati contradicat.

22 *Similiter* [*fiet*.] Quæ dixit de problemate, non omnis, transfert ad problema, aliquis non: quoniam reipsa hoc ab illo non differt, vt suprà notaui.

23 *Apparet igitur.* Ex dictis infert duo corollaria communiter pertinẽtia ad syllogismos primæ figuræ. Primum est, semper accipiendam esse hypothesim problemati contradicentem, non contrariam. Primò igitur ponit hoc corollarium, quod est bipertitum. vna enim pars est, sumendam esse hypothesim contradicentem: altera pars est, non esse sumendam contrariam. Secundò cùm ait, *sic enim*, confirmat priorem partem corollarij. Confirmatio duplex est: vna à necessario, altera à probabili. A necessario: quoniam ex falsitate hypotheseos necessariò colligitur veritas problematis contradicentis. A probabili: quoniam hoc est axioma probabile, id est, quod omnes concedunt, alteram partem contradictionis esse veram, alteram falsam. Tertiò cùm ait, *contrarium autem*, confirmat posteriorem partẽ corollarij similiter à necessario, & à probabili. A necessario: quia non est necessaria cõsequentia a falsitate hypotheseos ad veritatem problematis contrarij. A probabili: quoniam hoc axioma non est probabile, contrariorum alterum est verum, alterum falsum.

24 *Perspicuum igitur.* Sequitur alterum corollarium, Omnia problemata probari in prima figura, excepto problemate aiente vniuersali. Hinc apparet discrimen probationis categoricæ, & per impossibile. nam problema vniuersale affirmans categoricè probatur solùm in prima figura: per impossibile verò probatur solùm in secunda, & tertia.

IN CAP. XII. DE DEDVCTIONE AD IMPOSSIBILE IN SEcunda figura.

TRansit ad secundam figuram, in qua probantur omnia problemata, tam affirmantia, quàm negantia; per deductionem ad impossibile.

1 *In media verò.* Incipit à problemate vniuersali affirmante, quod probatur in Baroco per falsitatem minoris propositionis. Cùm enim ea propositio sit particularis negans: si ea sit falsa, necesse est contradictionem esse veram, quæ est vniuersalis affirmans.

2 *Quòd si contrarium.* Ostendit idem problema non probari per minorem in Camestres: quoniam est vniuersalis negans, proinde contraria problemati vniuersali affirmanti, contraria verò possunt simul esse falsa.

3 *Quando autem.* Sequitur problema particulare affirmans, quod probatur per falsitatem propositionis contradicentis, id est, minoris in Camestres.

4 *Si verò suppositum.* Idem problema particulare affirmans non probatur ex eo, quòd propositio contraria, id est, minor ĩ Baroco, sit falsa: quoniam & problema, & hæc propositio sunt particularia: proinde contraria, id est, subcontraria, quæ possunt esse simul vera.

5 *Iterum supponatur.* Sequitur problema vniuersale negans, quod probatur per falsitatem propositionis contradicentis, id est, minoris in Festino.

6 *Cùm verò.* Sequitur problema particulare negans, quod probatur per falsitatem propositionis contradicentis, id est, minoris in Cesare.

7 *Apparet igitur.* Ex dictis colligit, omnes syllogismos fieri, id est, omnia problemata probari per impossibile in secunda figura, quamuis affirmatiua categoricè probari nequeant.

IN CAP. XIII. DE DEDVCTIONE AD IMPOSSIBILE IN tertia figura.

Sequi-

Sequitur tertia figura, in qua similiter probantur omnia problemata per deductionem ad impossibile, quamuis categoricè vniuersalia probari non possint.

1 *Similiter concluditur.* Incipit à problemate vniuersali affirmante, quod probatur per falsitatem propositionis contradicentis, id est, maioris in Brocardo.

2 *Si verò supponatur.* Ostendit idem problema non probari per hypothesim contrariam, veluti per falsitatem maioris propositionis in Felaptō: quia vt sæpe dixi, contraria possunt esse simul falsa.

3 *Sed ad [concludendum.*] Sequitur problema particulare affirmans, quod probatur per hypothesim contradicentem, nempe si falsa sit maior in Ferison.

4 *Cum autem nulli.* Sequitur problema vniuersale negans, quod probatur per hypothesim contradicentem, nempe si falsa sit maior in Disamis.

5 *Quòd si supponatur.* Ostendit, idem problema vniuersale negans non probari per hypothesim contrariam, veluti si falsa sit maior propositio in Darapti, ob rationem antè expositam, quòd contraria possunt esse simul falsa.

6 *Sed ad [concludendum.*] Problema particulare negans probatur per hypothesim contradicentem, si falsa sit maior in Datisi.

7 *Quòd si supponatur.* Idem problema particulare negans non probatur per hypothesim contrariam, id est, subcontrariam, qualis est maior in Disamis. Huic transfer, quæ dicta fuerunt cap. 11. partic. 2t. de subcontrariis.

8 *Perspicuum igitur.* Ex dictis in hoc & duobus præcedentibus capitibus colligit duo corollaria. Primum est, supponendum esse, quod est oppositum, subaudi, problemati, id est, sumendam esse hypothesim, non contrariam, sed contradicentem problemati. sæpe enim Aristoteles appellatione oppositionis, ἀντίθεσιν significat contradictionem.

9 *Constat etiam.* Secundum corollarium est, per deductionem ad impossibile probari problema affirmatiuum in secunda figura, & vniuersale in tertia, quamuis categoricè in dictis figuris hæc probari nequeant. Adde, quod suprà expositum fuit, (& hoc erit tertium corollarium) problema vniuersale affirmans, quod categoricè in sola prima figura probatur, per impossibile in ea sola non probari. Tandem notandum est, Aristotelem in his tribus capitibus proposuisse multos modos probandi problemata per deductionem ad impossibile; non tamen omnes: sed reliqui facilè suppleri possunt. Generaliter enim tenendum est, in quocumque modo syllogistico reperitur propositio contradicens problemati posse ex falsitate eius propositionis confirmari veritatem problematis. vt autem omnes modi, tam ab Aristotele expositi, quàm reliqui ab eo præter missi, perspicuè appareant, & oculis subiiciantur, [illegible] diagramma [illegible] collocauimus [illegible] inductum, omnia breuiter complectens. In quo notandum est syllabas maioribus literis expressas significare hypothesim falsam, problemati contradicentem, ex qua problema confirmatur. Item notandum est, eos modos esse in contextu Aristotelis omissos, qui sunt *hisce Ita* [illegible] *characteribus* scripti: breuitatis enim studio voluit Philosophus tantùm præcipuos modos exponere.

Problema.	Modi quibus deducitur ad absorditatem in figura 1	2	3
A		barOCo	BROCardo
E	daRIi feRIo	fesTIno	DISamis *datISi* *ferISon*
I	CElarent fErio	*CESare* camEStres fEStino	*FE Lapton* FERison
O	BARBAra ceLArent *DAry*	cesAre *CAMestres* *BARoco*	*DARAPti* *feLAPton* *disAMis* *DATisi* *brocARdo*

IN CAP. XIV. QVO PROBATIO DVCENS AD INCOMMODVM confertur cum ostensiua.

POstquàm exposuit quomodo fiant syllogismi ducentes ad impossibile in singulis figuris; nunc confert probationem per impossibile cum probatione categorica, siue ostensiua; ac docet, quatenus inter se differant, vel conueniant.

1 [*Iam*] *verò demonstratio.* Prima collatio probationis ostensiuæ & probationis ducentis ad impossibile sumitur à propositionibus, quæ partim conueniunt, partim differunt. Conueniunt in eo, quòd vtrique syllogismi efficiuntur ex duabus propositionibus positis. Differunt autem: quia syllogismus categoricus sumit propositiones, per quas probatur problema: qui verò ducit ad impossibile, vnam tantùm ex his sumit, alteram omittit, sed assumit propositionem contradicentem problemati, quam vult euertere. Primò itaque Aristoteles proponit hanc differentiam; quòd deductio ad impossibile sumit propositionem quam vult euertere, probatio verò categorica neutram propositionem vult euertere. Deinde, vt hoc magis explicet, confert similitudinem & differentiam: nam in eo quidem (inquit) hæ probationes conueniunt, quòd vtuntur duabus propositionibus positis: sed nihilominus eo differunt; quòd illa. i. categorica probatio, sumit propositiones, ex quibus concluditur problema propositum; hæc verò, id est, ducens ad impossibile. harum propositionum tantùm vnam sumit, eique adiũgit hypothesim problemati contradicentem. Ait, *ponit quod vult euertere. &c. ostensiua autem initium sumit à concessis positionibus.* Obiter ua differentiam inter positionem & concessionem: nam poni dicuntur etiam ea quæ non conceduntur quasi vera, sed ponuntur vt falsa & refutanda Idcirco ad definitionem syllogismi reprobaui interpretationem Gellij, qui verbum *positis* accepit pro confessis & concessis, superioris lib. cap. 1. partic. 8.

2 *Item in altera.* Sequitur secunda collatio sumpta à conclusione. Hic differentia est, quia syllogismi categorici conclusio, antequàm probetur, est ignota: (ideo namque vtimur syllogismis, vt ex propositionibus notis acquiramus cognitionem conclusionum ignotarum) ea verò conclusio, ad quam deducitur tamquàm impossibilem, manifestè falsa est: eiúsque falsitas nobis nota erat, antequàm fieret syllogismus ducens ad impossibile, vt Aristoteles docuit etiam partic. 1. cap. 11. vbi dicebat non esse opus vt contradictio conclusionis expressè concedatur, quoniam ex se manifesta est. patet enim, eam esse veram, & conclusionem, ad quam deducitur, esse falsam.

3 *Quicquid autem.* Sequitur tertia collatio sumpta à problemate, terminis, & figura. hic partim hæ probationes conueniũt: partim differunt. Conueniunt problemate, & terminis: quatenus quodcumque problema probatur categoricè, potest etiam probari per impossibile in iisdem terminis: & retrò quod probatur per impossibile, potest resolui in syllogismum categoricum constantem ex iisdem terminis, vt Aristoteles,

les in sequentibus particulis distinctè docebit. Differunt figurâ: quia cùm idem ex iisdem terminis probatur categoricè & per impossibile, in alia figura categoricè, in alia per impossibile probatur.

4 *Cùm enim.* Cùm dixerit syllogismos ducentes ad impossibile resolui in categoricos, & contrà hos quoque in illos resolui: consequenter vult vtramque resolutionem explicare: & incipit ab ea, qua ducentes ad impossibile resoluũtur in categoricos: ac primùm generaliter in hac particula docet, ex qua figura in quam figuram resolutio fiat: quod quidem distinctè docet de singulis figuris. Primò igitur loco loquitur de syllogismis ducentibus ad impossibile in prima figura: & ait, *cùm syllogismus* (sub. ducens ad impossibile) *fit in prima figura*, tunc *verum erit*, id est, vera conclusio probabitur syllogismo categorico, in qua resoluetur ducens ad impossibile: *erit* (inquam) *aut in media*. i. secunda, *aut in vltima*, id est, tertia figura. Secundò cùm ait, *priuatiuum in media*, distinctè explicat, quando syllogismus categoricus fiat in secunda, & quando in tertia figura; vt sciamus, in quam figuram fiat resolutio ducentis ad impossibile: & inquit, problema affirmãs cõcludi in prima figura; negans, in secunda. Tertiò cùm ait, *cùm autem syllogismus*, transit ad secũdam figuram syllogismorum ducentium ad impossibile: & inquit, cùm syllogismus (supple, ducens ad impossibile) est in secunda figura, tunc verũ problema categoricè probari in prima figura. quod quidem indistinctè euenit in omnibus problematis: quia non distinguimus hic inter affirmantia & negantia, vt suprà distinguebamus. Hoc loco notandum est, hanc Aristotelis sententiam non esse generaliter veram, sed tantùm valere in præcipuis quibusdam modis probandi per impossibile, quos proposui: c. 11. 12. & 13. Nam quos modos enarrauit in tribus præcedentibus capitibus, eosdem resoluet in hoc capite: quos autem ibi prętermisit, hic quoque prætermittet. Cæterùm si velimus addere modos ab Aristotele omissos, non fiet semper resolutio secundę figuræ in primam: sed quandoque in tertiam, veluti si problema particulare affirmans probetur ex falsitate maioris propositionis in Cesare, vt in sequenti exemplo.

Deductio ad impossibile.	*Probatio categorica.*
Ces Nihil immortale est forma:	*Dat* Omnis anima est forma:
a Omnis anima est forma:	*is* Quædam anima est immortalis:
Ergo	Ergo
re Nulla anima est immortalis.	*i* Quoddã immortale est forma.

Item si probetur problema particulare negans ex falsitate maioris propositionis in Camestres resolutio fiet in tertiam figurã, id est, in Ferison, vt in sequenti exemplo.

Deductio ad impossibile.	*Probatio categorica.*
Cam Omnis voluptas est expetenda:	*Fer* Nihil turpe est expetendum:
es Nihil turpe est expetendum:	*is* Aliquod turpe est voluptas:
Ergo	Ergo
tres. Nihil turpe est voluptas.	*on* Aliqua voluptas non est expetenda.

Sed hos modos probandi per impossibile ex falsitate maioris propositionis in Cesare vel Camestres Aristoteles neque suprà considerauit, nec in hoc capite considerat. Quartò cùm ait, *cùm autem in postrema*, transit ad tertiam figuram syllogismorum ducentium ad impossibile, & inquit, cùm in hac figura est syllogismus (supple, ducens ad impossibile) verum esse, id est, problema categoricè concludi in prima, & media figura. Quintò cùm ait, *verùm affirmantia*, distinctiùs declarãs, quod modò dixit, id est, quando probatio categorica fiat in prima figura, & quando in secunda, inquit problemata affirmantia concludi categoricè in prima figura, negantia verò in secunda. Excludit igitur primam figuram, quando problema est negans, quamuis in hanc quoque interdum fieri possit resolutio: veluti si problema vniuersale negans probetur per falsitatem maioris in Disamis, resolutio potest commodè fieri in primam figuram, id est in Celarent, vt in sequenti exemplo.

Deductio ad impossibile.	*Probatio categorica.*
Dis Quędam auaritia est bona.	*Ce* Nullum vitium est bonum
am Omnis auaritia est vitium:	*la* Omnis auaritia est vitium:
Ergo	Ergo
is Quoddã vitium est bonum.	*rent* Nulla auaritia est bona.

Itidem si problema particulare negans probetur per deductionem ad impossibile ex falsitate maioris in Datisi, commodè fieri potest resolutio in primam figuram, id est, in Ferio, vt in sequenti exemplo.

Deductio ad impossibile.	*Probatio categorica.*
Da Omnis habitus est malus:	*Fe* Nulla virtus est mala:
is Quidam habitus est virtus:	*ri* Quidam habitus est virtus:
Ergo	Ergo
i Quædam virtus est mala.	*o* Quidā habitus non est malus.

5 *Probatum enim.* Quæ generaliter proposuit in præced. partic. deinceps per partes declarat, incipiens à resolutione syllogismorum ducentium ad impossibile, qui fiunt in prima figura. Sumpto igitur initio à problemate negante, resoluit Darij ducentem ad impossibile ex falsitate minoris propositionis, in Camestres. Vide exemplum contextui adiectum.

6 *Similiter [fiet.]* Resoluit Barbara, quo probatur problema particulare negans ex falsitate minoris propositionis, in Baroco. exemplum habes contextui subiectum.

7 *Itidémque si priuatiuum.* Postquàm locutus est de syllogismis affirmatiuis, Darij & Barbara, quibus problema negans probatur per impossibile: nunc loquitur de syllogismis negantibus, Ferio & Celarent; quos ait similiter resolui in secundam figuram. Nam Ferio probās problema vniuersale negans ex falsitate minoris propositionis, resoluitur in Cesare: & Celarent ex falsitate minoris propositionis colligens problema particulare negans, resoluitur in Festino: vt in exēplis contextui adiectis inspicere licet.

8 *Rursus probatum.* Hactenus de problemate negante. sequitur problema particulare affirmans. Nam vniuersale affirmans non probatur in prima figura. Ergo si problema particulare affirmans probetur per impossibile ex falsitate maioris propositionis in Celarēt, resolutio fiet in Darapti, vel in Disamis. si verò probetur ex falsitate maioris propositionis in Ferio, resolutio fiet in Datisi. In hac igitur particula primò Aristoteles proponit hoc problema particulare affirmans, aliquod β esse α, putà aliquem habitum esse bonum. Secundò cùm ait, *ergo hypothesis*, proponit hypothesim contradicentem ei problemati, quæ fit maior propositio in Celarent, aut Ferio. Tertiò cùm ait, τὸ *β autem*, adiungit alteram propositionem, quæ fit minor in Celarēt. Quartò cùm ait, *ac* τὸ *α*, vt supponat falsitatem conclusionis, ad quam deducimur in Celarent, supponit veritatem pronūciati contrarij, vel contradicentis. nam conclusio τοῦ Celarent est, nullum γ esse α, putà nullam iustitiam esse bonam: Aristoteles autem supponit vel contrarium, id est, omne γ esse α, vel contradictoriam, id est, aliquod γ esse α. Si contrarium sumamus: quia propositio est vniuersalis, omne γ est α, resolutio fiet in Darapti. si verò sumamus contradictionem, id est, aliquod γ esse α, resolutio fiet in Disamis. Quintò cùm ait, *hac autem*, resoluit Celarent in Darapti. sumit enim pronunciatum contrarium conclusioni τοῦ Celarent, vt in exemplo, quod adieci contextui, cernere licet.

9 *Similiter [fiet.]* In hac particula inquit similiter fieri resolutionem in tertiam figuram, si sumptum fuerit aut α aut β dici de aliquo γ. Hæc duo sunt seorsim explicanda. Intellige α sumi de aliquo γ, quando supponimus ideo falsam esse conclusionem τοῦ Celarent, quia vera est contradictio. nam conclusio illa erat, nullum γ esse α. & hoc pronunciatum fiet maior in Disamis: quemadmodum cùm supponebamus contrarium conclusioni τοῦ Celarent, id est, omne γ esse α, illud pronunciatum fiebat maior in Darapti. Itaque dum Aristoteles hic sumit, aliquod γ esse α: supponit reliqua esse eadē, quę proposita fuerunt in præcedēti partic. proinde innuit resolutionem τοῦ Celarent in Disamis. Sequitur vt exponam alterum membrum, nempe si sumatur aliquod γ esse β. hæc est minor propositio syllogismi ducentis ad impossibile in prima figura. & antea quidem, cùm extrueret syllogismum in Celarent, sumebat omne γ esse β: nunc autem facit hanc propositionem particularem, aliquod γ est β: ergo indicat syllogismum in Ferio. Adderem exemplum, nisi iam contextui adiecissem.

10 *Rursus in media.* Hucusque locutus est de prima figura: sequitur secunda, in qua primo loco Aristoteles cōsiderat problema vniuersale affirmans, quod probatur ex falsitate minoris in Baroco. Hunc syllogismum resoluit in Barbara.

11 *Similiter [fiet.]* Probat problema particulare affirmās ex falsitate minoris in Camestres: & hunc syllogismum resoluit in Darij.

12 *Si verò syllogismus.* Probat problema vniuersale negans ex falsitate minoris in Festino; & hunc syllogismum resoluit in Celarent.

13 *Eadem [est] ratio.* Probat problema particulare negans ex falsitate minoris in

Cesare:

Cesare : & hunc syllogismum resoluit in Ferio.

14 *Rursus in tertia.* Examinatæ sunt duæ figuræ syllog smorum ducentium ad impossibile, prima, & secunda: superest tertia. In primis Aristoteles probat problema vniuersale affirmans ex falsitate maioris in Brocardo: & hunc syllogismum resoluit in Barbara.

15 *Eadem[est] ratio.* Probat problema particulare affirmans ex falsitate maioris propositionis in Ferison : atque hunc syllogismum resoluit in Darij.

16 *Quod si priuatiuus.* Probat problema vniuersale negans ex falsitate maioris in Disamis : atque hunc syllogismum resoluit in Cesare , vt in sequenti exemplo cernere licet.

Dis	Quædam auaritia est bona:	*Ces*	Nihil bonũ est vitium:
am	Omnis auaritia est vitium:	*a*	Omnis auaritia est vitium:
	Ergo		Ergo
is	Quoddam vitium est bonum.	*re*	Nulla auaritia est bona.

In hoc exemplo notandũ est, non sumi pro maiore in Cesare contradictionem conclusionis in Disamis, sed eius conuersam. Nam conclusio in Disamis fuit, Quoddam vitiũ est bonum: cõtradictio est, Nullum vitium est bonum: maior autem ꝯ Cesare est, Nihil bonum est vitium : quoniam propositio vniuersalis negans reciprocatur. Ceterùm si sumamus ipsam cõtradictionem, Nullum vitium est bonum : syllogismus erit in Celarent. Hoc est, quod notaui in calce particulæ quartæ. cùm enim Aristoteles ibi diceret problemata negantia, quæ probãtur per impossibile in tertia figura, probari categoricè in secunda: notaui, commodè posse resolui in primam. Nec mirum: cùm prima figura in secundam, & secũda inuicem in primam resolui possit.

17 *Similiter [fiet.]* Problema particulare negans probat ex falsitate maioris in Datisi: quem syllogismum resoluit in Festino. Sed similiter posset resolui in primam figuram, id est, Ferio. Typus præcedenti est similis. His expositis, subiiciam tabellam breuiter complectentem omnes resolutiones syllogismorum ducentium ad impossibile in syllogismos categoricos ab Aristotele expositos.

Syllogismorum ad impossibile ducentium — *Figura.*	*Modus.*	*Problema.*	*Syllogismorum categoricorum* — *Modus.*	*Figura.*
2	BarOCo	A	barBAra	1
3	BROCardo		BARbara	
1	daRIi	E	camEStres	2
	FeRIo		cesAre	
2	FeSTIno		ceLArent	1
3	DISamis		*CElarent CESare	2
1	CELarent	I	DARapti DISamis	3
	FErio		DATisi	
2	camESrres		daRIi	1
3	FERison		DArij	
1	barBAra	O	barOCo	2
	ceLArent		fesTIno	
2	cesAre		feRio	1
3	DATisi		FErio FEStino	2

in hoc diagrammate cuiuslibet syllogismi nomen vnam syllabam maioribus characteribus expressam habet.hæc autem syllaba in syllogismis ducentibus ad impossibile significat falsam hypothesim problemati contradicentem:in syllogismis autem categoricis indicat veram propositionē conclusioni syllogismi ad impossibile ducentis oppositam. Problemata collocaui inter vtrúq; syllogismorū genus, quia vtroque modo probantur per eosdem terminos,id est, per impossibile,& categoricè.A significat problema vniuersale affirmans : E, vniuersale negans:I,particulare affirmans: O,particulare negans.

Præposui syllogismos ducentes ad impossibile syllogismis categoricis, secutus ordinem contextus,in quo de illis in hos resoluendis agitur.

Quia verò in superiori diagrāmate ij tātùm modi cōtinētur,qui ab Aristotele hoc capite proponuntur:idcirco subiiciam aliud simile diagramma aliorum syllogismorum ab Aristotele prætermissorum.

Syllogismorum ducentium ad impossibile		*Problema.*	*Syllogismorum categoricorum.*	
Figura.	*Modus.*		*Modus.*	*Figura.*
3	daiiSI.	E	eamEStres.	2
	ferISon		eesAre.	
		I		
2	CESare.		daRIi.	1
	FEStino.		DArij	
3	FE Lapton.		BARbara.	
			vel DArij.	
1	BARbara	O	BROCardo.	3
2	CAMestres		feRIO.	1
	BARoco.		broeARdo	3
3	DARapti.		CELarent,	1
			vel FEtio.	
	darAPti.		eeSAte,vel	2
			FesTIno	
	felAPton.		eamEStres.	
			vel barOCo.	
	disAMis.			
	DATisi.		fesTIno.	1
	brocARdo,		FErio.	2
			BARoco.	

18 *Perspicuum igitur.* Postquàm exposuit singulas figuras syllogismorum ducentium ad impossibile,ex dictis colligit corollarium omnibus figuris commune, nempe eosdem esse terminos in syllogismo categorico,& in eo qui ducit ad impossibile.

19 *Similiter autem.* Cùm exposuetit resolutionem syllogismorum ducentium ad impossibile in syllogismos ostensiuus nunc è contrario docet,quomodo ostensiui resoluātur in eos,qui ducunt ad impossibile: & ait hoc non egere noua expositione; quia satis patet ex conuersione syllogismorū,de qua suprà dictū fuit cap.8.9.& 10. Nā si cōuertas syllogismum ostensiuū,resolues in ducentē ad impossibile. suprà namq; docuimus,conuersionē & deductionē ad impossibile fieri eodē modo;tantùm in eo esse discrimen: quòd conuersio supponit syllogismum ostensiuum antea extructum, deductio ad impossibile eum non supponit.iā igitur cùm ponamus syllogismum ostensiuum, & eum velimus resoluere in syllogismum ducentem ad impossibile, hoc nihil aliud est,quàm conuersio.

20 *Conflat igitur.*Concludit, omne problema vtroq; modo probari,id est, ostensiuè,& per impossibile:atq; hos duos modos probandi esse inter se affines, nec posse alterum ab altero separari;nempe quia fiunt: in-

in iisdem terminis, & alter in alterum resolui potest.

IN CAP. XV. DE RATIONE CONCLVDENDI EX OPPOSITIS.

IN hoc capite explicat Aristoteles sextam & vltimam syllogismorum facultatem, id est, vim concludendi ex propositionibus sibi inuicem contrariis, vel contradicentibus. Hac ratione semper efficitur cõclusio falsa: quoniam idem de seipso in conclusione negatur, vt posteriùs intelligetur. Huius tractatus vtilitas in eo cernitur; vt aduersarius per disputationem ad hanc absurditatem ducatur, vt neget idem de seipso, veluti vt neget animal esse animal: & vt nobiscaueamus, ne opposita per imprudentiam concedamus: quod facilè potest contingere, si aduersarius cautè interroget, vt explicabitur partic. 14. Sic in refellenda sententia de mortuorum miseria, Socrates ducit Axiochum ad hoc, vt sensus priuationi adiũgat sensum: & Cicero ad Atticũ hoc, vt fateatur eos esse, qui non sunt, primo Tusc. quæstion. De ratiocinatione ex oppositis, vide etiam octaui Topic. cap. 13.

1 *In qua autem.* Proponit explicandam hanc sextam syllogismorum facultatem.

2 *Duo autẽ.* Præmunit diuisionẽ oppositionum, vt intelligamus, ex quibus oppositis velit extruere syllogismos. Proponit igitur quatuor genera oppositorum: quorum tria opponuntur re & verbo: omne & nullũ, quæ sunt contraria: itẽ omne & non omne; vel aliquod & nullum, quæ sunt contradicentia: vnum est genus oppositorum verbo tantùm, id est, aliquod & non omne, quæ vulgò vocantur subcontraria, ab Aristotele autem contraria. Primò proponit hæc quatuor genera oppositorum, quæ omnia habent oppositionem in verbis. Secundò cùm ait, *re vera tres*, ostendit tria tantùm esse, quę reipsa opponuntur, in reliquo esse tantùm verbalẽ oppositionẽ. Tertiò cùm ait, *Ex his autẽ*, subdiuidit, ea quę reipsa opponũtur, in cõtraria. i. & opposita contradicentia. nã oppositorũ appellatione in hoc c. vt & multis aliis locis κατ᾽ ἐξοχὴν intelligit cõtradictia.

3 *In prima igitur.* Deinceps examinat singulas figuras: & primo loco primam: in qua docet syllogismũ ex oppositis fieri non posse, vt meritò hæc potestas syllogistica sit reiecta in vltimũ locũ, quia nõ conuenit omnibus syllogismis, sed tantùm secundæ, & tertiæ figuræ. Primò igitur proponit hanc sententiã, in prima figura nõ posse fieri syllogismũ ex oppositis, neq; aientẽ, neq; negãtẽ. Secundò cùm ait, *affirmatiuus quidem*, nõ posse fieri talem syllogismũ affirmatiuũ in prima figura, probat syllogismo extructo in secunda figura: quia omnis syllogismus ex oppositis, constat ex altera propositione affirmante, & altera negãte: syllogismus autẽ affirmatiuus non constat ex altera propositione affirmante, altera negante, sed ex vtrisq; affirmãtibus. Hæc ratio generalis est, & cõmunis omnib. syllogismis affirmatiuis, adeo vt nec in tertia figura syllogismus affirmatiuus ex oppositis fieri possit. Deniq; hęc potestas est propria syllogismorum negantium in secunda, vel tertia figura. Tertiò cùm ait, *priuatiuus autem*, probat non posse fieri syllogismũ negantẽ in prima figura ex oppositis. hic quoque extruit syllogismum in secũda figura: omnes oppositæ propositiones ita sunt affectæ: vt altera affirmet, altera neget idẽ attributũ de eodem subiecto: atqui propositiones syllogismorum negantium in prima figura non sunt ita affectæ: ergo hæ propositiones non sunt oppositæ. Maior propositio manifesta est ex cap. 6. de Interpretat. partic. vlt. Minor ab Aristot. probatur: quia propositiones in prima figura ita conficiuntur, vt alij termino medius subiicitur in maiore, alij attribuatur in minore. quare nõ est in vtraq; idẽ subiectum, cùm in maiore sit subiectum medius terminus, qui non subiicitur in minore. rursus non est idẽ attributum: quia medius terminus attribuitur in minore, qui non attribuitur in maiore. In contextu habemus conclusionem. Deinde ibi, *quia opposita*, maiorem propositionem. Deinde ibi, *quod verò*, confirmationem minoris propositionis. Tandem ibi, *hæ verò*, minorem propositionem, quæ ex ea confirmatione colligitur.

4 *At in media.* Sequitur secunda figura, de qua tradit philosophus regulam generalem, quòd hæc figura recepit argumẽtationẽ ex contrariis, & ex contradicẽtibus.

5 *Sit enim bonum.* Extruit syllogismum in Camestres ex propositionibus contrariis: Omnis scientia est bona, nulla scientia est bona, ergo nulla scientia est scientia.

6 [*Similiter fiet.*] In exemplo superioris particulæ propositiones erant contrariæ, ita vt in vtraque idẽ esset subiectum nempe scientia: nunc subiicit alterum exemplum similiter in Camestres, in quo propositiones sunt contrariæ, non quia sit prorsus idem subiectum, sed quia subiectum minoris propositionis continetur sub subiecto maioris, tamquàm species sub genere. Exẽplum tale est: Omnis scien:ia est bona, nulla

ſcientia medica eſt bona, ergo nulla ſcientia medica eſt ſcientia Hoc modo faciliùs peccatur, quàm ſuperiori, præſertim ſi omittatur nomen generis in ſpecie ſignificãda: veluti ſi dicatur, Omnis ſcientia eſt bona, nulla medicina eſt bona, ergo nulla medicina eſt ſcientia. nihilominùs enim in concluſione idem negatur de ſeipſo: quandoquidem idem valet, ſiue dicas nullam ſcientiam medicam eſſe ſcientiam, ſiue nullam medicinam eſſe ſcientiam: quia medicina & ſcientia medica idem ſignificant. Concluditur igitur, quandam ſcientiam non eſſe ſcientiã.

7 *Item ſi τῷ α.* A Cameſtres tranſit ad Ceſare: & primò extruit ſyllogiſmum in Ceſare ex contrariis propoſitionibus, quæ ita habent, vt ſubiectum minoris contineatur ſub ſubiecto maioris propoſitionis. Exemplum tale eſt: Nulla ſcientia eſt exiſtimatio, omnis medicina eſt exiſtimatio, ergo nulla medicina eſt ſcientia. Secundò cùm ait, *Differt autem*, diſtinguit hunc ſyllogiſmum à præcedente expoſito in partic. 6. quia termini cõuerſo modo ſe habẽt. Quid autem his verbis ſignificetur, ipſemet in contextu explicat. in ſyllogiſmo enim præcedentis particulæ affirmatio iungebatur ipſi β, id eſt, maiori extremo: hic verò adiungitur ipſi γ, id eſt, minori extremo. quod perinde eſt, ac ſi Ariſtoteles diceret, in ſuperiori ſyllogiſmo, nempe in Cameſtres, fuiſſe maiorem propoſitionem affirmantem: in hoc autem eſſe minorem affirmantem. maior enim propoſitio dicitur, in qua ponitur maius extremum: minor, in qua minus.

8 *Itidem [fiet.]* Quæ docuit de ſyllogiſmis vniuerſalibus, Cameſtres & Ceſare, producit ad particulares, Baroco & Feſtino. Hic tamen eſt diſcrimen notandum: quia in Ceſare & Cameſtres cùm eſſent propoſitiones vniuerſales, erant inter ſe contrariæ, in Baroco autem & Feſtino cùm altera ſit vniuerſalis, altera particularis, non ſunt contrariæ, ſed contradicentes. Exemplum in Baroco tale eſto: Omnis ſcientia eſt bona, quædam ſcientia non eſt bona, ergo quædam ſcientia non eſt ſcientia. Exemplum in Feſtino: Nulla ſcientia eſt bona, quędam ſcientia non eſt bona, ergo quędam ſcientia nõ eſt ſcientia. Hi ſyllogiſmi habent magnam affinitatem cum ſyllogiſmis illis, Ceſare & Cameſtres, in quibus propoſitio minor pro ſubiecto accipiebat ſpeciem ſubiecti poſiti in maiore propoſitione: nam ibiquoque minor propoſitio cõtradicebat maiori, & concludebatur, quandam ſcientiam, putà medicinam, non eſſe ſcientiam.

9 *Quapropter accidit.* Generaliter concludit, tum demum eſſe ratiocinationem ex oppoſitis in ſecunda figura, cùm aut vnus & idem eſt terminus, maior & minor, aut minor ſub maiore continetur, tamquàm ſpecies ſub genere: alioquin ſi ſint termini planè diuerſi, vt animal & lapis, non erunt oppoſitæ propoſitiones, quæ habebunt hæc diuerſa ſubiecta, licèt idem medius terminus in vtraq; propoſitione attribuatur: veluti, omne animal eſt viuens, nullus lapis eſt viuens.

10 *In tertia verò.* Tranſit ad tertiam figuram, de qua ſunt duæ regulæ. Primò tradit priorẽ regulã, in hac figura non fieri ſyllogiſmum affirmatiuum ex oppoſitis, ob rationem expoſitam ſuprà part. 3. de prima figura. quod enim ad hoc, eadem eſt vtriuſque figuræ ratio. Secundò cùm ait, *Negatiuus autem*, affert ſecundam regulam, id eſt, fieri ſyllogiſmum negatiuum ex oppoſitis in tertia figura. quæ regula confirmatur exemplis proponendis in duabus particulis ſequentibus.

11 *Sit enim.* Extruit ſyllogiſmum in Felapton ex contrariis: Nulla medicina eſt ſcientia, omnis medicina eſt ſcientia, ergo quædam ſcientia non eſt ſcientia.

12 *Similiter [fiet.]* Extruit ſyllogiſmum in Feriſon ex propoſitionibus cõtradicentibus: Nulla medicina eſt ſcientia, quædam medicina eſt ſcientia, ergo quædam ſcientia non eſt ſcientia.

13 *Sunt autem.* Concludit, in tertia figura propoſitiones, quæ ſunt oppoſitæ, ſi ſint vniuerſales in Felapton, eſſe contrarias. ſi altera ſit vniuerſalis, altera particularis, vt in Feriſon: eſſe contradicentes.

14 *Iam verò intelligendum.* Poſtquàm expoſuit, in quibus figuris, & quibus modis ſyllogiſmi ex oppoſitis euidenter fiant: ne quis putet hanc doctrinam eſſe inanem, quòd facilè quiuis ſibi ab hoc vitio cauere poſſit; oſtendit, hoc vitium interdum latẽre; vel quia inter duas propoſitiones oppoſitas, quas aduerſarius interrogauit, multas alias interiecit, vt per obliuionem facilè labi poſſimus, non animaduertentes nos negare quod antea conceſſimus, aut concedere quod antea negauimus; vel quia vnâ propoſitione à nobis conceſſa, poteſt aduerſarius oppoſitam probare, ſicque cogemur fateri & concedere oppoſita. Hoc eſt, quod Ariſtoteles ait, hoc vitiũ interdũ nõ latẽre vt in ſuprà expoſitis exẽplis: interdũ latẽre, vt in dictis duobus caſibus, quorũ alterum Ariſt. in cõtextu expreſſe ponit, cùm ait poſſe per alias interrogationes alterum concludi, id eſt, cùm nos conceſſerimus vnam partem contradictionis vel oppoſitionis, poſſe alteram partem ab aduerſario probari. Alter caſus

casus non disertè explicatur in contextu, sed Aristoteles ait se eum exposuisse in Topic. nempe lib. 8. cap. 1.

15 *Cùm autem.* Ex dictis colligit sex modos, quibus fieri potest ratiocinatio ex oppositis, interdum in secunda figura, quandoque in tertia, modò in vtraque, modò in neutra, vt in diagrammate quod contextui subieci, facilè eruere licet.

16 *Perspicuum autem.* Confert hanc sextam potestatem syllogismorum cum secunda: ac distinctionem ponit inter ratiocinationem ex falsis, & ratiocinationem ex oppositis: quoniam ex falsis potest verum concludi, vt suprà docuimus; ex oppositis verò numquam verum concluditur, immo conclusio semper est manifestè falsa, & absurda, in qua negatur idem de seipso.

17 *Constat etiam.* Hactenus de syllogismis categoricis: nunc vult eandem potestatem ratiocinandi ex oppositis accommodare syllogismis hypotheticis hoc enim est, quod ait, *in paralogismis*, seu *in vitiosis ratiocinationibus*, id est, in iis quæ constant ex propositionibus oppositis, (Paralogismi namque ab Aristotele vocantur interdum qui in forma syllogistica peccāt, & nihil cōcludūt: interdū qui quouis modo peccat, siue in forma, vt quia minor negat in prima, vel tertia figura; siue in materia, vt quia propositiones sunt falsæ, vel inter se oppositæ: hic autē paralogismos seu vitiosos syllogismos vocat ratione materiæ, quia propositiones sunt oppositæ, adeo vt necesse sit vtraque, vel alterutram esse falsam) ergo in his paralogismis Aristoteles ait, *nihil prohibere, quò minus efficiatur*, id est, concludatur *contradictio suppositionis*, siue hypotheseos, hoc est, concludatur id non esse, quod supponitur esse, vel, id esse, quod supponitur non esse. Huius conclusionis hypotheticæ continentis in se contradictionem Aristoteles hoc exemplum subiicit, *Si est impar non est impar*: & inquit huiuscemodi conclusiones effici posse, quia *syllogismus contrarius*, id est, qui colligit conclusionem, in qua inest contrarietas siue oppositio, fit ex propositionibus oppositis inter se. vnde si quis tales propositiones, id est, hypotheticas oppositas sumpserit, erit contradictio suppositionis, id est, concludetur id quod hypothesi contradicit, nempe, si non sit, esse, vel, si sit, non esse. Vt hoc clarius intelligatur, operæpretium est adiungere eas propositiones, ex quibus conclusio illa colligitur, *Ergo si est impar, non est impar*: quoniam Aristoteles eas propositiones in contextu non ponit. Videtur ergo mihi respicere ad syllogismum hypotheticum captiosum & sophisticum, qui ita extruitur in secunda figura. Si numerus est impar, non diuiditur in partes æquales: atqui si numerus est impar, diuiditur in partes æquales: ergo si numerus est impar, non est impar. Maior confirmatur exemplo numeri septenarij, qui diuiditur in partes inæquales, quatuor & tria. Minor confirmatur exemplo numeri nouenarij, qui diuiditur in partes æquales, nempe in tria ter accepta.

18 *Iam intelligi.* Hactenus docuit, quomodo per syllogismum ex oppositis concludatur negatio eiusdem de seipso, & ostendit, non posse fieri per syllogismum affirmatiuum ex oppositis: nunc quærit, an contraria de eodem probari possint: ac tres modos tradit ea probandi. Primus modus est, cùm vno & eodem syllogismo contrarium probatur. Secundus, cùm vna contradictionis pars supponitur, & altera pars probatur. Tertius, cùm vno syllogismo vna pars, altero altera pars contradictionis probatur. Hos tres modos declarabo in enarratione contextus. Primò igitur Aristoteles proponit hanc sententiam, non posse contrarium concludi affirmatiuè. suprà namque docuit posse cōcludi negatiuè vno syllogismo: veluti, bonum non esse bonum, scientiam non esse scientiam: nunc ait non posse concludi vno syllogismo affirmatiuo: veluti, non bonum esse bonum, vel non scientiam esse scientiam. Secundò cùm ait, *nisi statim*, adiungit exceptionem quandam, atque ita explicat primum modum colligendi contraria per syllogismum affirmatiuum. Hic modus est, cùm statim propositio talis sumitur, id est cùm ipsa maior propositio in se continet vtramque partem contradictionis, vt in exemplo, quod Aristoteles subiicit in contextu, Omne animal est album & non album, omnis homo est animal, ergo omnis homo est albus & non albus. Tertiò cùm ait, *sed vel oportet*, addit alterum modum probandi contrarium, nēpe vt præsumatur contradictio, id est, initiò supponatur axioma contradicens ei quod postea probabimus: postea verò id probetur, quod suppositioni contradicit. hac enim ratione aduersarius concedit contradicentias: vnū, quod ab initio concessit: alterū postea, coactus vi probationis. Subiicit Aristoteles exemplū in contextu, inquiens, *vt omnem scientiam [esse] existimationem.* Hæc est hypothesis, quæ ab initio supponitur sine vlla probatione. hac cōcessa, progreditur ad probādā cōtradictionē per syllogismū: atq; ait, *&, nō [esse] existimationē.* Hæc est cōclusio cōtradicens illi hypothesi. Hypothesis enim etat, omnem scientiā esse existimationē: hæc verò

SEquitur tertia figura, in qua similiter probantur omnia problemata per deductionem ad impossibile, quamuis categoricè vniuersalia probari non possint.

1 *Similiter concludetur.* Incipit à problemate vniuersali affirmante, quod probatur per falsitatem propositionis contradicentis, id est, maioris in Brocardo.

2 *Si verò supponatur.* Ostendit idem problema non probari per hypothesim contrariam, veluti per falsitatem maioris propositionis in Felaptō: quia vt sæpe dixi, contraria possunt esse simul falsa.

3 *Sed ad [concludendum.*] Sequitur problema particulare affirmans, quod probatur per hypothesim contradicentem, nempe si falsa sit maior in Ferison.

4 *Cùm autem nulli.* Sequitur problema vniuersale negans, quod probatur per hypothesim contradicentem, nempe si falsa sit maior in Disamis.

5 *Quòd si supponatur.* Ostendit, idem problema vniuersale negans non probari per hypothesim contrariam, veluti si falsa sit maior propositio in Darapti, ob rationem antè expositam, quòd contraria possunt esse simul falsa.

6 *Sed ad [concludendum.*] Problema particulare negans probatur per hypothesim contradicentem, si falsa sit maior in Datisi.

7 *Quòd si supponatur.* Idem problema particulare negans non probatur per hypothesim contrariam, id est, subcontrariam, qualis est maior in Disamis. Huic transfer, quæ dicta fuerunt cap. 11 partic. 21. de subcontrariis.

8 *Perspicuum igitur.* Ex dictis in hoc & duobus præcedentibus capitibus colligit duo corollaria. Primum est, supponendum esse, quod est oppositum, subaudi, problemati, id est, sumendam esse hypothesim, non contrariam, sed contradicentem problemati. sæpe enim Aristoteles appellatione oppositionis, κατ' ἐξοχὴν significat contradictionem.

9 *Constat etiam.* Secundum corollarium est, per deductionem ad impossibile probari problema affirmatiuum in secunda figura, & vniuersale in tertia, quamuis categoricè in dictis figuris hæc probari nequeant. Adde, quod suprà expositum fuit, (& hoc erit tertium corollarium) problema vniuersale affirmans, quod categoricè in sola prima figura probatur, per impossibile in ea sola non probari. Tandem notandū est, Aristotelem in his tribus capitibus proposuisse multos modos probandi problemata per deductionem ad impossibile; non tamen omnes: sed reliqui facilè suppleri possunt. Generaliter enim tenendum est, in quocumque modo syllogistico reperitur propositio contradicens problemati posse ex falsitate eius propositionis confirmari veritatem problematis. vt autem omnes modi, tam ab Aristotele expositi, quàm reliqui ab eo prætermissi, perspicuè appareant, & oculis subiiciantur, adiungam diagramma quatuor columnis distinctum, omnia breuiter complectens. In quo notandum est syllabas maioribus literis expressas significare hypothesim falsam, problemati contradicentem, ex qua problema confirmatur. Item notandum est, eos modos esse in contextu Aristotelis omissos, qui sunt hisce Italicis characteribus scripti: breuitatis enim studio voluit Philosophus tantùm præcipuos modos exponere.

les in sequentibus particulis distinctè docebit. Differunt figurâ: quia cùm idem ex iisdem terminis probatur categoricè & per impossibile, in alia figura categoricè, in alia per impossibile probatur.

4 *Cùm enim.* Cùm dixerit syllogismos ducentes ad Impossibile resolui in categoricos, & contrà hos quoque in illos resolui: consequenter vult vtramque resolutionem explicare: & incipit ab ea, qua ducentes ad impossibile resoluũtur in categoricos: ac primùm generaliter in hac particula docet, ex qua figura in quam figuram resolutio fiat: quod quidem distinctè docet de singulis figuris. Primò igitur loco loquitur de syllogismis ducentibus ad impossibile in prima figura: & ait, *cùm syllogismus* (sub. ducens ad impossibile) *fit in prima figura*, tunc *verum erit*, id est, vera conclusio probabitur syllogismo categorico, in qua resoluetur ducens ad impossibile: *erit* (inquam) *aut in media*. i. secunda, *aut in vltima*, id est, tertia figura. Secundò cùm ait, *priuatiuum in media*, distinctè explicat, quando syllogismus categoricus fiat in secunda, & quando in tertia figura; vt sciamus, in quam figuram fiat resolutio ducentis ad impossibile: & inquit, problema affirmãs cõcludi in prima figura, negans, in secunda. Tertiò cùm ait, *cùm autem syllogismus*, transit ad secũdam figuram syllogismorum ducentium ad impossibile: & inquit, cùm syllogismus (supple, ducens ad impossibile) est in secunda figura, tunc verũ problema categoricè probari in prima figura. quod quidem indistinctè euenit in omnibus problematis: quia non distinguimus hic inter affirmantia & negantia, vt suprà distinguebamus. Hoc loco notandum est, hanc Aristotelis sententiam non esse generaliter veram, sed tantùm valere in præcipuis quibusdam modis probandi per impossibile, quos proposuit c. 11. 12. & 13. Nam quos modos enarrauit in tribus præcedentibus capitibus, eosdem resoluet in hoc capite: quos autem ibi prætermisit, hic quoque prætermittet. Cæterùm si velimus addere modos ab Aristotele omissos, non fiet semper resolutio secundæ figuræ in primam: sed quandoque in tertiam, veluti si problema particulare affirmans probetur ex falsitate maioris propositionis in Cesare, vt in sequenti exemplo.

Deductio ad impossibile.		*Probatio categorica.*	
Ces	Nihil immortale est forma:	*Dat*	Omnis anima est forma:
a	Omnis anima est forma:	*is*	Quædam anima est immortalis:
	Ergo		Ergo
re	Nulla anima est immortalis.	*i*	Quoddã immortale est forma.

Item si probetur problema particulare negans ex falsitate maioris propositionis in Camestres resolutio fiet in tertiam figurã, id est, in Ferison, vt in sequenti exemplo.

Deductio ad impossibile.		*Probatio categorica.*	
Cam	Omnis voluptas est expetenda:	*Fer*	Nihil turpe est expetendum:
es	Nihil turpe est expetendum:	*is*	Aliquod turpe est voluptas:
	Ergo		Ergo
tres.	Nihil turpe est voluptas.	*on*	Aliqua voluptas non est expetenda.

Sed hos modos probandi per impossibile ex falsitate maioris propositionis in Cesare vel Camestres Aristoteles neque suprà considerauit, nec in hoc capite considerat. Quartò cùm ait, *cùm autem in postrema*, transit ad tertiam figuram syllogismorum ducentium ad impossibile, & inquit, cùm in hac figura est syllogismus (supple, ducens ad impossibile) verum esse, id est, problema categoricè concludi in prima, & media figura. Quintò cùm ait, *nempe affirmantia*, distinctiùs declarãs, quod modò dixit, id est, quando probatio categorica fiat in prima figura, & quando in secunda, inquit problemata affirmantia concludi categoricè in prima figura, negantia verò in secunda. Excludit igitur primam figuram, quando problema est negans, quamuis in hanc quoque interdum fieri possit resolutio: veluti si problema vniuersale negans probetur per falsitatem maioris in Disamis, resolutio potest commodè fieri in primam figuram, id est in Celarent, vt in sequenti exemplo.

Deductio ad impossibile.		*Probatio categorica.*	
Dis	Quędam auaritia est bona.	*Ce*	Nulllum vitium est bonum
am	Omnis auaritia est vitium:	*la*	Omnis auaritia est vitium:
	Ergo		Ergo
is	Quoddã vitium est bonum.	*rent*	Nulla auaritia est bona.

Itidem si problema particulare negans probetur per deductionem ad impossibile ex falsitate maioris in Datisi, commodè fieri potest resolutio in primam figuram, id est, in Ferio, vt in sequenti exemplo.

Deductio ad impossibile.	*Probatio categorica.*
Da Omnis habitus est malus:	*Fe* Nulla virtus est mala:
ti Quidam habitus est virtus: Ergo	*ri* Quidam habitus est virtus: Ergo
si Quædam virtus est mala.	*o* Quidã habitus non est malus.

5 *Probatum enim.* Quæ generaliter proposuit in præced. partic. deinceps per partes declarat, incipiens à resolutione syllogismorum ducentium ad impossibile, qui fiunt in prima figura. Sumpto igitur initio à problemate negante, resoluit Darij ducentem ad impossibile ex falsitate minoris propositionis, in Camestres. Vide exemplum contextui adiectum.

6 *Similiter [fiet.]* Resoluit Barbara, quo probatur problema particulare negans ex falsitate minoris propositionis, in Baroco. exemplum habes contextui subiectum.

7 *Itidémque si priuatiuum.* Postquàm locutus est de syllogismis affirmatiuis, Darij & Barbara, quibus problema negans probatur per impossibile: nunc loquitur de syllogismis negantibus, Ferio & Celarent; quos ait similiter resolui in secundam figuram. Nam Ferio probãs problema vniuersale negans ex falsitate minoris propositionis, resoluitur in Cesare: & Celarent ex falsitate minoris propositionis colligens problema particulare negans, resoluitur in Festino: vt in exẽplis contextui adiectis inspicere licet.

8 *Rursus probatum.* Hactenus de problemate negante. sequitur problema particulare affirmans. Nam vniuersale affirmans non probatur in prima figura. Ergo si problema particulare affirmans probetur per impossibile ex falsitate maioris propositionis in Celarẽt, resolutio fiet in Darapti, vel in Disamis. si verò probetur ex falsitate maioris propositionis in Ferio, resolutio fiet in Datisi. In hac igitur particula primò Aristoteles proponit hoc problema particulare affirmans, aliquod β esse α, putà aliquem habitum esse bonum. Secundò cùm ait, *ergo hypothesis*, proponit hypothesim contradicentem ei problemati, quæ fit maior propositio in Celarent, aut Ferio. Tertiò cùm ait, τὸ β *autem*, adiungit alteram propositionem, quæ fit minor in Celarẽt. Quartò cùm ait, *ac* τὸ α, vt supponat falsitatem conclusionis, ad quam deducimur in Celarent, supponit veritatem pronũciati contrarij, vel contradicentis. nam conclusio τοῦ Celarent est, nullum γ esse α, putà nullam iustitiam esse bonam: Aristoteles autem supponit vel contrariam, id est, omne γ esse α, vel contradictoriam, id est, aliquod γ esse α. Si contrarium sumamus: quia propositio est vniuersalis, omne γ est α, resolutio fiet in Darapti. si verò sumamus contradictionem, id est, aliquod γ esse α, resolutio fiet in Disamis. Quintò cùm ait, *hæc an eam*, resoluit Celarent in Darapti. sumit enim pronunciatum contrarium conclusioni τοῦ Celarent, vt in exemplo, quod adieci contextui, cernere licet.

9 *Similiter [fiet.]* In hac particula inquit similiter fieri resolutionem in tertiam figuram, si sumptum fuerit aut α aut β dici de aliquo γ. Hæc duo sunt seorsim explicanda. Intellige α sumi de aliquo γ, quando supponimus ideo falsam esse conclusionem τοῦ Celarent, quia vera est contradictio. nam conclusio illa erat, nullum γ esse α. & hoc pronunciatum fiet maior in Disamis: quemadmodum cùm supponebamus contrarium conclusioni τοῦ Celarent, id est, omne γ esse α, illud pronunciatum fiebat maior in Darapti. Itaque dum Aristoteles hic sumit, aliquod γ esse α: supponit reliqua esse eadẽ, quę proposita fuerunt in præcedẽti partic. proinde innuit resolutionem τοῦ Celarent in Disamis. Sequitur vt exponam alterum membrum, nempe si sumatur aliquod γ esse β. hæc est minor propositio syllogismi ducentis ad impossibile in prima figura. & antea quidem, cùm extrueret syllogismum in Celarent, sumebat omne γ esse β: nunc autem facit hanc propositionem particularem, aliquod γ est β: ergo indicat syllogismum in Ferio. Adderem exemplum, nisi iam contextui adiecissem.

10 *Rursus in media.* Hucusque locutus est de prima figura: sequitur secunda, in qua primo loco Aristoteles cõsiderat problema vniuersale affirmans, quod probatur ex falsitate minoris in Baroco. Hunc syllogismum resoluit in Barbara.

11 *Similiter [fiet.]* Probat problema particulare affirmans ex falsitate minoris in Camestres: & hunc syllogismum resoluit in Darij.

12 *Si verò syllogismus.* Probat problema vniuersale negans ex falsitate minoris in Festino: & hunc syllogismum resoluit in Celarent.

13 *Eadem [est] ratio.* Probat problema particulare negans ex falsitate minoris in Celarẽt.

Ceſare : & hunc ſyllogiſmum reſoluit in Ferio.

14 *Rurſus in tertia.* Examinatæ ſunt duæ figuræ ſyllogiſmorum ducentium ad impoſſibile, prima, & ſecunda: ſupereſt tertia. In primis Ariſtoteles probat problema vniuerſale affirmans ex falſitate maioris in Brocardo: & hunc ſyllogiſmum reſoluit in Barbara.

15 *Eadem [eſt] ratio.* Probat problema particulare affirmans ex falſitate maioris propoſitionis in Feriſon : atque hunc ſyllogiſmum reſoluit in Darij.

16 *Quòd ſi priuatiuus.* Probat problema vniuerſale negans ex falſitate maioris in Diſamis : atque hunc ſyllogiſmum reſoluit in Ceſare , vt in ſequenti exemplo cernere licet.

Diſ	Quædam auaritia eſt bona:	*Ceſ*	Nihil bonũ eſt vitium:
am	Omnis auaritia eſt vitium:	*a*	Omnis auaritia eſt vitium:
	Ergo		Ergo
is	Quoddam vitium eſt bonum.	*re*	Nulla auaritia eſt bona.

In hoc exemplo notandũ eſt, non ſumi pro maiore in Ceſare contradictionem concluſionis in Diſamis, ſed eius conuerſam. Nam concluſio in Diſamis fuit, Quoddam vitiũ eſt bonum: cõtradictio eſt, Nullum vitium eſt bonum: maior autem in Ceſare eſt, Nihil bonum eſt vitium : quoniam propoſitio vniuerſalis negans reciprocatur. Cęterùm ſi ſumamus ipſam cõtradictionem, Nullum vitium eſt bonum : ſyllogiſmus erit in Celarent. Hoc eſt, quod notaui in calce particulæ quartæ. cùm enim Ariſtoteles ibi diceret problemata negantia, quæ probãtur per impoſſibile in tertia figura, probari categoricè in ſecunda: notaui, commodè poſſe reſolui in primam. Nec mirum: cùm prima figura in ſecundam, & ſecũda inuicem in primam reſolui poſſit.

17 *Similiter [fiet.]* Problema particulare negans probat ex falſitate maioris in Datiſi: quem ſyllogiſmum reſoluit in Feſtino. Sed ſimiliter poſſet reſolui in primam figuram, id eſt, Ferio. Typus præcedenti eſt ſimilis. His expoſitis, ſubiiciam tabellam breuiter complectentem omnes reſolutiones ſyllogiſmorum ducentium ad impoſſibile in ſyllogiſmos categoricos ab Ariſtotele expoſitos.

Syllogiſmorum ad impoſſibile ducentium Figura.	*Syllogiſmorum ad impoſſibile ducentium* Modus.	*Problema.*	*Syllogiſmorum categoricorum* Modus.	*Syllogiſmorum categoricorum* Figura.
2	BarOCo	A	barBAra	1
3	BROCardo		BARbara	
1	daRIi	E	camEStres	2
	FeRIo		cesAre	
2	FeSTIno		ceLArent	1
3	DISamis		* CElarent CESare	2
1	CELarent	I	DARapti DISamis	3
	FErio		DATiſi	
2	camEStres		daRIi	1
3	FERiſon		DArij	
1	barBAra	O	barOCo	2
	ceLArent		fesTIno	
2	cesAre		feRio	1
3	DATiſi		FErio FEStino	2

in hoc diagrammate cuiuflibet fyllogifmi nomen vnam fyllabam maioribus charactéribus expreffam habet.hæc autem fyllaba in fyllogifmis ducentibus ad impoffibile fignificat falfam hypothefim problemati contradicentem:in fyllogifmis autem categoricis indicat veram propofitionẽ conclufioni fyllogifmi ad impoffibile ducentis oppofitam.Problemata collocaui inter vtrũq; fyllogifmorũ genus, quia vtroque modo probantur per eofdem terminos,id eft, per impoffibile,& categoricè.A fignificat problema vniuerfale affirmans: E, vniuerfale negans:I,particulare affirmans: O,particulare negans.

Præpofui fyllogifmos ducentes ad impoffibile fyllogifmis categoricis, fecutus ordinem contextus,in quo de illis in hos refoluendis agitur.

Quia verò in fuperiori diagrãmate ij tãtùm modi cõtinẽtur,qui ab Ariftotele hoc capite proponuntur:idcirco fubiiciam aliud fimile diagramma aliorum fyllogifmorum ab Ariftotele prætermifforum.

Syllogifmorum ducentium ad impoffibile Figura.	Modus.	Problema.	*Syllogifmorum categoricorum.* Modus.	Figura.
3	datiSI.	E	camEStres.	2
	ferISon		cesAre.	
2	CESare.	I	daRIi.	1
	FEStino.		DArij	
3	FELapton.		BARbara.	
			vel DArij.	
1	BARbara	O	BROCardo.	3
2	CAMeftres		feRIO.	1
	BARoco.		broeARdo	3
3	DARapti.		CELarent,	1
			vel FErio.	
	darAPti.		ceSAre,vel	2
			FesTIuo	
	felAPton.		camEStres.	
	disAMis.		vel barOCo.	
	DATifi.		fesTIno,	1
	brocARdo,		FErio.	2
			BARoco.	

18 *Perfpicuum igitur.* Poftquàm expofuit fingulas figuras fyllogifmorum ducentium ad impoffibile,ex dictis colligit corollarium omnibus figuris commune, nempe eofdem effe terminos in fyllogifmo categorico,& in eo qui ducit ad impoffibile.

19 *Similiter autem.* Cùm expofuerit refolutionem fyllogifmorum ducentium ad impoffibile in fyllogifmos oftenfiuus nunc è contrario docet,quomodo oftenfiui refoluãtur in eos,qui ducunt ad impoffibile: & ait hoc non egere noua expofitione; quia fatis patet ex conuerfione fyllogifmorũ,de qua fuprà dictũ fuit cap.8.9.& 10. Nã fi conuertas fyllogifmum oftenfiuũ,refolues in ducentẽ ad impoffibile. fuprà namq; docuimus,conuerfionẽ & deductionẽ ad impoffibile fieri codẽ modo;tantùm in eo effe difcrimen: quòd conuerfio fupponit fyllogifmum oftenfiuum antea extructum, deductio ad impoffibile eum non fupponit.iã igitur cùm ponamus fyllogifmum oftenfiuum, & eum velimus refoluere in fyllogifmum ducentem ad impoffibile, hoc nihil aliud eft,quàm conuerfio.

20 *Conftat igitur.* Concludit, omne problema vtroq; modo probari,id eft, oftenfiuè,& per impoffibile:arq; hos duos modos probandi effe inter fe affines, nec poffe alterum ab altero feparari;nempe quia fiunt:

in-

in iisdem terminis, & alter in alterum resolui potest.

IN CAP. XV. DE RATIONE CONCLVDENDI EX OPPOSITIS.

IN hoc capite explicat Aristoteles sextam & vltimam syllogismorum facultatem, id est, vim concludendi ex propositionibus sibi inuicem contrariis, vel contradicentibus. Hac ratione semper efficitur cõclusio falsa: quoniam idem de seipso in conclusione negatur, vt posteriùs intelligetur. Huius tractatus vtilitas in eo cernitur; vt aduersarius per disputationem ad hanc absurditatem ducatur, vt neget idem de seipso, veluti vt neget animal esse animal: & vt nobis caueamus, ne opposita per imprudentiam concedamus: quod facilè potest contingere, si aduersarius cautè interroget, vt explicabitur partic. 14. Sic in refellenda sententia de mortuorum miseria, Socrates ducit Axiochum ad hoc, vt sensus priuationi adiũgat sensum: & Cicero ad Atticũ hoc, vt fateatur eos esse, qui non sunt, primo Tusc. quæstion. De ratiocinatione ex oppositis, vide etiam octaui Topic. cap. 13.

1 *In qua autem.* Proponit explicandam hanc sextam syllogismorum facultatem.

2 *Duo autẽ.* Præmunit diuisionẽ oppositionum, vt intelligamus, ex quibus oppositis velit extruere syllogismos. Proponit igitur quatuor genera oppositorum: quorum tria opponuntur re & verbo: omne & nullũ, quæ sunt contraria: itẽ omne & non omne; vel aliquod & nullum, quæ sunt contradicentia: vnum est genus oppositorum verbo tantùm, id est, aliquod & non omne, quæ vulgò vocantur subcontraria, ab Aristotele autem contraria. Primò proponit hæc quatuor genera oppositorum, quæ omnia habent oppositionem in verbis. Secundò eùm ait, *re vera tres*, ostendit tria tantùm esse, quę reipsa opponuntur, in reliquo esse tantùm verbalẽ oppositionẽ. Tertiò cùm ait, *Ex his autẽ*, subdiuidit, ea quę reipsa opponũtur, in cõtraria. i. & opposita contradicentia. nã oppositorũ appellatione in hoc c. vt & multis aliis locis κατ' ἐξοχὴν intelligit cõtradicẽtia.

3 *In prima igitur.* Deinceps examinat singulas figuras: & primo loco primam: in qua docet syllogismũ ex oppositis fieri non posse, vt meritò hæc potestas syllogistica sit reiecta in vltimũ locũ, quia nõ conuenit omnibus syllogismis, sed tantùm secundæ & tertiæ figuræ. Primò igitur proponit hanc sententiã, in prima figura nõ posse fieri syllogismũ ex oppositis, neq; aientẽ, neq; negãtẽ. Secundò eùm ait, *affirmatiuus quidem*, nõ posse fieri talem syllogismũ affirmatiuũ in prima figura, probat syllogismo extructo in secunda figura: quia omnis syllogismus ex oppositis, constat ex altera propositione affirmante, & altera negãte: syllogismus antẽ affirmatiuus non constat ex altera propositione affirmante, altera negante, sed ex vtrisq; affirmãtibus. Hæc ratio generalis est, & cõmunis omnib. syllogismis affirmatiuis, adeo vt nec in tertia figura syllogismus affirmatiuus ex oppositis fieri possit. Denique hęc potestas est propria syllogismorum negantium in secunda, vel tertia figura. Tertiò cùm ait, *priuatiuus autem*, probat non posse fieri syllogismũ negantẽ in prima figura ex oppositis. hîc quoque extruit syllogismum in secũda figura: omnes oppositæ propositiones ita sunt affectæ: vt altera affirmet, altera neget idẽ attributũ de eodem subiecto: atqui propositiones syllogismorum negantium in prima figura non sunt ita affectæ: ergo hæ propositiones non sunt oppositæ. Maior propositio manifesta est ex cap. 6. de Interpretat. partie vlt. Minor ab Aristot. probatur: quia propositiones in prima figura ita conficiuntur, vt alij termino medius subiicitur in maiore, alij attribuatur in minore. quare nõ est in vtraq; idẽ subiectum, cùm in maiore sit subiectum medius terminus, qui non subiicitur in minore. rursus non est idẽ attributum: quia medius terminus attribuĩtur in minore, qui non attribuitur in maiore. In contextu habemus conclusionem. Deinde ibi, *quia opposita*, maiorem propositionem. Deinde ibi, *quod verò*, confirmationem minoris propositionis. Tandem ibi, *hæ verò*, minorem propositionem, quæ ex ea confirmatione colligitur.

4 *At in media.* Sequitur secunda figura, de qua tradit philosophus regulam generalem, quòd hæc figura recipit argumẽtationẽ ex contrariis, & ex contradicẽtibus.

5 *Sit enim bonum.* Extruit syllogismum in Camestres ex propositionibus contrariis: Omnis scientia est bona, nulla scientia est bona, ergo nulla scientia est scientia.

6 [*Similiter fiet.*] In exemplo superioris partic. læ propositiones erant contrariæ, ita vt in vtraque idẽ esset subiectum nempe scientia: nunc subiicit alterum exemplum similiter in Camestres, in quo propositiones sunt contrariæ, non quia sit prorsus idem subiectum, sed quia subiectum minoris propositionis continetur sub subiecto maioris, tamquàm species sub genere. Exẽplum tale est: Omnis scientia est bona, nulla

scientia medica est bona, ergo nulla scientia medica est scientia. Hoc modo facilius peccatur, quàm superiori, præsertim si omittatur nomen generis in specie significāda: veluti si dicatur, Omnis scientia est bona, nulla medicina est bona, ergo nulla medicina est scientia. nihilominus enim in conclusione idem negatur de seipso: quando quidem idem valet, siue dicas nullam scientiam medicam esse scientiam, siue nullam medicinam esse scientiam: quia medicina & scientia medica idem significant. Concluditur igitur, quandam scientiam non esse scientiā.

7 *Item si τὸ α.* A Camestres transit ad Cesare: & primò extruit syllogismum in Cesare ex contrariis propositionibus, quæ ita habent, vt subiectum minoris contineatur sub subiecto maioris propositionis. Exemplum tale est: Nulla scientia est existimatio, omnis medicina est existimatio, ergo nulla medicina est scientia. Secundò cùm ait, *Differt autem*, distinguit hunc syllogismum à præcedente exposito in partic. 6. quia termini cōuerso modo se habēt. Quid autem his verbis significetur, ipsemet in contextu explicat. in syllogismo enim præcedentis particulæ affirmatio iungebatur ipsi β, id est, maiori extremo: hìc verò adiungitur ipsi γ, id est, minori extremo. quod perinde est, ac si Aristoteles diceret, in superiori syllogismo, nempe in Camestres, fuisse maiorem propositionem affirmantem: in hoc autem esse minorem affirmantem. maior enim propositio dicitur, in qua ponitur maius extremum: minor, in qua minus.

8 *Ibidem[fiet.]* Quæ docuit de syllogismis vniuersalibus, Camestres & Cesare, producit ad particulares, Baroco & Festino. Hic tamen est discrimen notandum: quia in Cesare & Camestres cùm essent propositiones vniuersales, erant inter se contrariæ, in Baroco autem & Festino cùm altera sit vniuersalis, altera particularis, non sunt contrariæ, sed contradicentes. Exemplum in Baroco tale esto: Omnis scientia est bona, quædam scientia non est bona, ergo quædam scientia non est scientia. Exemplum in Festino: Nulla scientia est bona, quędam scientia non est bona, ergo quędam scientia nō est scientia. Hi syllogismi habent magnam affinitatem cum syllogismis illis, Cesare & Camestres, in quibus propositio minor pro subiecto accipiebat speciem subiecti positi in maiore propositione: nam ibi quoque mi nor propositio cōtradicebat maiori, & concludebatur, quandam scientiam, putà medicinam, non esse scientiam.

9 *Quapropter accidit.* Generaliter concludit, tum demum esse ratiocinationem ex oppositis in secunda figura, cùm aut vnus & idem est terminus, maior & minor, aut minor sub maiore continetur, tamquàm species sub genere: alioquin si sint termini planè diuersi, vt animal & lapis, non erunt oppositæ propositiones, quæ habebunt hæc diuersa subiecta, licèt idem medius terminus in vtraq; propositione attribuatur: veluti, omne animal est viuens, nullus lapis est viuens.

10 *In tertia verò.* Transit ad tertiam figuram, de qua sunt duæ regulæ. Primò tradit priorē regulā, in hac figura non fieri syllogismum affirmatiuum ex oppositis, ob rationem expositam suprà part. 3. de prima figura. quod enim ad hoc, eadem est vtriusque figuræ ratio. Secundò cùm ait, *Negatiuus autem*, affert secundam regulam, id est, fieri syllogismum negatiuum ex oppositis in tertia figura. quæ regula confirmatur exemplis proponendis in duabus particulis sequentibus.

11 *Sit enim.* Extruit syllogismum in Felapton ex contrariis: Nulla medicina est scientia, omnis medicina est scientia, ergo quædam scientia non est scientia.

12 *Similiter[fiet.]* Extruit syllogismum in Ferison ex propositionibus cōtra dicentibus: Nulla medicina est scientia, quædam medicina est scientia, ergo quædam scientia non est scientia.

13 *Sunt autem.* Concludit, in tertia figura propositiones, quæ sunt oppositæ, si sint vniuersales in Felapton, esse contrarias. si altera sit vniuersalis, altera particularis, vt in Ferison: esse contradicentes.

14 *Iam verò intelligendum.* Postquàm exposuit, in quibus figuris, & quibus modis syllogismi ex oppositis euidenter fiant: ne quis putet hanc doctrinam esse inanem, quòd facilè quiuis sibi ab hoc vitio cauere possit; ostendit, hoc vitium interdum latēre; vel quia inter duas propositiones oppositas, quas aduersarius interrogauit, multas alias interiecit, vt per obliuionem facilè labi possimus, non animaduertentes nos negare quod antea concessimus, aut concedere quod antea negauimus; vel quia vnā propositione à nobis concessa, potest aduersarius oppositam probare, sicque cogamur fateri & concedere opposita. Hoc est, quod Aristoteles ait, hoc vitiū interdū nō latēre vt in suprà expositis exēplis: interdū latēre, vt in dictis duobus casibus, quorū alterum Arist. in cōtextu expresse ponit, cùm ait posse per alias interrogationes alterum concludi, id est, cùm nos concesserimus vnam partem contradictionis vel oppositionis, posse alteram partem ab aduersario probari. Alter

casus

casus non disertè explicarur in contextu, sed Aristoteles ait se eum exposuisse in Topic. nempe lib. 8. cap. 1.

15 *Cùm autem.* Ex dictis colligit sex modos, quibus fieri potest ratiocinatio ex oppositis, interdum in secunda figura, quandoque in tertia, modò in vtraque, modò in neutra, vt in diagrammate quod contextui subieci, facilè cernere licet.

16 *Perspicuum autem* Confert hanc sextam potestatem syllogismorum cum secunda: ac distinctionem ponit inter ratiocinationem ex falsis, & ratiocinationem ex oppositis: quoniam ex falsis potest verum concludi, vt suprà docuimus; ex oppositis verò numquam verum concluditur, immo conclusio semper est manifestè falsa, & absurda, in qua negatur idem de seipso.

17 *Constat etiam* Hactenus de syllogismis categoricis: nunc vult eandem potestatem ratiocinandi ex oppositis accommodare syllogismis hypotheticis hoc enim est, quod ait, *in paralogismis*, seu *in vitiosis ratiocinationibus*, id est, in iis quæ constant ex propositionibus oppositis, (Paralogismi namque ab Aristotele vocantur interdum qui in forma syllogistica peccãt, & nihil cõcludũt: interdũ qui quouis modo peccat, siue in forma, vt quia minor negat in prima, vel tertia figura; siue in materia, vt quia propositiones sunt falsæ, vel inter se oppositæ: hic autẽ paralogismos seu vitiosos syllogismos vocat ratione materiæ, quia propositiones sunt oppositæ, adeo vt necesse sit vel vtraque, vel alteram esse falsam) ergo in his paralogismis Aristoteles ait, *nihil prohibere, quò minùs efficiatur*, id est, concludatur *contradictio suppositionis*, siue hypotheseos, hoc est, concludatur id non esse, quod supponitur esse, vel, id esse, quod supponitur non esse. Huius conclusionis hypotheticæ continentis in se contradictionem Aristoteles hoc exemplum subiicit, *Si est impar non est impar*: & inquit huiuscemodi conclusiones effici posse, quia *syllogismus contrarius*, id est, qui colligit conclusionem, in qua inest contrarietas siue oppositio, fit ex propositionibus oppositis inter se. vnde si quis tales propositiones, id est, hypotheticas oppositas sumpserit, erit contradictio suppositionis, id est, concludetur id quod hypothesi contradicit, nempe, si non fit, esse, vel, si sit, non esse. Vt hoc clariùs intelligatur, operæpretium est adiungere eas propositiones, ex quibus conclusio illa colligitur, *Ergo si est impar, non est impar*: quoniam Aristoteles eas propositiones in contextu non ponit. Videtur ergo mihi respicere ad syllogismum hypotheticum captiosum & sophisticum, qui ita extruitur in secunda figura. Si numerus est impar, non diuiditur in partes æquales: atqui si numerus est impar, diuiditur in partes æquales: ergo si numerus est impar, non est impar. Maior confirmatur exemplo numeri septenarij, qui diuiditur in partes inæquales, quatuor & tria. Minor confirmatur exemplo numeri nouenarij, qui diuiditur in partes æquales, nempe in tria ter accepta.

18 *Iam intelligi.* Hactenus docuit, quomodo per syllogismum ex oppositis concludatur negatio eiusdem de seipso, & ostendit, non posse fieri per syllogismum affirmatiuum ex oppositis: nunc quærit, an contraria de eodem probari possint: ac tres modos tradit ea probandi. Primus modus est, cùm vno & eodem syllogismo contrarium probatur. Secundus, cùm vna contradictionis pars supponitur, & altera pars probatur. Tertius, cùm vno syllogismo vna pars, altero altera pars contradictionis probatur. Hos tres modos declarabo in enarratione contextus. Primò igitur Aristoteles proponit hanc sententiam, non posse contrarium concludi affirmatiuè. suprà namque docuit posse cõcludi negatiuè vno syllogismo: veluti, bonum non esse bonum, scientiam non esse scientiam: nunc ait non posse concludi vno syllogismo affirmatiuo: veluti, non bonum esse bonum, vel non scientiam esse scientiam. Secundò cùm ait, *nisi statim*, adiungit exceptionem quandam, atque ita explicat primum modum colligendi contraria per syllogismum affirmatiuum. Hic modus est, cùm statim propositio talis sumitur, id est cùm ipsa maior propositio in se continet vtramque partem contradictionis, vt in exemplo, quod Aristoteles subiicit in contextu, Omne animal est album & non album, omnis homo est animal, ergo omnis homo est albus & non albus. Tertiò cùm ait, *sed vel oportet*, addit alterum modum probandi contrarium, nẽpe vt præsumatur contradictio, id est, initiò supponatur axioma cõtradicens ei quod postea probabimus: postea verò id probetur, quod suppositioni contradicit. hac enim ratione aduersarius concedit contradicentia: vnũ, quod ab initio concessit: alterũ postea, coactus vi probationis. Subiicit Aristoteles exemplũ in contextu, inquiens, *vt omnem scientiam [esse] existimationem.* Hæc est hypothesis, quæ ab initio supponitur sine vlla probatione. hac cõcessa, progreditur ad probãdã cõtradictionẽ per syllogismũ: atq; ait, *&, nõ [esse] existimationẽ.* Hęc est cõclusio cõtradicens illi hypothesi. Hypothesis enim erat, omnem scientiã esse existimationẽ: hęc verò

conclusio est, non omnem scientiam esse existimationem. Hanc igitur conclusionem inquit Aristoteles nos *postea*, id est, post eon cessam illam contradicentem hypothesim, *sumere*, id est colligere & probare [*ex eo*] *quod* &c. Extruit ad eam conclusionem probandam syllogismum in Felapton: Nulla medicina est existimatio, omnis medicina est scientia, ergo aliqua scientia non est existimatio. Huius syllogismi primo loco ponit conclusionem, secundo loco minorem, vltimo maiorem. Hic igitur est secundus modus, quo aduersarius cogitur cōcedere cōtraria; cùm alteram partem contradictionis concessit, & nos alteram probamus. Hoc autem modo inquit Aristoteles fieri Elenchos. nā Elenchus est syllogismus contradictionis, vt definietur huius libri cap. 20. partic. 2. & Elenchor. cap. 1. partic. 4. Quartò cùm ait, *vel [concludendum,]* ponit tertium modum, nempe vt duobus syllogismis probetur vtraque pars contradictionis: veluti si quis probet vno syllogismo, animam esse immortalem; altero, non esse immortalem. Exempli gratiâ, Quicquid se ipsum mouet, est immortale: atqui anima se ipsam mouet: ergo anima est immortalis. Rursus, Quicquid habet principium, non est immortale: atqui anima habet principium: ergo anima non est immortalis. Quin ò cùm ait, *Vt autem*, docet non posse sumi in syllogismo recta contrarias propositiones, nisi eo modo, qui supra expositus fuit, id est, vt altera affirmet, altera neget.

DE VITIIS ET IMBECILLITATIBVS SYLLOGISmorum.

TRACTATVS II.

IN CAP. XVI. DE PETITIONE QVAESITI PROpositi.

Expositis syllogismorum viribus & potestatibus, sequūtur eorū vitia & imbecillitates. Eiusmodi est petitio quæsiti seu petitio propositi, nimirū cùm id pro principio accipitur, quod est probādū. ea nāque petitiones & postulati dicuntur, quæ nō probantur, sed proponuntur tamquàm cōcedenda sine probatione. Si quis igitur ita petat, quòd probare debet: hoc vitium committit, quod vulgò appellant petitionem principij, vel petitionem in principio: malè, quia non est petitio τῆς ἀρχῆς, id est, principij vel ἐν τῇ ἀρχῇ, id est, in principio; sed τοῦ ἐν ἀρχῇ προκειμένου, id est eius problematis, quod initio fiat propositum, & in disquisitionem vocatū. Ideo Philoponus rectè appellat petitionem τοῦ ζητουμένου, eius quod quæritur, id est, problematis. Denique petitio principii nō est vitiosa: sed principia petuntur, conclusiones probantur. Similis error admissus est à Latinis in notādis argumentis ἐν τῷ μᾶλλον καὶ ἧττον, vt exponam Deo dante 2. Top. cap. 10. Porrò de petitione quæsiti tractabitur etiam Top. lib. 8. cap. 13. & Elench. cap. 5. part. 5. In præsentia eius definitionē & quatuor diuisiones Aristoteles declarat.

1 *Petere & sumere.* Inquirens definitionem, quæ constat ex genere & differentia, & vtēs methodo diuisiua, primo loco tradit genus: & inquit petitionem quæsiti ab initio propositi, esse speciem eius quod dicitur nō demonstrare propositum, id est, non demōstrare quod erat demonstrandum. Hac eâdem methodo alibi quoque vsus est, vt lib. 2 Eth. Nicom. in definitione virtutis inuestiganda.

2 *Hoc autem.* Postquàm docuit genus, iam per diuisionem eius generis quærit differentiam, qua perficiet definitionem. Proponit igitur varias species, & varios modos, quibus non demonstretur oppositum. Primus modus est, si nihil concludatur: quia scilicèt peccetur contra regulas syllogismorū, putà si quis arguat ex duabus propositionibus negantibus, vel ex duabus particularibus. Secundus modus est, si ex propositionibus ignotioribus efficiatur cōclusio notior; hoc enim modo non demōstratur propositum: quia demonstratio adhibetur, vt res, quę concluditur. fiat notior & certior: quod eo modo non fit. Tertius modus est: si ex posterioribus concludatur prius: veluti si quis ex luminis incremento probet Lunam esse sphæricam. nam demōstratio debet fieri ex prioribus, id est, ex causis, vt conclusionis causa intelligatur: hoc autem modo arguitur ab effectu, qui est natura posterior, ad causam quæ est naturâ prior. Huiuscemodi argumentatio est vitiosa, si afferatur pro vera demonstratione: alioqui si proponatur tāquā demonstratio τοῦ ὅτι, non est improbāda, dūmodò effectus sit notior causā, immo huiuscemodi demōstratione Aristoteles sæpe vtitur. Quartus modus est, cùm id, quod nō potest ex se ipso notificari, per seipsū probatur, hic modus cōmittit vitiū, de quo loquimur, id est, petitionē quæsiti. Hūc modū Aristoteles declarat diuisione quadā bimébri: quoniam alia sunt nota per se ipsa, vt principia; alia verò ex aliis nota fiunt, vt cō clusiones.

clusiones.si quis ergo principia petat sibi cõcedi,rectè petit:at si petat sibi concedi problema quod est concludendum,malè petit: hoc autem facit,quando idem probat per idem,vt ex interpretatione sequentium particularum liquidò apparebit.

3 *Hoc autem.* Definitioni subiicit aliquot diuisiones.Prima diuisio est:Aut statim petitur quæsitũ,veluti,lineæ sunt æquidistantes,ergo sunt æquidistantes: aut per transitionem ad alia,veluti,si lineas a b,& c d,æquidistantes esse probetur per æqualitatem angulorum g & h:quoniã hos angulos esse æquales non aliter probari potest, quàm ex eo,quòd lineæ sunt æquidistãtes.Qui igitur ita argumentatur,lineę sunt ęquidistãtes, ergo anguli sunt æquales:itẽ anguli sunt æquales,ergo lineæ sunt æquidistãtes:ille nihil aliud probat, quàm lineas esse ęquidistãtes,quia sunt æquidistãtes. Quod ad seriem contextus attinet,Primò Aristoteles proponit hanc diuisionem. Secundò cùm ait,*vt si τὸ α*,eam declarat exemplo alphabetico.Tertiò cùm ait, *quod quidem faciunt*,addit alterum exemplum mathematicum,quòd modo exposui.Quartò cùm ait, *sic autem omnia*,improbat ac deridet huiuscemodi ratiocinandi modum : quia sic facilè possent omnia demonstrari : proinde nobis facilè compararemus omnium rerum scientiam:quod est impossibile.

4 *Si quis igitur.* Sequitur secunda diuisio.Quęsitum enim petitur vel in prima,vel in secunda,vel in tertia figura.Quod ad primam figuram attinet,quæsitum in ea petitur duobus modis,id est,vel in maiore vel in minore propositione. Vt hi duo modi perspicuè intelligantur,notãdum est,cùm duæ sint propositiones in quocumque syllogismo,tunc in vna peti quęsitũ,cùm in altera terminus reipsa est idẽ,qui subiicitur,&qui attribuitur,aut saltẽ est quasi idem, vt mox declarabo, explicans exemplum ab Aristotele in contextu propositum:nunc enim accedo ad distinctam expositionem membrorum huius particulæ. Primò Aristoteles proponit syllogismum α β γ in Barbara, cuius maiorem propositionem supponit esse æquè ignotam atque est conclusio:atque ex eo,quod diximus maiorem propositionem esse ignotam,nondum constare,an sit petitio quæsiti,tantùm hoc constare,non demõstrari propositum , quia non demonstratur ex ignotis.Ergo genus apparet,id est,nõ demonstrare propositum:species verò , id est, petitio quæsiti,nondum apparet. Secundò

cùm ait,*Si verò τὸ β* ponit conditionem:quę si adsit in syllogismo,est petitio quęsiti: nẽpe si medius terminus & minus extremum aut sint reipsa vnus & idem terminus,vt vestimentum & indumẽtum,aut sint ferè idẽ, nempe quia reciprocantur, vt homo & rationale,vel alterum alteri inest, id est, alterum alteri attribuitur,vt genus speciei.Tres igitur sunt modi speciales , quibus petitur quæsitum,distinctè enarrandi. Primus est, cùm medius terminus & minus extremum sunt idem:tũc idem reipsa est subiectum& attributum in minore propositione : ideóq; petitur quęsitum in maiore,vt in hoc exemplo:Omne vestimentum est album , omne indumentum est vestimentum , ergo omne indumentum est album. Vides in minore idem attribui sibi ipsi,nempe vestimentum indumento : in maiore autem propositione peti quæsitum:quia quæsitum est, an omne indumẽtum sit album,& concludẽdum est, omne indumentum esse albũ,in maiore autẽ petitur,omne vestimentum esse albũ: ergo petitur id quod est concludendum.& licèt in verbis sit aliqua diuersitas, tamen eadem est sententia maioris propositionis & conclusionis.Sic ergo res habet, quando hi duo termini,β & γ,id est, medius terminus & minus extremum,sunt idem.Similis ratio est,quando sunt quasi idem:vt contingit in secũdo & tertio modo speciali,quibus similiter quæsitum petitur in maiore propositione. Secundus enim modus est, quando β & γ reciprocãtur:túncque ait Aristoteles peti quæsitum in maiore propositione Hęc sententia debet rectè intelligi,id est,non generaliter,quotiescumque β & γ reciprocantur,peti quæsitum in maiore , sed tum demum,cùm adest ea conditio paulò antè posita,quæ hic debet haberi pro repetita, quia cõmunis est omnibus his tribus modis specialibus,id est,tum demũ,cùm maior propositio est æquè ignota atque cõclusio:alioqui,si esset notior , reciprocatio terminorum nihil officeret:immo scimus veras demõstrationes effici tantùm in terminis cõuertibilibus.Exemplum igitur huius secũdi modi specialis tale est: Omne rationale est grãmaticũ,omnis homo est rationalis,ergo omnis homo est grammaticus Vides in minore esse diuersos terminos,sed conuertibiles:& maiorem non esse notiorem conclusione: ergo in ea maiore petitur quæsitum. dum enim petitur,omne rationale esse grãmaticũ,perinde est, ac si peteretur , omnem hominem esse grammaticum: quandoquidem homo & rationale penè idem sun : & quod vni attribuitur,etiã alteri attribuitur,

Tertius modus specialis est, quãdo alterum alteri inest, id est, quando γ minus extremũ, est species τῆ β medij termini. Hic quoq; petitur quæsitum in maiore, dummodò ea maior sit æquè ignota, vel ignotior, quàm conclusio: vt in hoc exemplo: Omnis anima est immortalis, anima humana est anima: ergo anima humana est immortalis. Hæc continentur in secundo membro huius particulæ. Tertiò cùm ait, *καὶ τὸ ἐν τῷ β*, probat, his modis peti quæsitum: quia sicut probauimus α de γ per mediũ β, ita probari æquè potest α de ϛ per medium γ. Vis huius probationis in eo consistit, quòd quando probatur α de γ per ϛ, tunc in maiore propositione sumitur α de β, & inde probatur α de γ: cùm autem probatur α de β per medium γ, tunc in maiore propositione sumitur α de γ, & concluditur α de ϛ. Ergo priori syllogismo probatur omne γ esse α, quia omne ϛ est α: & posteriori probatur omne ϛ esse α, quia omne γ est α: atque ita probatur γ per ϛ, & β per γ: quam esse petitionem quæsiti suprà docuimus. Quartò cùm ait, *nunc verò*, ostendit, hanc rationem, qua modò est vsus, vt probaret peti quæsitum, non ita habere locũ in tertio modo speciali, vt in primo & secundo: quoniam in primo & secundo, ϛ & γ erant termini conuertibiles: vnde sicut in priori syllogismo sumebatur ϛ de γ, ita in posteriori sumitur γ de ϛ. sed in tertio modo, hoc fieri nequit: quia τῷ γ est species τῆ ϛ: vnde τῷ β rectè attribuitur τῷ γ, sed non potest fieri alter syllogismus, quo dicatur γ de β, & ita probetur α de β: nihilominùs tamen quæsitum petitur etiam tertio illo modo speciali. Hoc est, quod Aristoteles ait, *nunc*, id est, in hoc tertio modo, qui vltimo loco fuit expositus, *hoc*, id est, quia τὸ ϛ est genus τῆ γ, nec sint termini conuertibiles; *hoc* (inquam) *prohibet*: supple, quò minùs faciamus secundum syllogismum, & probemus α de β per medium γ. Addit Aristoteles, *non modus*. ex proximo repete, prohibet. Sensus est, hunc modũ tertium, quo diximus peti quæsitum, non respuere reciprocationẽ ratione modi syllogistici: nam hic modus est Barbara, maximè ad conuersionem & reciprocationẽ recipiendam aptus: quandoquidẽ in hoc solo modo fit perfectus circulus, vt suprà expositũ fuit. Subdit Philosophus, *si in hoc faciat*, id est, si quis minorem propositionem conuertat, & sumat γ de ϛ, atque inde concludat α de ϛ; *si* (inquam) *hoc faciat*, id *facit quod dictum est*, id est, quæsitum petit. Subdit, *quasi per tres [terminos] fit cõuersio*: quia non sunt re vera tres termini, vbi ϛ & γ sunt idem. non sunt (inquam) tres termini reales sed tãtùm tria vocabula, res verò duæ, vt album, vestimentum & indumentum. Hæc dicta sint de his tribus modis, quibus petitur quæsitum in maiore propositione τῆ Barbara, eo quòd in minore vel sunt iidem termini, vel quasi iidem, & maior est æquè ignota atque conclusio.

5 *Iisdem si accipiat*. Postquàm egit de petitione quæsiti in maiore propositione, nũc eandem considerat in minore. Hic est planè eadem expositio. Idcirco primò ponit syllogismum α β γ, supponẽs minorem esse æquè ignotam atque cõclusionem, sicut in partic. præced. supponebat maiorem esse æquè ignotam: & inquit, non constare an sit petitio quæsiti; sed tantùm hoc constare, non demonstrari propositũ. Secundò cùm ait, *Quod si idem*, apponit eam conditionem, quæ facit tres modos speciales petendi quæsiti; nempe si α & ϛ sint idem, aut termini reciproci, aut ϛ sit species τῆ α. In summa, quando vna propositio æquè est ignota atque cõclusio, & in altera termini sunt iidẽ, vel quasi iidem, petitur quæsitum in ea propositione, quam diximus esse æquè ignotam atq; conclusionem.

6 *Si igitur*. Cùm locutus sit de petitione quæsiti in prima figura, nunc docet peti idẽ posse in secũda & tertia figura: quod quidem colligit ex duabus præmunitionibus. Ac Primò ponit primam præmunitionẽ, quòd petere quæsitũ, nihil aliud est, quàm demonstrare idẽ per seipsum, cùm id non est per se notum. Secundò cùm ait, *hoc autem*, addit alteram præmunitionem, siue alterã huius petitionis descriptionem, nẽpe tunc peti quæsitum, cùm propositio & conclusio sunt æquè ignotæ, vel quia eadem attribuuntur eidem, vel quia idem attribuitur iisdem. Hæc descriptio respicit præcipuè ad primam figuram, quæ iam exposita est. Eadem eidem attribui dicuntur, quando petitur quæsitũ in minore propositione: tunc enim α & ϛ, id est maius extremũ & medius terminus, ex quibus maior propositio constat, eadem sunt, atque hæc attribuũtur eidem γ: nam τῷ ϛ attribuitur ipsi γ in minore propositione, & τῷ α attribuitur eidẽ in conclusione: ergo eadẽ id est, α & ϛ attribuuntur eidem γ, quando petitur quæsitum in minore. Idem autem attribuitur iisdẽ, quando petitur quæsitum in maiore: tunc enim ϛ & γ, ex quibus minor propositio cõstat, id est, medius terminus & minus extremum, idem sunt: ergo idẽ α attribuitur iisdem, id est, τῷ β in maiori propositione, & τῷ γ in cõclusione. Tertiò cùm ait, *in media figura*, colligit, quæsitum similiter peti vtroque modo in secũda & tertia figura: cùm dicat peti vtroque modo, intelligendi sunt duo illi modi proximè expositi,

nempe

nempe quia vel eadem attribuuntur eidem, vel idem attribuitur iisdē. Quare verba Aristotelis non sunt ita accipienda, quasi vterq; modus spectetur in secūda figura, & vterque in tertia: sed alter est in secūda, alter in tertia. etenim in secunda figura ideo petitur quæsitum, quia eadem attribuuntur eidem, veluti in hoc exemplo,

Cam Omne vestimentū est indumentū, (β α)

es Nihil album est indumentum, (γ α)

Ergo

tres Nihil album est vestimentum: (γ β)

In hoc (inquam) exemplo eadem, id est α indumentum, & β vestimentum dici de eodem γ albo: nempe τὸ α de γ negatur in minore propositione, & τὸ β de eodem negatur in conclusione. quæsitum autem petitur in minore propositione, in qua sumitur nihil album esse indumentum, cùm probandū sit nihil album esse vestimentū. In tertia verò figura ideo quæsitum petitur, quia idem dicitur de iisdem, vt in sequenti exemplo,

Dar Omne vestimentum est album: (γ α)

ap Omne vestimentum est indumentum: (γ β) Ergo

ti Aliquod indumentum est album. (β α)

In hoc exemplo iidem sunt termini ς & γ, ex quibus constat minor propositio: quæsitum autem petitur in maiore, in qua sumitur, omne vestimentum esse album, proinde sumitur aliquod vestimentum esse albū, quoniam particulare sub vniuersali continetur: probandum verò est, aliquod indumentum esse album. Ergo in hoc exemplo idem α album attribuitur iisdem, id est, τῷ β indumento in conclusione, & τῷ γ vestimento in maiore propositione. Sic accipiendum est, quod ait Philosophus, vtroque modo peti quæsitum in secunda & tertia figura.

7 *Verùm in attributiuo.* Sequitur tertia petitionis quæsiti diuisio: Aut enim quæsitū petitur in syllogismo affirmatiuo, aut in negatiuo. In illo semper petitur affirmatiuè; quoniam vtraque propositio affirmat: in hoc semper petitur negatiuè; quia cùm altera propositio affirmat, altera negat, semper petitur quæsitum in ea quæ negat. Ratio est: quia conclusio negat; & propositio petens quæsitū, debet æquiualere cōclusioni. Quod attinet ad seriē contextus Primò Aristoteles loquitur de petitione, quæ fit in syllogismo affirmatiuo: & ait, eā fieri in tertia & prima figura. quibus verbis significat, eam non fieri in secunda, nimirum quia in secunda nullus est syllogismus affirmatiuus. Secundò cùm ait, *Negatiuè autem*, transit ad petitionem, quæ fit in syllogismis negantibus, de qua duo docet. Primùm docet, eam ita fieri, quoniam *Eadem [absunt] ab eodem*, id est, eadem de eodem negantur. Exempli gratiâ sit syllogismus in Celarent:

Ce Nullum vestimentum est album:

la Omne indumentum est vestimētum:

Ergo

rent Nullum indumentum est album.

Hic idem album negatur de iisdem indumento & vestimento: proinde eadem, indumentum & vestimentum, negantur de eodem albo: nam propositio negans conuertitur. Itaque hic pro eodem habemus, siue dicas idem negari de iisdem, siue eadem negari de eodem. Tertiò cùm ait, *neque [est] eadem*, docet alterū de eadem petitione syllogismi negantis, nempe nō similiter, id est, non vt fit in affirmantibus, ita etiam hic peti quæsitum in vtraque propositione, sed tantùm in altera, nempe in negante, vt suprà exposui. Et quoniā Aristoteles hoc dixit solùm de tertia & prima figura, quippe qui harū duntaxat mentionē paulò ante fecit in fine primi membri: ideo subiicit eandem esse rationē secundæ figuræ: hoc enim est cōmune omnibus syllogismis negantibus, in quacumque figura sint extructi, vt quæsitum petāt in sola propositione negāte. Quid ita? subiicit Aristoteles rationē, *quia termini non conuertuntur*. Ratio hæc est: quia termini in syllogismis negatiuis, quatenus scilicèt negatiui sunt, id est, qui ponuntur in propositione negante, non conuertuntur. Intelligas non conuerti: quia nec sunt iidem termini, nec quasi iidem, ratione reciprocationis. nā conuertendi vocabulo significat reciprocationem illam, quæ est inter terminos planè eosdem, vt indumentum & vestimentū; vel quasi eosdem, qui vulgò vocātur connertibiles, vt homo & rationale. Ceterùm in alio sensu termini propositionis negantis cōuertuntur: veluti, nullū animal est lapis, &, nullus lapis est animal. sed de hac conuersione Aristoteles hîc non loquitur. Vis igitur rationis hæc est: terminos propositionis negantis non posse dici eosdem, nec quasi eosdem; (quomodo enim idē negaretur de seipso?) consequenter quęsitū non posse peti in propositione affirmante: quia (vt suprà docui) quotiescumque in aliqua propositione quæsitum petitur, necesse est in altera terminos esse eosdem, vel quasi eosdem.

Hæc ratio commodè redigi potest in

syllogismum hypotheticum, arguendo ab euersione consequentis ad euersionem antecedentis: hunc in modum: Si quæsitū petitur in propositione affirmante, necesse est terminos esse conuertibiles, vel aliquo modo eosdem in propositione negante: atqui hoc posterius falsum, & impossibile: ergo & prius. Maior patet ex iis, quæ antea docui. Minor per se patet: quia idem non negatur de seipso.

8 *Iam verò quod.* Sequitur quarta diuisio: Aut quæsitum petitur secundum veritatem, vt in demonstrationibus erigendis: aut secūdum opinionem & probabilitatem, vt in syllogismis dialecticis.

IN CAP. XVII. DE REPREHENSIONE SYLLOGISMI, QVA dicitur falsum propterhoc non accidere.

IN hoc capite agit Philosophus de secūda imbecillitate, quę est propria syllogismorum ducentium ad incōmodum, videlicet quando aduersarius quasi ex nostra hypothesi colligit absurdam conclusionem, quæ ex ea hypothesi non efficitur. Dicitur ergo non propter hoc, id est, non propter nostram hypothesim, accidere falsum, id est, colligi siue effici conclusionem falsam & impossibilem. Huius imbecillitatis definitionem, diuisionem, & contraria declarat.

1 *At non propter hoc.* Vt inueniat definitionem rei propositæ, id est, eius quod dicitur non propter hoc, &c. quædam priùs præmunit; deinde ex his definitionem colligit. Primò igitur præmunit, vel potiùs obiter proponit, hoc vsitari in disputationibus. Dico hoc non præmuniri, sed obiter proponi: cùm quia sequētem præmunitionem Aristoteles vocabit primam: tum etiam quia id quod nunc diximus, nihil facit ad explicandam vel confirmandam definitionem, quæ postea affertur. Secundò cùm ait, *primùm reperitur*, affert primā præmunitionem, nempe hoc (id est, non propter hoc accidere falsum) habere locum in syllogismis ducentibus ad impossibile. Tertiò cùm ait, *cùm quis contradicit*, addit alteram præmunitionem, hoc habere locum inter contradicentes, id est, cùm respondēs contradicit, & negat id quod vult opponens probare per deductionem ad impossibile. Quartò cùm ait, *neque enim*, à contrario confirmat secundam pręmunitionem: quoniam is qui non contradicit, non ita respondet argumētanti, vt dicat nō probari propter hoc, sed simpliciter negat propositionem, quam non putat esse veram. Quintò cùm ait, [*neque in probatione,*] confirmat priorem præmunitionem similiter à contrario: quia hoc non habet locum in probatione categorica: obtinet igitur tantùm in ea, quæ ducit ad impossibile. Quòd autem non habeat locum in categorica, sic probat; quia non ponit contradictionem, id est, quia is, qui categoricè ratiocinatur, non sumit contradictionem eius quod probare intendit, vt ex hac cōtradictione colligat aliquod absurdū, quod nos debeamus negare inde colligi. Sextò cùm ait, *Præterea cùm euersum*, eandem priorem præmunitionem noua ratione probat, extruens syllogismum in secunda figura in Camestres: Non propter hoc, tūc dicitur, cùm hac hypothesi demptā, nihilominùs efficitur falsa illa conclusio: atqui in syllogismo categorico hypothesi aliquā demptā non efficitur conclusio: ergo in syllogismo categorico nō dicitur. Nō propter hoc. Huius syllogismi ponit initiò minorē propositionē. Deinde ibi, *nam illud, non propter*, adiungit maiorē propositionem. Deinde ibi, *quod quidem non est*, repetit minorem, vt eam confirmet. Deinde ibi, *quia positione sublata*, confirmat eam minorem ex natura syllogismorum, qui constant ex propositionibus, quas hic vocat theses: sublata ergo thesi, siue hypothesi, siue propositione, (quocumque nomine appellare libeat) tollitur syllogismus ad eam propositionem pertinens. Septimò cùm ait, *Perspicuum igitur*, colligit definitionem eius, quod dicitur Non propter hoc. Ex qua definitione apparet, duas conditiones requiri, vt dicatur nō propter hoc. Vna est, vt sit syllogismus ducens ad impossibile. altera est, vt siue hypothesis ponatur, siue demantur, nihilominùs sequatur conclusio.

2 *Est igitur maximè.* Definitioni subiicit diuisionem in duos modos. Primus est, cùm hypothesis prorsus nō cohæret syllogismo ducenti ad impossibile. Exemplū hoc proponit: si quis volens probare conclusionem illam mathematicam, latus & dimetientem quadrati vel quadranguli non habere communem mensuram, nitatur ex eo probare; quia si dicatur habere commumunem mensuram, inde efficietur sententia Zenonis, quæ falsa est, ac veritati physicę repugnat, nempe nihil moueri. Primò igitur Aristoteles proponit hunc modum tam quàm maximè perspicuum: quia facilè qui uis intelligit, ex tali hypothesi non effici falsam

sam illam conclusionem. Secundò cùm ait, *quemadmodum & in Topicis*, inquit se hunc modum tractasse in Topicis, ibique eum vocasse, non causam pro causa ponere. Hæc inter fallacias sophisticas numeratur, & ab Aristotele exponitur cap. 5. Elench. partic. 9. Vnde notandum est, appellatione Topicorum contineri etiam librum Elenchorum. quamobrem Epilogus in calce Elēchorum: subiectus, non tantùm ad Elenchos, sed etiā ad Topica pertinet. & omnino Aristoteles coniungit Elenchos cum Topicis, vt Posteriora Analytica cum Prioribus Analyticis. Tertiò cùm ait, *vt si volens*, declarat hunc modum exemplo, quod ante exposui: in quo hypothesis est mathematica, conclusio verò physica: & illa abstrahit à motu, hæc verò est de motu: ideóque non cohærent.

3 *Alius modus*. Sequitur secundus modus, cùm hypothesis cohæret syllogismo ducenti ad impossibile, sed nihilo magis ex ea efficitur impossibile. Hic modus subdiuiditur in duos: quoniam ea cohærētia, quæ est inter hypothesim & syllogismum ducentem ad impossibile, vel sumitur sursum versus, vel deorsum versus, id est, vel hypothesis est supra maiorem propositionem, vel est sub minore propositione, vt in exemplis postea proponendis facilè apparebit.

4 *Vt si vita*. Affert exemplum cohærentiæ deorsum versus acceptæ, id est, cùm hypothesis summo loco ponitur, & ab ea ad syllogismum descenditur: vt in sequenti exemplo.

Hypothesis. Omne animal est animatum:
Bar Omne album est animal: Ergo
ba Omnis nix est alba : Ergo
ra Omnis nix est animal.

Hæc conclusio impossibilis non sequitur ex hypothesi, sed ex reliquis duabus propositionibus: quarum prior est falsa, & propter eius falsitatem falsa est etiam conclusio. Ceterùm hypothesis ita cohæret syllogismo, vt nihilominùs sit extra syllogismum, non pars syllogismi.

5 *Aut rursus*. Subiicit alterum exemplum cohærentiæ sursum versus, id est, cùm hypothesis est sub vtraque propositione, vt videre est in sequenti exemplo.

Bar Omnis planta sensu caret:
ba Omne animatum est planta:
Hypothesis. Omne animal est animatum:
ra Ergo omne animatum sensu caret.

Sed huiusmodi solent inuerso ordine proponi hunc in modum:

Hypothesis. Omne animal est animatum:
ba Omne animatum est planta:
Bar Omnis planta sensu caret: Ergo
ra Omne animatum sensu caret.

6 *Sed oportet*. Postquàm exposuit modos, quibus non propter hypothesim falsa conclusio infertur: nunc, quia contraria iuxta se posita magis elucescunt, vult exponere modos, quibus ex hypothesi efficitur falsa illa conclusio: ac primùm in hac particula generaliter docet, hoc euenire, quando conclusio illa falsa & impossibilis connectitur cum hypothesi. Intellige connecti falsam conclusionem cum hypothesi, quando attributū hypotheseos attribuitur in cōclusione, vel subiectum hypotheseos subiicitur in conclusione, vt ex sequentibus particulis apparebit.

7 *Vt deorsum versus*. Proponit exemplum, in quo sumitur cohærentia terminorum deorsum versus, & attributum hypotheseos attribuitur etiam in conclusione, ideóque propter hypothesim accidit falsa conclusio.

8 *Sursum autem*. Subiicit alterum exemplum, in quo sumitur cohærentia terminorum sursum versus, & subiectum hypotheseos subiicitur etiam in conclusione.


9 *Similis est ratio*. Quoniam hucusque attulit exempla tantùm syllogismorum affirmantium: ideirco quæ de his dicta sunt, nunc producit ad syllogismos negantes.

10 *Perspicuum igitur*. Ex dictis concludit, tum demum propter hypothesim accidere falsum, quando conclusio connectitur cum hypothesi eo modo, quem exposui.

11 *An ne sic*. Quod iam docuit, in dubium reuocat, quasi ne tunc quidem propter hypothesim falsum accidat, cùm exposito modo conclusio connectitur cum hypothesi. Obiectio in formam syllogisticam ita resolui potest. Quando demptá hypothesi falsum nihilominùs accidit, tunc falsum propter hypothesim non accidit: atqui in casu proposito demptá hypothesi nihilominùs falsum accidit: ergo in casu proposito non propter hypothesim falsum accidit. Maior patet ex definitione suprà tradita. Minor patet: quia eadem falsa conclusio potest ex diuersis hypothesibus inferri: vná igitur ex his demptá, nihilominùs falsum accidet.

12 *Aut si hoc*. Soluit obiectionem, per responsionem ad maiorem propositio-

nem.ea namque sumebatur ex d. finitione imperfectè accepta quare si definitio perficiatur, dubitatio tollitur. hæc enim erat maior, quando demptá hypothesi falsum accidit, non propter hoc accidit falsum: quę qui de ea propositio, prout ita concepta fuit, nūc ab Aristotele negatur. oportet enim quędā supplere, ac dicere, Quando demptá hypothesi falsum accidit ex reliquis adsumptis propositionibus, tunc propter hoc non sequitur falsum. Nisi igitur maior ita concipiatur, neganda est. Quòd si ita cōciperetur maior, tunc neganda esset minor: siquidem & minor rectè concipi debet, vt cohæreat maiori: dicendum ergo esset, in casu proposito dēptá hypothesi nihilominùs sequi falsum ex aliis propositionibus assumptis. quæ propositio falsa est. nā demptá hac hypothesi, potest quidē falsum colligi ex alia hypothesi, non tamē colligitur ex aliis propositionibus iam assumptis, sed ex nouo aliquo syllogismo. Quod attinet ad seriem contextus Aristoteles, vt corrigat eam maiorē, Primò docet, quomodo malè accipiatur, nempe si sumatur simpliciter, Dempta hypothesi falsum nihilominùs effici. Secundò cū m ait *sed cùm hoc ablato*, docet, quo modo rectè accipiatur, nēpe cum ea limitatione, vt hypothesis efficiatur ex reliquis propositionibus. Tertiò cùm ait, *quandoquidem nihil*, confirmat hanc emendationem ex eo, quòd idem falsum potest colligi ex multis separatis hypothesibus: vnā igitur demptá nihilominùs ex aliis colligetur: & nihilo minùs ex hac quoqs falsū colligitur. Quartò cùm ait, *veluti lineas*, id quod modò dixit, exēplo mathematico declarat. Nā lineas parallelas, vt lineam a b, & lineam c d, concurrere, est cōclusio falsa, quę probatur ex duabus hypothesibus falsis. Vna hypothesis est, angulum internum esse maiorē angulo externo, idest, angulum h, qui est intra duas lineas parallelas, a b, & c d, esse maiorem angulo g, qui est extra easdē parallelas. Altera hypothesis est, si triangulum habeat plures angulos duobus rectis. i. si tres anguli, qui sunt in triangulo, sunt maiores quàm duo recti.



IN CAP. XVIII. DE FALSA RATIONE.

SEquitur tertium syllogismorum vitium, id est, falsitas, quæ ex propositionib us irrepit in conclusionem. Primò Aristoteles proponit hanc sententiam, quòd falsitas syllogismi pendet à prima falsitate, id est, si cōclusio sit falsa, necesse est aliquam propositionem esse falsam, propter quam conclusio quoqs falsa est. & si illa propositio probetur per prosyllogismū, rursus in eo prosyllogismo erit aliqua propositio falsa. ac semper prima propositio falsa, est causa consequētes falsæ sint. Secundò vt explicet hanc sententiam, diuidit syllogismum in simplicem qui constat ex duabus propositionibus, & compositū qui ex pluribus; vt deinceps doceat, in vtroque syllogismi genere primam falsitatem esse causam sequentium. Tertiò cùm ait, *Si igitur*, id docet de syllogismo simplici, nam si conclusio est falsa, necesse est, vel vtramque, vel alterutrā propositionem esse falsam, vt suprà fuit probatum. falsitas igitur conclusionis pēdet à falsitate illius propositionis, vel illarum propositionum. Quartò cùm ait, *siue ex pluribus*, idem ostendit de syllogismo composito, quem resoluit in plures, id est, in syllogismum principalem, & in duos prosyllogismos, quibus probātur propositiones syllogismi principalis, vt in hoc exemplo:

δ Omnis substātia est lapis: ε Omne viuēs est substantia:	}	α	Ergo Omne viuens est lapis.
ζ Omne animal est viuens: η Omnis homo est animal:	}	β	Ergo Omnis homo est viuens:
		γ	Ergo Omnis homo est lapis.

Syllogismus principalis est α β γ prosyllogismus probans maiorem α, est δ ε. alter prosyllogismus probans minorē β, est ζ η. In syllogismo principali conclusio est falsa: ergo aliqua propositio falsa, nempe maior α. Rursus α est falsum: ergo aliqua propositio primi prosyllogismi est falsa, nempe propositio δ. Hæc igitur est prima falsitas propositionis δ, quæ est causa aliarum falsitatum: id est, cur falsum sit α, & falsum γ. Hæc dicta sint de hoc capite, quod confer cum cap. 12. lib. 8. Top.

IN CAP. XIX. DE IMPEDIENDO CATASYLLOGISMO, id est, ne contra nos syllogismo concludatur.

SEquitur quarta syllogismi imbecillitas, quia nisi bis eundem terminum concedam

damus, nihil poterit contra nos concludi. Item nisi concedamus medium, sic ad alios terminos, (id est, maiorem & minorem) relatum, vt figura aliqua requirit, non poterit in ea figura contra nos concludi. Vnde respondens, qui non vult redargui, cauere debet, ne ea concedat. Opponens autem, qui vult aduersarium redarguere, debet obscurè proponere, ne respondens ea animaduertat, quò faciliùs ea concedat. De modis occultandi plura vide Top. lib. 8. & Elench. cap. 15.

1 *Vt autem contra.* Instruit respondentem: & initiò eum docet, qua ratione possit impedire aduersarium, ne vllam conclusionem colligat contra ipsum respondentē. Primò igitur dat præceptum, cùm opponēs rationem interrogat sine conclusionibus, ne respondens concedat bis idem, id est, eundem terminum in propositionibus, hoc est, ne concedat duas propositiones habentes eundem terminum. Dicitur opponens interrogare rationem sine conclusionibus, quando interrogat propositiones prosyllogismorum, omissis propositionibus principalibus. hoc enim facere solebant opponentes, quò magis laterent, & fallerent respondentes. Nam si roges aduersarium, an veræ sint hæ propositiones, ex quibus efficitur conclusio principalis, ille statim videt, quorsum tua oratio tendat, & quid, & quomodo probes: vnde ne à te superetur, facilè negabit eas propositiones, quas videt eas sibi obstare. Quòd si à conclusione principali longiùs recedas, & omissis propositionibus principalibus proponas prosyllogisticas, faciliùs has tibi concedet, non animaduertēs ex his futurum vt tandem redarguatur. nam ex his concessis poteris colligere propositiones principales. Monet igitur Aristoteles respōdentem, vt, nisi intelligat quorsum euasuræ sint interrogationes aduersarij, caueat, quantū potest, ne concedat duas propositiones habentes eundem terminum. Secūdò cùm ait, *quoniā sinemus* affert rationē & vtilitatem huius præcepti: quia nisi propositiones habeant vnum communem terminum, qui sumatur pro medio termino, syllogismus extrui nequit.

2 *Quomodo autem.* Nunc instruit respondentem, quomodo possit sibi cauere à certa aliqua conclusione. Nam si certā thesim defendit, non debet ei esse curæ, si aduersarius colligat conclusiones nihil ad suā thesim pertinentes. Itaq; Aristoteles præcipit, vt respondēs dispiciat, an medius termi nus ita sit collocatus, vt possit efficere conclusionē, quam aduersarius probare debet: quod patet ex natura trium figurarum. Exē pli gratiā, si defendit thesim negātē potest concedere propositiones habentes eundem terminum attributum: quoniam eo modo fit secunda figura, in qua non colligitur cōclusio affirmans: sed sibi cauere debet à prima, & tertia figura. Quod si tuetur thesim particularem negantē, quæ euerti debet per conclusionem vniuersalem affirmantem, cauere sibi debet à Barbara Secundò cùm ait, *hæc autem*, ostendit non latēre respondentē, quam conclusionem aduersarius probare velit: quandoquidem scit, quam thesim ipse tueatur: nam aduersarius contradictionem debet probare.

3 *Quòd verò.* Postquàm præcepta dedit respondenti: nunc præcepta dat opponenti, & eum monet, vt lateat aduersarium, quoad eius fieri potest, quò minùs respondens cauere sibi possit.

4 *Quod fiet.* De occultatione tradit præcepta. Primum præceptum est, vt opponēs reticeat propositiones principales, & interroget prosyllogisticas. Hoc præceptum ad 1. partic. exponere anteuerti.

5 *Præterea si quis.* Sequitur secundum præceptum, vt opponens, syllogismo composito vtens, turbet ordinē propositionū. nam si interroget, an α dicatur de β, deinde an β de γ, tum an γ de δ, postea an δ de ε: apparet nexus propositionum, & vis syllogistica, quæ non apparebit, si propositiones misceantur, & primum interroget an π α dicatur de β, postea an π δ dicatur de ε, (hæ namque propositiones separatæ sunt, nec habent vllum terminum communem) & ita deinceps misceat propositiones, ac perturbatè proponat. Vt enim ordo lumen affert, ita confusio obscuritatē: quam qui affectat, ordinē negligere debet. Oportet autem interdū obscuritatē affectare, vt cùm disputamus, cum hominibus proteruis, qui propositionem quantumuis veram aut probabilem nunquam concedent, si intelligant eam sibi aduersari.

6 *Et si per vnum.* Tertium præceptum est, vt opponens, quando vtitur syllogismo simplici, incipiat à medio termino: sic enim ordo turbatur, nec tam facilè apparet nexus syllogisticus. Vt hoc perspicuè intelligatur, notandum est, cùm in omni syllogismo sint tres termini, initiū sumi vel à primo, id est, à maiori extremo; vel à secundo, id est à medio termino: vel à tertio, id est, à minori extremo. A primo, vel à tertio vnus est progressus, à medio duo. Sint enim tres termini, . si vis incipere ab α, vnus est syl-

logismi progressus ab α ad γ per ζ: sic habes duas propositiones, τὸ α dicitur de ζ,& τὸ ζ dicitur de ς. nam si progrediaris ab α ad ζ per ς statim habebis conclusionem, non propositionem, dum attribues τὸ α τῷ ς. Similiter si initium facias à ς, vnus est progressus, ς est ζ,& ζ est α. nam si dicas, ς est α, non propositionem dicis, sed cõclusionem. Sed à medio termino ζ duobus modis progredi potes,id est, vel ascendendo: vel descẽdendo. vel enim dices τὸ β est α,& τὸ ς est β: vel, τὸ β dicitur de ς, & τὸ α de β. Vtrouis autem modo à medio progrediamur, ordo turbatur,& propositionũ nexus,in quo duobus primis progressibus perspicuus erat,obscuratur. Ex his apparet, si volumus efficere syllogismum perspicuum, quando vtimur verbo attribuendi, vel dicendi, incipiendum esse à maiori extremo,& præponendam esse maiorem propositionem minori,hoc modo: Dicitur α de β,& β de γ, ergo α de ς. vel, primum attribuitur secundo, & secundum tertio, ergo primum attribuitur tertio. Quod si vtamur verbo ESSE, tunc è contrario incipiendum à minori extremo, & præponenda minor propositio maiori: veluti, Omne γ est β, & omne β est α, ergo omne ς est α: putà, omnis homo est animal, & omne animal est corpus, ergo omnis homo est corpus. Si verò volumus syllogismum obscurare: cùm vtimur verbo attribuendi, incipere debemus à minore: veluti, animal attribuitur homini, & corpus attribuitur animali. sin vtimur verbo ESSE, incipiendum à maiore: veluti omne animal est corpus, omnis homo est animal, ergo omnis homo est corpus. Quocirca auctores, qui plerumque vtuntur verbo ESSE, minorem propositionem maiori præponere solent.

IN CAP. XX. DE IMPEDIENDO ELENCHO.

QVo modo impeditur catasyllogismus, eodem modo impeditur elenchus. Catasyllogismus est, quotiescumque contra nos concluditur: de quo in cap. præced. Elenchus autem ita demum est, vt pulchrè Thomas notat in Fallaciarum opusculo, cap.5. cùm in eadem disputatione aliquis vi argumentationis cogitur negare quod concessit, aut fateri quod negauit.

1 *Quia verò habemus.* Generaliter ait, ex dictis de syllogismo constare, quando sit, vel non sit elenchus: nempe quia elenchus est syllogismus quidam, vt dicetur in partic. seq.

2 *Omnibus enim.* Specialiter declarat, quando fieri possit vt elencho redarguamur, videlicèt cùm interrogati concessimus omnia, vel aliqua, ex quibus possit colligi conclusio nostræ thesi seu propositioni contraria. Contrariam latè accipe, id est, siue sit contraria propriè dicta, siue contradictoria. Duæ igitur conditiones requiruntur, vt possit fieri elenchus. Vna est, vt sint cõcessæ propositiones, ex quibus possit extrui syllogismus, si ambæ affirmantes, vel altera affirmãs, altera negãs. Altera est, vt eius syllogismi cõclusio thesi repugnet. Prima conditio probatur ex definitione syllogismi: posterior elenchi propria est. Quod attinet ad seriem contextus, primò Aristoteles ponit primam conditionẽ. Secundò cùm ait, *erat enim*, probat eã cõditionem ex natura syllogismi. cùm enim syllogismus fiat ex huiusmodi propositionibus: certè etiam elenchus, qui est species syllogismi, ex iisdem fit. cõsequens habuimus in superiori membro: antecedens verò continetur in hoc membro. Tertiò cùm ait, *quare si quod*, limitat quod dixit, addens alteram conditionem. nam alioqui non esset bonum argumentum: quia non valet consequentia à genere ad speciem affirmatiuè: veluti, est animal, ergo est homo: sed si addas generi differentiam, iam consequentia valebit, veluti, est animal rationale, ergo est homo. Sic ergo in præsentia si dicamus, Ex talibus propositionibus fit syllogismus, ergo ex iis fit elenchus, consequentia non valet: nisi addatur altera conditio, id est, propria differentia seiungens elenchum ab aliis syllogismis. Quartò cùm ait, *quoniam elenchus*, probat consequentiam antea factam ab elencho ad syllogismum, ex eo quòd elẽchus est syllogismus contradictionis, id est, colligens conclusionem thesi contradicentem. In præcedenti membro vocauit conclusionem contrariam: hic verò vocat contradicentem: ergo cõtrariam & contradicentem promiscuè accipit. Eodem modo elenchum definiet capite 1. Elench. partic. 4.

3 *Quòd si nihil.* Specialiter declarat duos modos, quibus elenchus impeditur. Primus modus est, si nulla affirmatio concedatur: quia ex solis negationibus nihil concluditur. Primò Aristoteles hunc modum proponit, & ait non posse fieri elenchum, si nihil concedatur, id est, si nihil affirmetur, seu si nulla affirmatio admittatur. Secundò cùm ait, *non enim erat*, probat quod dixit, arguendo, vt suprà, à syllogismo ad elen-

elẽchũ: ſine affirmatione nõ fit ſyllogiſmus, ergo nõ fit elenchus. Hæc conſequentia eſt optima, cùm ſumatur à genere ad ſpeciẽ negatiuè; perinde ac ſi quis diceret, nõ eſt animal, ergo non eſt homo. Tertiò cùm ait, *etenim ſi [ſit]*, quò melius intelligãtur, quę iam dixit, docet, quatenus valeat cõſequentia ab elẽcho ad ſyllogiſmum, vel à ſyllogiſmo ad elenchum. Ponit igitur duas regulas. Prior eſt, valere argumentũ ab elencho ad ſyllogiſmum affirmatiuè. ſupple, non valere autẽ negatiuè: quia poteſt nõ eſſe elẽchus, & eſſe alius ſyllogiſmus. Poſterior regula eſt ibi, *ſi verò*, non valere argumentum affirmatiuè à ſyllogiſmo ad elenchũ. ſupple, valere negatiue, vt antea fuit expoſitum.

4 *Idem [dicendum.]* Sequitur ſecundus modus impediendi elenchum, ſi nihil vniuerſale concedatur: quia ex ſolis particularibus nihil concluditur. Primò Ariſtoteles hunc modum proponit. Deinde cùm ait, *quoniam elenchi*, eum probat (vt ſuprà) arguendo à ſyllogiſmo ad elenchum.

IN CAP. XXI. DE DECEPTIONE.

SVpereſt quintũ & vltimũ ſyllogiſmorũ vitiũ, ſeu quinta imbecillitas, nempe Deceptio. Deceptionis autem quinque ſpecies ſeu modos Ariſtoteles declarat.

2 *Interdum accidit.* Expoſiturus varia deceptionũ genera. Primò generaliter ait, nos non ſolùm decipi in terminorũ poſitione. i. cùm nõ diſtinguimus inter propoſitionẽ vniuerſalẽ & indefinitã, vt expoſitũ fuit ſuperioris libri cap. 33. ſed etiã in exiſtimatione, quia falſum aliquid opinamur, vt hoc capite explicabitur. Secundò cùm ait, *vt ſi cõtingat*, tranſit ad ſpecialẽ expoſitionem deceptionũ, & proponit primã ſpeciẽ, cõferẽs inter ſe duos ſyllogiſmos, alterum in Barbara docentẽ, alterũ in Celarẽt decipientẽ. ſyllogiſmus docens extruitur in Barbara: veluti, Omne bipes eſt animal, omnis homo eſt bipes, ergo omnis homo eſt animal. Syllogiſmus decipiens extruitur in Celarẽt: veluti, nihil rationale eſt animal, omnis homo eſt rationalis, ergo nullus homo eſt animal. Ait igitur ſumẽdos eſſe terminos, qui ita ſe habeãt, vt idẽ. i. α maius extremum, pluribus. i. duobus mediis β & γ, primùm. i. immediatè inſit: ac ponit, alterum horum mediorum à nobis ignorari, alterum ſciri, id eſt, nos ignorare α dici de γ, ſcire autem α dici de ϐ. Tertiò cùm ait, *inſit enim*, proponit terminos alphabeticos, α β γ δ, ex quibus ſyllogiſmos illos vult extruere. Quartò cùm ait, *ſi [quis] igitur*, extruit ſyllogiſmũ docentẽ in Barbara. Quintò cùm ait *τὸ α autẽ*, extruit ſyllogiſmũ decipientẽ in Celarent. Sextò cùm ait, *eiuſdẽ ſecundũ idẽ*, concludit, eũ, qui vtitur illis duobus ſyllogiſmis, habere ſcientiã per vnũ, & ignorãtiã per alterũ. hoc. n. eſt, quod ait, *eiuſdẽ* (ſubaudi, ſubiecti. i. minoris extremi, putà hominis) *ſecundum idem* (. i. reſpectu eiuſdẽ attributi, puta animalis, quod eſt maius extremũ) *habebit ſciẽtiam* (. i. ſciet hominẽ eſſe animal per medium bipes, & ſyllogiſmũ extructũ in Barbara) *& ignorantiã*. i. putabit hominẽ non eſſe animal per mediũ rationale & ſyllogiſmum extructũ in Celarẽt.

2 *Rurſus ſi quis.* Sequitur ſecunda ſpecies deceptionis primæ ſimilis. nã hæc quoq; naſcitur ex maiore propoſitione falſa. hoc tamẽ diſcrimẽ eſt: quòd in primo deceptionis genere medius terminus veri ſyllogiſmi, & medius ſyllogiſmi decipiẽtis nõ erãt ſubalterna: hic verò sũt ſubalterna: vtputà ſi quis verè ꝓbet hominẽ eſſe ſubſtãtiã per mediũ *viuẽs*, & nõ eſſe ſubſtãtiã per mediũ *animal*: nã hæc media ſunt ſubalterna, cùm animal ſit ſpecies viuentis. Hic quoque ſyllogiſmus verus extruitur in Barbara, omne viuens eſt ſubſtãtia, omnis homo eſt viuẽs, ergo omnis homo eſt ſubſtantia. ſyllogiſmus autẽ decipiens ex maiore falſa extruitur in Celarent, nullũ animal eſt ſubſtãtia, omnis homo eſt animal, ergo nullus homo eſt ſubſtantia.

3 *An igitur.* Poſtquàm expoſuit duo deceptionũ genera, nũc quærit, an fieri poſſit, vt aliquis hoc vel illo modo decipiatur, & primùm in hac partic. docet, quomodo nõ fiat ſecũda deceptio, nempe nõ poteſt ita fieri, vt quis ſimul accipiat maiorem propoſitionẽ vtriuſq; ſyllogiſmi. i. verã in Barbara, & falſã in Celarent: veluti, vt quis ſimul accipiat, omne viuẽs eſſe ſubſtantiam, & nullũ animal eſſe ſubſtantiã: nemo enim eſt tã ineptus, vt ita ſibi cõtradicat. nã qui dicit nullũ animal eſſe ſubſtantiam, ille dicit aliquod viuẽs nõ eſſe ſubſtantiam: quomodo igitur aliquis hoc dicat, ſimúlque omne viuẽs eſſe ſubſtantiam.

4 *In eo verò.* Nunc declarat, quomodo nõ fiat prima deceptio & oſtẽdit, hic quoq; non poſſe ſimul accipi ambas propoſitiones vtriuſque ſyllogiſmi, hoc eſt, tam veri quàm decipientis: quoniã hic quoque eſſet cõtradictio. Primo igitur proponit hãc ſententiam, quòd non poſſunt ita ambæ propoſitiones ſimul accipi. Secũdò cùm ait, *veluti ſi τὸ α*, exemplo alphabetico declarat illas quatuor

propositiones, id est duas veri syllogismi, reliquas duas syllogismi decipientis. has autē propositiones ita ponit, vt primùm maiores coniunctim proponat, quia τὸ α dicitur de omni β, (hæc est maior veri syllogismi in Barbara) & de nullo γ (hæc est maior falsa in Celarēt) deinde coniunctim proponit minores veras, tam β, quam γ dici de omni δ. nam ζ de omni δ, est minor τῶ Barbara: γ de omni δ, est minor τῶ Celarent. Tertiò cùm ait, [sic] *enim continget*, affert rationem, cur non possint illæ propositiones simul accipi: nempe quia hac ratione aliquis sumit primam, id est, maiorem propositionē vel simpliciter, vel saltem (quod verius est) ex parte contrariam. Sensus est, maiorem τῶ Barbara & maiorem τῶ Celarent, si non omnino, at saltem ex parte contrarias esse: proinde neminem esse ita fatuum, vt ita cōtrarias simul sumat. Quartò cùm ait, *nam si cuiuscunque*, ostendit, illas propositiones, si nō omnino, saltem ex parte contrarias esse. Hęc probatio tribus partibus constat. In prima parte continetur vis propositionis α ζ: in altera, propositionis α γ: in tertia ostenditur eas vires esse contrarias. Prima probationis pars continetur in hoc membro. cùm enim dicimus, omne ζ esse α, significamus etiam δ esse α: quandoquidem δ comprehendimus sub ζ, vt apparet ex minore propositione. Quintò cùm ait, *si igitur rursus*, ponit alteram partem probationis, id est, vim propositionis α γ. cùm enim dicimus, nullum γ est α, indicamus nullum δ esse α: quia δ est pars τῶ γ. atqui idem δ est pars τῶ β. indicamus ergo, aliquod β, nempe δ, non esse α, cùm antea in Barbara sumpserimus omne ζ esse α. Sextò cùm ait, *qui autem omni*, ponit tertiā partē probationis, & ostendit hæc esse contraria vel simpliciter, vel saltem ex parte. nempe, omne β est α, & nullum γ est α, non sunt contraria simpliciter, cùm non habeant idem subiectum, sed sunt contraria ex parte, id est, ratione τῶ δ, quod est pars τῶ β & τῶ γ. sed, omne δ est α, (quod concluditur in Barbara) & nullum δ est α, (quod concluditur in Celarent) simpliciter contraria sunt. Septimò cùm ait, *sic igitur*, cōcludit neminem ita decipi.

5 *At secundum*. Postquàm docuit, quo modo non fiant prima & secunda deceptio, nunc docet duos modos, quibus vtraque deceptio contingere potest. Primus modus est, si vtriusque syllogismi accipiatur tantùm maior propositio, puta omne ζ est α, & nullum γ est α. nam contrarietas non appareret, nisi assumas δ, quod subiciatur tam ipsi ζ quàm ipsi γ. Secundus modus est, si alterius syllogismi sumatur vtraque propositio, alterius tantùm maior: nam & hic cōtradictio latet. Hoc est, quòd Aristoteles ait, nihil vetare, quominùs *secundum vtrumque* [*medium*,] id est, vtriusque syllogismi (tot enim sunt syllogismi, quot sunt medij termini) accipiamus *vnam*, id est, solùm maiorem *propositionem: aut secundum alterum* (sub audi, medium) id est, vnius tantùm syllogismi accipiamus *ambas* propositiones. supple, alterius autem syllogismi accipiamus tantùm maiorem propositionem. quod Aristoteles mox perspicuè declarat exemplo alphabetico. sumit enim τὸ α dici de omni ζ, & τὸ β de omni δ: hæ sunt ambæ propositiones τῶ Barbara. rursus sumit τὸ α dici de nullo γ: hæc est maior propositio τῶ Celarent.

6 *Hæc enim*. Exposuit duo deceptionum genera, quæ oriuntur ex maiore propositione falsa: sequitur tertium genus, quod oritur ex ignoratione minoris extremi, proinde ex ignoratione minoris propositionis: veluti si quis per demonstrationem sciat omne triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, ignoret autem esse aliquod particulare triangulum: hic enim scit omne triangulum habere tres, & ignorat hoc triangulum habere tres, quandoquidem ignorat esse triangulum. quod igitur scit, idem ignorat. Quod attinet ad seriem contextus, Aristoteles primò, vt nectat hanc partem cum præcedenti, inquit deceptionem proximè expositam, similem esse ei quam nunc exposituus est, quæ contingit circa particularia, veluti circa hoc triangulum, quod aliquis esse ignorat. Secundò cùm ait, *vt puta si omni*, per terminos alphabeticos declaraturus quatenus aliquis hoc tertio modo habeat scientiam, & ignorantiam, primùm docet quatenus habeat scientiam, supponens talem syllogismū, omne ζ, est α, omne γ est ζ, ergo omne γ est α. Hoc supposito ait: Cùm aliquis scit omne ζ esse α, simul etiam scit γ esse α: quia γ continetur sub β: sic igitur scit γ esse α. Tertiò ibi, *sed nihil prohibet*, ostendit, quomodo ignoret eandem conclusionem, nempe γ esse α. vt autē hoc ostendat, sumit terminos reales: & loco τῶ α, ponit duos rectos, id est, tres angulos æquales duobus rectis: loco autem τῶ β, ponit triangulum: & loco τῶ γ, ponit hoc triangulum. his enim ita positis, potest aliquis ignorare ipsum γ, quia non vidit hoc triangulum: ignorat ergo hoc γ, id est, hoc triangulum habere tres: quamuis non ignoret omne triangulum habere tres. Quartò cùm ait, *quare simul*, concludit eundem scire & ignorare eandem conclusionem, nempe hoc

hoc triangulum habere tres. Quintò cùm ait, *nosse enim*, ostendit hoc posse fieri, vt quis ita sciat & ignoret eandem conclusionem, licèt duo contraria non possint simul inesse in eodem: quoniam hæc scientia & ignorantia non sunt cōtrariæ. non esse autem contrarias, ostendit per distinctionem scientiæ: alia namque est vniuersalis, alia particularis seu specialis: nec est absurdum, vt aliquis vnam ex his scientiis habeat, alteram non habeat. nam qui scit omne triangulum habere tres, ille non habet particularem cognitionem singulorum indiuiduorum triangulorum quòd habeant tres; sed tantùm habet vniuersalem cognitionem: qui verò vniuersale nouit, non propterea etiam particulare actu nouit, sed tantùm potestate. Quare cùm dicebatur, ille scit & ignorat omne triangulum habere tres, concedo vtrumque diuerso respectu: scit enim cognitione vniuersali, quam per demonstrationem acquisiuit: non cognitione particulari, quia illud particulare triangulum non nouit.

7 *Similiter* [*se habet.*] Cùm in præcedenti partic. docuerit eandem conclusionem particularem cognosci vniuersali, & non cognosci particulari seu propria cognitione: hinc obiter soluit dubitationem Platonis in Menone, propter quam dubitationem videtur rerum scientia frustra quæri. nam aut eas ignoramus, aut scimus, si ignoramus: etiamsi nobis occurrant, tamen non agnoscemus. si verò scimus: frustra quæremus scientiam, quam habemus. Respondebat Plato, animam humanam omnia sciuisse, priusquàm in corpus migraret, postea in corpore esse oblitam, ideo quærere scientiam, id est, reminiscentiam, vnde concludebat scientiam humanam nihil aliud esse, quàm reminiscentiam. Aristoteles autem eodem exemplo huius trianguli reprobat hanc sententiam: quia non potuit anima humana, antequàm in corpus migraret, præncuisse hoc particulare triangulum, vel aliam rem particularem, cuius scientiam quærimus: putà hoc triangulum habere tres. nam hoc discimus, cùm nunquàm animo id prænouerit. Cur autem anima id prænosse non potuerit, Aristoteles non declarat: sed potest duplex ratio afferri. Vna est: quia particularia percipiuntur sensu, qui eget organis corporeis. Altera est: quia particularia non sunt æterna. Finge ergo nunc fieri triangulum: non potuit mea anima, antequàm ergo nasceret, scire hoc triangulum habere tres: quia hoc triangulum non erat. Quod attinet ad seriē contextus, primò ait Philosophus, similiter se habere rationem Platonis in Dialogo, qui inscribitur Menon, qua nititur probare scientiam nostram esse reminiscentiā: similiter, inquam, se habere, id est, similiter dissolui, nempe per distinctionem cognitionis in vniuersalem & propriam seu particularem. Quomodo autem per hanc distinctionem soluatur illa obiectio, Aristoteles in præsentia non docet, sed docebit cap. 1. lib. Poster. Secūdò cùm ait, *nunquàm enim*, reprobat solutionem & sententiam Platonis, eo quòd particularia non potuerunt ab anima præsciri: sed quòd hoc (exempli gratia) sit triangulum, statim ac indocitur, id est, statim ac profertur & ostenditur, per sensum cognoscimus, perinde ac si agnosceremus.

8 *Vniuersali igitur.* Redit ad deceptiones, de quibus agere instituerat, (nā 7. part. digressiunculam contra Platonem continet) & ostēdit, cùm aliquis simul scit & decipitur, deceptionem illam non esse verè contrariam scientiæ: quoniam alia ratione scit, alia ratione decipitur: alioquin quomodo contraria essent in eodem subiecto? Aliam rationem esse apparet: quia scit cognitione vniuersali, non scit cognitione particulari.

9 *Nihil autem.* Sequitur quartum deceptionis genus ex eo proficiscens, quòd nō exercetur actu & coniunctim cognitio vtriusque propositionis. vnde conclusio particularis, quę ex illis propositionibus inferri potest, non actu, sed potestate tātùm cognosci tur. scimus enim propositiones, sed eas actu non coniungimus, neque extruimus syllogismum: sensu autem in deceptionē impellimur. Exemplum est in contextu. scimus enim omnem mulam esse sterilē: & videmus hanc esse mulam: sed actu non vtimur his cognitionibus, neque coniungimus propositiones, neq; facimus syllogismum: sed cùm videamus hanc mulam habere ventrem inflatum, putamus eam esse prægnantem: atque ita decipimur.

10 *Quocirca perspicuum.* Ex quarta deceptione confirmat tertiam per argumentum ab eo quod minùs videtur, ad id quod magis: nā si fallimur, cùm scimus vtramq; propositionē, vt in quarta deceptione: multò magis, cùm solam maiorē scimus, & minorem ignoramus, vt in tertia deceptione.

11 *Nihil igitur.* Quod suprà docuit de aliis deceptionibus, id nunc de postrema docet, id est, eam non esse verè contrariam scientiæ: quia non eodem modo accipitur, sed

ſcientiam habemus poteſtate, errorem autem & deceptionem actu: veluti quòd hæc mula ſit ſterilis, & prægnans.

12 *Qui verò*. Dubitandi cauſá proponit obiectionem aduerſus ea, quę ſupra docuit: ac nititur probare, eum, qui coniungit & ſimul conſiderat ambas propoſitiones, habere exiſtimationes contrarias. quod ſi verum eſſet, daretur quintum genus deceptionis, & eſſent duo verè contraria in eodem. Hæc probatio fit ſumptá hac hypotheſi, quòd aliquis putet boni eſſentiam eſſe mali eſſentiā. Ideo in ſeq. particula ſoluitur obiectio per negationem huius hypotheſeos: quia nemo eſt tam fatuus, vt putet eandem eſſe eſſentiam boni & mali, ſeu boni eſſentiam eſſe mali eſſentiam. Primò Ariſtoteles proponit hanc ſententiam, quòd qui putat eſſentiam boni eſſe eſſentiam mali, ille putat eandem rem eſſe bonam & malam, ſiue eādem rem eſſe eſſentiam boni & mali: quæ opiniones contrariæ ſunt. Secundò cùm ait, *ſit enim*, vt extruat ſyllogiſmum ſecundum illam hypotheſim, cuius vtramque propoſitionem veram eſſe putans habebit ſimul opiniones contrarias, in primis conſtituit tres terminos; maius extremum, nempe eſſentiam boni; & mediū terminum, videlicet eſſentiā mali; & minus extremum, nimirum eſſentiam boni. Tertiò cùm ait, *Quoniam igitur*, extruit ſyllogiſmum ex propoſitis terminis, & arguit in prima figura affirmatiuè, hoc modo: Putat eſſentiam mali eſſe eſſentiam boni: atqui putat eſſentiam boni eſſe eſſentiam mali: ergo putat eſſentiam boni eſſe eſſentiam boni. Quartò cùm ait, *Quemadmodum enim*, oſtendit eum ſyllogiſmum rectè eſſe extructum, & valere conſequentiam eius per verbum *putat*. Argumentum autem ſumitur à ſimili: quia eadem eſt ratio conſequentiæ, & nexus ſyllogiſtici, ſiue vtamur verbo *Verum eſt*, ſiue vtamur verbo *putat*. ſicut igitur hic eſt bonus ſyllogiſmus, verum eſt omne animal eſſe ſubſtantiam, verum eſt omnem hominem eſſe animal, ergo verum eſt omnem hominem eſſe ſubſtātiam: ita etiam hic eſt bonus ſyllogiſmus eādem ratione, Putat animal eſſe ſubſtātiam, putat hominem eſſe animal, ergo putat hominem eſſe ſubſtantiā: & ſimiliter in propoſito, putat eſſentiam mali &c. Quintò cùm ait, *Similiterque*, oſtendit, ſicut modò docuit eandem eſſe rationem in ſyllogiſmis extruendis, ſiue vtamur verbo *verum eſt*, ſiue verbo *putat*, ita etiam eſſe eandem rationem, ſi vtamur verbo *eſſe* vnde ſyllogiſmus de eſſentia boni & de eſſentia mali extructus paulò antè per verbum *putat*, ſimiliter extrui poteſt per verbum *eſt*, ſeruatá eādem formā, hoc modo: Idem eſt β & α: atqui idē eſt γ & β: ergo idē eſt γ & α. Si placet vti ipſis terminis realibus, ſic argues: Idem eſt eſſentia mali & eſſentia boni: atqui idem eſt eſſentia boni & eſſentia mali: ergo idem eſt eſſentia boni & eſſentia boni. omnes hi ſyllogiſmi eandem formam habent, & eandem vim.

13 *An hoc* [*eſt*.] Obiectionem ſoluit per negationem hypotheſeos: quia fieri non poteſt, vt aliquis putet eandem eſſe eſſentiam boni & mali: hoc tantùm putare aliquis poteſt, quod & verum eſt, idem eſſe bonum & malum diuerſis reſpectibus: vt putà quod eſt malum per ſe, eſſe bonum per accidēs: ſicuti vulnus eſt malum per ſe, ſed Phęreo Iaſoni, quē ſanauit, bonum fuit per accidens, vt refert Cicero lib. 3. de natura Deorum. ſed hoc modo nō eſt eadē eſſentia boni & mali, cùm dicamus eſſe malum per ſe, & bonū per accidens: nam quod eſt per accidens, ad eſſentiam non pertinet. An Philoſophus in poſtremis verbis, hoc eſſe diligentiùs conſiderandum & explicandum, quatenus ſcilicèt idem poſſit eſſe malum per ſe & bonum per accidens, vel contrà bonum per ſe, & malū per accidens. Intellige explicandum, non in his libris logicis, ſed partim in Ethicis, partim in Metaphyſicis.

DE VARIIS ARGVMENTANDI SEV RATIOCINANDI generibus quæ ad ſyllogiſmos reducuntur.

TRACTATVS III.

IN CAP. XXII. DE CONSECVTIONVM REGVLIS, QVAE ad terminorum conuerſionem, & eligendorum fugiendorúmque comparationem pertinent.

SVpereſt vltimus ſyllogiſmorū tractatus De variis argumentationum generibus, eatenus vim probandi habentium, quatenus ad ſyllogiſmos reducuntur. In his primum locum obtinent regulæ, quas vocant conſequentiarum, quarum nonnullę vſui erunt in ſeq. cap. vbi agetur de inductione.

1 *Iam verò quando*. Hîc proponitur prima regula: Si concluſio in Barbara conuertitur, etiam vtræque propoſitiones conuertētur. Hæc regula, ſiue hæ conuerſiones probantur in Barbara: quoniam ſumptá concluſione conuerſá, & adiunctâ maiore propoſitione, concluditur conuerſa minor: vel adiunctâ

iuncta minore, concluditur cõuersa maior, vt in typo & exemplo contextui subiectis dilucidè apparet.

2 *Iidémque [se res habet.]* Secunda regula est: Si maior propositio τῶ Celarent conuertitur, etiam conclusio conuertitur. Hæc regula siue hæc cõuersio probatur in Camestres, vide typũ & exemplũ contextui adiecta. Obiiciet aliquis, hãc regulã esse inutilẽ: quia cùm conclusio τοῦ Celarent sit vniuersalis negans, certum est eam simpliciter cõuerti, vt didicimus ex cap. 2. libri superioris. quid igitur opus est hac probatione? Pro solutione notandum est, Aristotelem neque in præcedente particula locutum esse expressè de Barbara, neque in hac de Celarẽt. sed nos ita regulas concepimus facilitatis causâ. ergo intelligendum est, regulam huius particulæ continere magnã vtilitatem propter indefinita pronunciata, qualia proponuntur ab Aristotele in contextu. Nam si expressè conclusio habeat notam *nullus*, vel *nihil*, non erit opus hac regula. sed auctores sæpe indefinitè loquuntur: túncque hæc regula est necessaria. Quod attinet ad seriem contextus, Primò Aristoteles ait, eodẽ modo rem se habere in syllogismo negãte, quo suprà dictũ est rẽ se habere in affirmãte. Ne intelligas processus eodem modo, sed simili: quia suprà in affirmante consequentia ducebatur à conuersione conclusionis ad conuersionem propositionum: hîc verò è contrariò consequentia ducitur à cõuersione maioris propositionis ad conuersionẽ conclusionis. Potest tamẽ & altera interpretatio accipi, quæ mihi magis placet, vt dicamus prima verba huius particulæ nõ respicere solùm ad ea quę proximè subiicientur in eâdem particula, (sic enim nòn est idem modus) sed ad totum hunc tractatum de syllogismo negante qui continetur in 2. 3 & 4 particulis. & ita est idem modus consequentiæ: quia in 4. partic. sumetur argumentum à conuersione conclusionis ad conuersionem propositionis. Secundò cùm ait, *vt si τὸ ζ*, extruit primum syllogismũ in Celarent. Tertiò cùm ait, *si igitur*, de eo syllogismo tradit dictam regulam: nẽpe, si maior conuertitur, etiam conclusionẽ conuerti. Quartò cùm ait, *ponamus enim*, syllogismo in Camestres probat eam consequentiã à conuersione maioris ad conuersionem conclusionis.

3 *Et si cum β.* Tertia regula est: Si minor propositio τῶ Celarent conuertitur, etiam maior conuertetur. Hãc regulã probat Aristoteles per deductionem ad impossibile in Darij. Nam si minor cõuertitur, τὸ γ dicitur de omni β. si igitur negas maiorem cõuerti, id est, negas β dici de nullo α, cogeris fateri cõtradictionẽ, id est. β dici de aliquo α. ergo in Darij concludetur γ de aliquo α: quod est impossibile: quia conclusio τοῦ Celarẽt hoc habebat, α dici de nullo γ. nã si γ diceretur de aliquo α, etiã α diceretur de aliquo γ. Hoc est quod Aristoteles ait, *nã de quocunque*, &c. hæc est minor τοῦ Celarẽt, cõuersa, quę fit maior in Darij: reliqua sunt supplenda.

Ce	Nihil risibile est irrationale:	*Da*	Omne risibile est homo:
la	Omnis homo est risibilis:	*ri*	Aliquod irrationale est risibile:
rent	Ergo nullus homo est irrationalis.	*i*	Ergo Aliquod irrationale est homo.

Syllogismi in Darij maior sumitur ex minore τῶ Celarẽt, sed cõuersa: supponimus enim eam minorẽ cõuerti. Minor τοῦ Darij est falsa: & est hypothesis, quam aduersarius cogitur concedere, si non vult cõcedere maiorẽ τοῦ Celarent conuersam. Cõclusio τοῦ Darij est impossibilis: quia ostẽsum est, veram esse conclusionem τοῦ Celarent: nec possunt hę duæ conclusiones simul esse veræ. Sic igitur argumentor: Conclusio τοῦ Darij est falsa, & maior est vera: ergo minor est falsa: eius igitur contradictio est vera: atqui hæc contradictio minoris τῶ Darij, est conuersa maior τοῦ Celarẽt: maior igitur propositio τοῦ Celarent conuertitur: quod erat probãdum.

4 *Et si τὸ γ.* Sequitur quarta regula: Si minor propositio & conclusio τοῦ Celarent conuertuntur, etiam maior propositio conuertetur. Hæc conuersio probatur in Camestres, vt apparet in sequenti exemplo.

Ce	Nullum rationale est brutũ:	*Cam*	Omne rationale est homo:
la	Omnis homo est rationalis:	*es*	Nullum brutũ est homo:
rent	Ergo Nullus homo est brutum.	*tres*	Ergo Nullum brutũ est rationale.

Ait igitur Aristoteles, *& si τὸ γ cum α conuertitur*, id est, si conuertitur etiã conclusio. Dico, etiam, vt indicem ex præcedente particula repetendum esse, etiam minorẽ conuerti, quasi Philosophus dicat: si nõ solùm minor sed etiam cõclusio τοῦ Celarent cõuertatur; tunc *etiam τὸ β conuertetur cum α*, id est, conuertetur etiam maior propositio. Deinde ait *nam cui*, extruẽs syllogismum in Camestres: cuius ponit primò maiorem, deinde minorẽ propositionem. Post hęc ait, *hoc solum*, id est, hæc sola tertia consequentia syllogismorũ negantium. *incipit à conclusione*, id est, ducitur à conuersione conclusionis ad conuersionem propositionis, vt fiebat etiã in syllo-

syllogismum hypotheticum, arguendo ab euersione consequentis ad euersionem antecedentis: hunc in modum: Si quæsitū petitur in propositione affirmante, necesse est terminos esse conuertibiles, vel aliquo modo eosdem in propositione negante: atqui hoc posterius falsum, & impossibile: ergo & prius. Maior patet ex iis, quæ antea docui. Minor per se patet: quia idem non negatur de seipso.

8 *Iam verò quod.* Sequitur quarta diuisio: Aut quæsitum petitur secundum veritatem, vt in demonstrationibus erigendis: aut secūdum opinionem & probabilitatem, vt in syllogismis dialecticis.

IN CAP. XVII. DE REPREHENSIONE SYLLOGISMI, QVA dicitur falsum propterhoe non accidere.

IN hoc capite agit Philosophus de secūda imbecillitate, quę est propria syllogismorum ducentium ad incōmodum, videlicet quando aduersarius quasi ex nostra hypothesi colligit absurdam conclusionem, quæ ex ea hypothesi non efficitur. Dicitur ergo non propter hoc, id est, non propter nostram hypothesim, accidere falsum, id est, colligi siue effici conclusionem falsam & impossibilem. Huius imbecillitatis definitionem, diuisionem, & contraria declarat.

1 *At non propter hoc.* Vt inueniat definitionem rei propositæ, id est, eius quod dicitur non propter hoc, &c. quædam prius præmunit; deindē ex his definitionem colligit. Primò igitur præmunit, vel potiùs obiter proponit, hoc versari in disputationibus. Dico hoc non præmuniri, sed obiter proponi: cùm quia sequētem præmunitionem Aristoteles vocabit primam: tum etiam quia id quod nunc diximus, nihil facit ad explicandam vel confirmandam definitionem, quæ postea affertur. Secundò cùm ait, *primum reperitur*, affert primā præmunitionem, nempe hoc (id est, non propter hoc accidere falsum) habere locum in syllogismis ducentibus ad impossibile. Tertiò cùm ait, *cùm quis contradicit*, addit alteram præmunitionem, hoc habere locum inter contradicentes, id est, cùm respondēs contradicit, & negat id quod vult opponens probare per deductionem ad impossibile. Quartò cùm ait, *neque enim*, à contrario confirmat secundam pręmunitionem: quoniam is qui non contradicit, non ita respondet argumētanti, vt dicat nō probari propterhoc, sed simpliciter negat propositionem, quam non putat esse veram. Quintò cùm ait, [*neque in probatione*,] confirmat priorem præmunitionem similiter à contrario: quia hoc non habet locum in probatione categorica: obtinet igitur tantùm in ea, quæ ducit ad impossibile. Quòd autem non habeat locum in categorica, sic probat; quia non ponit contradictionem, id est, quia is, qui categoricè ratiocinatur, non sumit contradictionem eius quod probare intendit, vt ex hac cōtradictione colligat aliquod absurdū, quod nos debeamus negare inde colligi. Sextò cùm ait, *Præterea cùm euersum*, eandem priorem præmunitionem noua ratione probat, extruens syllogismum in secunda figura in Camestres: Non propter hoc, tūc dicitur, cùm hac hypothesi demptā, nihilominùs efficitur falsa illa conclusio: atqui in syllogismo categorico hypothesi aliquâ demptā non efficitur conclusio: ergo in syllogismo categorico nō dicitur. Nō propter hoc. Huius syllogismi ponit initiò minorē propositionē. Deinde ibi, *nam illud, non propter*, adiungit maiorē propositionem. Deinde ibi, *quod quidem non est*, repetit minorem, vt eam confirmet. Deinde ibi, *quia positione sublatā*, confirmat eam minorem ex natura syllogismorum, qui constant ex propositionibus, quas hic vocat theses: sublata ergo thesi, siue hypothesi, siue propositione, (quocumque nomine appellare libeat) tollitur syllogismus ad eam propositionem pertinens. Septimò cùm ait, *Perspicuum igitur*, colligit definitionem eius, quod dicitur Non propter hoc. Ex qua definitione apparet, duas conditiones requiri, vt dicatur nō propter hoc. Vna est, vt sit syllogismus ducens ad impossibile, altera est, vt siue hypothesis ponatur, siue dematur, nihilominùs sequatur conclusio.

2 *Est igitur maximè.* Definitioni subiicit diuisionem in duos modos. Primus est, cùm hypothesis prorsus nō cohæret syllogismo ducenti ad impossibile. Exemplū hoc proponit: si quis volens probare conclusionem illam mathematicam, latus & dimentientem quadrati vel quadranguli non habere communem mensuram, nitatur ex eo probare; quia si dicatur habere communem mensuram, inde efficietur sententia Zenonis, quæ falsa est, ac veritati physicę repugnat, nempe nihil moueri. Primò igitur Aristoteles proponit hunc modum tam quàm maximè perspicuum: quia facilè quiuis intelligit, ex tali hypothesi non effici fal

sam

ſam illam concluſionem. Secundò cùm ait, *quemadmodum & in Topicis*, inquit ſe hunc modum tractaſſe in Topicis, ibique eum vocaſſe, non cauſam pro cauſa ponere. Hæc inter fallacias ſophiſticas numeratur, & ab Ariſtotele exponitur cap. 5. Elench. partic. 9. Vnde notandum eſt, appellatione Topicorum contineri etiam librum Elenchorum. quamobrem Epilogus in calce Elenchorum: ſubiectus, non tantùm ad Elenchos, ſed etiã ad Topica pertinet. & omnino Ariſtoteles coniungit Elenchos cum Topicis, vt Poſteriora Analytica cum Prioribus Analyticis. Tertiò cùm ait, *vt ſi volens*, declarat hunc modum exemplo, quod ante expoſui: in quo hypotheſis eſt mathematica, concluſio verò phyſica: & illa abſtrahit à motu, hæc verò eſt de motu: ideóque non cohærent.

3 *Alius modus*. Sequitur ſecundus modus, cùm hypotheſis cohæret ſyllogiſmo ducenti ad impoſſibile, ſed nihilo magis ex ea efficitur impoſſibile. Hic modus ſubdiuiditur in duos: quoniam ea cohærẽtia, quæ eſt inter hypotheſim & ſyllogiſmum ducentem ad impoſſibile, vel ſumitur ſurſum verſus, vel deorſum verſus, id eſt, vel hypotheſis eſt ſupra maiorem propoſitionem, vel eſt ſub minore propoſitione, vt in exemplis poſtea proponendis facilè apparebit.

4 *Vt ſi viua*. Affert exemplum cohærentiæ deorſum verſus acceptæ, id eſt, cùm hypotheſis ſummo loco ponitur, & ab ea ad ſyllogiſmum deſcenditur: vt in ſequenti exemplo.

Hypotheſis. Omne animal eſt animatum:
Bar Omne album eſt animal:
ba Omnis nix eſt alba: Ergo
ra Omnis nix eſt animal.

Hæc concluſio impoſſibilis non ſequitur ex hypotheſi, ſed ex reliquis duabus propoſitionibus: quarum prior eſt falſa, & propter eius falſitatem falſa eſt etiam concluſio. Cæterùm hypotheſis ita cohæret ſyllogiſmo, vt nihilominùs ſit extra ſyllogiſmum, non pars ſyllogiſmi.

5 *Aut rurſus*. Subiicit alterum exemplum cohærentiæ ſurſum verſus, id eſt, cùm hypotheſis eſt ſub vtraque propoſitione, vt videre eſt in ſequenti exemplo.

Bar Omnis planta ſenſu caret:
ba Omne animatum eſt planta:
Hypotheſis. Omne animal eſt animatum:
ra Ergo omne animatum ſenſu caret.

Sed huiuſmodi ſolent inuerſo ordine proponi hunc in modum:

Hypotheſis. Omne animal eſt animatum:
ba Omne animatum eſt planta:
Bar Omnis planta ſenſu caret: Ergo
ra Omne animatum ſenſu caret.

6 *Sed oportet*. Poſtquàm expoſuit modos, quibus non propter hypotheſim falſa concluſio infertur: nunc, quia contraria iuxta ſe poſita magis eluceſcunt, vult exponere modos, quibus ex hypotheſi efficitur falſa illa concluſio: ac primùm in hac particula generaliter docet, hoc euenire, quando concluſio illa falſa & impoſſibilis connectitur cum hypotheſi. Intellige connecti falſam concluſionem cum hypotheſi, quando attributũ hypotheſeos attribuitur in cõcluſione, vel ſubiectum hypotheſeos ſubiicitur in concluſione, vt ex ſequentibus particulis apparebit.

7 *Vt deorſum verſus*. Proponit exemplum, in quo ſumitur cohærentia terminorum deorſum verſus, & attributum hypotheſeos attribuitur etiam in concluſione, ideóque propter hypotheſim accidit falſa concluſio.

8 *Surſum autem*. Subiicit alterum exemplum, in quo ſumitur cohærentia terminorum ſurſum verſus, & ſubiectum hypotheſeos ſubiicitur etiam in concluſione.

9 *Similis eſt ratio*. Quoniam huc uſque attulit exempla tantùm ſyllogiſmorum affirmantium: idcirco quæ de his dicta ſunt, nunc producit ad ſyllogiſmos negantes.

10 *Perſpicuum igitur*. Ex dictis concludit, tum demum propter hypotheſim accidere falſum, quando concluſio connectitur cum hypotheſi eo modo, quem expoſui.

11 *An ne ſic*. Quod iam docuit, in dubium reuocat, quaſi ne tunc quidem propter hypotheſim falſum accidat, cùm expoſito modo concluſio connectitur cum hypotheſi. Obiectio in formam ſyllogiſticam ita reſolui poteſt. Quando demptá hypotheſi falſum nihilominùs accidit, tunc falſum propter hypotheſim non accidit: atqui in ea ſuppoſitio demptá hypotheſi nihilominùs falſum accidit: ergo in caſu propoſito non propter hypotheſim falſum accidit. Maior patet ex definitione ſuprà tradita Minor patet: quia eadem falſa concluſio poteſt ex diuerſis hypotheſibus inferri: vná igitur ex his demptá, nihilominùs falſum accidet.

12 *Aut ſi hoc*. Soluit obiectionem, per reſponſionem ad maiorem propoſitio-

damus, nihil poterit contra nos concludi. Item nisi concedamus medium, sic ad alios terminos, (id est, maiorem & minorem) relatum, vt figura aliqua requirit, non poterit in ea figura contra nos concludi. Vnde respondens, qui non vult redargui, cauere debet, ne ea concedat. Opponens autem, qui vult aduersarium redarguere, debet obscurè proponere, ne respondens ea animaduertat, quò faciliùs ea concedat. De modis occultandi plura vide Top. lib. 8. & Elench. cap. 15.

1 *Vt autem contra.* Instruit respondentem: & initiò eum docet, qua ratione possit impedire aduersarium, ne vllam conclusionem colligat contra ipsum respondentē. Primò igitur dat præceptum, cùm opponēs rationem interrogat sine conclusionibus, ne respondens concedat bis idem, id est, eundem terminum in propositionibus, hoc est, ne concedat duas propositiones habentes eundem terminum. Dicitur opponens interrogare rationem sine conclusionibus, quando interrogat propositiones prosyllogismorum, omissis propositionibus principalibus. hoc enim facere solebant opponentes, quò magis laterent, & fallerent respondentes. Nam si roges aduersarium, an veræ sint hæ propositiones, ex quibus efficitur conclusio principalis, ille statim videt, quorsum tua oratio tendat, & quid, & quomodo probes: vnde ne à te superetur, facilè negabit eas propositiones, quas videt eas sibi obstare. Quòd si à conclusione principali longiùs recedas, & omissis propositionibus principalibus proponas prosyllogisticas, faciliùs has tibi concedet, non animaduertēs ex his futurum vt randem redarguatur. nam ex his concessis poteris colligere propositiones principales. Monet igitur Aristoteles respōdentem, vt, nisi intelligat quorsum euasuræ sint interrogationes aduersarij, caueat, quantū potest, ne concedat duas propositiones habentes eundem terminum. Secūdò cùm ait, *quoniā scimus*, affert rationē, & vtilitatem huius præcepti: quia nisi propositiones habeant vnum communem terminum, qui sumatur pro medio termino, syllogismus extrui nequit.

2 *Quomodo autem.* Nunc instruit respondentem, quomodo possit sibi cauere à certa aliqua conclusione. Nam si certā thesim defendit, non debet ei esse curæ, si aduersarius colligat conclusiones nihil ad suā thesim pertinentes. Itaq; Aristoteles præcipit, vt respondēs dispiciat, an medius termi nus ita sit collocatus, vt possit efficere conclusionē, quam aduersarius probare debet: quod patet ex natura trium figurarum. Exēpli gratiā, si defendit thesim neg ntē potest concedere propositiones habentes eundem terminum attributum: quoniam eo modo fit secunda figura, in qua non colligitur cōclusio affirmans: sed sibi cauere debet à prima, & tertia figura. Quod si tuetur thesim particularem negantē, quæ euerti debet per conclusionem vniuersalem affirmantem, cauere sibi debet à Barbara Secundò cùm ait, *hæc autem*, ostendit non latère respondentē, quam conclusionem aduersarius probare velit: quandoquidem scit, quam thesim ipse tueatur: nam aduersarius contradictionem debet probare.

3 *Quòd verò.* Postquàm præcepta dedit respondenti: nunc præcepta dat opponenti, & eum monet, vt lateat aduersarium, quoad eius fieri potest, quò minùs respondens cauere sibi possit.

4 *Quod fiet.* De occultatione tradit præcepta. Primum præceptum est, vt opponēs reticeat propositiones principales, & interroget prosyllogisticas. Hoc præceptum ad 1. partic. exponere anteuerti.

5 *Præterea si quis.* Sequitur secundum præceptum, vt opponens, syllogismo composito vtens, turbet ordinē propositionū. nam si interroget, an α dicatur de β, deinde an β de γ, tum an γ de δ, postea an δ de ε: apparet nexus propositionum, & vis syllogistica, quæ non apparebit, si propositiones misceantur, & primum interroget an τὸ α dicatur de β, postea an τὸ δ dicatur de ε, (hæ namque propositiones separatæ sunt, nec habent vllum terminum communem) & ita deinceps misceat propositiones, ac perturbatè proponat. Vt enim ordo lumen affert, ita confusio obscuritatē: quam qui affectat, ordinē neglig re debet. Oportet autem interdū obscuritatē affectare, vt cùm disputamus, cum hominibus proteruis, qui propositionem quantumuis veram aut probabilem nunquam concedent, si intelligant eam sibi aduersari.

6 *Et si per vnum.* Tertium præceptum est, vt opponens, quando vtitur syllogismo simplici, incipiat à medio termino: sic enim ordo turbatur, nec tam facilè apparet nexus syllogisticus. Vt hoc perspicuè intelligatur, notandum est, cùm in omni syllogismo sint tres termini, initiū sumi vel à primo, id est, à maiori extremo; vel à secundo, id est à medio termino: vel à tertio, id est, à minori extremo. A primo, vel à tertio vnus est progressus, à medio duo. Sint enim tres termini, . si vis incipere ab α, vnus est syl-

logismi progressus ab α ad γ per β: sic habes duas propositiones, τὸ α dicitur de β, & τὸ β dicitur de γ. nam si progredi velis ab α ad β per γ: statim habebis conclusionem, non propositionem, dum attribues τὸ α τῷ γ. Similiter si initium facias à γ, vnus est progressus, γ est β, & β est α. nam si dicas, γ est α, non propositionem dicis, sed cõclusionem. Sed à medio termino β duobus modis progredi potes, id est, vel ascendendo: vel descẽdendo. vel enim dices τὸ β est α, & τὸ γ est β: vel, τὸ β dicitur de γ, & τὸ α de β. Vtrouis autem modo à medio progrediamur, ordo turbatur, & propositionũ nexus, in quo duobus primis progressibus perspicuus erat, obscuratur. Ex his apparet, si volumus efficere syllogismum perspicuum, quando vtimur verbo attribuendi, vel dicendi, incipiendum esse à maiori extremo, & præponendam esse maiorem propositionem minori, hoc modo: Dicitur α de β, & β de γ, ergo α de γ. vel, primum attribuitur secundo, & secundum tertio, ergo primum attribuitur tertio. Quod si vtamur verbo ESSE, tunc è contrario incipiendum à minori extremo, & præponenda minor propositio maiori: veluti, Omne γ est β, & omne β est α, ergo omne γ est α: putà, omnis homo est animal, & omne animal est corpus, ergo omnis homo est corpus. Si verò volumus syllogismum obscurare: cùm vtimur verbo attribuendi, incipere debemus à minore: veluti, animal attribuitur homini, & corpus attribuitur animali. sin vtimur verbo ESSE, incipiendum à maiore: veluti omne animal est corpus, omnis homo est animal, ergo omnis homo est corpus. Quocirca auctores, qui plerumque vtuntur verbo ESSE, minorem propositionem maiori præponere solent.

IN CAP. XX. DE IMPEDIENDO ELENCHO.

QVo modo impeditur catasyllogismus, eodem modo impeditur elenchus. Catasyllogismus est, quotiescumque contra nos concluditur: de quo in cap. præced. Elenchus autem ita demum est, vt pulchrè Thomas notat in Fallaciarum opusculo, cap. 5. cùm in eadem disputatione aliquis vi argumentationis cogitur negare quod concessit, aut fateri quod negauit.

3 *Quia verò habemus.* Generaliter ait, ex dictis de syllogismo constare, quando sit, vel non sit elenchus: nempe quia elenchus est syllogismus quidam, vt dicetur in partic. seq.

2 *Omnibus enim.* Specialiter declarat, quando fieri possit vt elencho redarguamur, videlicèt cùm interrogati concessimus omnia, vel aliqua, ex quibus possit colligi conclusio nostræ thesi seu propositioni contraria. Contrariam latè accipe, id est, siue sit contraria propriè dicta, siue contradictoria. Duæ igitur conditiones requirũtur, vt possit fieri elenchus. Vna est, vt sint cõcessæ propositiones, ex quibus possit extrui syllogismus, si ambæ affirmantes, vel altera affirmãs, altera negãs. Altera est, vt eius syllogismi cõclusio thesi repugnet. Prima conditio probatur ex definitione syllogismi: posterior elenchi propria est. Quod attinet ad seriem contextus, primò Aristoteles ponit primam conditionẽ. Secundò cùm ait, *erat enim*, probat eã cõditionem ex natura syllogismi. cùm enim syllogismus fiat ex huiusmodi propositionibus: certè etiam elenchus, qui est species syllogismi, ex hisdem fiet. cõsequens habuimus in superiori membro: antecedens verò continetur in hoc membro. Tertiò cùm ait, *quare si quod*, limitat quod dixit, addens alteram conditionem. nam alioqui non esset bonum argumentum: quia non valet consequentia à genere ad speciem affirmatiuè; veluti, est animal, ergo est homo: sed si addas generi differentiam, iam consequentia valebit, veluti, est animal rationale, ergo est homo. Sic ergo in præsentia si dicamus, Ex talibus propositionibus fit syllogismus, ergo ex iis fit elenchus, consequentia non valet: nisi addatur altera conditio, id est, propria differentia seiungens elenchum ab alijs syllogismis. Quartò cùm ait, *quoniam elenchus*, probat consequentiam antea factam ab elencho ad syllogismum, ex eo quòd elẽchus est syllogismus contradictionis, id est, colligens conclusionem thesi contradicentem. In præcedenti membro vocauit conclusionem contrariam: hic verò vocat contradicentem: ergo cõtrariam & contradicentem promiscuè accipit. Eodem modo elenchum definiet capite 1. Elench. partic. 4.

3 *Quòd si nihil.* Specialiter declarat duos modos, quibus elenchus impeditur. Primus modus est, si nulla affirmatio concedatur: quia ex solis negationibus nihil concluditur. Primò Aristoteles hunc modum proponit, & ait non posse fieri elenchum, si nihil concedatur, id est, si nihil affirmetur, seu si nulla affirmatio admittatur. Secundò cùm ait, *non enim erat*, probat quod dixit, arguendo, vt suprà, à syllogismo ad elen-

elēchū: fine affirmatione nō fit syllogismus, ergo nō fit elenchus. Hæc consequentia est optima, cùm sumatur à genere ad speciē negatiuè; perinde ac si quis diceret, nō est animal, ergo non est homo. Tertiò cùm ait, *non enim si [sit]*, quò melius intelligātur, quę iam dixit, docet, quatenus valeat cōsequentia ab elēcho ad syllogismum, vel à syllogismo ad elenchum. Ponit igitur duas regulas. Prior est, valere argumentū ab elencho ad syllogismum affirmatiuè. supple, non valere autē negatiuè: quia potest nō esse elēchus, & esse alius syllogismus. Posterior regula est ibi, *si verò*, non valere argumentum affirmatiuè à syllogismo ad elenchū. supple, valere negatiue, vt antea fuit expositum.

4 *Idem [dicendum.]* Sequitur secundus modus impediendi elenchum, si nihil vniuersale concedatur: quia ex solis particularibus nihil concluditur. Primò Aristoteles hunc modum proponit. Deinde cùm ait, *quoniam elenchi*, eum probat (vt suprà) arguendo à syllogismo ad elenchum.

IN CAP. XXI. DE DECEPTIONE.

SVperest quintū & vltimū syllogismorū vitiū, seu quinta imbecillitas, nempe Deceptio. Deceptionis autem quinque species seu modos Aristoteles declarat.

2 *Interdum accidit.* Expositurus varia deceptionū genera. Primò generaliter ait, nos non solùm decipi in terminorū positione. i. cùm nō distinguimus inter propositionē vniuersalē & indefinitā, vt expositū fuit superioris libri cap. 33. sed etiā in existimatione, quia falsum aliquid opinamur, vt hoc capite explicabitur. Secundò cùm ait, *vt si contingat*, transit ad speciale expositionem deceptionū, & proponit primā speciē, cōferēs inter se duos syllogismos, alterum in Barbara docentē, alterū in Celarēt decipientē. Syllogismus docens extruitur in Barbara: veluti, Omne bipes est animal, omnis homo est bipes, ergo omnis homo est animal. Syllogismus decipiens extruitur in Celarēt: veluti, nihil rationale est animal, omnis homo est rationalis, ergo nullus homo est animal. Ait igitur sumēdos esse terminos, qui ita se habeāt, vt idē. i. α maius extremum, pluribus. i. duobus medijs β & γ, primùm. i. immediatè insit: ac ponit, alterum horum mediorum à nobis ignorari, alterum sciri, id est, nos ignorare α dici de γ, scire autem α dici de δ. Tertiò cùm ait, *insit autem*, proponit terminos alphabeticos, α β γ δ, ex quibus syllogismos illos vult extruere. Quartò cùm ait, *si [quis] igitur*, extruit syllogismū docentē in Barbara. Quintò cùm ait *τὸ α autē*, extruit syllogismū decipientē in Celarent. Sextò cùm ait, *eiusdē secundū idē*, concludit, eū, qui vtitur illis duobus syllogismis, habere scientiā per vnū, & ignorātiā per alterū. hoc. n. est, quod ait, *eiusdē* (subaudi, subiecti. i. minoris extremi, putà hominis) *secundum idem* (. i. respectu eiusdē attributi, puta animalis, quod est maius extremū) *habebit scientiam* (. i. sciet hominē esse animal per medium bipes, & syllogismū extructū in Barbara) *& ignorantiā*. i. putabit hominē non esse animal per mediū rationale & syllogismum extructū in Celarēt.

2 *Rursus si quis.* Sequitur secunda species deceptionis primæ similis. nā hæc quoq; nascitur ex maiore propositione falsa. hoc tamē discrimē est: quòd in primo deceptionis genere medius terminus veri syllogismi, & medius syllogismi decipiētis nō erāt subalterna: hic verò sūt subalterna: vtputà si quis verè pbet hominē esse substātiā per mediū *viuēs*, & nō esse substātiā per mediū *animal*: nā hæc media sunt subalterna, cùm animal sit species viuentis. Hic quoque syllogismus verus extruitur in Barbara, omne viuens est substātia, omnis homo est viuēs, ergo omnis homo est substantia. syllogismus autē decipiens ex maiore falsa extruitur in Celarent, nullū animal est substātia, omnis homo est animal, ergo nullus homo est substantia.

3 *An igitur.* Postquàm exposuit duo deceptionū genera, nūc quærit, an fieri possit, vt aliquis hoc vel illo modo decipiatur, & primùm in hac partic. docet, quomodo nō fiat secūda deceptio, nempe nō potest ita fieri, vt quis simul accipiat maiorem propositionē vtriusq; syllogismi. i. verā in Barbara, & falsā in Celarent: veluti, vt quis simul accipiat, omne viuēs esse substantiam, & nullū animal esse substantiā: nemo enim est tā ineptus, vt ita sibi cōtradicat. nā qui dicit nullū animal esse substantiam, ille dicit aliquod viuēs nō esse substantiam: quomodo igitur aliquis hoc dicat, simúlque omne viuēs esse substantiam.

4 *In eo verò.* Nunc declarat, quomodo nō fiat prima deceptio & ostēdit, hic quoq; non posse simul accipi ambas propositiones vtriusque syllogismi, hoc est, tam veri quàm decipientis: quoniā hic quoque esset cōtradictio. Primo igitur proponit hāc sententiam, quòd non possunt ita ambæ propositiones simul accipi. Secūdò cùm ait, *veluti si τὸ α*, exemplo alphabetico declarat illas quatuor

bet triangulum habere tres. Quintò cùm ait, *nisse enim*, ostendit hoc posse fieri, vt quis ita sciat & ignoret eandem conclusionem, licèt duo contraria non possint simul inesse in eodem: quoniam hæc scientia & ignorantia non sunt cōtrariæ. non esse autem contrarias, ostendit per distinctionem scientiæ: alia namque est vniuersalis, alia particularis seu specialis: nec est absurdum, vt aliquis vnam ex his scientiis habeat, alteram non habeat. nam qui scit omne triangulum habere tres, ille non habet particularem cognitionem singulorum indiuiduorum triangulorum quòd habeant tres; sed tantùm habet vniuersalem cognitionem: qui verò vniuersale nouit, non propterea etiam particulare actu nouit, sed tantùm potestate. Quare cùm dicebatur, ille scit & ignorat omne triangulum habere tres, concedo vtrumque diuerso respectu: scit enim cognitione vniuersali, quam per demonstrationem acquisiuit: non cognitione particulari, quia illud particulare triangulum non nouit.

7 *Similiter* [*se habet.*] Cùm in præcedenti parte. docuerit eandem conclusionem particularem cognosci vniuersali, & non cognosci particulari seu propria cognitione: hinc obiter soluit dubitationem Platonis in Menone, propter quam dubitationem videtur rerum scientia frustra quæri. nam aut eas ignoramus, aut scimus, si ignoramus: etiamsi nobis occurrant, tamen non agnoscemus. si verò scimus: frustra quærimus scientiam, quam habemus. Respondebat Plato, animam humanam omnia sciuisse, priusquàm in corpus migraret, postea in corpore esse oblitam, ideo quærere scientiam, id est, reminiscentiam, vnde concludebat scientiam humanam nihil aliud esse, quàm reminiscentiam. Aristoteles autem eodem exemplo huius trianguli reprobat hanc sententiam: quia non potuit anima humana, antequàm in corpus migraret, prænouisse hoc particulare triangulum, vel aliam rem particularem, cuius scientiam quærimus: putà hoc triangulum habere tres. nam hoc discimus, cùm nunquā in anima id prænouerit. Cur autem anima id prænosse non potuerit, Aristoteles non declarat: sed potest duplex ratio afferri. Vna est: quia particularia percipiuntur sensu, qui eget organis corporeis. Altera est: quia particularia non sunt æterna. Finge ergo nunc fieri triangulum: non potuit mea anima, antequàm ergo nascerer, scire hoc triangulum habere tres: quia hoc triangulum non erat. Quod attinet ad seriē contextus, primò ait Philosophus, similiter se habere rationem Platonis in Dialogo, qui inscribitur Menon, qua nititur probare scientiam nostram esse reminiscentiā: similiter, inquam, se habere, id est, similiter dissolui, nempe per distinctionem cognitionis in vniuersalem & propriam seu particularem. Quomodo autem per hanc distinctionem soluatur illa obiectio, Aristoteles in præsentia non docet, sed docebit cap. I. lib. Poster. Secūdò cùm ait, *nunquàm enim*, reprobat solutionem & sententiam Platonis, eo quòd particularia non poterunt ab anima præsciri: sed quòd hoc (exempli gratia) sit triangulum, statim ac inducitur, id est, statim ac profertur & ostenditur, per sensum cognoscimus, perinde ac si agnosceremus.

8 *Vniuersali igitur* Redit ad deceptiones, de quibus agere instituerat, (nā 7. part. digressiunculam contra Platonem continet) & ostēdit, cùm aliquis simul scit & decipitur, deceptionem illam non esse verè contrariam scientiæ: quoniam alia ratione scit, alia ratione decipitur: alioquin quomodo contraria essent in eodem subiecto? Aliam rationem esse apparet: quia scit cognitione vniuersali, non scit cognitione particulari.

9 *Nihil autem*. Sequitur quartum deceptionis genus ex eo proficiscens, quòd nō exercetur actu & coniunctim cognitio vtriusque propositionis. vnde conclusio particularis, quę ex illis propositionibus inferri potest, non actu, sed potestate tātùm cognoscitur. scimus enim propositiones, sed eas actu non coniungimus, neque extruimus syllogismum: sensu autem in deceptionē impellimur. Exemplum est in contextu. scimus enim omnem mulam esse sterilē: & videmus hanc esse mulam: sed actu non vtimur his cognitionibus, neque coniungimus propositiones, neq; facimus syllogismum: sed cùm videamus hanc mulam habere ventrem inflatum, putamus eam esse prægnantem: atque ita decipimur.

10 *Quæ circa perspicuum*. Ex quarta deceptione confirmat tertiam per argumentum ab eo quod minùs videtur, ad id quod magis: nā si fallimur, cùm scimus vtramq; propositionē, vt in quarta deceptione: multò magis, cùm solam maiorē scimus, & minorem ignoramus, vt in tertia deceptione.

11 *Nihil igitur*. Quod suprà docuit de aliis deceptionibus, id nunc de postrema docet, id est, eam non esse verè contrariam scientiæ: quia non eodem modo accipitur, sed

scientiam habemus potestate, errorem autem & deceptionem actu: veluti quòd hæc mula sit sterilis, & prægnans.

12 *Qui verò*. Dubitandi causā proponit obiectionem aduersus ea, quę suprà docuit: ac nititur probare, eum, qui coniungit & simul considerat ambas propositiones, habere existimationes contrarias. quod si verum esset, daretur quintum genus deceptionis, & essent duo verè contraria in eodem. Hæc probatio fit sumptā hac hypothesi, quòd aliquis putet boni essentiam esse mali essentiā. Ideo in seq. particula soluetur obiectio per negationem huius hypotheseos: quia nemo est tam fatuus, vt putet eandem esse essentiam boni & mali, seu boni essentiam esse mali essentiam. Primò Aristoteles proponit hanc sententiam, quòd qui putat essentiam boni esse essentiam mali, ille putat eandem rem esse bonam & malam, siue eādem rem esse essentiam boni & mali: quæ opiniones contrariæ sunt. Secundò cùm ait, *sit enim*, vt extruat syllogismum secundum illam hypothesim, cuius vtramque propositionem veram esse putans habebit simul opiniones contrarias, in primis constituit tres terminos; maius extremum, nempe essentiam boni; & mediū terminum, videlicet essentiā mali; & minus extremum, nimirum essentiam boni. Tertiò cùm ait, *Quoniam igitur*, extruit syllogismum ex propositis terminis, & arguit in prima figura affirmatiuè, hoc modo: Putat essentiam mali esse essentiam boni: atqui putat essentiam boni esse essentiam mali: ergo putat essentiam boni esse essentiam boni. Quartò cùm ait, *Quemadmodum enim*, ostendit eum syllogismum rectè esse extructum, & valere consequentiam eius per verbum *putat*. Argumentum autem sumitur à simili: quia eadem est ratio consequentiæ, & nexus syllogistici, siue vtamur verbo *Verum est*, siue vtamur verbo *putat*. Sicut igitur hic est bonus syllogismus, verum est omne animal esse substantiam, verum est omnem hominem esse animal, ergo verum est omnem hominem esse substātiam: ita etiam hic est bonus syllogismus eādem ratione, Putat animal esse substātiam, putat hominem esse animal, ergo putat hominem esse substantiā: & similiter in proposito, putat essentiam mali &c. Quintò cùm ait, *Similiterque*, ostendit, sicut modò docuit eandem esse rationem in syllogismis extruendis, siue vtamur verbo *verum est*, siue verbo *putat*, ita etiam esse eandem rationem, si vtamur verbo *esse* vnde syllogismus de essentia boni & de essentia mali extructus paulò antè per verbum *putat*, similiter extrui potest per verbum *est*, seruatā eādem formā, hoc modo: Idem est β & α: atqui idē est γ & β: ergo idē est γ & α. Si placet vti ipsis terminis realibus, sic argues: Idem est essentia mali & essentia boni: atqui idem est essentia boni & essentia mali: ergo idem est essentia boni & essentia boni. omnes hi syllogismi eandem formam habent, & eandem vim.

13 *An hoc* [*est*.] Obiectionem soluit per negationem hypotheseos: quia fieri non potest, vt aliquis putet eandem esse essentiam boni & mali: hoc tantùm putare aliquis potest, quod & verum est, idem esse bonum & malum diuersis respectibus: vtputà quod est malum per se, esse bonum per accidēs: sicuti vulnus est malum per se, sed Phæreo Iasoni, quē sanauit, bonum fuit per accidens, vt refert Cicero lib. 3. de natura Deorum. sed hoc modo nōest eadē essentia boni & mali, cùm dicamus esse malum per se, & bonū per accidens: nam quod est per accidens, ad essentiam non pertinet. Ait Philosophus in postremis verbis, hoc esse diligentiùs considerandum & explicandum, quatenus scilicet idem possit esse malum per se & bonum per accidens; vel contrà bonum per se, & malū per accidens. Intellige explicandum, non in his libris logicis, sed partim in Ethicis, partim in Metaphysicis.

DE VARIIS ARGVMENTANDI SIVE RATIOCINANDI GENERIBUS QUÆ AD SYLLOGISMOS REDUCUNTUR.

TRACTATVS III.

IN CAP. XXII. DE CONSECVTIONVM REGVLIS, QVAE ad terminorum conuersionem, & eligendorum fugiendorúmque comparationem pertinent.

Svperest vltimus syllogismorū tractatus De variis argumentationum generibus, eatenus vim probandi habentium, quatenus ad syllogismos reducuntur. In his primum locum obtinent regulæ, quas vocant consequentiarum, quarum nonnullę vsui erunt in seq. cap. vbi agetur de inductione.

1 *Iam verò quando*. Hic proponitur prima regula: Si conclusio ī Barbara conuertitur, etiam vtræque propositiones conuertētur. Hæc regula, siue hæ conuersiones probantur in Barbara: quonia sumptā conclusione couersā, & adiunctā ma ore propositione, concluditur conuersa minor: vel adiunctā

iunctâ minore, concluditur cōuersa maior, vt in typo & exemplo contextui subiectis dilucidè apparet.

2 *Itidémque*[*se res habet.*]Secunda regula est:Si maior propositio τῦ Celarent conuertitur, etiam conclusio conuertitur. Hæc regula siue hæc cōuersio probatur in Camestres, vide typū & exemplū cōtextui adiecta. Obiiciet aliquis, hāc regulā esse inutilē: quia cùm conclusio τῦ Celarent sit vniuersalis negans, certum est eam simpliciter cōuerti, vt didicimus ex cap. 2. libri superioris. quid igitur opus est hac probatione? Pro solutione notandum est, Aristotelem neque in præcedente particula locutum esse expressè de Barbara, neque in hac de Celarēt. sed nos ita regulas concepimus facilitatis causâ. ergo intelligendum est, regulam huius particulę continere magnā vtilitatem propter indefinita pronunciata, qualia proponūtur ab Aristotele in contextu. Nam si expressè conclusio habeat notam *nullus*, vel *nihil*, non erit opus hac regula. sed auctores sępe indefinitè loquuntur: túncque hæc regula est necessaria. Quod attinet ad seriem contextus, Primò Aristoteles ait, eodē modo rem se habere in syllogismo negāte, quo suprà dictū est rē se habere in affirmāte. Ne intelligas prorsus eodem modo, sed simili: quia suprà in affirmante consequentia ducebatur à conuersione conclusionis ad conuersionem propositionum: hīc verò è contrariò consequentia ducitur à cōuersione maioris propositionis ad conuersionē conclusionis. Potest tamē & altera interpretatio accipi, quæ mihi magis placet, vt dicamus prima verba huius particulæ nō respicere solùm ad ea quę proximè subiiciuntur in eâdem particula, (sic enim nòn est idem modus) sed ad totum hunc tractatum de syllogismo negante qui continetur in 2.3 & 4 particulis. & ita est idem modus consequentiæ: quia in 4. partic. sumetur argumentum à conuersione conclusionis ad conuersionem propositionis. Secundò cùm ait, *vt si τὸ ϛ*, extruit primum syllogismū in Celarent. Tertiò cùm ait, *si igitur*, de eo syllogismo tradit dictam regulam: nēpe, si maior conuertitur, etiam conclusionē conuerti. Quartò cùm ait, *ponamus enim*, syllogismo in Camestres probat eam consequentiā à conuersione maioris ad conuersionem conclusionis.

3 *Et si cum β.* Tertia regula est: Si minor propositio τῦ Celarent conuertitur, etiam maior conuertetur. Hanc regulā probat Aristoteles per deductionem ad impossibile in Darij. Nam si minor cōuertitur, τὸ γ dicitur de omni β. si igitur negas maiorem cōuerti, id est, negas β dici de nullo α, cogeris fateri cōtradictionē, id est β dici de aliquo α. ergo in Darij concluderetur γ de aliquo α: quod est impossibile: quia conclusio τῦ Celarēt hoc habebat, α dici de nullo γ. nā si γ diceretur de aliquo α, etiā α diceretur de aliquo γ. Hoc est quod Aristoteles ait, *nā de quocunque*, &c. hæc est minor τῦ Celarēt, cōuersa, quę fit maior in Darij: reliqua sunt supplenda.

Ce	Nihil risibile est irrationale:	*Da*	Omne risibile est homo:
la	Omnis homo est risibilis:	*ri*	Aliquod irrationale est risibile:
rent	Ergo nullus homo est irrationalis.	*i*	Ergo Aliquod irrationale est homo.

Syllogismi in Darij maior sumitur ex minore τῦ Celarēt, sed cōuersa: supponimus enim eam minorē cōuerti. Minor τῦ Darij est falsa: & est hypothesis, quam aduersarius cogitur concedere, si non vult cōcedere maiorē τῦ Celarent conuersam. Cōclusio τῦ Darij est impossibilis: quia ostēsum est, veram esse conclusionem τῦ Celarent: nec possunt hę duæ conclusiones simul esse veræ. Sic igitur argumentor: Conclusio τῦ Darij est falsa, & maior est vera: ergo minor est falsa: eius igitur contradictio est vera : atqui hæc contradictio minoris τῦ Darij, est conuersa maior τῦ Celarēt : maior igitur propositio τῦ Celarent conuertitur: quod erat probādum.


4 *Et si τὸ γ.* Sequitur quarta regula: Si minor propositio & conclusio τῦ Celarent conuertuntur, etiam maior propositio conuertetur. Hæc conuersio probatur in Camestres, vt apparet in sequenti exemplo.

Ce	Nullum rationale est brutū:	*Cam*	Omne rationale est homo:
la	Omnis homo est rationalis:	*es*	Nullum brutū est homo:
	Ergo		Ergo
rent	Nullus homo est brutum.	*tres*	Nullum brutū est rationale.

Ait igitur Aristoteles, *& si τὸ γ cum α conuertitur*, id est, si conuertitur etiā conclusio. Dico, etiam, vt indicem ex præcedente particula repetendum esse, etiam minorē conuerti, quasi Philosophus dicat: si nō solùm minor sed etiam cōclusio τῦ Celarent cōuertatur; tunc *etiam τὸ β conuertetur cum α*, id est, conuertetur etiam maior propositio. Deinde ait *nam cui*, extruēs syllogismum in Camestres: cuius ponit primò maiorem, deinde minorē propositionem. Post hęc ait, *hoc solùm*, id est, hæc sola tertia consequentia syllogismorū negantium. *incipit à conclusione*, id est, ducitur à conuersione conclusionis ad conuersionem propositionis, vt fiebat etiā in syllo-

gismo attributiuo.i.in prima regula de Bat baracalia verò nō similiter.i.duę pręcedētes regulę de syllogismis negātibus, secunda & tertia, non ita progrediebantur à conclusione ad propositiones.


5 *Rursus si tò α.* Quinta regula est: Cùm sint quatuor termini, quorum duo priores inter se reciprocantur, & duo posteriores similiter inter se reciprocantur, primus autē & secundus ita opponuntur, vt semper alterum sit verum, alterum falsum: cùm, inquā quatuor termini habent has tres conditiones, tunc necesse est vt etiam secundus terminus & quartus eodem modo inter se opponantur, id est, semper alter sit verus, alter falsus. Primò Aristoteles proponit hanc regulam, cuius explicatio referenda est ad typum sequentem:



Hic supponimus tres conditiones. Prima est, α & ϲ conuerti, id est, omne ingenitum esse incorruptibile & omne incorruptibile esse ingenitum. Secunda conditio est, similiter γ & δ reciprocari, id est, omne genitum esse corruptibile, & omne corruptibile esse genitum. Tertia conditio est, rem omnem esse aut α aut γ, id est, aut ingenitā aut genitam. His tribus conditionibus suppositis, concludimus necesse esse, vt quicquid est, aut sit ϲ, aut δ, veluti aut incorruptibile, aut corruptibile. Secundò cùm ait, *Cùm enim*, probat eam consequentiam: quia posito α, ponitur ϲ, id est, si est ingenitū, est incorruptibile, per primam conditionem; item posito γ, ponitur ɗ, id est, si est genitū: est corruptibile, per secundam cōditionem, item quiduis est aut α, aut γ, nempe aut ingenitum, aut genitum: sequitur ergo vt sit aut ϲ, aut δ, id est, aut incorruptibile, aut corruptibile. Tertiò cùm ait, *duo namque*, magis declarans vim huius consequentiæ, inquit poni duos syllogismos, id est, consequentiam illam resolui in duos syllogismos, per quos apparet consequentiam valere. Qui verò sint illi duo syllogismi, non declarat: sed intelligendum est, vnum syllogismum esse, quo probatur nullam rem simul esse ϲ & ɗ, id est, incorruptibilem & corruptibilem: alterum, quo probatur nullam rem esse neque ϲ neque ɗ, id est, neque incorruptibilem neque corruptibilem.

Prior syllogismus ita extruitur: Quodcumque est aut α aut γ, id non est simul ϲ & ɗ: atqui omne ens aut est α aut γ: ergó non est simul β & ɗ. Posterior syllogismus est: Quodcumque est aut α aut γ: idem est aut ϲ aut δ nec potest esse neutrum: atqui omne ens vel est α vel γ: ergo omne ens aut est ϲ aut δ, nec potest esse neutrum.


6 *Rursus si cuiuis.* Sequitur sexta regula: Cùm quatuor termini ita se habent, vt cuiuis rei vel primus vel secundus attribuatur, item vel tertius vel quartus attribuatur: si primus & tertius reciprocantur, necesse est etiam secundum & quartum reciprocari. Primò Aristoteles proponit hanc regulam. Secundò cùm ait, *nam si alicui*, eam probat vtens terminis alphabeticis. Tertiò cùm ait, *vtputà si ingenitum*, adhibet exemplum in terminis realibus: qui in sequenti diagrammate cōiunguntur cum terminis alphabeticis.



In hoc typo tria supponimus: Primò rem omnē aut esse α aut β, id est, aut ingenitam aut genitam. Secundò rem omnem esse aut γ aut δ, id est, aut incorruptibilem aut corruptibilem. Tertiò α & γ reciprocari, id est, quicquid est ingenitum, esse incorruptibile, & contrà. His tribus suppositis, cōcludimus etiam ϲ & ɗ reciprocari, id est, omne genitum esse corruptibile, & omne corruptibile esse genitum. Hoc autem, id est, β & δ reciprocari probat Philosophus per deductionem ad impossibile: Nam si non reciprocentur, vnum erit absque altero. Ponamus esse ɗ sine ϲ, ita vt aliquod ɗ non sit ϲ, id est, aliquod corruptibile non sit genitum. Quoniam ergo negamus β genitum, cogimur concedere α ingenitū qua-

re per primam hypothesim, δ, est α, corruptibile est ingenitum. Iam verò posito α ponitur γ, per tertiam hypothesim. si igitur corruptibile est ingenitum, corruptibile erit incorruptibile: quod est falsum, & contra tertiam hypothesim.


7 *Cùm autem.* Sequitur septima regula: Si sint tres termini, quorum primus dicatur de secundo & tertio omnibus & solis: secundus autem dicatur de omni tertio: tūc necesse est primum & secundum reciprocari. Typus ita delineatur:



In hoc typo supponimus, primò α dici de omni β, & de omni γ, & de his solis, non de vlla alia re. Secundò supponimus β dici de omni γ. His suppositis, concludimus α & β reciprocari. Aristoteles in contextu, primò proponit hanc regulam. Deinde ibi, *Cùm enim*, aggreditur eam probare hoc modo: Quæcumque de iisdem omnibus & solis dicuntur, ea inter se reciprocantur: atqui α & β dicuntur de iisdem omnibus & solis: ergo α & β reciprocantur. Maior per se patet, & vt manifesta omittitur in contextu. Minor ab Aristotele sic probatur: quia τὸ α dicitur de omnibus & solis C & γ, per primā hypothesim. Item τὸ C dicitur de omnibus & solis β & γ. nam quòd dicatur de seipso, manifestum est: (quamuis hæc sit attributio impropria) quoniam vnumquodque est illud ipsum quod est, vt rationale est rationale, & C est C. Quòd idem β dicatur de omni γ, patet per secundam hypothesin. Huius minoris propositionis confirmatio ponitur in contextu ibi, *cùm enim*. Deinde ex hac probatione colligitur ipsa minor, ibi, *apparet de quibus*. Maiorem dixi in contextu prætermitti. conclusio verò posita fuit initio particulæ. Porrò hæc regula est quasi fundamētum syllogismorum, qui extruuntur ex duabus affirmantibus in secunda figura. tales enim syllogismi sunt vtiles ratione materiæ, quā io maior propositio reciprocatur. Cùm igitur τὸ β dicitur de omni γ, id est, concluditur vniuersale affirmans in secūda figura: necesse est reciprocari α & β, id est, maiorem propositionem, vt pereius conuersionē syllogismus resoluatur in Barbara. Ait, *quin & de ipso α*: cùm enim τὸ β dicatur de iis omnibus, quæ subiiciuntur τῷ α, id est, de seipso & de γ: rectè dicitur etiam de α: alioqui angustiùs pateret, quàm τὸ α. si quidem τὸ α dicitur de seipso, & de C, & de γ. Dum enim dictum est initio huius partie. τὸ α, nulli alij attribui, quàm τῷ β & τῷ γ, respiciebatur ad propriam attributionem, nec excludebatur impropria attributio, qua ipsum α dicitur de seipso.

8 *Rursus si τὸ α.* Sequitur octaua regula, quæ est fūdamentum syllogismorum in tertia figura eo ingentium conclusionem vniuersalem ratione materiæ, quia termini minoris propositionis sunt conuertibiles: vnde minore propositione conuersā, syllogismus resoluitur in primam figuram. Primò Aristoteles proponit hanc regulam: Si tres termini ita se habeant inter se, vt primus & secundus attribuantur omni tertio, ac secundus & tertius reciprocentur: necesse est primum dici de omni secundo. Deinde cū in ait, *cùm enim*, probat hanc regulam:, quia conuersis terminis secundo & tertio cōcluditur in prima figura primus de omni secundo, vt in exemplo, quòd contextui subieci, apparet.

9 *Cùm autem.* Sequitur nona regula: Si quatuor termini ita se habent vt primus sit optabilior secundo, & quartus tertio, primus autem vna cùm tertio sit optabilior quàm secundus cum quarto: tunc necesse est, primum esse optabiliorem quarto,



Primò Aristoteles proponit hanc regulam. Secundò cùm ait, *æque enim*, probaturus eā regulam, præmunit, æquè primum esse optandum & secundum fugiēdum, itē æquè quartum esse optandum & tertium fugiendum. Hæc præmunitio probatur ex eo, quòd primum & secundum sunt opposita, item tertium & quartum sunt opposita.

Tertiò cùm ait *si igitur τὸ α*, incipit probare dictam regulam. Summa argumenti in eo consistit: Aut primum est æquè expetendũ ac quartum, aut magis expetendum, aut minùs: sed nec est æquè, nec minùs expetendum: ergo est magis expetendum: atque ita regula probatur. Huius syllogismi disiunctiui maior propositio, tanquàm manifesta, omittitur in contextu. vtraque autem pars minoris probatur: & primùm in hoc membro probatur non esse primum & quartum æquè optabilia: probatur autem per deductionem ad impossibile. nam si primũ & quartum sunt æquè expetenda, etiam secundum & tertium erunt æquè fugiẽda, per hypothesim antea præmunitam. atqui si æqualibus æqualia adiungas: quæ inde efficientur, erunt æqualia. si igitur primo & quarto, quæ ponebantur æqualia, id est, æquè expetẽda, adiungãtur secundum & tertium, quæ similiter ponebantur æqualia, id est, æquè fugienda, nempe si tertium adiungatur primo, & secundum adiungatur quarto: tota quæ inde fiunt, erunt æqualia. ergo primùm cum tertio erit æquè expetendum, ac quartum cum secundo: quod est contra hypothesim in regula positam.

Quartò cùm ait, *Quòd si τὸ δ* probat alteram partem minoris propositionis, id est, primum non esse minùs expetendum, quàm quartum, seu (quod idem valet) quartũ non esse magis expetendum quàm primum. hoc autem similiter probat per deductionẽ ad impossibile. nam si primum est minus expetendum, quàm quartum: etiam secundum, quod opponitur primo, erit minùs fugiendum, quàm tertium, quod opponitur quarto, per hypothesim præmunitam in secundo membro huius particulæ. ergo secundum cum quarto erit magis expetendum, quàm primùm cum tertio, contra hypothesim positam in regula, in qua supponebamus primum cum tertio esse optabilius quàm secundum cum quarto. Consequentia verò manifesta est: quia maius bonũ cum minori malo est optabilius, quàm minus bonũ cum maiori malo: atqui quartum per aduersarium est magis bonum, & secundum est magis malum: primum autẽ est minus bonum, & tertium maius malum. quocirca quartũ cũ secũdo erit optabilius, quàm primum cùm tertio. Quintò cùm ait *τὸ α igitur*, colligit conclusionem principalẽ syllogismi illius disiũcti, id est, primum esse optabilius quarto; quandoquidem probauimus nec esse æquè, nec minùs optabile.

Sextò cùm ait, *proinde etiam*, ex ea conclusione alteram deducit, secundum esse magis fugiendum, quàm tertium. Consequentia patet per præmunitionem positam in secundo membro. Septimò cùm ait, *Si igitur omnis*, doctrinam traditam per elementa, accommodat terminis realibus pertinentibus ad quæstionem de amore, & probat amantem secundum amorem, (id est, si verè amat & habita ratione naturæ amoris: nam multi amantes reperientur, qui contrarium sentiant, immo conclusio est contra vulgarem hominum opinionem) magis expetere, vt persona, quam amat, velit sibi gratificari, nec tamen gratificetur, quàm vt nolit gratificari, & tamen gratificetur. Octauò cùm ait, *itaque diligi*, ex conclusione proxi[illegible] lata, quòd magis expetẽdũ est velle gratificari, quàm actu gratificari, colligit alterã cõclusionẽ, quòd in amore diligi est optabilius cõgressu. Consequẽtia patet: quia ex dilectione oritur voluntas gratificãdi, ex cõgressu gratificatio. Nonò cùm ait, *amor igitur*, cõsequẽter infert aliam conclusionem, quòd amor est potiùs gratia dilectionis, quàm congressus. Consequentia manifesta est: quia amamus potiùs ob id quod est optabilius, quàm ob id quod est minùs optabile. Decimò cùm ait, *quòd si huius*, ordine infert aliam cõclusionem cõsentientem iis quæ tradit Plato in conuiuio, nempe verum finem amoris esse dilectionem. Consequentia patet: quia verus finis est ille, cuius potissimùm causà reliqua sunt, aut fiunt. Vndecimò cùm ait, *Ergo congressus*, consequenter infert aliam conclusionem, quòd congredi, seu coire, aut omnino non est, id est, omnino ad amorem non pertinet; aut eatenus tantùm est expetendum, quatenus per eum acquiritur, vel augetur dilectio. Consequentia patet: quoniam omnia debent respicere ad finem. & quæ ad finem consequendum non pertinẽt, contemnenda sunt: sicut medicus nõ debet ea curare, quæ non valẽt ad conseruandam vel recuperandam sanitatem. Hoc Aristoteles in contextu confirmat exemplo aliarum cupiditatum, & artium. nam & in cupiditatibus, & in artibus, eorum tantùm ratio habetur, quæ ad finem propositum ducunt. Exempli gratiâ mercator lucrum cupit. nõ curabit igitur nũdinas, nec ad eas proficiscetur, nisi speret se ibi lucrum facturum: non enim nundinas expetit per se, sed ratione finis, id est, lucri. Sic studiosus discere cupit: non conferet igitur se in aliquam Academiam, vel non audiet aliquã prælectionem, nisi speret se euasurum doctiorem. Sic igitur etiam amans non expetet congressum, nisi inde speret fore vt magis diligatur.

19 *Quomodo igitur.* Epilogo finem imponit huic capiti.

IN

IN CAP. XXIII. DE INDVCTIONE.

1 *NVnc verò* Proponit vtilitatem huius tractatus. Cùm enim omnes syllogismi fiant in tribus figuris suprà expositis: si deinceps ostenderimus omnes alias probationes reduci ad syllogismum; inde apparebit, non posse quidpiam probari citra tres illas figuras. Quod ad verba, dum Aristoteles ait probationem fieri aut syllogismo, aut inductione: syllogismum accipit in significatione quadam angusta: alioqnin etiam inductio est syllogismus, vt in sequentibus particulis discertè docebit. Ergo hoc significat, omnem probationem fieri aut syllogismo, aut inductione. sed & inductionem esse syllogismum: proinde omnem probationem fieri syllogismo.

2 *Est igitur inductio.* Naturam & vim inductionis declarat primùm absolute, deinde per cõparationem cum syllogismo proprie dicto. Quod attinet ad absolutam expositionem in primis declarat, quid sit inductio & syllogismus inductiuus, (hæc pro eodẽ accipe: nam inductio est syllogismus inductiuus) & quomodo fiat. Ait igitur, inductionem seu syllogismũ inductiuum esse, cùm probatur alterum extremum, id est, maius extremum dici de medio termino: probatur, inquam, per alterum, id est, per minus extremum. Hæ appellationes sunt accipiendæ respectu syllogismi propriè dicti, id est, naturali ordine progredientis. Sint enim tres termini, α β γ: ita vt τὸ α sit supra β, & τὸ β supra γ. in syllogismo primæ figuræ propriè dicto sumimus α pro maiore extremo: β, pro medio termino: γ, pro minore extremo: & cõcludimus α de γ per medium β: inductiuè verò probamus α de β per medium γ. Dicitur ergo inductio maius extremum concludere de medio termino, id est, de β. quamquàm hoc β in ipsa inductione non est medius terminus, sed est minus extremum: alioqui non ingrederetur conclusionem. Rursus dicitur probare per minus extremum, id est, per γ, quod tamen non accipit vt minus extremum, sed vt medium: & ita ipse Aristoteles verba sua declarat in seq. particula.

3 *Veluti si τῶν α γ.* Proponit exemplum inductionis in terminis alphabeticis. ex quo colligitur expositio proximè tradita, quòd inductio probat maius de medio per minus, id est, α de β per γ.

4 *Vt puta esto.* Terminis alphabeticis adiungit terminos reales: & primò ipsos terminos constituit, & ponit longæuum, vbi α vacans bile, vbi β: singula longæua, exempli gratiâ hominem, equum, & asinum, vbi γ. Secundò cùm ait, *Ergo toti γ*, extruit syllogismum inductiuum. cuius initiò ponit maiorem propositionem, omne γ est α. Deinde ibi, *sed & τὸ β*, adiungit minorem propositionem, omne γ est β. Deinde ibi, *si igitur conuertatur*, ponit conditionem requisitam in ea minori propositione, vt conclusio rectè inferatur. Conditio hæc est, vt minor propositio reciprocetur. alioquin esset syllogismus in tertia figura, ex quo non potest inferri conclusio vniuersalis, qualis est conclusio inductionis, nisi minor reciprocetur, vt fuit expositum cap. præced. part. 8. Deinde ibi, *necesse [est] τὸ α*, infert ipsam cõclusionem, omne β esse α. Deinde ibi, *quandoquidẽ antea*, ostendit eam conclusionem rectè illatam esse, quamuis sit vniuersalis in tertia figura, quia minor ratione materiæ simpliciter reciprocatur, vt fuit probatum antea, id est, dicta particula 8. cap. præced. Hæc omnia refero ad secundum membrum huius partic. Tertiò cùm ait, *Intelligere autem*, declarat, quomodo accipiendus sit terminus γ. quamuis enim sit vna litera, nõ tamen ibi debemus ponere vnum terminum realem: sed litera illa γ repræsentat compositũ quiddam ex multis terminis realibus comprehensis sub α maiori extremo. nam inductio non argumentatur ex vno, sed ex omnibus: veluti, Plato, Aristoteles, Socrates, & singuli alij philosophi sunt beati: ergo omnis philosophus est beatus Quod dixi cum Aristotele, inductionem fieri ex omnibus speciebus maioris extremi, intelligendum est de inductione perfecta. nam interdum pauca sumuntur: túnque est inductio imperfecta, qualis est ea inductio, sub qua continetur exemplum, quemadmodum in seq. cap. explicabo.

5 *Est autem.* Declarat inductionis materiam, id est, quænam potissimùm probari debeat inductione: & ait, per eam probãdas esse propositiones primas & immediatas. Primas & immediatas accipit ἐκ προτάσεων ἀμέσων. nam quæ medium habent, non sunt primæ: siquidem probari possunt per illud mediũ, ex quo extruuntur aliæ propositiones priores: conclusio namque est posterior propositionibus. Prima igitur propositio non est, quæ probatur per alias propositiones: sed quæ non habet propositiones supra se. Talis igitur propositio, si obscura sit, cùm non possit probari syllogismo propriè dicto, id est, non possit probari per medium,

eò quòd nullum est medium, necesse est vt probetur per inductionem, atque ita probetur per inferiora & posteriora.

6 *Quorum enim.* Probat, quod modò dixit, inductionum vsum potissimùm spectari in propositionibus immediatis. Nam mediatæ rectiùs probātur per syllogismum propriè dictum: quippe cùm hic syllogismus naturali ordine progrediatur, & maiorem vim habeat, quàm inductio, vt dicetur in vlt. partic. Sic igitur hæc partic. præcedenti cohæret: quoniam eam confirmat. Est & alius nexus non omittendus: nam hactenus exposuit inductionem absolutè; nunc autem incipit eam cōferre cum syllogismo propriè dicto. Prima igitur collatio sumitur à materia, id est, ab iis quæ probantur. nam syllogismo probantur, quæ medium habent: inductione verò probantur potissimùm, quæ medio carent.

7 *Et quodammodo.* Secunda collatio sumitur à forma, id est, progressu syllogistico: quia syllogismus probat maius extremum de minori per mediū: inductio verò probat maius de medio per minus, vt exposui ad partic. 2.

8 *Natura igitur.* Tertia collatio, seu tertia differentia sumitur à dignitate & vsu: quoniam syllogismus progreditur à prioribus & notioribus naturâ, inductio verò ab iis quæ sunt nobis notiora & priora, proinde syllogismus est præstantior, inductio verò est euidentior. Quæ autem sint superiora & notiora nobis, vel naturâ, docebit Aristoteles lib. 1. Poster. cap. 2. part. 11. & lib. 1. Phys. cap. 1. & lib. 1. minore (qui est liber secundus Latinis) Metaphys. cap. 1.

IN CAP. XXIV. DE EXEMPLO.

INductionem meritò sequitur exemplum, quod est inductio quædam, vt inquit Aristot. lib. 1. Poster. cap. 1. part. 3. & lib. 1. Rhetor. cap. 2. quia vis exempli ab inductione pendet, vt ex huius capitis expositione intelligetur.

1 *Exemplum verò.* Definit exemplum. Vt autem hæc definitio rectè intelligatur: sciendum est, exempla solere conciſè proponi, id est, adhibita vnâ propositione, & conclusione: veluti, Thebanis nocuit bellum contra Phocenses, ergo Atheniensibus nocebit bellū cōtra Thebanos. Quòd si velimus secundum artem resoluere exemplum in formam syllogisticam: necesse est multa addere, & omnino duos syllogismos extrue re; quorum vnus est principalis, & syllogismus propriè dictus, id est, probans maius extremum de minori per medium; alter verò est prosyllogismus probās maiorem syllogismi principalis. hic prosyllogismus est inductio imperfecta: quia non sumitur ex omnibus particularibus, sed ex vno, aut quibusdam. Hæc perspicuè intelligentur ex enarratione 3. partic. Sed in præsentia hoc notare fuit necesse, vt intelligatur, definitionem, quæ hic proponitur, non continere omnes partes exempli, sed tātùm prosyllogismum. Hoc enim est, quod Aristoteles ait, Exemplum esse, quando probatur extremum (sub. maius) inesse medio termino, per simile tertio, id est, per quartum terminum similem minori extremo. nam hic est prosyllogismus probans maiorem propositionem, id est, maius inesse medio. iam adde minorem, id est mediū inesse minori extremo; habebis syllogismum principalem, quo concluderur maius extremum inesse minori extremo. Si quæras, cur Aristoteles proponat tantùm in præsentia prosyllogismum, respondebo: quia vult exponere, in quo cōsistat vis exempli: cuiuscumque autem argumentationis vis consistit in primis propositionibus, ex quibus sequentium probatio pendet: proinde vis exempli potissimùm consistit in primo syllogismo. & quoniam hic est inductio, idcirco Aristoteles refert exemplum ad inductionem potiùs, quàm ad syllogismum propriè dictum: quamuis exemplum in se cōtineat tam syllogismum, quam inductionem.

2 *Oportet autem.* Docet, quinam termini recipiant exēplum, seu probationem per exemplum: & ostendit requiri quatuor terminos, in quibus insint hæ conditiones, quas mox exponam. Quatuor termini sunt: Primus, id est, maius extremum: secundus, id est, medius terminus: tertius id est, minus extremū: quartus, id est, similis tertio. Cōditiones sunt hæ: Prima vt perspicuū sit, medium attribui minori extremo: hinc sumetur minor propositio syllogismi principalis. Secunda, vt perspicuum sit, maius attribui quarto termino: hinc sumetur maior propositio prosyllogismi. Adde tertiam conditionem, quam Aristoteles adiiciet in seq. partic. nempe vt perspicuum sit, medium attribui quarto termino: vnde sumetur minor propositio prosyllogismi. Reliqua duo pronūciata sunt ignota, id est, primum attribui medio, quæ est conclusio prosyllogismi, eademq; maior propositio syllogismi principalis: item primum inesse omni tertio, quæ est conclusio principalis.

3 *Verbi causâ esto*. Propositis terminis realibus declarat, quomodo fiat exẽplum, & quo modo reducatur ad syllogismũ. Primò igitur cõstituit ipsos terminos, ita vt α seu primus terminus sit malũ, &c. vt in cõtextu perspicuè proponũtur. Secundò cùm ait, *Ergo si velimus*, extruit ex illis terminis syllogismos in quos exemplum est resoluendũ: & initiò proponit conclusionem probandam, quòd Athenienses bellũ gerere contra Thebanos malum sit. Deinde ibi, *accipiendum* [*est*,] ponit maiorem propositionem syllogismi principalis, quòd bellum gerere contra finitimos malum sit. Et quia hæc propositio est dubia: idcirco cùm ait, *huius autem*, subiicit eius probationem, id est, prosyllogismũ cuius tamẽ minorẽ tãtùm propositionẽ proponit. Hic prosyllogismus, cùm sit inductio quædam, extruitur in tertia figura, hoc modo: Thebanos contra Phocenses bellum gerere, est malum: atqui Thebanos cõtra Phocenses bellum gerere, est contra finitimos bellum gerere: ergo contra finitimos bellũ gerere, est malum. Hæc conclusio non necessariò colligitur: quia concluditur vniuersaliter in tertia figura: & minor propositio non reciprocatur, eò quòd inductio est imperfecta: quia non sumuntur omnes, qui contra finitimos bellum gesserunt, sed tantùm quidam, vt Thebani. Quòd si Thebanis bellum contra finitimos gestum, malè cessit: fortasse aliis, vt Romanis, non malè cessit. Hinc est, quòd probatio per exemplum est infirma, & minimè necessaria, sed tantùm probabilis. Postea cùm ait, *quoniam igitur*, resumit illam maiorẽ, quam prosyllogismo probauit, vt perficiat syllogismum principalem. Deinde ibi, [*bellum*] *autem contra Thebanos*, adiungit minorem propositionem eiusdem syllogismi principalis, quòd Athenienses contra Thebanos bellum gerere, est contra finitimos bellum gerere. Deinde ibi, *Perspicuum* [*est*] *aduersus*, colligit conclusionem principalem, id est, quòd Athenienses contra Thebanor bellum gerere, malum est. Hæc vt apertiùs intelligantur, respiciantur typus & exemplum, quæ subieci contextui. Atque hęc omnia refero ad secundum membrum huius particulæ. Tertiò cùm ait, *Itaque* ὧ c, declarat, quænam in proposito exemplo sint nota, vel ignota: quæ in dicto exemplo perspicuè apparent. Notæ enim sunt vtræque propositiones prosyllogismi, & minor syllogismi principalis: ignotæ sunt conclusio prosyllogismi, quæ est maior propositio syllogismi principalis, & conclusio principalis.

Quartò cùm ait, *eodem modo*, ostendit eandem esse rationem, si sumantur multa tertio similia, id est, si vbi δ, ponamus multos terminos. nam in dato exemplo erat vnus terminus, id est, vnum exemplum belli à Thebanis contra Phocenses gesti: idem autem est, si addamus alia exempla, id est, alia bella contra finitimos gesta, quæ bellum inferentibus nocuerunt: nam hæc omnia ponentur vbi δ, ad probandum α de β, id est, maius de medio, hoc est, ad probãdam maiorem propositionem syllogismi principalis.

4 *Perspicuum igitur*. Distinguit exemplum à syllogismo, & inductione quoniam syllogismus progreditur à toto ad partem, id est, ab vniuersali ad particulare: inductio à parte ad totum: exemplum à parte ad partem: quod perspicuè intelligi potest ex sequenti exemplo, Syllogismus est, veluti,

Contra finitimos bellum gerere est malum:
Atqui Athenienses contra Thebanos, est contra finitimos bellum gerere:
Ergo Athenienses contra Thebanos bellum gerere, est malum.

Inductio est, veluti,

Bellum Thebanorum contra Phocenses, & Atheniensium contra Thebanos, & cetera eiusmodi, mala sunt:
Ergo generaliter bellum contra finitimos, malum est.

Exemplum est, veluti,

Bellum Thebanorum contra Phocenses, malum fuit:
Ergo etiam bellum Atheniensium contra Thebanos, malum erit.

Hoc discrimen volẽs Aristoteler declarare, inquit exemplum non progredi à toto ad partẽ, (subaudi, vt syllogismus) nec à parte ad totum, (subaudi, vt inductio) sed à parte ad partem, id est, à particulari ad particulare, cùm ambo scilicèt particularia sunt contenta sub eodẽ genere, vt in exemplo antea posito argumentabamur à δ ad γ, id est, à bello Thebanorum contra Phocenses, ad bellum Atheniensiũ contra Thebanos: hęc autem ambo, γ & δ, continẽtur sub eodem ϛ. Addit Aristoteles, alterum horum esse notius altero: quoniam id ex quo ducitur argumentum semper debet esse notius eo, quod probatur. Sic cùm γ probetur per δ: opus est, vt δ sit notius. Intellige hoc esse notius, non respectu τοῦ β: nam æquè

propositiones, id est duas veri syllogismi, reliquas duas syllogismi decipientis. has antè propositiones ita ponit, vt primùm maiores coniunctìm proponat, quia τὸ α dicitur de omni β, (hæc est maior veri syllogismi in Barbara) & de nullo ζ: (hæc est maior falsa in Celarēt) deinde coniunctìm proponit minores veras, tam β, quam ζ dici de omni δ. nam ε de omni δ, est minor τῆς Barbara: ζ de omni δ, est minor τῆς Celarent. Tertiò cùm ait, [*sic*] *enim contingit*, affert rationem, cur non possint illæ propositiones simul accipi: nempe quia hac ratione aliquis sumit primam, id est, maiorem propositionē vel simpliciter, vel saltem (quod verius est) ex parte contrariam. Sensus est, maiorem τῆς Barbara & maiorem τῆς Celarent, si non omnino, at saltem ex parte contrarias esse: proinde neminem esse ita fatuum, vt ita cōtrarias simul sumat. Quartò cùm ait, *nam si cuiuscumque*, ostendit, illas propositiones, si nō omnino, saltem ex parte contrarias esse. Hęc probatio tribus partibus constat. In prima parte continetur vis propositionis α ε: in altera, propositionis α γ: in tertia ostenditur eas vires esse contrarias. Prima probationis pars continetur in hoc membro. cùm enim dicimus, omne ε esse α, significamus etiam ζ esse α: quandoquidem ζ comprehendimus sub ε, vt apparet ex minore propositione. Quintò cùm ait, *si igitur rursus*, ponit alteram partem probationis, id est, vim propositionis α γ. cùm enim dicimus, nullum γ est α, indicamus nullum δ esse α: quia δ est pars τοῦ ζ. atqui idem δ est pars τοῦ β. indicamus ergo, aliquod β, nempe δ, non esse α, cùm antea in Barbara sumpserimus omne ε esse α. Sextò cùm ait, *qui autem omni*, ponit tertiā partē probationis, & ostendit hæc esse contraria vel simpliciter, vel saltem ex parte. nempe, omne β est α, & nullum ζ est α, non sunt contraria simpliciter, cùm non habeant idem subiectum, sed sunt contraria ex parte, id est, ratione τοῦ δ, quod est pars τοῦ β & τοῦ ζ. sed, omne δ est α, (quod concluditur in Barbara) & nullum δ est α, (quod concluditur in Celarent) simpliciter contraria sunt. Septimò cùm ait, *sic igitur*, cōcludit neminem ita decipi.

5 *At secundum*. Postquàm docuit, quo modo non fiant prima & secunda deceptio, nunc docet duos modos, quibus vtraque deceptio contingere potest. Primus modus est, si vtriusque syllogismi accipiatur tantùm maior propositio, puta omne ε est α, & nullum ζ est α. nam contrarietas non apparet, nisi assumas δ, quod subiiciatur tam ipsi ε quàm ipsi ζ. Secundus modus est, si alterius syllogismi sumatur vtraque propositio, alterius tantùm maior: nam & hic cōtradictiò latet. Hoc est, quòd Aristoteles ait, nihil vetare, quominùs *secundum vtrumque* [*medium*,] id est, vtriusque syllogismi (tot enim sunt syllogismi, quot sunt media termini) accipiamus *vnam*, id est, solùm maiorem *propositionem*: *aut secundum alterum* (subaudi, medium) id est, vnius tantùm syllogismi accipiamus *ambas* propositiones. supple, alterius autem syllogismi accipiamus tantùm maiorem propositionem. quod Aristoteles mox perspicuè declarat exemplo alphabetico. sumit enim τὸ α dici de omni ε, & τὸ β de omni δ: hæ sunt ambæ propositiones τῆς Barbara. rursus sumit τὸ α dici de nullo γ: hæc est maior propositio τῆς Celarent.

6 *Hæc enim*. Exposuit duo deceptionum genera, quæ oriuntur ex maiore propositione falsa: sequitur tertiū genus, quod oritur ex ignoratione minoris extremi, proinde ex ignoratione minoris propositionis: veluti si quis per demonstrationem sciat omne triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, ignoret autem esse aliquod particulare triangulum: hic enim scit omne triangulum habere tres, & ignorat hoc triangulum habere tres, quandoquidem ignorat esse triangulum. quod igitur scit, idem ignorat. Quod attinet ad seriem contextus, Aristoteles primò, vt nectat hanc partem cum præcedenti, inquit deceptionem proximè expositam, similem esse ei quam nunc expositurus est, quæ contingit circa particularia, veluti circa hoc triangulum, quod aliquis esse ignorat. Secundò cùm ait, *v.g. vt si omni*, per terminos alphabeticos declaraturus quatenus aliquis hoc tertio modo habeat scientiam, & ignorantiam, primùm docet quatenus habeat scientiam, supponens talem syllogismū, omne ε, est α, omne ζ est ε, ergo omne ζ est α. Hoc supposito ait: Cùm aliquis scit omne ε esse α, simul etiam scit ζ esse α: quia ζ continetur sub β: sic igitur scit ζ esse α. Tertiò ibi, *sed nihil prohibet*, ostendit, quomodo ignoret eandem conclusionem, nempe ζ esse α. vt autē hoc ostendat, sumit terminos reales: & loco τοῦ α, ponit duos rectos, id est, tres angulos æquales duobus rectis: loco autem τοῦ β, ponit triangulum: & loco τοῦ ζ, ponit hoc triangulum. his enim ita positis, potest aliquis ignorare ipsum γ, quia non vidit hoc triangulum: ignorat ergo hoc ζ, id est, hoc triangulum habere tres: quamuis non ignoret omne triangulum habere tres. Quartò cùm ait, *quare simul*, concludit eundem scire & ignorare eandem conclusionem, nempe hoc

hoc triangulum habere tres. Quintò cùm ait, *nosse enim*, ostendit hoc posse fieri, vt quis ita sciat & ignoret eandem conclusionem, licèt duo contraria non possint simul inesse in eodem: quoniam hæc scientia & ignorantia non sunt cõtrariæ. non esse autem contrarias, ostendit per distinctionem scientiæ: alia namque est vniuersalis, alia particularis seu specialis: nec est absurdum, vt aliquis vnam ex his scientiis habeat, alteram non habeat. nam qui scit omne triangulum habere tres, ille non habet particularem cognitionem singulorum indiuiduorum triangulorum quòd habeant tres; sed tantùm habet vniuersalem cognitionem: qui verò vniuersale nouit, non propterea etiam particulare actu nouit, sed tantùm potestate. Quare cùm dicebatur, ille scit & ignorat omne triangulum habere tres, concedo vtrumque diuerso respectu: scit enim cognitione vniuersali, quam per demonstrationem acquisiuit: non cognitione particulari, quia illud particulare triangulum non nouit.

7 *Similiter* [*se habet.*] Cùm in præcedenti partic. docuerit eandem conclusionem particularem cognosci vniuersali, & non cognosci particulari seu propria cognitione: hinc obiter soluit dubitationem Platonis in Menone, propter quam dubitationem videtur rerum scientia frustra quæri. nam aut eas ignoramus, aut scimus, si ignoramus: etiamsi nobis occurrant, tamen non agnoscemus. si verò scimus: frustra quærimus scientiam, quam habemus. Respondebat Plato, animam humanam omnia sciuisse, priusquàm in corpus migraret, postea in corpore esse oblitam, ideo quærere scientiam, id est, reminiscentiam, vnde concludebat scientiam humanam nihil aliud esse, quàm reminiscentiam. Aristoteles autem eodem exemplo huius trianguli reprobat hanc sententiam: quia non potuit anima humana, antequàm in corpus migraret, præнouisse hoc particulare triangulum, vel aliam rem particularem, cuius scientiam quærimus: putà hoc triangulum habere tres. nam hoc discimus, cùm nunquam anima id prænouerit. Cur autem anima id prænosse non potuerit, Aristoteles non declarat: sed potest duplex ratio afferri. Vna est: quia particularia percipiuntur sensu, qui eget organis corporeis. Altera est: quia particularia non sunt æterna. Finge ergo nunc fieri triangulum: non potuit mea anima, antequàm ergo nascerer, scire hoc triangulum habere tres: quia hoc triangulum non erat. Quod attinet ad seriē contextus, primò ait Philosophus, similiter se habere rationem Platonis in Dialogo, qui inscribitur Menon, qua nititur probare scientiam nostram esse reminiscentiā: similiter, inquam, se habere, id est, similiter dissolui, nempe per distinctionem cognitionis in vniuersalem & propriam seu particularem. Quomodo autem per hanc distinctionem soluatur illa obiectio, Aristoteles in præsentia non docet, sed docebit cap. 1. lib. Poster. Secūdò cùm ait, *nunquàm enim*, reprobat solutionem & sententiam Platonis, eo quòd particularia non potuerunt ab anima præsciri: sed quòd hoc (exempli gratia) sit triangulum, statim ac inducitur, id est, statim ac profertur & ostenditur, per sensum cognoscimus, perinde ac si agnosceremus.

8 *Vniuersali igitur* Redit ad deceptiones, de quibus agere instituerat, (nã 7. part. digressiunculam contra Platonem continet) & ostēdit, cùm aliquis simul scit & decipitur, deceptionem illam non esse verè contrariam scientiæ: quoniam alia ratione scit, alia ratione decipitur: alioquin quomodo contraria essent in eodem subiecto? Aliam rationem esse apparet: quia scit cognitione vniuersali, non scit cognitione particulari.

9 *Nihil autem*. Sequitur quartum deceptionis genus ex eo proficiscens, quòd nō exercetur actu & coniunctim cognitio vtriusque propositionis. vnde conclusio particularis, quę ex illis propositionibus inferri potest, non actu, sed potestate tãtùm cognoscitur. scimus enim propositiones, sed eas actu non coniungimus, neque extruimus syllogismum: sensu autem in deceptionē impellimur. Exemplum est in contextu. scimus enim omnem mulam esse sterilē: & videmus hanc esse mulam: sed actu non vtimur his cognitionibus, neque coniungimus propositiones, neq; facimus syllogismum: sed cùm videamus hanc mulam habere ventrum inflatum, putamus eam esse prægnantem: atque ita decipimur.

10 *Quocirca perspicuum*. Ex quarta deceptione confirmat tertiam per argumentum ab eo quod minùs videtur, ad id quod magis: nã si fallimur, cùm scimus vtramq; propositionē, vt in quarta deceptione: multò magis, cùm solam maiorē scimus, & minorem ignoramus, vt in tertia deceptione.

11 *Nihil igitur*. Quod suprà docuit de aliis deceptionibus, id nunc de postrema docet, id est, eam non esse verè contrariam scientiæ: quia non eodem modo accipitur, sed

iunctá minore, concluditur cõuersa maior, vt in typo & exemplo contextui subiectis dilucidè apparet.

2 *Itidémque* [*se res habet.*] Secunda regula est: Si maior propositio τοῦ Celarent conuertitur, etiam conclusio conuertitur. Hæc regula siue hæc cõuersio probatur in Camestres. vide typũ & exemplũ cõtextui adiecta. Obiiciet aliquis, hãc regulã esse inutilẽ: quia cùm conclusio τοῦ Celarent sit vniuersalis negans, certum est eam simpliciter cõuerti, vt didicimus ex cap. 2. libri superioris. quid igitur opus est hac probatione? Pro solutione notandum est, Aristotelem neque in præcedente particula locutum esse expressè de Barbara, neque in hac de Celarẽt. sed nos ita regulas concepimus facilitatis causâ. ergo intelligendum est, regulam huius particulę continere magnã vtilitatem propter indefinita pronunciata, qualia proponũtur ab Aristotele in contextu. Nam si expressè conclusio habeat notam *nullus*, vel *nihil*, non erit opus hac regula. sed auctores sępe indefinitè loquuntur: túncque hæc regula est necessaria. Quod attinet ad seriem contextus, Primò Aristoteles ait, eodẽ modo rem se habere in syllogismo negãte, quo suprà dictũ est rẽ se habere in affirmãte. Ne intelligas prorsus eodem modo, sed simili: quia suprà in affirmante consequentia ducebatur à conuersione conclusionis ad conuersionem propositionum: hîc verò è contrariò consequentia ducitur à cõuersione maioris propositionis ad conuersionẽ conclusionis. Potest tamẽ & altera interpretatio accipi, quæ mihi magis placet, vt dicamus prima verba huius particulæ nõ respicere solùm ad ea quę proximè subiicientur in eâdem particula, (sic enim nòn est idem modus) sed ad totum hunc tractatum de syllogismo negante qui continetur in 2. 3 & 4 particulis. & ita est idem modus consequentiæ: quia in 4. partic. sumetur argumentum à conuersione conclusionis ad conuersionem propositionis. Secundò cùm ait, *vt si τὸ β*, extruit primum syllogismũ in Celarent. Tertiò cùm ait, *si igitur*, de eo syllogismo tradit dictam regulam: nẽpe, si maior conuertitur, etiam conclusionẽ conuerti. Quartò cùm ait, *ponamus enim*, syllogismo in Camestres probat eam consequentiã à conuersione maioris ad conuersionem conclusionis.

3 *Et si cum β.* Tertia regula est: Si minor propositio τοῦ Celarent conuertitur, etiam maior conuertetur. Hàncregulã probat Aristoteles per deductionem ad impossibile in Darij. Nam si minor cõuertitur, τὸ γ dicitur de omni β. si igitur negas maiorem cõuerti, id est, negas β dici de nullo α, cogeris fateri cõtradictionẽ, id est, β dici de aliquo α. ergo in Darij concludetur γ de aliquo α: quod est impossibile: quia conclusio τοῦ Celarent hoc habebat, α dici de nullo γ. nã si γ diceretur de aliquo α, etiã α diceretur de aliquo γ. Hoc est quod Aristoteles ait, *nã de quocũque*, &c. hæc est minor τοῦ Celarẽt, cõuersa, quę fit maior in Darij: reliqua sunt supplenda.

Ce	Nihil risibile est irrationale:	*Da*	Omne risibile est homo:
la	Omnis homo est risibilis:	*ri*	Aliquod irrationale est risibile:
rent	Ergo nullus homo est irrationalis.	*i*	Ergo Aliquod irrationale est homo.

Syllogismi in Darij maior sumitur ex minore τοῦ Celarẽt, sed cõuersa: supponimus enim eam minorẽ cõuerti. Minor τοῦ Darij est falsa: & est hypothesis, quam aduersarius cogitur concedere, si non vult cõcedere maiorẽ τοῦ Celarent conuersam. Cõclusio τοῦ Darij est impossibilis: quia ostẽsum est, veram esse conclusionem τοῦ Celarent: nec possunt hę duæ conclusiones simul esse veræ. Sic igitur argumentor: Conclusio τοῦ Darij est falsa, & maior est vera: ergo minor est falsa: eius igitur contradictio est vera: atqui hæc contradictio minoris τοῦ Darij, est conuersa maior τοῦ Celarẽt: maior igitur propositio τοῦ Celarent conuertitur: quod erat probãdum.

4 *Et si τὸ γ.* Sequitur quarta regula: Si minor propositio & conclusio τοῦ Celarent conuertuntur, etiam maior propositio conuertetur. Hæc conuersio probatur in Camestres, vt apparet in sequenti exemplo.

Ce	Nullum rationale est brutũ:	*Cam*	Omne rationale est homo:
la	Omnis homo est rationalis:	*es*	Nullum brutũ est homo:
	Ergo		Ergo
rent	Nullus homo est brutum.	*tres*	Nullum brutũ est rationale.

Ait igitur Aristoteles, *& si τὸ γ cum α conuertitur*, id est, si conuertitur etiã conclusio. Dico, etiam, vt indicem ex præcedente particula repetendum esse, etiam minorẽ conuerti, quasi Philosophus dicat: si nõ solùm minor sed etiam cõclusio τοῦ Celarent cõuertatur: tunc *etiam τὸ β conuertetur cum α*, id est, conuertetur etiam maior propositio. Deinde ait *nulli enim*, extruẽs syllogismum in Camestres: cuius ponit primò maiorem, deinde minorẽ propositionem. Post hęc ait, *hoc solum*, id est, hæc sola tertia consequentia syllogismorũ negantium *incipit à conclusione*, id est, ducitur à conuersione conclusionis ad conuersionem propositionis, vt fiebat etiã in syllo-

gism ? attributiuo.i.in prima regula de Barbara:alia verò nō similiter.i.duę pręcedētes regulę de syllogismis negātibus,secunda & tertia,non ita progrediebantur à conclusione ad propositiones.


5 *Rursus si ri a.* Quinta regula est:Cùm sunt quatuor termini, quorum duo priores inter se reciprocantur,& duo posteriores similiter inter se reciprocantur; primus autē & secundus ita opponuntur, vt semper alterum sit verum,alterum falsum: cùm, inquā quatuor termini habent has tres conditiones,tunc necesse est vt etiam secundus terminus & quartus eodem modo inter se opponantur,id est,semper alter sit verus, alter falsus. Primò Aristoteles proponit hanc regulam,cuius explicatio referenda est ad typum sequentem:



Hic supponimus tres conditiones. Prima est, α & ϛ conuerti, id est, omne ingenitum esse incorruptibile & omne incorruptibile esse ingenitum. Secunda conditio est, similiter γ & δ reciprocari, id est, omne genitum esse corruptibile,& omne corruptibile esse genitum. Tertia conditio est, rem omnem esse aut α aut γ, id est, aut ingenitā aut genitam. His tribus conditionibus suppositis, concludimus necesse esse, vt quicquid est,aut sit ϛ,aut δ, veluti aut incorruptibile, aut corruptibile. Secundò cùm ait, *Cùm enim*,probat eam consequentiam: quia posito α,ponitur ϛ, id est, si est ingenitū, est incorruptibile, per primam conditionem; item posito γ, ponitur δ, id est,si est genitū: est corruptibile,per secundam cōditionem, item quiduis est aut α,aut γ, nempe aut ingenitum,aut genitum: sequitur ergo vt sit aut ϛ,aut δ, id est , aut incorruptibile, aut corruptibile. Tertiò cùm ait, *duo namque*, magis declarans vim huius consequentiæ, inquit poni duos syllogismos, id est, consequentiam illam resolui in duos syllogismos, per quos apparet consequentiam valere. Qui verò sint illi duo syllogismi, non declarat:sed intelligendum est, vnum syllogismum esse,quo probatur nullam rem simul esse ϛ & δ, id est, incorruptibilem & corruptibilem: alterum, quo probatur nullam rem esse neque ϛ neque δ,id est, neque incorruptibilem neque corruptibilem.

Prior syllogismus ita extruitur:Quodcumque est aut α aut γ, id non est simul ϛ & δ:atqui omne ens aut est α aut γ: ergò non est simul β & δ. Posterior syllogismus est: Quodcumque est aut α aut γ:idem est aut ϛ aut δ nec potest esse neutrum: atqui omne ens vel est α,vel γ: ergo omne ens aut est ϛ aut δ,nec potest esse neutrum.

6 *Rursus si cuiuis.* Sequitur sexta regula:Cùm quatuor termini ita se habent, vt cuiuis rei vel primus vel secundus attribuatur, item vel tertius vel quartus attribuatur: si primus & tertius reciprocantur, necesse est etiam secundum & quartum reciprocari. Primò Aristoteles proponit hanc regulam. Secundò cùm ait, *nam si alicui*, eam probat vtens terminis alphabeticis. Tertiò cùm ait,*vtputà si ingenitum*, adhibet exemplum in terminis realibus: qui in sequenti diagrammate cōiunguntur cum terminis alphabeticis.




In hoc typo tria supponimus: Primò rem omnē aut esse α aut β, id est,aut ingenitam aut genitam. Secundò rem omnem esse aut γ aut δ, id est,aut incorruptibilem aut corruptibilem. Tertiò α & γ reciprocari, id est, quicquid est ingenitum, esse incorruptibile, & contrà. His tribus suppositis, cōcludimus etiam ϛ & δ reciprocari,id est, omne genitum esse corruptibile, & omne corruptibile esse genitum. Hoc autem, id est, β & δ reciprocari probat Philosophus per deductionem ad impossibile: Nam si non reciprocentur, vnum erit absque altero. Ponamus esse δ sine ϛ, ita vt aliquod δ non sit ϛ,id est, aliquod corruptibile non sit genitum.Quoniam ergo negamus β genitum,cogimur concedere α ingenitū.quare

re per primam hypothesim, δ est α, corruptibile est ingenitum. Iam verò posito α ponitur γ, per tertiam hypothesim. si igitur corruptibile est ingenitum, corruptibile erit incorruptibile: quod est falsum, & contra tertiam hypothesim.

7 *Cùm autem*. Sequitur septima regula: Si sint tres termini, quorum primus dicatur de secundo & tertio omnibus & solis: secundus autem dicatur de omni tertio: tūc necesse est primum & secundum reciprocari. Typus ita delineatur:

aptum ad ridendum




rationale homo

In hoc typo supponimus, primò α dici de omni β, & de omni γ, & de his solis, non de vlla alia re. Secundò supponimus β dici de omni γ. His suppositis, concludimus α & β reciprocari. Aristoteles in contextu, primò proponit hanc regulam. Deinde ibi, *Cùm enim*, aggreditur eam probare hoc modo: Quæcumque de iisdem omnibus & solis dicuntur, ea inter se reciprocantur: atqui α & β dicuntur de iisdem omnibus & solis: ergo α & β reciprocantur. Maior per se patet, & vt manifesta omittitur in contextu. Minor ab Aristotele sic probatur: quia τὸ α dicitur de omnibus & solis β & γ, per primā hypothesim. Item τὸ β dicitur de omnibus & solis β & γ. nam quòd dicatur de seipso, manifestum est: (quamuis hæc sit attributio impropria) quoniam vnumquodque est illud ipsum quod est, vt rationale est rationale, & β est β. Quòd idem β dicatur de omni γ, patet per secundam hypothesim. Huius minoris propositionis confirmatio ponitur in contextu ibi, *cùm enim*. Deinde ex hac probatione colligitur ipsa minor, ibi, *apparet de quibus*. Maiorem dixi in contextu prætermitti. conclusio verò posita fuit initio particulæ. Porrò hæc regula est quasi fundamētum syllogismorum, qui extruuntur ex duabus affirmantibus in secunda figura. tales enim syllogismi sunt vtiles ratione materiæ, quā in maior propositio reciprocatur. Cùm igitur τὸ β dicitur de omni γ, id est, concluditur vniuersale affirmans in secūda figura: necesse est reciprocari α & β, id est, maiorem propositionem, vt pereius conuersionē syllogismus resoluatur in Barbara. Ait, *quin & de ipso α*: cùm enim τὸ β dicatur de iis omnibus, quæ subiiciuntur τῷ α, id est, de seipso & de γ: certè dicitur etiam de α: alioqui angustiùs pateret, quàm τὸ α si quidem τὸ α dicitur de seipso, & de β, & de γ. Dum enim dictum est initio huius partic. τὸ α, nulli alij attribui, quàm τῷ β & τῷ γ, respiciebatur ad propriam attributionem, nec excludebatur impropria attributio, qua ipsum α dicitur de seipso.

8 *Rursus si τὸ α*. Sequitur octaua regula, quæ est fūdamentum syllogismorum in tertia figura colligentium conclusionem vniuersalem ratione materiæ, quia termini minoris propositionis sunt conuertibiles: vnde minore propositione conuersā, syllogismus resoluitur in primam figuram.

Primò Aristoteles proponit hanc regulam: Si tres termini ita se habeant inter se, vt primus & secundus attribuantur omni tertio, ac secundus & tertius reciprocentur: necesse est primum dici de omni secundo. Deinde cùm ait, *cùm enim*, probat hanc regulam:, quia conuersis terminis secundo & tertio cōcluditur in prima figura primus de omni secundo, vt in exemplo, quòd contextui subieci, apparet.

9 *Cùm autem*. Sequitur nona regula: Si quatuor termini ita se habent vt primus sit optabilior secundo, & quartus tertio, primus autem vna cùm tertio sit optabilior quàm secundus cum quarto: tunc necesse est, primum esse optabiliorem quarto,



Primò Aristoteles proponit hanc regulam. Secundò cùm ait, *æque enim*, probaturus cā regulam, præmunit, æquè primum esse optandum & secundum fugiēdum, itē æquè quartum esse optandum & tertium fugiendum. Hæc præmunitio probatur ex eo, quòd primum & secundum sunt opposita, item tertium & quartum sunt opposita.

Tertiò cùm ait *si igitur ita*, incipit probare dictam regulam. Summa argumenti in eo consistit: Aut primum est æquè expetendũ ac quartum, aut magis expetendum, aut minùs: sed nec est æquè, nec minùs expetendum: ergo est magis expetendum: atque ita regula probatur. Huius syllogismi disiunctiui maior propositio, tãquàm manifesta, omittitur in contextu. vtraque autem pars minoris probatur: & primùm in hoc membro probatur non esse primum & quartum æquè optabilia: probatur autem per deductionem ad impossibile. nam si primũ & quartum sunt æquè expetenda, etiam secundum & tertium erunt æquè fugiẽda, per hypothesim antea præmunitam. atqui si æqualibus æqualia adiungas: quæ inde efficientur, erunt æqualia. si igitur primo & quarto, quæ ponebantur æqualia, id est, æquè expetẽda, adiungãtur secundum & tertium, quæ similiter ponebantur æqualia, id est, æquè fugienda, nempe si tertium adiungatur primo, & secundum adiungatur quarto: tota quæ inde fiunt, erunt æqualia. ergo primum cum tertio erit æquè expetendum, ac quartum cum secundo: quod est contra hypothesim in regula positam.

Quartò cùm ait, *Quod si vel* probat alteram partem minoris propositionis, id est, primum non esse minùs expetendum, quàm quartum, seu (quod idem valet) quartũ non esse magis expetendum quàm primum. hoc autem similiter probat per deductionẽ ad impossibile. nam si primum est minus expetendum, quàm quartum: etiam secundum, quod opponitur primo, erit minùs fugiendum, quàm tertium, quod opponitur quarto, per hypothesim præmunitam in secundo membro huius particulæ. ergo secundum cum quarto erit magis expetendum, quàm primùm cum tertio, contra hypothesim positam in regula, in qua supponebamus primum cum tertio esse optabilius quàm secundum cum quarto. Consequentia verò manifesta est: quia maius bonũ cum minori malo est optabilius, quàm minus bonũ cum maiori malo: atqui quartum per aduersarium est magis bonum, & secundum est magis malum: primum autẽ est minus bonum, & tertium maius malum. quocirca quartũ cũ secũdo erit optabilius, quàm primum cùm tertio. Quintò cùm ait *vna igitur*, colligit conclusionem principalẽ syllogismi illius disiũcti, id est, primum esse optabilius quarto; quandoquidem probauimus nec esse æquè, nec minùs optabile.

Sextò cùm ait, *proinde etiam*, ex ea conclusione alteram deducit, secundum esse magis fugiendum, quàm tertium. Consequentia patet per præmunitionem positam in secundo membro. Septimò cùm ait, *Si igitur omnis*, doctrinam traditam per elementa, accommodat terminis realibus pertinentibus ad quæstionem de amore, & probat amantem secundum amorem, (id est, si verè amat & habita ratione naturæ amoris: nam multi amantes reperiuntur, qui contrarium sentiant, immo conclusio est contra vulgarem hominum opinionem) magis expetere, vt persona, quam amat, velit sibi gratificari, nec tamen gratificetur, quàm vt nolit gratificari, & tamen gratificetur. Octauò cùm ait, *itaque diligi*, ex conclusione proximè illata, quòd magis expetẽdũ est velle gratificari, quàm actu gratificari, colligit alterã cõclusionẽ, q. in amore diligi est optabilius cõgressu. Consequẽtia patet: quia ex dilectione oritur voluntas gratificãdi, ex cõgressu gratificatio. Nonò cùm ait, *amor igitur*, cõsequẽter infert aliam conclusionem, quòd amor est potiùs gratia dilectionis, quàm congressus. Consequentia manifesta est: quia amamus potiùs ob id quod est optabilius, quàm ob id quod est minùs optabile. Decimò cùm ait, *quòd si huius*, ordine infert aliam cõclusionem cõsentientem iis quæ tradit Plato in conuiuio, nempe verum finem amoris esse dilectionem. Consequentia patet: quia verus finis est ille, cuius potissimùm causâ reliqui sunt, aut fiunt. Vndecimò cùm ait, *Ergo congressus*, consequenter infert aliam conclusionem, quòd congredi, seu coire, aut omnino non est, id est, omnino ad amorem non pertinet; aut eatenus tantùm est expetendum, quatenus per eum acquiritur, vel augetur dilectio. Consequentia patet: quoniam omnia debent respicere ad finem: & quæ ad finem consequendum non pertinẽt, contemnenda sunt: sicut medicus nõ debet ea curare, quæ non valẽt ad conseruandam vel recuperandam sanitatem. Hoc Aristoteles in contextu confirmat exemplo aliarum cupiditatum, & artium. nam & in cupiditatibus, & in artibus, eorum tantùm ratio habetur, quæ ad finem propositum ducunt. Exempli gratiâ mercator lucrum cupit. nõ curabit igitur nũdinas, nec ad eas proficiscetur, nisi speret se ibi lucrum facturum: non enim nundinas expetit per se, sed ratione finis, id est, lucri. Sic studiosus discere cupit: non conferet igitur se in aliquam Academiam, vel non audiet aliquã prælectionem, nisi speret se euasurum doctiorem. Sic igitur etiam amans non expetet congressum, nisi inde speret fore vt magis diligatur.

19 *Quomodo igitur.* Epilogo finem imponit huic capiti.

IN CAP. XXIII. DE INDVCTIONE.

1 *Nunc verò* Proponit vtilitatem huius tractatus. Cùm enim omnes syllogismi fiant in tribus figuris suprà expositis: si deinceps ostenderimus omnes alias probationes reduci ad syllogismum; inde apparebit, non posse quidpiam probari citra tres illas figuras. Quod ad verba, dum Aristoteles ait probationem fieri aut syllogismo, aut inductione: syllogismum accipit in significatione quadam angusta: alioquin etiam inductio est sylllogismus, vt in sequētibus particulis disertè docebit. Ergo hoc significat, omnem probationem fieri aut syllogismo, aut inductione. sed & inductionem esse syllogismum: proinde omnem probationem fieri syllogismo.

2 *Est igitur inductio.* Naturam & vim inductionis declarat primùm absolutè, deinde per cōparationem cum syllogismo propriè dicto. Quod attinet ad absolutam expositionem in primis declarat, quid sit inductio & syllogismus inductiuus, (hæc pro eodē accipe: nam inductio est syllogismus inductiuus) & quomodo fiat. Ait igitur, inductionem seu syllogismū inductiuum esse, cùm probatur alterum extremum, id est, maius extremum dici de medio termino: probatur, inquam, per alterum, id est, per minus extremum. Hæ appellationes sunt accipiendæ respectu syllogismi propriè dicti, id est, naturali ordine progredientis Sint enim tres termini, α β γ: ita vt τὸ α sit supra β, & τὸ β supra γ. in syllogismo primæ figuræ propriè dicto sumimus α pro maiore extremo: β, pro medio termino: γ, pro minore extremo: & cōcludimus α de γ per medium β: inductiuè verò probamus α de β per medium γ. Dicitur ergo inductio maius extremum concludere de medio termino, id est, de β. quamquàm hoc β in ipsa inductione non est medius terminus, sed est minus extremum: alioqui non ingrederetur conclusionem. Rursus dicitur probare per minus extremum, id est, per γ, quod tamen non accipit vt minus extremum, sed vt medium & ita ipse Aristoteles verba sua declarat in seq. particula.

3 *Veluti si τῶν α γ.* Proponit exemplum inductionis in terminis alphabeticis. ex quo colligitur expositio proximè tradita, quòd inductio probat maius de medio per minus, id est, α de β per γ.

4 *Vt puta esto.* Terminis alphabeticis adiungit terminos reales: & primò ipsos terminos constituit, & ponit longæuum, vbi α vacans bile, vbi β: singula longæua, exempli gratiâ hominem, equum, & asinum, vbi γ. Secundò cùm ait, *Ergo toti γ*, extruit syllogismum inductiuum. cuius initiò ponit maiorem propositionem, omne γ est α. Deinde ibi, *sed & τὸ β*, adiungit minorem propositionem, omne γ est β. Deinde ibi, *si igitur conuertatur*, ponit conditionem requisitam in ea minori propositione, vt conclusio rectè inferatur. Conditio hæc est, vt minor propositio reciprocetur. alioquin esset syllogismus in tertia figura, ex quo non potest inferri conclusio vniuersalis, qualis est conclusio inductionis, nisi minor reciprocetur, vt fuit expositum cap. præced. part. 8. Deinde ibi, *necesse [est] τὸ α*, infert ipsam cōclusionem, omne β esse α. Deinde ibi, *quandoquidē antea*, ostendit eam conclusionem rectè illatam esse, quamuis sit vniuersalis in tertia figura, quia minor ratione materiæ simpliciter reciprocatur, vt fuit probatum antea, id est, dicta particula 8. cap. præced. Hæc omnia refero ad secundum membrum huius partic. Tertiò cùm ait, *Intelligere autem*, declarat, quomodo accipiendus sit terminus γ. quamuis enim sit vna litera, nō tamen ibi debemus ponere vnum terminum realem: sed litera illa γ repræsentat compositū quiddam ex multis terminis realibus comprehensis sub α maiori extremo. nam inductio non argumentatur ex vno, sed ex omnibus: veluti Plato, Aristoteles, Socrates, & singuli alij philosophi sunt beati: ergo omnis philosophus est beatus Quod dixi cum Aristotele, inductionem fieri ex omnibus speciebus maioris extremi, intelligendum est de inductione perfecta. nam interdum pauca sumuntur: túncque est inductio imperfecta, qualis est ea inductio, sub qua continetur exemplum, quemadmodum in seq. cap. explicabo.

5 *Est autem.* Declarat inductionis materiam, id est, quænam potissimùm probari debeāt inductione: & ait, per eam probādas esse propositiones primas & immediatas. Primas & immediatas accipit ἐκ παραλλήλου. nam quæ medium habent, non sunt primæ: siquidem probari possunt per illud mediū, ex quo extruuntur aliæ propositiones priores: conclusio namque est posterior propositionibus. Prima igitur propositio non est, quæ probatur per alias propositiones: sed quæ non habet propositiones supra se. Talis igitur propositio, si obscura sit, cùm non possit probari syllogismo propriè dicto, id est, non possit probari per medium,

eò quòd nullum est medium, necesse est vt probetur per inductionem, atque ita probetur per inferiora & posteriora.

6 *Verum enim.* Probat, quod modò dixit, inductionum vsum potissimùm spectari in propositionibus immediatis. Nam mediatæ rectiùs probãtur per syllogismum propriè dictum: quippe cùm hic syllogismus naturali ordine progrediatur, & maiorem vim habeat, quàm inductio, vt dicetur in vlt. partic. Sic igitur hæc partic. præcedenti cohæret: quoniam eam confirmat. Est & alius nexus non omittendus: nam hactenus exposuit inductionem absolutè; nunc autem incipit eam cõferre cum syllogismo propriè dicto. Prima igitur collatio sumitur à materia, id est, ab iis quæ probantur. nam syllogismo probantur, quæ medium habent: inductione verò probantur potissimùm, quæ medio carent.

7 *Et quodammodo.* Secunda collatio sumitur à forma, id est, progressu syllogistico: quia syllogismus probat maius extremum de minori per mediũ: induct io verò probat maius de medio per minus, vt exposui ad partic. 2.

8 *Naturâ igitur.* Tertia collatio, seu tertia differentia sumitur à dignitate & vsu: quoniam syllogismus progreditur à prioribus & notioribus naturâ, inductio verò ab iis quæ sunt nobis notiora & priora, proinde syllogismus est præstantior, inductio verò est euidentior. Quæ autem sint superiora & notiora nobis, vel naturâ, docebit Aristoteles lib. 1. Poster. cap. 2. part. 11. & lib. 1. Phys. cap. 1. & lib. 1. minore (qui est liber secundus Latinis) Metaphys. cap. 1.

IN CAP. XXIV. DE EXEMPLO.

INductionem meritò sequitur exemplum, quod est inductio quædam, vt inquit Aristot. lib. 1. Poster. cap. 1. part. 3. & lib. 1. Rhetor. cap. 2. quia vis exempli ab inductione pendet, vt ex huius capitis expositione intelligetur.

1 *Exemplum verò.* Definit exemplum. Vt autem hæc definitio rectè intelligatur: sciendum est, exempla solere concisè proponi, id est, adhibita vnâ propositione, & conclusione: veluti, Thebanis nocuit bellum contra Phocenses, ergo Atheniensibus nocebit bellũ cõtra Thebanos. Quòd si velimus secundum artem resoluere exemplum in formam syllogisticam: necess- est multa addere, & omnino duos syllogismos extrue- re; quorum vnus est principalis, & syllogismus propriè dictus, id est, probans maius extremum de minori per medium; alter verò est prosyllogismus probãs maiorem syllogismi principalis. hic prosyllogismus est inductio imperfecta: quia non sumitur ex omnibus particularibus, sed ex vno, aut quibusdam. Hæc perspicuè intelligentur ex enarratione 3. partic. Sed in præsentia hoc notare fuit necesse, vt intelligatur, definitionem, quæ hîc proponitur, non continere omnes partes exempli, sed tãtùm prosyllogismum. Hoc enim est, quod Aristoteles ait, Exemplum esse, quando probatur extremum (sub. maius) inesse medio termino, per simile tertio, id est, per quartum terminum similem minori extremo. nam hic est prosyllogismus probans maiorem propositionem, id est, maius inesse medio. iam adde minorem, id est mediũ inesse minori extremo; habebis syllogismum principalem, quo concludetur maius extremum inesse minori extremo. Si quæras, cur Aristoteles proponat tantùm in præsentia prosyllogismum, respondebo: quia vult exponere, in quo cõsistat vis exempli: cuiuscumque autem argumentationis vis consistit in primis propositionibus, ex quibus sequentium probatio pendet: proinde vis exempli potissimùm consistit in primo syllogismo. & quoniam hic est inductio, idcirco Aristoteles refert exemplum ad inductionem potiùs, quàm ad syllogismum propriè dictum: quamuis exemplum in se cõtineat tam syllogismum, quam inductionem.

2 *Oportet autem.* Docet, quinam termini recipiant exẽplum, seu probationem per exemplum: & ostendit requiri quatuor terminos, in quibus insint hæ conditiones, quas mox exponam. Quatuor termini sunt: Primus, id est, maius extremum: secundus, id est, medius terminus: tertius, id est, minus extremũ: quartus, id est, similis tertio. Cõditiones sunt hæ: Prima vt perspicuũ sit, medium attribui minori extremo: hinc sumetur minor propositio syllogismi principalis. Secunda, vt perspicuum sit, maius attribui quarto termino: hinc sumetur maior propositio prosyllogismi. Adde tertiam conditionem, quam Aristoteles adiiciet in seq. partic. nempe vt perspicuum sit, medium attribui quarto termino: vnde sumetur minor propositio prosyllogismi. Reliqua duo pronũciata sunt ignota, id est, primum attribui medio, quæ est conclusio prosyllogismi, eadémq; maior propositio syllogismi principalis: item primum inesse omni tertio, quæ est conclusio principalis.

3 *Verbi*

3 *Verbi causâ esto*. Propositis terminis realibus declarat, quomodo fiat exẽplum, & quo modo reducatur ad syllogismũ. Primò igitur cõstituit ipsos terminos, ita vt α seu primus terminus sit malũ, &c. vt in cõtexto per spicuè proponũtur. Secundò cùm ait, *Ergo si velimus*, extruit ex illis terminis syllogismos in quos exemplum est resoluendũ: & initiò proponit conclusionem probandam, quòd Athenienses bellũ gerere contra Thebanos malum sit. Deinde ibi, *accipiendum [est,]* ponit maiorem propositionem syllogismi principalis, quòd bellum gerere contra finitimos malum sit. Et quia hæc propositio est dubia: idcirco cùm ait, *huius autem*, subiicit eius probationem, id est, prosyllogismũ cuius tamẽ minorẽ tãtùm propositionẽ proponit. Hic prosyllogismus, cùm sit inductio quædam, extruitur in tertia figura, hoc modo: Thebanos contra Phocenses bellum gerere, est malum: atqui Thebanos cõtra Phocenses bellum gerere, est contra finitimos bellum gerere: ergo contra finitimos bellũ gerere, est malum. Hæc conclusio non necessariò colligitur: quia concluditur vniuersaliter in tertia figura: & minor propositio non reciprocatur, eò quòd inductio est imperfecta: quia non sumuntur omnes, qui contra finitimos bellum gesserunt, sed tantùm quidam, vt Thebani. Quòd si Thebanis bellum contra finitimos gestum, malè cessit: fortasse aliis, vt Romanis, non malè cessit. Hinc est, quòd probatio per exemplum est infirma, & minimè necessaria, sed tantùm probabilis. Postea cùm ait, *quoniam igitur*, resumit illam maiorẽ, quam prosyllogismo probauit, vt perficiat syllogismum principalem. Deinde ibi, *[bellum] autem contra Thebanos*, adiungit minorem propositionem eiusdem syllogismi principalis, quòd Athenienses contra Thebanos bellum gerere, est contra finitimos bellum gerere. Deinde ibi, *Perspicuum [est] aduersus*, colligit conclusionem principalem, id est, quòd Athenienses contra Thebanos bellum gerere, malum est. Hæc vt apertiùs intelligantur, respiciantur typus & exemplum, quæ subieci contextui. Atque hęc omnia refero ad secundum membrum huius particulæ. Tertiò cùm ait, *Itaque τῶ ζ*, declarat, quænam in proposito exemplo sint nota, vel ignota: quæ in dicto exemplo perspicuè apparent. Notæ enim sunt vtræque propositiones prosyllogismi, & minor syllogismi principalis: ignotæ sunt conclusio prosyllogismi, quæ est maior propositio syllogismi principalis, & conclusio principalis.

Quartò cùm ait, *eodem modo*, ostendit eandem esse rationem, si sumantur multa tertio similia, id est, si vbi δ, ponamus multos terminos. nam in dato exemplo erat vnus terminus, id est, vnum exemplum belli à Thebanis contra Phocenses gesti: idem autem est, si addamus alia exempla, id est, alia bella contra finitimos gesta, quæ bellum inferentibus nocuerunt: nam hæc omnia ponentur vbi δ, ad probandum α de β, id est, maius de medio, hoc est, ad probãdam maiorem propositionem syllogismi principalis.

4 *Perspicuum igitur*. Distinguit exemplum à syllogismo, & inductione quoniam syllogismus progreditur à toto ad partem, id est, ab vniuersali ad particulare: inductio à parte ad totum: exemplum à parte ad partem: quod perspicuè intelligi potest ex sequenti exemplo. Syllogismus est, veluti,

Contra finitimos bellum gerere est malum:
Atqui Athenienses contra Thebanos, est contra finitimos bellum gerere:
Ergo Athenienses contra Thebanos bellum gerere, est malum.

Inductio est, veluti,

Bellum Thebanorum contra Phocenses, & Atheniensium contra Thebanos, & cetera eiusmodi, mala sunt:
Ergo generaliter bellum contra finitimos, malum est.

Exemplum est, veluti,

Bellum Thebanorum contra Phocenses, malum fuit:
Ergo etiam bellum Atheniensium contra Thebanos, malum erit.

Hoc discrimen volẽs Aristoteles declarare, inquit exemplum non progredi à toto ad partẽ, (subaudi, vt syllogismus) nec à parte ad totum, (subaudi, vt inductio) sed à parte ad partem, id est, à particulari ad particulare, cùm ambo scilicet particularia sint contenta sub eodẽ genere, vt in exemplo antea posito argumentabamur à δ ad γ, id est, à bello Thebanorum contra Phocenses, ad bellum Atheniensiũ contra Thebanos: hęc autem ambo, γ & δ, continẽtur sub eodem ζ. Addit Aristoteles, alterum horum esse notius altero: quoniam id ex quo ducitur argumentum semper debet esse notius eo, quod probatur. Sic cùm γ probetur per δ: opus est, vt δ sit notius. Intellige hoc esse notius, non respectu τῶ β: nam æquè

notum est, β dici de γ, & de δ: sed intellige notius respectu τοῦ α: quia notum est, α dici de β. quòd autē α, dicatur de γ, est ignotum, & in quæstione positum, & exemplo τοῦ δ probatur.

5 *Ac differt.* Duplici differentia separat exemplum ab inductione. Prima differentia est: quòd inductio sumit omnia particularia, nempe si sit inductio perfecta; exemplum verò sumit tantùm quædam, vel tantùm vnum particulare, vt in exemplo ante tradito ex vno bello Thebanorum contra Phocenses, concludebatur malum esse bellum Atheniensium cōtra Thebanos. Altera differentia est: quod inductio absoluitur vno syllogismo, & terminatur in probatione maioris extremi de medio termino: exemplum verò vlteriùs progreditur, & huic syllogismo inductiuo adiungit alterum propriè acceptum, quo probatur maius extremum de minore. Has differētias Aristoteles cōiunctim declarat: quia primùm proponit vtramque conditionem seu proprietatem. Primò igitur ponit duas proprietates inductionis; quorum prior est, inductionem ex omnibus indiuiduis probare extremum (subaudi, maius) de medio. Posterior proprietas inductionis est, quòd non connectit syllogismum ad extremum: subaudi, minus, id est, postquàm probauit in tertia figura primum de medio, non pergit vlteriùs ab illo medio ad tertium, nec extruit secundum syllogismum probantem maius extremum de minore extremo. Postea cùm ait, *hoc verò*, ponit duas contrarias exempli proprietates ordine inuerso. Nam prima proprietas exempli respondet secundæ proprietati inductionis, & secunda respondet primæ. Primæ ergo exempli cōditio est, quòd hoc, i. exemplū *connectit*. ex proximo repete, syllogismum ad extremū, id est, postquàm primum probauit de medio in tertia figura, deinde per illud medium probat primum de tertio in prima figura. Secunda exempli conditio est, quòd nō ex omnibus (subaudi, indiuiduis, seu particularibus) probat: supple, primum de medio.

IN CAP. XXV. DE ABDVCTIONE.

ABductio quoque refertur ad syllogismum: quia nihil aliud est, quàm syllogismus non pariens verā scientiam, continens tamen aliquam vtilitatem, quatenus facit vt ad sciētiam propiùs accedamus, quàm antea essemus.

1 *Abductio verò.* Declarat duos modos abductionis: ac primò proponit primum modum, qui est bipertitus. Primus enim modus abductionis est, quando conclusionem ignotam probamus per syllogismum, cuius minor propositio non est nota (alioquin scientiam pareret) est tamen vel æquè credibilis, vel credibilior quàm conclusio. Hoc modo non acquirimus scientiam, sed propiùs ad scientiam accedimus: quia comparamus nobis facilitatē aliquam perueniendi ad scientiam. Etenim antequàm facta esset abductio non habebamus aliam viam perueniendi ad scientiam quàm vt probaremus conclusionem. Itaque tota inueniendi methodus, quæ fuit superiori libro exposita, referenda erat ad vnam hanc conclusionem. nunc verò cùm habemus abductionem ex maiore propositione nota & minore ignota, faciliùs ad scientiam perueniemus, id est, siue alio modo probemus eandem conclusionem, siue probemus minorem: quandoquidem supponimus maiorē esse notam: ea verò minor videtur faciliùs probari posse, si fortè sit credibilior conclusione. Secundò cùm ait, *Præterea si pauca*, proponit alterum modum abductionis, nempe quādo minor propositio syllogismi per pauciora media probari potest, quàm conclusio. nam ita quoque propiùs accedimus ad prima principia, per quæ comparatur scientia. Tertiò cùm ait, *Omnino enim*, declarat cur his modis dicatur fieri abductio. hæc ratio sumitur ex definitione abductionis: quoniam his modis non comparamus scientiam, sed ad eam propiùs accedimus. Hinc igitur colligitur definitio abductionis, nempe syllogismus non pariens scientiam, sed efficiens vt propiùs ad scientiam accedamus.

2 *Verbi causa.* Exemplo declarat primum modum, seu primam speciem abductionis quod quidem exemplum sumptum videtur ex Platone in Menone. Est autem syllogismus in Barbara ex maiore nota & minore ignota: quę tamen minor aut est æquè probabilis, aut probabilior cōclusione.

3 *Rursus [abductio.]* Alio exemplo declarat secundam speciē abductionis. Hic quoque fit syllogismus in Barbara ex maiore nota, & minore ignota, quæ tamen probatur per pauciora media, quam conclusio.

Bar Omne rectilineum quadratur:
ba Omnis circulus fit rectilineus:
ra Ergo omnis circulus quadratur.

Hoc exēplum sumptum est ab Hippocrate Chio, quia hac ratione existimauit se inueniffe,

nisse tetragonismû, vt legere est apud Simplicium in cap. 2 lib. 1. Phys. Addamus exemplum, non quidem reipsa melius, sed tamen magis perspicuum. Volo probare omnem hominem esse substantiam, & ita argumentor. Omne corpus est substantia, omnis homo est corpus, ergo omnis homo est substantia. Abductio est: quoniam minor propositio per pauciora media probatur, quàm conclusio. etenim conclusio est, omnem hominem esse substantiam: inter hominem autem & substantiam sunt tria media, corpus, viuens, animal, minor autē est, omnem hominem esse corpus, atque inter hominē & corpus sunt tantùm duo media, nempe viuens, & animal. propiùs igitur accessi ad scientiam: ac deinde pergam, & probabo eam minorem hoc modo: Omne viuens est corpus, omnis homo est viuēs, ergo omnis homo est corpus. Hoc prosyllogismo adhuc propiùs accessi. Tandem huius prosyllogismi minorem probo: Omne animal est viuens, omnis homo est animal, ergo omnis homo est viuens Hæ sunt ambæ propositiones immediatæ: quia nihil est mediū inter viuens & animal, nec inter animal & hominem. Hic igitur subsisto: qui iam habeo scientiam.

4 *Cùm autem.* Postquam docuit, quibus modis fiat abductio: nunc docet, quibus modis non fiat: quoniam contraria iuxta se posita magis elucescunt. Proponit igitur duos modos, quorum prior est minùs quàm abductio; quia nos relinquit in nostra ignorantia, & nihil prodest, sed est syllogismus inutilis. Posterior est plus quàm abductio: quia parit scientiam, & est demōstratio. Primus ergo modus est, quando minor propositio est ignota; & neque est credibilior conclusione, nec æquè credibilis, idcóque non est primus modus abductionis; neque probatur per pauciora media, quàm conclusio, proinde non est secundus modus abductionis. Posterior modus est ibi, *neque cùm*, quādo minor propositio est immediata: nam talis propositio est principium demonstrationis, vt definietur 1. Posterior. cap. 2. part. 13.

IN CAP. XXVI. DE OBIECTIONE, QVAE VVLGO instantia vocatur.

1 *Obiectio.* Definit obiectionem siue instantiā: & ait, eā esse propositionē propositioni contrariam i. quæ à nobis proponitur vt propositionem aduersarij euertamus. Contrariam latiùs accipe: siue sit propriè contraria: siue contradicens. Cùm dicatur obiectio esse contraria propositioni, hinc distinguitur ἀπὸ τῆς ἀντιθέσεως, est, ab euersione, quæ opponitur ipsi conclusioni aduersarij, si Philopono credimus.

2 *Differt autem.* Discrimen ponit inter obiectionem & propositionem, id est, propositionem illam, cui obiicitur: alioqui etiam ipsa obiectio est propositio, vt dictum fuit in definitione. Discrimen est: quòd obiectio est vniuersalis vel particularis: propositio verò, si sit pars syllogismi vniuersalis, necessariò est vniuersalis. sensus est, propositiones constituentes syllogismū vniuersalem esse vniuersales: euerti autem vel per obiectiones vniuersales, vt contrarias; vel, per particulares, vt contradicentes. Huic sententiæ opponitur, quod ait Aristot. lib. 1. Poster. cap. 12. part. 11. Omnem instantiam esse vniuersalem. Existimo hæc loca per distinctionem sic esse concilianda. Aristoteles hic considerat instantiam siue obiectionem, quatenus euertit propositionem contrariam. hæc obiectio potest esse tam vniuersalis, quàm particularis in Poster. autem considerat obiectionem, quatenus per eam non solùm euertitur propositio aduersarij, sed etiam demonstratio erigitur. quoniam igitur demonstratio constat ex propositionibus vniuersalibus, etiam hæc obiectio necessariò est vniuersalis.

3 *Obiicitur autem.* Primò proponit duas diuisiones obiectionis. Secundò cùm ait, *bifariam quidem*, explicat priorem diuisionem, quòd obiectio est vel vniuersalis, vel particularis, vt paulò antè dictum est. Tertiò cùm ait, *in duabus*, explicat alteram diuisionem, quòd omnis obiectio fit vel in prima, vel in tertia syllogismorum figura. Resoluitur obiectio in has figuras: quoniam etiamsi vna sit propositio; tamen sic à nobis proponitur: vt velimus tacitè subaudiri alteram propositionem, & concludi contra propositionem aduersarij, vt ex sequentibus particulis apparebit. Quòd autem obiectio fiat solùm in prima & tertia figura, non in secunda, Aristoteles in præsentia ostendit leui quodam argumento, sed posterius firmioribus rationibus comprobabit. Ait igitur obiectionem esse oppositam propositioni: idéoque probari tantùm in prima & tertia figura, quia in his solis probantur opposita. Qui sic? quia in his solis probantur affirmatio & negatio: in secunda verò figura tantùm probatur negatio. Hæc ratio facilè soluitur: quia possum aliquis ponere propositionem aduersarij affirmantem: idcóque obiectionem opposi-

tam quæ negans eſſe debet, probari in ſecunda figura.

3 *Nam cùm* [*quis.*] Proponit exemplum obiectionis vniuerſalis in prima figura, & particularis in tertia: atque ita ſimul declarat vtramque obiectionis diuiſionem. ſed primò generaliter ait, cùm propoſitio eſt vniuerſalis affirmans, obiectionem eſſe vel vniuerſalem negantem, quæ refertur ad primam figuram, vel particularem negantem, quæ refertur ad tertiam figuram. Secundò cùm ait, *vtputà eſto*, proponit terminos, ex quibus conſtat propoſitio aduerſarij. Tertiò cùm ait, *Ergo cum* [*quis.*] ex illis terminis extruit propoſitionem, contrariorum eadem eſt ſcientia. Intellige contraria eſſe ſubiectum: vnam vel eandem ſcientiam, eſſe attributum. Quartò cùm ait, *Obijcitur vel quòd*, Proponit obiectionem vniuerſalem, eámque facit maiorem propoſitionem, nempe oppoſitorum non eſſe vnã ſcientiam: & ſupplet minorem, atqui contraria ſunt oppoſita: vnde extruit ſyllogiſmum in prima figura, id eſt, in Celarent. Sumit igitur aduerſarius hanc propoſitionem, contrariorum eſt vna ſcientia: nos apponimus generaliter, immo oppoſitorum nõ eſt eadem ſcientia, id eſt, nulla oppoſita in eandem ſcientiam cadunt. Vis huius obiectionis apparet, ſi addatur minor, & concluſio, vt Ariſtoteles facit. Quintò cùm ait, *Vel quòd noti*, contra eandem propoſitionem proponit obiectionem particularem, immo noti & ignoti non eſt eadem ſciẽtia. & cùm ait, *atque hæc*, docet hanc obiectionem referri ad tertiam figuram, proponens vtramque propoſitionem; & primo loco minorem, quòd notum & ignotum ſunt contraria; poſtea maiorem, quæ eſt ipſa obiectio, quòd noti & ignoti non eſt eadem ſcientia. Ex his propoſitionibus concluditur in Felapton, non omnium contrariorum eſſe eandem ſcientiam.

5 *Rurſus itidem.* Quæ dixit in præced. particula de propoſitione aduerſarij affirmante, producit ad propoſitionem negantem in iiſdem terminis, nempe ſi aduerſarius ponat contrariorum non eſſe eandem ſcientiam. vel enim opponimus, immò omnium oppoſitorum eadem eſt ſcientia: atque extruetur ſyllogiſmus in Barbara: quia ſupplenda eſt minor, atqui omnia contraria ſunt oppoſita: vnde colligitur, omnium contrariorum eſſe vnam ſcientiam, vel opponimus particulariter, ſalubris & inſalubris vnam eſſe ſcientiam: & ſyllogiſmus fiet in Darapti, ſi ſuppleatur minor, ſalubre & inſalubre ſunt contraria: concludetur enim, quorundam contrariorum eſſe vnam ſcientiam.

6 *Simpliciter enim.* Quod dixit, in prima figura tantùm & tertia fieri ſyllogiſmũ ἐνστατικὸν, id eſt, in quem reſoluitur obiectio, id deinceps quatuor rationibus confirmat. Prima ratio ſumitur à collatione medij termini. nam, vniuerſaliter obiiciens, ſumit terminum, qui attribuitur ſubiecto propoſitionis, quam impugnat, & ſubiicitur attributo eiuſdem propoſitionis: vt in exemplo antea poſito attributum propoſitionis erat, vna ſcientia: ſubiectum, contraria: obiectio verò vniuerſalis ſumebatur ab oppoſitis, ſub quibus continentur contraria, tamquàm ſpecies ſub genere. ſic igitur fit prima figura: quia vna ſcientia prædicatur de oppoſitis, & oppoſita de contrariis. Particulariter autem obiiciens, accipit terminum qui ſubiicitur vtrique termino propoſitionis contrariæ; qua ratione fit tertia figura: vt in exemplo ſuprà poſito ſumebatur ſalubre & inſalubre: cui & vna ſcientia, & contraria attribuuntur. Hæc eſt ſententia huius particulæ: quàm diſtinctiùs explicare ob verborum obſcuritatem operæpretium erit. Primò igitur Ariſtoteles loquẽs de vniuerſali obiectione, inquit hoc *ſimpliciter*, id eſt generaliter, in omnibus diſputationibus obtinere, vt neceſſe ſit, obiectionem vniuerſalem, dirigat contradictionem propoſitorum, id eſt, ſuam obiectionem, quæ opponitur propoſitioni aduerſarij; dirigat (inquam) ad vniuerſale, id eſt, in ea obiectione ſumat terminum vniuerſalem, qui attribuatur ſubiecto propoſitionis, vt in exemplo antea dato ſumebamus hunc terminum, oppoſita, qui eſt vniuerſalis, & attribuitur ſubiecto propoſitionis, id eſt, contrariis. hoc ipſum exemplum, quod nunc poſui, Ariſtoteles in ſequenti membro ſubiicit, cùm ait, *vtputà poſtulante.* Tertiò cùm ait, *ſic autem*, oſtendit hoc modo, ſeu per hunc terminum vniuerſalem fieri primam figuram. Quartò cùm ait, [*Qui*] *autem in parte*, tranſit ad obiectionem particularem: & inquit, cùm in parte obiicitur, id eſt, in obiectione particulari, id ſumi, ad quod refertur vniuerſaliter, id eſt, cui vniuerſaliter attribuitur id de quo propoſitio dicitur, id eſt, ſubiectum propoſitionis aduerſarij. Senſus eſt, ſub ſubiecto propoſitionis, conſequenter ſub ipſa propoſitione, quæ impugnatur, contineri terminum obiectionis. Quintò cùm ait, *veluti noti*, id quod modò dixit, exemplo declarat. nam obiectio

particula

particularis sumit notum & ignotum: hæc autem continentur sub subiecto propositionis, id est, sub contrariis, tāquàm species sub genere. Sextò cùm ait, *fitque tertia*, ostendit, hoc modo, seu per hunc terminum particularem fieri syllogismum in tertia figura: quia medius terminus, id est, nouus ille terminus in obiectione positus, subiicitur vtrique termino propositionis, contra quam obiicitur.

7 *Ex quibus.* Sequitur secunda ratio sumpta à proprietate secundæ figuræ, in qua non concluduntur opposita, id est, affirmatio & negatio, sed tātùm negatio. Hæc ratio tunc valet, cùm propositio impugnanda negat: quia tunc necesse est obiectionem affirmatiuam fieri. Hic rationem attigit etiam suprà part 3.

8 *Præterea etiamsi.* Sequitur tertia ratio à proprietate obiectionis: quoniā obiectio debet esse perspicua & euidens: in secunda autem figura esset obscura. lateret enim, nec facilè à quouis suppleri posset altera propositio, quæ reticetur, & supplenda est, vt perficiatur syllogismus obiectiuus: vt in hoc exemplo: Sit propositio, contrariorum vnam esse scientiam. si obiicias, immo contraria non sunt simul: difficile est intelligere, quid supplendum sit: nec apparet vis obiectionis, nisi adiungatur maior propositio, & in Camestres ita concludatur: Vna scientia est eorum quę sunt simul; atqui cōtraria non sunt simul: ergo contrariorum non est vna scientia.

9 *Ideóque signum.* Sequitur quarta ratio sumpta à simili: quia signum non sumitur ex secunda figura: ergo nec obiectio sumi debet. Antecedens declarabitur cap. seq. cōsequentia probatur: quoniam vtriusque, id est, obiectionis & signi eadem est ratio. nam & signū debet esse perspicuum, & obiectio perspicua. Si igitur obscuritas secundæ figuræ impedit, quò minùs ex ea sumātur signa: similiter obstabit, quò minùs obiectiones ad eam referantur. Hæc ratio præcedentem confirmat. nam secundæ figuræ (quantum ad hunc tractatum) obscuritas probatur ex eo, quòd signum inde nō sumitur.

10 *Considerandа autem.* Quoniam omnis obiectio sumitur aut ex eodem, vt in exemplis suprà positis: aut à simili, veluti, si quis proponat contrariorum esse vnam scientiam, & aliquis obiiciat contrariorum non esse vnam facultatem: aut à contrario, veluti si quis proponat voluptatem non esse bonam, & alius obiiciat dolorem esse malum: nam per argumentum à contrario colligitur voluptatem esse bonam: aut ab opinione, siue à iudicatis (nam quæ hic dicitur secundum opinionem, alibi ab Aristotele vocatur à iudicatis) veluti si quis proponat ebrios non esse puniendos, & alius obiiciat iudicium Pittaci ebrios duplici pœna afficientis: quoniam (inquam) tot modis sumitur obiectio, vt docet Philosophus lib. 2. Rhetor. cap. 25. in præsentia verò locutus est tātùm de obiectione ab eodem, ideo inquit reliquas quoque esse considerādas. Vlteriùs tamen non declarat: quia reliquæ magis pertinent ad rhetorem, quàm ad logicum: proinde earū cognitio ex dicto loco Rhetorico rū petenda est. Hæc sunt, quæ de obiectione tractantur in hoc capite: cum quo coniunge non solùm dictum cap. 25. secūdi Rhetoric. sed etiam cap. 12. part. 2. lib. 1. Poster. & cap. 2. partic. 4. lib. secundi Top. & cap. 2. & cap. 8. libri octaui Topicorum.

IN CAP. XXVII. DE ENTHYMEMATE.

Enthymema aliter à Cicerone & Quintiliano, aliter ab Aristotele, aliter vulgò à scholasticis accipitur. Cicero in Topicis ait, cùm enthymema propriè significet omnem sententiam, tamen κατ' ἐξοχὴν tam argumētationem rhetores enthymema appellare, quæ ex contrariis sumitur, & à Dialecticis vocatur tertius concludendi modus, veluti, Eam, quam nihil accusas damnas. Bene quam meritam esse autumas, dicis male mereri. Quintilianus autem libro 5. cap. 10. tres enthymematis significationes recenset: vt Primò omnia mente concepta significet: Secundò sententiam cum ratione: Tertiò certam quandam argumenti conclusionē, vel ex consequentibus, vel repugnantibus. Quamquàm inquit de hoc parum constare: quia nonnulli eam argumentationem, quæ est ex consequentibus ἐπιχείρημα hanc verò solam, quæ ex repugnantibus sumitur, enthymema vocant. Idem Quintilianus eiusdem li. cap. 14. *Enthymema, inquit, & argumentum ipsum, id est, rem quæ probationi alterius adhibetur, appellant, & argumenti elocutionem. Eam verò dixi duplicem, ex consequentibus &c. ex repugnantibus verò, quod etiam solum, enthymema quidam vocant.* Hæc Tullius & Fabius. Hodie vulgò enthymema dicitur esse syllogismus imperfectus, id est,

ex vna propositione constans: nempe quia vna est expressa, altera tacita. Vtra autem sit expressa, vel tacita, ex plerorumque sententia nihil interest: imo quidam in suis Dialecticis vtriusque generis exempla proponunt. sed Pachymerius in Epitome Logica angustiùs accipit enthymema pro eo tantùm, quod solam minorem expressam habet. Aristoteles verò eam ratiocinationem vocat enthymema, quæ sumitur ex verisimili aut signo: siue vna propositio, siue ambæ exprimantur: ideóque ait Enthymema esse syllogismum rhetoricum. quia Rhetores argumentantur ex verisimilibus, & signis. lib. 1. Poster cap. 1. part. 3. & aliis locis. Si quis igitur ita argumentetur: Periculosum fuit Atheniensibus, concedere Pisistrato corporis custodiam: ergo & Thrasibulo eam concedere, periculosum est: secundum aliorum definitionem vtitur enthymemate: secundum Aristotelem autem dicitur vti exemplo. Rursus hæc argumentatio; quæcumque habet lac, concepit, atqui hæc mulier habet lac, ergo concepit; ab Aristotele vocatur enthymema, vulgò nõ enthymema, sed syllogismus perfectus nominatur. Denique hæ omnes argumentationes, inductio, exemplum, obiectio, enthymema, ita ab Aristotele appellantur, siue vtraque propositione expressa habeant formam syllogisticam, siue vno pronunciato expresso alterum reticeatur. Reliqua huc spectantia notabo ad definitionẽ enthymematis.

1 *Verisimile autem.* Quia in definitione enthymematis mentionem faciet verisimilis, & signi: ideirco, ne per ignota definiat, horum explicationẽ præmittit: & primùm generaliter proponit, hæc duo non esse idem, sed inter se differre. Secundò cùm ait, *sed verisimile*, definit verisimile propositionem probabilem. Tertiò cùm ait, *quod enim plerumque*, declarat hanc probabilitatem per diuisionem quadrimẽbrem. Dicitur enim probabile, vel quod plerumque fit, vt æstus diebus canicularibus: vel quod plerumque non fit, vt serenitas in nouilunio, vel quod plerumque est: vel quod plerumque non est. Vt enim plerumque accidere solet, ita probabile est esse, vel euenisse, aut euenturum esse. Quartò cùm ait, *vt inuidentes*, subiicit duo exempla eiusmodi propositionum verisimilium, quæ non sunt necessariæ, sed probabiles. Altera est: Qui inuident, oderunt eos, quibus inuident. Altera est, Amantes diligunt.

2 *Signum autem.* Cùm exposuerit, quid sit verisimile: nunc docet, quid sit signum. & Primò ponit definitionem, inquiens signum esse propositionem demonstratiuam, siue necessariò, siue probabiliter demonstret. Verbum ergo *demonstratiua* hoc loco latiùs sumitur, vt & multis aliis locis. nam quæ propriè dicitur demonstratiua, ea est maximè necessaria: sed hic appellatur demonstratiua, quæ vim habet aliquid quouis modo probandi. Duplex igitur est discrimen verisimilis & signi. Primò verisimile spectatur per se, vt inuidentes odisse: signum autem refertur ad id cuius est signum, vt mulierem habere lac, dicitur signum conceptionis. Secũdò verisimile non est necessarium, sed tantùm probabile: signum autem quoddam necessarium, quoddam probabile est. Secundò cùm ait, *unum quæ extãte*, declarat definitionem signi, docens quomodo aliquid demonstret. Proponit autem tres demonstrandi, id est, per signum probandi modos. Primus sumitur ab eo quod est, ad id quod est: veluti, Mulier habet lac, ergo est prægnans. Secundus ducitur à pòst facto, ad antè factũ: veluti, Peperit, ergo concepit. Tertius sumitur ab antè facto, ad pòst factum: veluti cõcepit, ergo pariet.

3 *Enthymema igitur.* Iam definit enthymema, cuius gratiâ suprà definiuit verisimile, & signum: ex inquit enthymema esse syllogismum ex verisimilibus, vel signis. sed omnes libri editi, quos mihi videre hactenus contigit, addunt verbum ἀτελὴς: & imperfectum vulgò interpretãtur, quia desideratur altera propositio. Ac Philippus Melanthon, aliique plerique aiunt esse enthymema, siue desit maior, siue minor. Pachymerius autem vocat syllogismum, siue vtraque propositio sit expressa siue tantùm maior: enthymema verò, quod exprimit solam minorem. Ego non dubito, quin verbum ἀτελὴς ex glossemate irrepserit in contextum. Moueor primò: quoniam Aristoteles nõ accipit syllogismum imperfectum pro eo cui deest altera propositio: sed suprà imperfectum syllogismum definiuit eum qui non habet euidentem vim probãdi, nisi resoluatur in primã figuram; imperfectos enim semper vocauit syllogismos secundæ, & tertiæ figuræ, licèt habeãt vtramque propositionem. Secundò moueor auctoritate quatuor codicum Græcorum manu scriptorum, à quibus verbum ἀτελὴς abest. Quin etiam doctores Louanienses, etsi vnà cum aliis enthymema vocant syllogismum imperfectum, tamen testantur quasdam translationes non habere verbum illud, *imperfectum*. Rodolphus quoque Agricola lib. 2. de inuentione, cap. 14. illud verbum

bum nō adgnoſcit. Vtitur enim his verbis: *Ariſtoteles dixit enthymema eſſe ratiocinationē ex veriſimilibus & ſignis, ſunt itaque, qui putent Ariſtotelem non diſcreuiſſe formā argumentandi à ratiocinatione enthymema, ſed certo tantùm rerum genere enthymema conſtare voluiſſe.* Tertiò mihi videntur Græci hoc verbum non adgnoſcere: quoniam Iohānes Grāmaticus hîc nullam eius mentionem facit: & tam ipſe, quàm Alexander ſuperiori libro explicantes definitionem ſyllogiſmi ab Ariſtotele traditam, ac diſtinguentes ſyllogiſmum ab argumentatione conſtante ex vna propoſitione, non vocant hanc argumētationem, enthymema, ſed ſyllogiſmum μονολήμματον. Quartò moueor: quoniam Ariſtoteles oratoribus paſſim tribuit enthymemata, & exempla; philoſophis autem, & dialecticis ſyllogiſmos, & inductiones, vt & ſupra notaui: conſtat autem, oratores ſæpe proferre vtramque propoſitionem: nihilominùs igitur dicuntur enthymemata ex duabus propoſitionibus conſtantia. Quintò Ariſtoteles lib. 1. Rhetor. cap. 2. diſertis verbis ait enthymemata plerumque conſtare ex paucioribus partibus, quàm ſyllogiſmos: quia cùm altera propoſitio manifeſta eſt, prætermittitur. Si igitur plerumque hoc accidit, non eſt perpetuò verum. immo ſi neutra propoſitio ſit omnino euidens, vtraque exprimenda erit, & nihilominùs dicetur enthymema. Sextò nullus locus proferri poteſt, ex quo colligatur, Ariſtotelem non vocare enthymema, ſi ſyllogiſmus ex veriſimilibus vel ſignis extruatur vtriſque propoſitionibus expreſſis. Et in hoc capite reſoluens enthymema in figuras, proponit vtraſque propoſitiones: quare ſi hoc modo non eſſent enthymemata, debuiſſet hoc indicare. Septimò ipſa definitio enthymematis confirmat noſtram ſententiam. nam Ariſtoteles ait enthymema eſſe ſyllogiſmum ex veriſimilibus, vel ſignis: non, ex veriſimili, vel ſigno. Duæ ſunt igitur propoſitiones, non vna. nā & quando vna tāntùm exprimitur, nihilominùs altera ſubauditur. Octauò logica dicitur reſpicere, non ad orationem, quæ ore profertur, ſed ad eam quæ eſt in mente, & in animo, vt Ariſtoteles docebit lib. 1. Poſterior. cap. 10. part. 7. nihil igitur refert, vtrùm vna, an duæ propoſitiones voce exprimantur: quandoquidem ambę ſunt in mente: & quæ non exprimitur, nihilominùs mente ſuppletur. Nonò Ariſtoteles ſeparat enthymema ab inductione, & exemplo: atqui inductio & exemplum plerumque & ferè ſemper proponi ſolent vnā propoſitione expreſsā: veluti, Bellum Thebanorum contra Phocenſes, malùm fuit: ergo bellum Athenienſium contra Thebanos, malum erit. cur igitur hæc non vocentur enthymemata? Dices: quia non ſunt ex veriſimilibus, & ſignis. Quæro igitur, quò referas argumentationem ex vna propoſitione, quæ non ſit ſumpta ac veriſimilibus, vel ſignis; ſed vel à cauſis, vel ab exemplo, vel ab inductione. Nam ſecundum Ariſtotelem non ſunt enthymemata: ſecundum vulgarem loquendi modum non ſunt ſyllogiſmi, ſed enthymemata, eo quòd vnam habent propoſitionē. Vulgò namque ſimpliciter enthymemata vocant omnes argumentationes ex vna propoſitione, etiamſi non ducantur à veriſimilibus, vel ſignis, ſed à cauſis, vel à definitione, vel ab aliis quibuſcumque locis.

4 *Accipiatur autem.* Definitionem ſubiicit diuiſionem ſigni, & conſequenter enthymematis, quod à ſigno ſumitur. vel enim arguit in prima figura, vel ſecunda, vel in tertia. Atqui Ariſtot. cap. præced. partic. 9. dixit ſignum non ſumi ex ſecunda figura, ſed tantùm ex prima, & tertia: ſibi igitur contradicit. Reſpondeo, aliquo modo ſignum dici poſſe ſumi in ſecunda figura, aliquo modo non ſumi: quia cùm ſumitur in ſecunda figura, peccatur contra regulam illius figuræ, vt nō tam ſit ſyllogiſmus, quàm paralogiſmus, eò quòd arguit ex ambabus propoſitionibus affirmantibus, vt poſteriùs intelligetur.

5 *Vt putà probare.* Datam diuiſionem ſubiectis exemplis declarat. & primùm in hac particula proponit enthymema in prima figura, quod tale eſt: Quæcumque habet lac concepit: atqui hæc mulier habet lac: ergo hæc mulier concepit. Syllogiſmus eſt in Darij.

6 *At ſapientes.* Subiicit exemplum enthymematis in tertia figura. Hîc proponit tertiam figuram ſecundæ ob rationem antea expoſitam: quia in ſecunda figura non rectè arguitur, ſed eſt paralogiſmus. Primò igitur proponit enthymema ex vna propoſitione, Pittacus eſt probus, ergo ſapientes ſunt probi. quod ait eſſe referendum ad tertiam figuram. Secundò cùm ait, [ſit] vbi a, vult perficere ſyllogiſmum, & reſoluere in tertiam figuram. itaque conſtituit ipſos terminos, vt intelligamus, quodnam ſit maius extremum, quod ſit mediū & quod ſit minus. Tertiò cùm ait, *verum* [*eſt*,] erigit ſyllogiſmum, exprimens vtramque propoſitionem. Quartò cùm ait, *ſed alterum*, docet, eos, qui enthymemate vtuntur, ſolere alteram propoſitionem omittere: quia ſcilicèt (vt ipſemet Philoſophus d. cap. 2. lib. 1.

Rhetor. declarat, & hic quoq; attingit) plerumque nota esse solet, vt in dicto exemplo notum est, Pittacum esse sapientem: ideóque omissa hac propositione, tantùm altera exprimitur. Cùm autem sit minor, quæ reticetur, vt videre est in primis verbis huius particulæ: secundum Pachymerium non est enthymema, sed syllogismus. sic enim Aristoteles argumentatur: Pittacus est probus, ergo sapientes sunt probi. Integer syllogism' est: Pittacus est probus, Pittacus est sapiens, ergo sapiens est probus.

7 [*Mulierem*] *autem*. Subiicit exemplum enthymematis in secunda figura: Quęcumque gestat vterū, est pallida: atqui hæc mulier est pallida: ergo hæc mulier gestat vterū. In hoc exemplo solet omitti maior, & exprimi minor, vt in præcedenti exēplo exprimebatur maior & omittebatur minor.

8 *Si igitur vna*. Distinguit inter signum & syllogismum: quia si vna est propositio, signum est, syllogismus autem non est, si verò sumantur ambæ propositiones, non solùm est signum, sed etiam syllogismus: quoniam syllogismus definitur oratio, in qua quibusdam positis &c. *quibusdam*, id est, propositionibus duabus, vt probatum fuit, superioris libri capite 25. vbi ostensum est, omnes syllogismos constare ex duabus propositionibus. Nescio, an hic locus alius decerperit, quasi Aristoteles diceret, vbi sunt duæ propositiones, non esse enthymema, sed syllogismū: cùm nihil minùs dicat. non enim loquitur de enthymemate, sed de signo. & si velimus sumere signū pro enthymemate, quasi idē sit, adhuc tamē vulgata sententia non confirmaretur his verbis, sed potiùs refelleretur: quoniam Aristoteles non negat, nec negare potest esse signum, vbi sunt duæ propositiones. nam si pallor est signum mulieris grauidæ, æquè huius rei signum est, siue vnam, siue multas propositiones accipiamus Ergo semper est signum: sed vbi est vna propositio, est tantùm signum (notetur enim part. *μόνον*) si verò sint duæ propositiones, iam est syllogismus, non tantùm signū. Quod attinet ad seriem contextus, Primò Aristoteles hanc distinctionem proponit. Secundò cùm ait, *vtputà Pittacum*, affert exemplum, in quo simul est signum, & syllogismus: quia vtræque propositiones ponuntur, nempe, Omnes ambitiosi sunt liberales, atqui Pittacus est ambitiosus, ergo Pittacus est liberalis. Huius syllogismi primo loco ponit conclusionem, deinde maiorem postea minorem. Tertiò cùm ait, *Rursus sapientes*, eodem ordine proponit alterum simile exemplum. sed hoc est in tertia figura, vt illud erat in prima. hoc enim tale est: Pittacus est vir bonus, Pittacus est sapiens, ergo sapiens est vir bonus. Quartò cùm ait, *Sic igitur*, concludit, ita, id est positis ambabus propositionibus, fieri syllogismos, scilicèt enthymematicos.

9 *Verùm qui*[*fit*.] Confert inter se signa, siue enthymemata ex diuersis figuris sumpta: & in hac particula docet, quo differant: in sequenti autē particula docebit, in quo conueniant. Discrimen sumitur à vi & efficacia probandi: quæ, alia est in prima figura, alia in tertia, alia in secunda. Primò igitur loquitur de prima figura: & inquit, enthymemata hinc sumpta, si vera sint, nō posse solui, id est, hæc enthymemata nullum vitium continere in forma syllogistica, sed fortasse in materia, si sumantur propositiones falsæ. Quod autem inquit, *vniuersalis enim est*, hunc sensum habet, syllogismum enthymematicum, qui fit in prima figura, efficacissimum esse: quoniam confirmatur per dictum de omni, quod est fundamentū syllogismorum, id est, quia maiorem propositionem habet vniuersalem, sub qua continentur minor & conclusio. Secundò cùm ait, *Qui verò* [*fit*] *in postrema*, loquitur de tertia figura, & ait syllogismum in hac figura esse infirmum, & posse solui, quamuis propositiones veræ ponantur: quia non est vniuersalis, vt in prima figura: neque ad rē facit, id est, non concludit problema vniuersale, quod erat probandum, (scimus enim vniuersale non probari in tertia figura) sed tantùm effici conclusionem particularem, vt in dicto exemplo, Pittacus est probus, Pittacus est sapiens: hinc non sequitur generaliter, sapientes esse probos, sed tantùm aliquem esse probum, nempe ipsum Pittacum, cùm fortasse omnes alij sint improbi. Tertiò cùm ait, *Qui verò* [*fit*] *in media*, loquitur de secunda figura, & ostendit hunc esse omnium infirmissimum, quia peccat in regulas huius figuræ, sumens ambas propositiones affirmatiuas. Sunt igitur tres gradus enthymematum. Primus in prima figura optimè probat problema propositum: secundus in tertia figura probat aliquid, non tamen omnino quod erat propositum; quia concludendum erat vniue[rsa]le, & concluditur particulare: tertius in secun[d]a figura nihil concludit. Vn[d]e Aristot. in præcedenti capite dixit, ex hac figura non sumi signa, id est, non sumi quæ habeant vim syllogisti[ca]m. Hec l[o]c[o] posset ali[quis] [illegible]te, quòd in [ter]tia fi[gur]a v[illegible] [illegible] nus

exc[illegible]tus

extructus ex duabus particularibus contra generalẽ regulam omniũ figurarum. Respõdeo, propositiones illas, Pittacus est probus, Pittacus est sapiẽs, non esse particulares, sed singulares. Nam particulares habent subiectum vniuersale cum nota particulari, *aliquis*, vel, *non omnis*, vt Aristoteles definiuit superioris libri cap. 1. part. 5. Sed iterum obiiciet aliquis, Aristotelem eo cap. 1. & in tractatu de tribus figuris omisisse hoc genus propositionũ singularium, ergo imperfectè exposuisse syllogismos. nam syllogismis suprà expositis videntur esse addendi hi, qui constant ex propositionibus singularibus, & vulgò vocantur expositorij. Respondeo, hos non esse syllogismos, sed enthymemata, id est, non esse argumentationes logicas, sed rhetoricas. sicut ergo Aristoteles omisit syllogismos affirmatiuos in secunda figura, quia nihil concludunt, neque ratione formæ, quia sunt contra regulas secundæ figuræ; nec ratione materiæ, quia maior propositio syllogismi enthymematici nõ reciprocatur: ita etiam omisit hos syllogismos enthymematicos in tertia figura, quia nõ concludunt. Primùm enim non concludunt id, quod volunt colligere, id est, vniuersalem conclusionem. etenim orator inquit sapientes esse probos, quia Pittacus est probus. sed consequentia necessaria non est. Deinde si quis bene expendat, inueniet eos ne quidem particulare rectè concludere, sed petere quæsitum, id est, idem sumere, quod probant, vtpotè orator probauit aliquem sapientem esse bonum, id est, non alium quàm Pittacum. hæc igitur est petitio quæsiti, Pittacus est bonus, ergo aliquis sapiens (nempe Pittacus) est bonus. Nam si de alio quàm Pittaco conclusionem intelligas, consequentia non valet. Item obiiciet aliquis. Cur ergo Aristoteles de his nunc loquitur, si non sunt argumentationes logicæ, neque rectè concludunt? Respondeo, hic considerari, non per se, sed in gratiam syllogismi. Scopus enim Aristotelis est, quem ipse proposuit initio cap. 23. ostendere omnia argumentationum genera non solùm logica, sed etiam non logica, vt oratoria, referenda esse ad syllogismos, nec habere aliam vim probandi, & concludendi, quàm mutuatam à syllogismis.

10 *Verum igitur.* Postquàm docuit discrimen signorum & enthymematum: nunc docet, in quo conueniant, nempe omnes possunt constare ex propositionibus veris.

11 *Aut igitur sic.* Declarat differentiam signi & tecmerij, quod expositionis qualiscumque causâ vocemus Latinè indicium. Discrimen inter hæc duo potest poni duobus modis. Primus modus est, si latè accipiatur signi vocabulum: tunc enim signum habet rationem generis: indicium, speciei. signum enim est vel in prima, vel in secunda, vel in tertia figura: indicium verò tantùm in prima figura. Secundus modus ab Aristotele consideratur illis verbis, *aut quæ ex extremis*, sumpto signo in angusta significatione. tunc enim signum & indicium sunt species distinctæ; & signum dicetur solùm in secunda, vel tertia figura, indicium verò in prima.

12 *Natura autem.* Vt absolutiorem reddat tractatum de signis, & confirmet, quod suprà dixit, signa maximè probabilia & maximè vera referri ad primam figuram, hoc declarat in syllogismo physiognomico. Hæc est occasio, propter quam hic obiter agit περὶ τοῦ φυσιογνωμονεῖν (de quo verbo vide Gellium libro 1. capite 10.) & de syllogismo physiognomico. Duo igitur in seq. part. docet: primò an possimus φυσιογνωμονεῖν, id est, naturam coniectare. Secundò, quomodo id fiat. Quod ad primũ caput attinet, Aristoteles requirit quasdam conditiones, seu ponit quædam fundamenta, quibus positis & concessis licebit naturam & ingenium cognoscere ex signis corporeis. Primò igitur ponit primum fundamentum, quòd inter animam & corpus est sympathia; ita vt si quę affectio sit in anima, ei respondeat aliqua affectio in corpore, dũmodò illa animæ affectio sit naturalis. Secundò cùm ait, *fortasse enim*, docet, cur fundamentum illud coangustauerit ad affectiones naturales: quia in ceteris non est sympathia. veluti cùm quis discit musicam, fit mutatio aliqua in animo ipsius, non in corpore: proinde ex signo corporeo non possumus cognoscere, an aliquis sit musicus, nécne. Tertiò cùm ait, *si igitur hoc*, primo fundamento addit secundum, quòd vniuscuiusque affectionis, quæ est in anima, vnum est signum in corpore. Quartò cùm ait, *& accipere possimus*, addit tertium fundamẽtum quòd possumus accipere, id est, inuenire propriam affectionem cuiusque generis, id est, cuiusque speciei animalium, & propriũ eius affectionis signum, quod est in corpore. His positis inquit nos posse naturam coniicere. Quintò cùm ait, *nam si alicui*, incipit ostendere vsum horum fundamentorum, & ponit vsum primi fundamenti. nam ex eo primo fundamẽto, quòd anima & cor

pus compariuntur,colligitur, si quod indiuiduum genus,id est, si aliqua animalium species specialissima, habet aliquam affectionem in anima, habere etiam aliquod signum in corpore, quod ei affectioni respondeat. Hoc declarat Aristoteles exemplo leonis, qui habet in anima fortitudinem,& huius corporeum signum, magnas membrorum extremitates. Sextò cùm ait, *quod contingit*, declarat eam affectionem & illud signum reperiri etiam in aliis quibusdam speciebus animalium, non tamen in omnibus indiuiduis illarum specierũ, sicut conueniebat omnibus indiuiduis leonibus. nam illa affectio & illud signum erant secundo modo propria leoninæ speciei; quia conueniunt omni,non soli leoni. Ergo aliquod aliud animal,putà aliquis homo,habet illam affectionem & illud signum,nempe fortitudinem, & magnas extremitates. nam si vnum habet, etiam alterum habet, ex secundo fundamento, quòd vnius affectionis vnum est signum. Sic habemus vsum duorum fundamentorum. Non fuit opus addere vsum tertij fundamenti: quoniam est euidens. frustra enim hæc ita essent, nisi possemus ea colligere, & intelligere.idcirco Aristoteles in fine huius particulę nihil repetit de tertio fundamento.ne tamen id videatur prætermisisse, breuiter. id attinget initio seq.partis.

13. *Si igitur.* Deinceps explicat, quomodo natura conijci possit. Hic considerat duo animantium genera, ex quibus natura conijcitur. Primum genus consideratur in hac particula,id est, eorum affirmantium, quæ habent vnam affectionem propriam, proinde vnum proprium signum, ei affectioni respondens. Hinc facilè colligitur principium physiognomonicum:quia facilè apparet,illud esse signum illius affectionis; adeo vt in quocumque signum illud reperiatur, in eodem concludamus affectionem reperiri.

14 *Sin totum.* Nunc considerat alterum genus animalium, quod scilicèt habet plures proprietates:& plura signa.exempli gratiâ leo habet duas affectiones:nam est fortis & *μεταδοτικός*,communicatiuus, id est, liberalis,vel(vt alij vertunt)sociabilis. Oportet autem hæc accipere,nõ vt virtutes ethicas, sed vt naturales quasdam affectiones. item leo habet duo signa corporea, vrputà magnas extremitates,& frontem latam. Primò igitur de his animalibus proponit quæstionem,vnde cognoscemus vtrum signum ad vtram affectionem sit referẽdum. dubitari enim potest, vtrùm magnæ extremitates significent fortitudinem, & lata frons liberalitatem,an è contrario lata frõs fortitudinem,magnæ extremitates liberalitatem. Secundò cùm ait, *An si cuidam*, respondet ad eam quęstionem:& ait,considerandum esse aliud genus animalium, id est, aliam speciem specialissimam, in qua non omnia indiuidua habent vtramque affectionem,& vtrumque signum. Exempli gratiâ,si quidam equi sunt fortes,non liberales, & habent magnas extremitates:ex his intelligere possumus, magnas extremitates esse indicium fortitudinis,non liberalitatis. Fieri autẽ potest,vt sit vna species animaliũ,cuius indiuidua quædam habeant vnam affectionem,& vnum signum:fieri etiam potest, vt sint tales multę species.ideóque Aristoteles ait considerandã esse vel vnam speciem,vel plures,prout continget. Hoc enim est, quod ait, *Si cuidam alij,non toti ambo*, id est, si alij cuidam speciei animalis præter leoninam insint ambæ illæ affectiones, & signa, non tamẽ toti speciei,id est,non insint omnibus indiuiduis sub illa specie contentis:sed quędam habeant vnam affectionem, & vnum signum. Deinde subdit, *& in quibus non totis vtrumque*,id est,si sint plura alia animaliũ genera præter leones, in quibus generibus insit vtraque affectio, & vtrumque signum;nõ tamen insit totis illis generibus.i. nõ insit omnibus indiuiduis cõtẽtis sub illis generibus.si igitur ita se res habeat in vno, vel pluribus animalium generibus:inde poterimus naturam conijcere,& referre signa ad suas affectiones,*cùm vnum habet, alterum non*,id est, cùm indiuiduum aliquod alteram affectionem,& eius signum habet, alterum non habet. sic enim possumus hæc verba interpretari,vt *τὸ μὲν*,& *τὸ δὲ*, vnum & alterum, accipiantur in quarto casu. Possumus etiam accipere ea verba in recto casu: vt sensus sit, quædam indiuidua animalia sub illis generibus contẽta habere affectiones illas,& earum signa,quædam verò non habere.

15 *Est autem.* Ostendit syllogismum physiognomicum extrui in prima figura, proinde physiognomicum arguere ex indiciis seu tecmeriis. & Primò, sententiam suam proponit,ita sumi terminos à physiognomico in prima figura, vt maius extremum & medius terminus reciprocentur,medius autem terminus latiùs pateat quàm minus extremum. Secundò,cùm ait, *Vt putà[esto,]* vt hanc sententiam exemplo declaret, proponit terminos reales, & ponit fortitudinẽ, vbi *α*,id est,accipit fortitudinem pro maiori extremo,magnæ autẽ extremitates sunt,

vbi *β*,id

vbi β, id est, medius terminus: leo est γ, id est, minus extremum. Tertiò eùm ait, *igitur* αγ, extruit syllogismum, in quo apparet verum esse, quod dictum fuit initio huius particulæ. Nam quæcúnque animalia habēt magnas extremitates, sunt fortia: atqui leo habet magnas extremitates: ergo est fortis. Maior reciprocatur per hypotheses antea positas, quòd anima & corpus compatiūtur & vnius affectionis est vnum signum: adeo vt vbicumque est affectio, ibi sit signum: & vbicumque est signum, ibi sit affectio. ergo fortitudo, quæ est affectio; & magnæ extremitates, quæ sunt indicium, reciprocantur. Minor autem propositio non reciprocatur: quoniam affectio & signum insunt omni leoni, non soli, vt dictum est in 12. partic. membro 5. Hæc de Prioribus Analyticis.

IVLII PACII A BERIGA IN ANALYTICA POSTERIORA COMMENTARIUS Analyticus.



POSTQVAM in prioribus Analyticis exposuit Philosophus generalem formam syllogismorum, deinceps (vt initio illius operis cap. 1. part 1. & cap. 4. part. 4.) pollicitus est, demonstrationis naturam, vim, & proprietates enarrat. hæc enim generalem illam formam syllogisticam coangustat ad materiam necessariam. proinde hæc est præstantissima species syllogismi, quæ veram scientiam parit. Vnde cùm Logicæ finis sit scientia: non malè dictum est ab interpretibus Aristotelis, hos libros esse finem totius logicæ: quia hic est finis præcipuus, cùm Dialecticus vmbram quandam scientiæ potiùs tradat, quàm verā scientiam: qui autem est finis præcipuus, ille est verus finis, & simpliciter vocatur finis, vt Aristot. docet l br. 2. Prior. cap. 22. part. 9. in fine. Inscriptionē huius operis antea exposui. Scopus seu finis est vera scientia, quæ & scientia demonstratiua appellatur. Subiectum est demonstratio, quæ est instrumentum, per quod scientiam illam acquirimus. Diuiditur hoc opus in duos libros, quorum methodum & ordinē suis locis explicabo.

LIB. I. TRACTATVS I.

IN CAP. I. QVO QVÆRITVR AN SIT SCIENTIA demonstratiua.

TRactaturus Aristoteles de scientia demonstratiua & demonstratione, rectè incipit à quæstione an sit, quæ secundum veram methodum inter quæstiones obtinet primum locum, vt ipse docebit lib. seq. cap. 1 frustra namque de his ageremus, nisi essent. Cùm enim non desint qui negarent dari demonstrationes & scientiam demonstratiuam, vt intelligemus ex cap. 3. Aristoteles coactus est statim in ipso initio probare, acquiri scientiam per demonstrationem. quod perinde est, ac si diceret esse sciētiam, & esse demonstrationem. nam Aristoteles vtrumque simul confirmat, dum probat scientiam per demonstrationem acquiri.

1 *Omnis doctrina.* Hæc 1. particula continet axioma, quo asseritur scientia per demonstrationem. sensus enim huius particulæ est, scientiam conclusionis acquiri ex cognitione principiorum: hoc autem nihil aliud est, quàm demonstrare. nam ex principiis demonstrātur & cognoscuntur conclusiones. Ait, *Omnis doctrina & omnis disciplina* Maluit vocare doctrinam & disciplinā, quàm scientiam: propterea quòd scientia significat habitum; hic autem spectatur, non quà est habitus in animo firmiter inhærēs, (hoc enim esse sciētiæ subiectum nouimus ex Categoriis, cap. de qualitate) sed quate-

nus fit & acquiritur, vt ostendit illud verbum γίνεται, *fit*. Porrò per doctrinam & disciplinam fit, id est, dum aliquis discit, quod docetur. Docendi verbum latè accipe, siue aliquis doceatur viuâ præceptoris voce, siue doctrinam ex libris hauriat, seu alia quaeumque ratione discat. Porrò quod nonnulli hæc verba generaliter accipiût, vt non tantùm comprehendant veram scientiam, quę per demonstrationem acquiritur, sed generaliter omnem cognitionem, atque adeò eam quoque cognitionem, quæ efficitur argumentationibus dialecticis, aut rhetoricis, probare non possum. namqui ita exponunt, verba contextus impropriè, & præter Aristotelis scopum accipiunt. multò igitur rectius est, accipere verba in significatione propria, per quam sententia est scopo auctoris consentanea. Nam doctrinæ verbum scientiæ demonstratiuę proprium est, & separatur à dialecticis, & aliis cognitionibus, vti cōstat cùm ex aliis locis, tum ex cap. 2. partic. 2 Elenchorum. Scopus autem Aristotelis hic est, agere de sciētia demōstratiua, non de quacumque cognitione, vt apparet ex cap. 1. par. 1. & cap 4 par. 1. lib. 1. Prior.

Hæc particula continet axioma, quod est fundamentum totius doctrinæ Posteriorum Analyticorum: quia hoc axiomate supponitur esse scientiam per demonstrationem: est autem demonstratio, horum librorum subiectum: scientia verò est finis, ratione cuius demonstratio consideratur. Porrò huius axiomatis antecedens tria vocabula continet, doctrinam, disciplinā & dianoëticam. *Doctrina* & *disciplina*, re idem sunt, ratione differunt. eadem namque scientia, quatenus docetur, vocatur doctrina : quatenus discitur, disciplina. Verbum *dianoëtica* adiungitur, vt meliùs intelligamus, de qua sciētia Philosophus loquatur. Notandum igitur est, omnem nostram cognitionem aut esse sensitiuam, aut intellectiuam. Sensitiua acquiritur (vt Græci loquuntur) ἀθρόως, id est, vno momēto, & (vt cum scholasticis loquar) sine vllo discursu, vt Aristoteles docebit par tie. 5. veluti cùm video equum, statim percipio esse equum. Cognitio verò intellectiua est triplex, quemadmodum dicitur esse triplex opus rationis, & tres logicæ partes. Prima est cognitio simpliciū terminorū: vt cùm animo concipimus hominem, vel equum. Secunda est cognitio veritatis compositæ, id est, cùm intelligimus aliquid esse, vel non esse; putà cygnum esse album, coruum non esse album. Tertia est cognitio, quæ per ratiocinationē acquiritur, cùm ex notiori arguitur ignotius, veluti cùm intelligimus niuem esse albam, quia dissipat aspectum, aut planetas propè esse, quia non scintillant. De hoc tantùm vltimo cognitionis genere loquitur in præsentia Aristoteles. Atque hæc cognitio Græco vocabulo appellatur διανοητική. Themistius non malè vocat λογικὴν, id est, ratiocinatiuam. Latini autem nullum vocabulum habent, quod Græco verbo, *dianoetica*, respondeat.

2 *Hoc autem perspicuum.* Superioris particulæ axioma probat Aristoteles per inductionem perfectam: quia & mathematicæ scientiæ, & ceteræ omnes artes ita comparantur. Pro interpretatione horum verborum tria sunt notanda. Primò nominatim mentionem fieri tātùm mathematicarum; quoniam has solas veteres discebant ante Logicam. quam ob causam Aristoteles passim in his libris affert exempla mathematica, vtpote suis auditoribus & logicæ illa ætate studiosis maximè perspicua. Secundò notandū, cùm volumus vti inductione perfecta, & species, ex quibus arguere volumus, permultæ sunt, vt difficilis sit earū enumeratio, nos solere quasdam tâtùm specialiter proponere, reliquas autē generali verbo complecti. veluti, Homo equus, leo, & reliqua omnia animalia sentiūt, ergo omne animal sentit. Sic Aristoteles in præsentia inquit, mathematicas scientias & ceteras artes ita acquiri. Tertiò notandū, quāuis scientia & ars, propriè loquendo, distinguātur, vt declaratur lib 6. Ethic. tamen hîc pro eodem accipi, ita vt scientia vel ars appelletur omnis cognitio, quæ artificiosè & per demonstrationes traditur, siue sit cognitio contemplatiua, quæ vocatur propriè scientia, vt physica; siue sit effectiua, quæ propriè dicitur ars, vt ars pingendi, vel ædificādi; siue ad aliud cognitionis genus referatur.

3 *Similiter autem.* Idem axioma, quod suprà probauit per inductionem, nunc probat à simili, id est, à rationibus dialecticis & rhetoricis. Illæ sunt syllogismi, aut inductiones, vt etiam dicetur Top. lib. 1. cap. 12. hæ verò sunt exempla & enthymemata. Primò igitur Aristoteles loquitur de rationibus dialecticis: quoniam hę maiorem habent affinitatem cum demonstrationibus, quàm rhetoricæ: ac docet omnes rationes dialecticas probare seu docere ex antecedente cognitione: quoniam extruens syllogismū dialecticum, quo vult probare aliquod problema, sumit propositiones, tāquàm ab intelligentibus, id est, accipit propositiones etiam aduersario notas & ab eo concessas, aut saltem accipit quasi tales. Hoc verum esse, maximè apparet in ea disputandi ratione,

ne,qua veteres vtebantur: quoniam opponens non statim extruebat syllogismum, vt hodie fit,sed interrogabat eum qui defendebat thesim,vt ex eius ore,& ex eius respō sis sumeret propositiones, quas ille syllogismo extructo non poterat ampliùs negare, quia semel concesserat. Qui verò vititur inductione,ille ex particularibus notis probat vniuersale ignotum. ergo omnis cognitio dialectica,siue fiat per syllogismos, siue per inductiones, fit ex antecedente cognitione. Secundò cùm ait, *Eodem modo*, loquitur de argumentationibus oratoriis, quæ sunt enthymemata,& exempla:& ostēdit has quoque fieri ex antecedēte cognitione.sic enim argumentatur:Omnis syllogismus fit ex antecedente cognitione,id est, ex cognitione propositionum:atqui enthymema est syllogismus:ergo enthymema fit ex antecedente cognitione.Maior patet ex initio huius particulæ.Minor ex lib.2. Prior. cap. vlt. Rursus omnis inductio probat ex antecedente cognitione: atqui exemplum est inductio: ergo exēplum probat ex antecedēte cognitione.Maior patet ex priori membro huius particulæ.Minor ex cap.24.lib. 2. Prior. & iis quæ ibi notaui.

4 *Dupliciter autem.* Postquàm propositum axioma duplici argumento confirmauit,nunc eius attributum, id est,antecedentem cognitionem declarat. Est autem hæc declaratio duplex.Prior in hac particula sumitur à diuisione pręnotionum:docet enim Aristoteles,qualis sit illa antecedens cognitio.Posterior expositio in seq.partic. sumetur,à diuisione eorum quæ præcognoscuntur:docebit enim Philosophus,quęnam sint ea,quæ præcognoscuntur. Quod attinet ad priorem interpretationem,primùm Aristoteles ait duplicem esse prænotionem, siue antecedentem cognitionem.Intellige dupliciem:quia sunt duo membra simplicia: quæ tamen nō solùm separatim considerari possunt,sed etiam coniunctim.vnde oritur tertium membrū, vt ipse Aristoteles mox docebit.Secundò namque cùm ait, *nam alias*, declarat,quænam sint illæ prænotiones: & inquit præcognosci vel quòd sit,vel quid sit quod dicitur,vel vtrumque. Prima prænotio est,qua cognoscimus rem aliquam esse in rerum natura, vt esse demonstrationem, esse scientiam demonstratiuam, esse motū. Secunda prænotio est,quid sit,quod dicitur, id est,quid significet vocabulum,veluti quid significet triāgulum.Hæc prænotio habetur per definitionem, quæ ab Aristotele vocabitur ὁρισμοὶ lib.seq. cap.10.part. 1. Tertium membrū ex his patet,cùm simul præ-noscimus,& quid vocabulū significetur, & eam rē esse, quæ illo vocabulo significatur. Tertiò cùm ait, *Vt puta illud*, declarat has prænotiones exemplis perspicuis. nam hoc principium, id est,hoc axioma, de qualibet re aut vera est affirmatio aut negatio, prænoscitur quòd sit, id est, quòd sit verum. de triangulo autem prænoscimus quid significet.nam geometra initio affert trianguli definitionem nominalem,inquiens esse figurā tribus lateribus contentā. nisi malimus aliā definitionem intelligere,quæ magis ad nomen respicit, id est, triangulum esse, quod constat tribus angulis.Tertium exemplū est vnitas: de qua in arithmetica habētur duæ prænotiones, nempe vnitatem esse, & quid significet vnitas,id est,quæ sit eius definitio ὁρισμοὶ &c. Exempli gratiā,vnitas est principium numeri. Quartò cùm ait, *Quia non similiter*,affert rationem huius diuersitatis, id est,cur modò pręcognoscamus quòd sit,modò quid sit,modò vtrumque: & ait rationē hanc esse, quia non sunt omnia nobis æquè nota.Caue hæc verba sic intelligas,quasi Aristoteles significet ea præcognosci, quæ nota sunt.nam è cōtrario intelligendum est ea præcognosci quæ nō sunt nota. Quod vt intelligatur: notādū est, (quod magis explicabitur cap.10.) Aristotelem loqui de prænotione expressa,quæ à doctore,siue in scientia proponitur.quæ igitur sunt per se omninò manifesta, ea in hoc sensu non præcognoscuntur, id est, non expressè ponuntur: sed quæ possunt habere aliquid dubitationis in mente auditoris & tyronis, ea expressè initio artis præcognoscuntur, & docentur. Exempli gratiā,initio geometriæ, quia potest auditor ignorare quid sit triangulū, debet hoc expressè præcognosci & declarari. Quia verò per se omnibus constat, si duæ res sint æquales tertiæ, illas esse etiam æquales inter se: ideo potest hoc principium a geometra nō præcognosci. id est,(vt Aristot.dicto cap.10.loquitur)huius principij expositio potest à geometra despici & contemnit quia nō dignatur explicare ea,quorum cognitionem auditor ex se habet.vnde Aristoteles in hac partic. pro eodem accipit προγινώσκειν & προϋπολαμβάνειν. nam præsumi dicūtur ea principia,quæ initio artis ponuntur. Hinc notandum est, ea, quæ in scientiis & artibus considerari possunt,esse in triplici differentia. quædā sunt omnino nota: vt neque probationem,neque declarationem requirant:alia omnino ignota,quæ & declarari, & confirmari debent: reliqua medium locum obtinent, quæ tantùm egent declaratione, non probatione,

tut triangulum, quod antea latebat. nam ſophiſta conſultò celabat triangulum, vt inde ſumeret occaſionem captionis, quam poſteriùs declarabimus Ergo antequàm hæc fiant, inquit Ariſtoteles nos aliquo modo ſcire, aliquo modo ignorare: ſubaudi, concluſionem illam, *hoc triangulum habere tres.* Secūdò cùm ait, *quod enim ſimpliciter*, probat nos ante ſyllogiſmum extructum non prænouiſſe ſimplici, id eſt, propria & perfecta cognitione eam concluſionem. Probatio eſt perſpicua: quia neſciebamus triangulum illum eſſe in rerum natura, vtpote à ſophiſta abſconſum, needum prolatum. non poteramus igitur ſcire eum habere tres. Tertiò cùm ait, *ſed manifeſtum*, docet, quomodo cōcluſio fuit præcognita, & quomodo ignorata, antequàm probaretur: & ait, eam fuiſſe præcognitam, quatenus ſub vniuerſali nota continetur. cùm enim per demonſtrationē ſciremus omne triangulum habere tres, etiam ſciebamus hoc triāgulū habere tres: alioquin nō omne ſciremus, ſi aliquod ignoraremus. Verùm hæc eſt cognitio vniuerſalis. quod verò ad cognitionem ſimpliciter acceptam, id eſt, quod ad cognitionem ſpecialem, propriam, & perfectam, nondum ſciebamus hoc triangulū habere tres, quia nondum ſciebamus hoc triangulum eſſe.

7 *Sin minùs.* Oſtendit, per datam diſtinctionem cognitionis vniuerſalis & cognitionis propriæ ſolui dubitationem Platonis in Menone, de qua etiam dictū fuit 2. Prior. cap. 21. part. 7 In dialogo namque Platonis, qui Meno inſcribitur, dubitat Meno, quaſi nihil poſſimus diſcere, ideóque fruſtra à nobis ſcientia quæratur. nam quæ nouimus, ea fruſtra quærimus, cùm iam habeamus. quæ verò non nouimus, ea quoq; fruſtra quærimus, quia, etiāſi nobis occurrāt, tamē à nobis non adgnoſcentur. Hanc dubitationem Socrates nititur ſoluere ex eo, quòd diſcere, nihil aliud ſit, quàm reminiſci, inquiens animam humanam, quę immortalis eſt, omnia nouiſſe, priuſquàm in corpus migraret: poſteaquam verò iuncta eſt cum corpore, oblitam eſſe: proinde diſcere, id eſt, reminiſci, & agnoſcere, quæ antea nouit. Ariſtoteles hāc ſolutionem habet pro abſurda: & ideo ait nos ad hanc abſurdam Socratis ſententiam deduci, niſi Menonis cauillum ſoluamus per diſtinctionem antea expoſitam. itaque hac ratione vult diſtinctionem ſuam confirmare; quia per eam ſoluitur ſophiſma aliàs inſolubile.

8 *Non enim.* Oſtendit, per eandem diſtinctionem cognitionis, vniuerſalis & cognitionis propriæ ſolui etiam aliud ſophiſma ab aliis malè ſolutum. Primò igitur ait non eſſe ſoluendum, vt alij ſoluunt, id eſt, non eſſe ſoluendam dubitationem, quæ mox in verbis ſequentibus proponitur. Secundò cùm ait, *Sciſne omne*, proponit ipſam dubitationem, prout à ſophiſta proponebatur. ſophiſta namque eum qui demonſtrauerat (exempli gratiâ) omnem numerum binarium eſſe parem, rogabat an ſciret, néne, hoc quod demonſtrauerat. illo autem affirmante ſe ſcire omnem binarium eſſe parem, tunc ſophiſta aliquem particularē binarium proferebat, quem habebat abſconſum, adeo vt demonſtrator non putaret, id eſt, ignoraret eum numerum eſſe in rerum natura, conſequenter ignoraret eſſe parem, obiiciebat igitur ſophiſta demonſtratori, quòd ignoraſſet hunc binarium eſſe parem, proinde falsò aſſeruiſſet ſe ſcire omnem binarium eſſe parem. Ita ſophiſtæ nitebantur euertere ſcientiam demonſtratiuam. Tertiò cùm ait, *ſolumus enim*, proponit aliorum ſolutionem, qui, vt vitarent hoc ſophiſma, limitabant ſuam concluſionem: nec dicebant ſe ſcire omnē binarium eſſe parem; ſed, omnem, quem ſcirent eſſe binarium, eſſe parem. prolato igitur particulari binario à ſophiſta, fatebantur ſe ignoraſſe illum eſſe parem, quia non de eo demonſtrauerāt, ſed de eo quem ſcirent eſſe binarium, hunc autem neſciebant eſſe binarium. Quartò cùm ait, *Atqui ſciunt*, refellit expoſitam aliorum ſolutionem hoc argumento: Id ſciunt, cuius demonſtrationem habent, ſeu cuius demonſtrationem acceperunt: atqui habent & acceperunt demonſtrationem de omni triangulo, vel numero, vel binario ſimpliciter, non cum illa limitatione, quem ſciant eſſe binarium, vel numerum, vel triāgulum: ergo etiam ſciunt ſimpliciter, non cum illa limitatione. Hoc argumentum ducitur à demonſtratione ad ſcientiam: & ſenſus eſt: Id ſcitur, quod demonſtratur: atqui triangulum vel binarius ſimpliciter demonſtratur, ergo ſimpliciter ſcitur Ariſtoteles initiò ponit maiorē. Deinde ibi, *acceperūt autē*, adiungit minorē. Tertiò ibi, *nulla enim*, cōfirmat eam minorem, hęc cōfirmatio ſumitur à propoſitionibus. talis enim eſt demōſtratio, & talis eſt cōcluſio, quales ſunt propoſitiones: atqui propoſitiones demōſtrationum ſumuntur ſimpliciter; veluti, omnis numerus eſt par vel impar; nō, omnis, quem ſcio eſſe numerum, eſt par vel impar: ergo demonſtratur & concluditur ſimpliciter: proinde habetur ſcientia ſimpliciter de omni, id eſt, ſine illa limitatione, quem ſciat eſſe triangulum, vel numerum.

9 *Verùm nihil.* Affert veram solutionem sumptam ex illa distinctione cognitionis vniuersalis & propriæ, secundum quam respondet sophistæ. Cùm enim sophista prolato binario inquit, nesciebas hunc esse parem: vel prolato aliquo triangulo inquit, nesciebas hunc habere tres: vnde inferebat, ergo nesciebas omnem binarium esse parem, vel omne triangulum habere tres: Aristoteles distinguit: quia idem potest sciri, & ignorari diuersis modis. fatetur ergo se ignorasse cognitione propria: sed nihilominùs se sciuisse inquit cognitione vniuersali. Itaque sophista non probat nos per demonstrationem non habuisse scientiam vniuersalem, sed tantùm probat, quod etiam vltro concedere debemus, nos per demonstrationem non esse nactos cognitionem specialem & propriam eorum, quæ sub demonstrationis conclusione continentur. vt puta demonstrauimus & sciuimus vniuersaliter omnem binarium esse parem, non tamen sciuimus specialiter hunc binarium esse parem.

DE HIS QVÆ PERTINENT AD ESSENTIAM DEMONSTRATIONIS.

TRACTATVS II.

IN CAP. II. QVO QVÆRITVR QVID SIT SCIRE, item quid sit demonstratio, & ex quibus constet.

Postquàm docuit esse scientiam per demonstrationem, consequenter explicat, quid hæc scientia sit, quid item demonstratio sit. hic enim est ordo præscriptus lib. sequen. capite primo, vt, postquàm nouimus rem esse, quæramus quid sit.

1 *Scire autem.* Cum scientia sit finis demonstrationis: methodus analytica requirit, vt ante demonstrationem definiatur. nam & demonstratio per scientiam, vtpote per suam causam finalem, definietur; adeo vt scientiâ ignoratâ, demonstrationis definitio intelligi nequeat. Hanc ob causam initio huius capitis scientia definitur. Pro enarratione huius particulæ duo sunt explicanda, res definita, & definitio. Res definita est ἐπίστασθαι, scire. Quidam putant Aristotelem consultò vti verbo *scire*, potiùs quàm scientiæ: quia scire dicitur, quatenus acquiritur: scientia verò, quatenus est habitus iam acquisitus: ab Aristotele autem hic non consideratur vt habitus, sed vt per demonstrationem in nobis gignitur. Verùm Zabarella monebat hanc distinctionem esse negligendam, quòd Aristoteles in hoc opere sciendi & scientiæ vocabulis promiscuè vtitur, vt vel in hoc ipso capite videre est. Illud potiùs est notandum, Aristotelem non loqui de quacumque scientia, sed de vera scientia demonstratiua, vt ipsemet declarat illis verbis, *simpliciter, non sophistico modo, id est, ex accidenti.* Scire simpliciter dicitur, qui vere dicitur habere scientiam sine vlla adiectione. nam sophistæ non dicuntur habere scientiam simpliciter, sed cum adiectione aliqua, veluti scientiam ex accidenti. Sicut igitur homo verus vocatur homo simpliciter; homo autem mortuus, vel homo pictus, non est homo, sed est homo cum adiectione, id est, homo mortuus, vel homo pictus: ita vera & demonstratiua scientia est scientia simpliciter: quæ verò est scientia per accidens, non est scientia, sed est scientia ex accidenti: & qui talem pro vera scientia accipiunt, vel iactitant, sunt sophistæ. Hæc de definito. In definitione pro genere sumitur *cognoscere.* nam propriè loquendo, cognoscere latiùs patet, quàm scire: quia cognoscimus etiam per sensum, scimus tantùm per intellectum: immo scientia propriè dicitur ea sola, quæ per demonstrationem acquiritur. Huic generi addunrur tres differentiæ, ex quibus habemus tres conditiones requisitas vt habeamus veram scientiam. Prima est, vt cognoscamus causam propter quam res est: id est, veram causam conclusionis. vtputà tunc habemus scientiam eclipsis Lunæ, quando scimus terram interponi inter Solem & Lunam: quoniam hæc interpositio est causa eclipsis. Quod si tantùm sciamus Lunam deficere per experientiam, quia sæpe vidimus eclipsim, hæc non est vera scientia, sed ex accidenti, quia non est per causam. Altera conditio est, vt eam causam accommodemus conclusioni, & sciamus esse causam conclusionis. quamuis enim scias Lunam deficere, & scias terram interponi inter Solem & Lunam:

nam:tamen,nisi scias hanc interpositionem esse causam eclipsis,non habes veram scientiam eclipsis. Tertia conditio est, vt sciamus rem non posse aliter se habere. nam alioqui non esset vera scientia. Exempli gratiâ, etiamsi scias Lunam deficere propter terræ interpositionem: si tamen putas fieri posse vt terrâ interpositâ Luna non deficiat, vel terrâ non interpositâ Luna deficiat, adhuc non habes veram scientiam eclipsis; quia scientia non est in re quæ cognoscitur, sed in animo; animus autem tuus non est ita affectus, vt sciat illam esse veram & necessariam causam eclipsis.

2 *Constat igitur.* Definitionem sciendi allatam confirmat communi omnium hominum consensu & testimonio: omnes enim homines aut scientiam habent, aut non habent, vtrique tamen scientiæ vocabulum eodem modo accipiunt. nam qui putant se scire quod nesciunt, illi putant se cognoscere causam &c. item qui putant se scire quod sciunt, illi putant se cognoscere causam&c.& re vera cognoscũt causam&c. Hoc modo Aristoteles probat definitionem sciendi: quia est primum principium huius artis analyticæ, proinde non potest per alia principiâ priora demonstrari, sed tantùm dialecticè confirmari.

3 *Quapropter id.* Ex dictis infert corollariũ,quo vsus est inprincipio cap.4.nempe id cuius habetur vera scientia,non posse aliter se habere. Exempli gratiâ si scio Lunam deficere propter interpositionem terræ:fieri non potest,quin Luna deficiat,quotiescumque terra interponitur. hoc enim pronunciatum est necessariò verum, interpositio terræ facit Lunam deficere: vel, eclipsis est defectus luminis in Luna propter interpositionem terræ.

4 *An igitur.* Quia scire, est verbum homonymum:ne quis putet omnem sciendi modum suprà fuisse definitum, inquit se nunc loqui tantùm de scientia demonstratiua.an autem sit & alius sciendi modus, qui non per demonstrationem comparetur, se posteriùs declaraturum pollicetur.hoc autem declarabit cap.seq.& cap. 13. & cap. 33. part.1.huius libri,necnon cap. 3. & cap. vlt. seq.libri.

5 *Demonstrationem autem.* Postquàm definiuit scientiam, quæ est finis demonstrationis,nunc definit demonstrationem, quæ est organum & instrumentum,quo acquiritur scientia. Definitio constat ex genere & vnâ differentiâ. Genus est syllogismus: quia syllogismus & demonstrationem & alias species continet, vt dictum fuit lib.1. Priorum cap.4.part.1. Differentia,per quam demonstratio separatur ab aliis syllogismis, id est,dialecticis & sophisticis,est *scientialis.* quam differentiam ipse Aristoteles declarans,inquit scientialem syllogismum se appellare eum,per quem habetur scientia:vera scilicet scientia:quæ in prima partic. fuit definita.

6 *Si igitur scire.* Ex definitione demonstrationis traditâ colligit conditiones propositionum demonstratiuarum:vnde habebimus aliam definitionem demonstrationis sumptam à materia:nam prior sumebatur à fine:& posterior probatur ex priori, secundum ea quæ ab Aristotele docebuntur lib. seq.cap.8.9.& 10. Itaque prior definitio est syllogismus scientiam pariens:posterior est, syllogismus ex propositionibus veris,primis & immediatis,&c. Vtramque si coniungas, habebis definitionem perfectâ,(quam Aristoteles posteriùs docebit terminorum tantùm positione differre à demonstratione) Demonstratio est *syllogismus scientiam pariens ex propositionibus primis veris* &c. Hæ conditiones propositionum demonstratiuarum sunt sex. Primò sunt propositiones veræ. Secundò sunt primæ & immediatæ. Tertiò sunt notiores conclusione. Quartò sunt priores conclusione. Quintò sunt causæ conclusionis. Sextò sunt propriæ eius quod demonstratur. Singulę explicabuntur, & confirmabuntur in sequentibus particulis. Hic tantùm notetur ordo. Nam duę priores conditiones sunt absolutæ; posteriores conueniunt propositionibus relatione habitâ ad conclusionem: ex duabus autem primis vna est magis generalis, quæ conuenit etiam aliis syllogismis, nempe propositiones veras esse; altera est demonstrationis propria, nempe propositiones esse primas & immediatas. Præposuit igitur Aristoteles conditiones absolutas cõditionibus relatis: & inter absolutas primum locum dedit ei quæ latissimè patet.

7 *Nam syllogismus.* Ostendit, per suprà dictas conditiones seiungi demõstrationem ab aliis syllogismis:quoniam alij syllogismi possunt carere his conditionibus, demonstratio verò sine his esse nequit. Quod hæ conditiones necessariò requirantur in demõstratione, specialiter quidem de singulis probabit in sequentibus particulis:generaliter autem de omnibus hic probat demonstratione sumptâ à priore definitione demonstrationis. Hæc demonstratio, si respiciamus ad verba Aristotelis, extruitur hypotheticè hoc modo: Si caret his conditionibus non facit scire: atqui facit sci-

re:ergo non caret his conditionibus. Possumus autem in demonstrationem categoricam ita resoluere: Omnis syllogismus scientiam efficiens constat ex propositionibus veris &c. atqui demonstratio est syllogismus scientiam efficiens: ergo demonstratio constat ex propositionibus veris &c.

8 *Vera igitur* Deinceps singulas propositionum demonstratiuarum conditiones cõfirmat, & partim declarat. primúmque in hac particula probat primam conditionem, id est, demonstratiuas propositiones esse veras, vtens hoc argumento hypothetico ab euersione consequentis ad euersionem antecedentis: Quod non est verum, non scitur: atqui propositiones demõstratiuæ sciuntur: ergo sunt veræ. In contextu habemus primò conclusionem. Secundò ibi, *quia quod non est*, maiorem propositionem. Tertiò ibi, *veluti diametrum*, confirmationem illius maioris, hoc exemplo, quia nemo potest scire dimetientem habere communem mensuram cum latere, cùm nulla sit communis mensura. Sic nemo potest scire asinum volare, quia non volat.

9 *Ex primis autem* Probat secundam conditionem, id est, propositiones demonstratiuas esse indemonstrabiles. Vtitur autem simili syllogismo hypothetico: Si demonstrabiles sunt, non sciuntur absque demonstratione: atqui sciuntur sine demonstratione: ergo demonstrabiles non sunt. In contextu Primò ponitur conclusio. Secundò ibi, *nam [alioqui.]* innuitur maior propositio. Tertiò ibi, *quia scire*, ea maior propositio probatur per definitionem scientiæ.

10 *Causas verò.* Postquàm probauit duas primas conditiones absolutas: consequens est, vt probet relatas, id est, quæ conueniunt principiis demonstratiuis respectu conclusionum. Ex his cõditionibus tres in hac parte probantur. Sed hic Aristoteles ordinem inuertit. nam suprà part. 6. dicebat vltimo loco propositiones esse causas conclusionis: nunc verò hanc conditionem primo loco ponit. Primò namque proponit has tres conditiones, quòd principia sunt causæ conclusionis, & notiora conclusione, & priora conclusione. Ratio mutati ordinis hęc est; Suprà in his conditionibus recensendis vsus est ordine ab vniuersalibus ad particularia, & priori loco posuit eas, quæ latiùs patent, & communiores sunt; posteriori autem loco eas, quæ sunt magis propriæ demonstrationis: hic enim fuit commodissimus ordo in conditionibus recensendis. nunc verò, cùm hæ conditiones probandæ sint, illa conditio præfertur, per quam aliæ probabuntur. nam ex eo, quòd principia sunt causæ, probabit ea esse priora & notiora. Secundò cùm ait, *Causas quidem*, probat principia esse causas conclusionis, probat (inquam) ex definitione scientiæ suprà tradita. Intellige principia esse causas conclusionis duobus modis, id est, causas cur conclusio sit, item causas nostræ cognitionis. Vtrumque patet ex definitione scientiæ: dicebamus enim, nos tunc scire, cùm habemus causam, & scimus illam esse causam conclusionis. Exempli gratiâ, si demonstremus eclipsim de Luna per interpositionem terræ, illa interpositio in rerum natura est causa cur eclipsis sit in Luna, & in nostro intellectu est causa cur sciamus Lunam deficere, seu eclipsim esse in Luna. Tertiò cùm ait, *& priora, quia [sunt] causa*, ex eo quòd ostendit principia esse causas, colligit ea esse priora conclusione. nam omnis causa est prior suo effectu: atqui principia sunt causæ conclusionis: ergo sunt priora conclusione. In contextu habemus conclusionem ibi, *& priora*: & minorem ibi, *quia [sunt] causa*. Maior, vt nota, omittitur in contextu. Quartò cùm ait, *& præcognita*, exponit, quomodo principia sint priora conclusione. Notandum est, sicut dixi principia duobus modis esse causas, ita etiam ea duobus modis esse priora, id est, & reipsa & cognitione. Sed Aristoteles tantùm declarat, quomodo sint præcognita, id est, quomodo sint priora secundum cognitionem. Et cùm 1. cap. part. 4. docuerit duas esse prænotiones, seu duos modos præcognoscẽdi: nunc docet vtroque modo cognosci principia demonstratiua ante conclusionem. Prior modus est, vt intelligamus quid significent. alter est, vt intelligamus ea esse vera. scire enim oportet, quę sit sententia illorum prounciatorum, quę accipiuntur pro principiis in demonstratione: item scire hęc pronunciata esse vera; priùs quàm sciamus, quę sit sententia conclusionis, & conclusionem esse veram.

11 *Priora autem.* Nunc adhibet aliã expositionẽ, quæ tamen non est propria huius conditionis quòd principia sunt priora secũdũ cognitionem, sed etiam pertinet ad eam conditionẽ quòd principia sunt priora secũdum rem & secundum esse: item ad eã conditionẽ quòd principia sunt notiora. Docet enim priora & notiora sumi duobus modis, id est, vel secundum rerum naturam, vel secundum nos. Et declarans vtrumque membrũ, inquit ea esse priora & notiora secũdũ naturã, quæ sunt remotissima à sensu, nẽpe quæ sunt maximè vniuersalia. Sensus enim est particulariũ: intellectus verò vniuersaliũ.

Intellige

Intellige(vt scholastici loquũtur) vniuersalia in causando, non in prædicãdo: hic enim loquimur de causis, nõ de generibus. vt De' est maximè vniuersalis, non quia ceteris rebus attribuatur, nulla enim alia res potest dici De', sed quia est omniũ rerũ causa. Priora autẽ & notiora secundũ nos ea inquit esse, quæ sunt propinquiora sensui; vt particularia, quæ vniuersalibus opponuntur. Oportet ergo intelligere causas particulares, quẽadmodũ intelligebamus causas vniuersales. Exempli gratiâ, nobis notius est patrem esse causam filij, quam Solem: sed secundũ naturam prior & notior causa est Sol, quàm pater. Hæc est expositio, quæ continetur in hac partic. Duo autem sunt à nobis notanda.

Primò cùm Aristoteles expressè non doceat vtro modo principia sunt priora & notiora: intelligendum est, ea esse priora & notiora secundum naturam. Secundò notandum, Aristotelem debuisse quoque probare principia esse notiora: quod tamen non fecit, sed facturus est in calce huius capitis. Ratio cur in eum locum hanc probationem reiecerit, hæc est: quia inde sumetur occasio quæstionis, qua tractabitur in seq. cap. Vt igitur hæc capita rectiùs cohæreant, in fine huius capitis id docebit. alioquin, si hic docuisset principia esse notiora, hæc doctrina secum traxisset sequens caput, atque ita nimis longa digressio fuisset interiecta probationibus conditionum in propositionibus demonstratiuis requisitarum. Quare nunc perget ad aliam conditionem.

12 *Ex primis autem.* Vltima conditio fuit, principia esse propria. hæc conditio demõstratiuè probabitur cap. 7. & cap. 9. nunc autem probatur per solutionem obiectionis. Obiicere enim aliquis posset, nos antea dixisse principia esse prima: non videntur ergo esse propria. nã prima illa axiomata, Omne totum est maius sua parte, De quolibet re vera est affirmatio vel negatio, non sunt propria alicuius subiecti, vel alicuius scientiæ, sed omnibus accommodantur. vnde hæ conditiones videntur sibi inuicem contradicere, principia esse prima, & principia esse propria. Respondet Aristoteles, se non intelligere omnino prima, sed prima in ea scientia, cuius sunt principia, idem enim (inquit) voco primum & principium: quasi dicat, sicuti vocamus principia alicuius scientiæ, ita etiam vocamus prima in ea scientia, quamuis non sic omnino prima, exempli gratiâ, hoc est primum principium in Physicis, aliquas res moueri. Vnde subdit Aristoteles, principium demonstrationis esse propositionem immediatam, id est, qua non est alia propositio prior in illa scientia: quasi dicat, non voco primum seu principium, quia omnimodo primum principiũ sit, sed quia non habet medium, seu (quod idem valẽt) non habet propositiones se priores, per quas in ea scientia demonstretur.

13 *Principium autem.* Quia proximè dixit principium demonstrationis esse propositionem immediatam: idcirco nunc docet, quid sit propositio, & quid demonstrati uo differat à dialectica. Deinde ibi, *Contradictio [est,]* definit enunciationem, vt meliùs intelligamus definitionem propositionis, quia per enunciationem definiuntur propositionem. Et quia in definitione enunciationis facit mentionẽ contradictionis, & partium ipsius: idcirco tertio loco, cùm ait, *Cõtradictio [est.]* definit contradictionem. & quarto loco, ibi, *Partium contradictionis*, declarat partes contradictionis: nempe affirmationem & negationem. Hæc omnia sunt nobis nota ex libris de Interpretatione, & ex primo cap. lib. 1. Priorum. vnde hic obiter repetuntur, cùm sine vllo incommodo potuissent prætermitti, sicut etiam à Themistio in paraphrasi prætermittuntur.

14 *Ex immediatis.* Cùm dixerit principium demonstrationis esse propositionem immediatam: ne quis propterea putet omnem propositionem immediatam sumi posse pro principio demonstrationis, nunc declarat, quænam propositiones immediatæ hoc nomine dignæ sint, vt appellentur demonstratiuæ, seu principia demonstrationis. ac ponit horum duo genera, quorum alterum vocat axioma, alterum thesim. subdiuidit autem thesim in hypothesim & definitionem. Hæc magis declarabuntur commodiori loco, id est, cap. 10. nunc tamen sine aliqua expositione à nobis non relinquentur. Quoniam igitur Aristoteles diuidit immediatum principium syllogisticum, id est, demonstratiuum (interdum enim κατ' ἐξοχὴν accipit syllogismum pro demonstratione, & syllogismum pro demonstratiuo) in thesim & axioma: Primo loco definit thesim, in cuius definitione ponit duas conditiones: quarum vna est, vt sit indemonstrabilis: altera, vt non sit necesse discipulum eam à semetipso cognoscere, sed eam à præceptore doceatur. Prior conditio est communis thesi & axiomati: posterior est propria theseos, & seiungit thesim ab axiomate: quædam enim principia sunt initiò tyronibus ignota; vt in arithmetica, quid sit numerus; aut in geometria: quid qua-

dratum, vel quadrangulum: hæc igitur in scientia non probantur, sed tantùm declarantur. Secundò cùm ait, [*eam*] *verò quam*, declarat quid sit axioma, ponens eam conditionem, per quam axioma distinguitur à thesi. quoniam ille qui vult aliquid discere, debet ex seipso axioma cognoscere, &(vt Themistius loquitur) debet eam cognitionẽ domo secum afferre, nõ à doctore expectare: veluti, omne totum est maius sua parte. Adiungit autem Philosophus duas confirmationes. Cùm enim ait, *sunt enim quædam eiusmodi*, asserit reperiri eiusmodi axiomata in scientiis. Deinde cùm ait, *& potissimùm*, confirmat ea hoc nomine appellari, nempe nos solere quæ ita per se nota sunt, nominare axiomata.

15 *Ex positionibus.* Transit ad species theseos: & Primò definit hypothesim, ponens conditionem, per quam hypothesis separatur à definitione. hypothesis enim est thesis, quæ sumit alterutram partem contradictionis, id est, quæ affirmat vel negat. omnis enim hypothesis est enunciatio. Secundò cùm ait, *at quæ hac vacat*, declarat alteram partẽ theseos, id est, definitionem: & ait definitionem esse thesim, quæ nec affirmat nec negat. Tertiò cùm subiicit, *definitio namque*, probat definitionem esse thesim, id est, positionem: quia definiens ponit: vt (exempli gratiâ) definiens numerum, ponit quid sit numerus: poni namque in scientiis dicuntur, quæ non demonstrãtur. Quartò cùm ait, *non tamen*, separat definitionem ab hypothesi. in eo namque conueniunt, quòd sunt theses: sed eo differunt, quòd definitio ponit quid sit, hypothesis verò ponit esse. Exempli gratiâ, cùm pono esse numerum, vel corpus, vel motum: hæc vocatur hypothesis. Cùm autem pono, quid sit numerus, vel quid sit corpus, vel quid motus: hæc dicitur definitio. Quare sicut aliud est rem esse, aliud verò, quid res sit: ita aliud principium est hypothesis, aliud est definitio.

16 *Quia verò.* Redit ad conditiones propositionum demonstratiuarum: & probat, quod probandum supererat, eas esse notiores conclusione. Probatio in hoc consistit, quòd propter propositiones seu principia cognoscimus conclusionẽ: vnde magis cognoscimus principia, quàm conclusionem. Quod attinet ad seriem contextus, Aristoteles Primò facit enthymema. Deinde, vt cõsequentiam illius enthymematis probet, erigit integrum syllogismum. In enthymematis antecedente duo sumit. Vnum est, nos credere & scire rẽ, id est conclusionẽ, eò quòd habemus de ea syllogismum demonstratiuum. Alterum est ibi, *hic autem*, syllogismum demonstratiuum ideo esse, quia cõstat ex talibus propositionibus seu principiis qualia diximus requiri. Hinc, cùm ait, [*propterea*]*necesse* [*est*,]ex eo antecedente infert consequens, nempe principia non solùm præcognosci, vt fuit suprà probatum, sed etiam magis cognosci quàm conclusionem: quod nunc erat probandum. Hæc de enthymemate. Postea cùm ait, *semper enim*, vt probet consequentiam, vult erigere syllogismum integrum, qui talis est: Propter quod cognoscimus conclusionem, id magis cognoscimus quàm cõclusionẽ: atqui propter principia cognoscimus conclusionem: ergo magis cognoscimus principia, quàm conclusionem. Minor est manifesta. Maior probatur per generale axioma: Propter quod vnumquodque est tale, illud est magis tale. Quod axioma perpetuò verum est, dummodò adsint duæ conditiones, id est, qualitas sit vtrique termino communis, & recipiat intentionem ac remissionem. Exempli gratiâ amo te, & fratrem tuum: & amo te propter fratrem: ergo magis amo fratrem. Vbi verò hæ conditiones desunt, axioma verum non reperitur. Exempli gratiâ, homo inebriatur propter vinum: non tamen vinum magis inebriatur: quia hæc qualitas, id est ebrietas, non est communis homini & vino. Rursus filius est homo propter patrem: non tamen pater est magis homo, quàm filius, quia homo non recipit intentionem & remissionem, vt dictum fuit in Categor. ca. de substantia. In proposito autem argumento axioma valet: quia cognitio est cõmunis principiis & conclusioni, & recipit intentionem ac remissionem; quandoquidem possumus magis & minùs cognoscere. Hic syllogismus quem exposui, hoc ordine proponitur in contextu. Primò Aristot. ibi, *semper enim*, loco maioris propositionis ponit illud generale axioma, sub quo maior propositio continetur. Secundò cùm ait, *vputà id magis*, declarat illud axioma exemplo nam si propter filium diligo præceptorem filii, magis diligo filium, quàm præceptorem. Tertiò cùm ait, *quocirca si propter*, adiungit minorem propositionem. Quartò cùm ait, *illa quoque*, infert ipsam conclusionem.

17 *Fieri autem nequit.* Ex dictis colligit, qualis sit cognitio principiorum: & inquit, eam esse scientiam vel cognitionem quandam scientiâ præstantiorem. Loquitur sub disiunctione: quia duo sunt genera principiorum. alia namque sunt principia

prima

prima & immediata, quæ non cognoscuntur per scientiam demonstratiuam, sed per cognitionem meliorem, quæ vocatur νοῦς, intelligentia, de qua in vltimo cap. lib. seq. alia verò sunt principia secunda & mediata, quæ probantur ex antecedente cognitione per syllogismos. horum cognitio est vera scientia demonstratiua. Hanc suam sententiam probat Aristoteles per deductionem ad absurditatem, id est, syllogismo hypothetico ab euersione consequentis ad euersionem antecedentis, hoc modo: Nisi principia cognoscuntur scientiâ, vel meliori quadam cognitione: magis quàm ea quæ nouimus, crederemus ea, quæ nec scimus, nec meliùs nouimus quàm si sciremus: atqui hoc est falsum & impossibile: ergo etiam illud, ex quo sequitur. Huius syllogismi Aristoteles Primo loco ponit minorem. Secundo ibi, *hoc tamen accidet*, maiorem propositionem. Tertio ibi, *quia necesse*, probationē maioris illius hypotheticæ, id est, illius consecutionis.

18 *Non solum autem.* Ostendit, æquè notam esse falsitatem propositionum principiis demonstratiuis acquisitarum, atque veritatem ipsarum principiorum demonstratiuorum: quia nisi demonstrator certus esset de veritate suarum propositionum, & falsitate propositionum oppositarū, sæpe erraret, & pro demōstratiuis propositionibus sumeret fortasse opposita.

IN CAP. III. QVO REFVTANTVR ERRORES, IN QVOS nonnulli inciderunt, eò quòd principia demonstrationis sciri debent.

EX eo, quòd proximè dictum fuit, principia demonstrationis sciri debere, duæ falsæ opiniones ortæ sunt eorum qui aliam scientiam quàm demōstratiuam non agnouerunt: quas Aristoteles hoc capite refellit.

1 *Quibusdam igitur.* Proponit duas illas falsas aliorum sententias. Vna est, nihil posse sciri. Altera, omnia sciri per demonstrationem. Ait Aristoteles neutrum esse verum, aut necessariū, id est, neutram sententiam esse veram, & neutram necessariò colligi ex eo quòd oportet principia scire, quamuis illi ex hoc suas sententias adstruerent.

2 *Nam qui supponunt.* Proponit argumentum eorum qui scientiam negabant. Hi vtebantur syllogismo disiuncto. aut enim non demonstrantur prima principia, sed priora principiorum alia principia sunt in infinitum: aut sunt quædam prima principia, in quibus consistitur. Si principia sunt infinita, non potest esse scientia: quia non possunt sciri posteriora, nisi sciantur priora: infinita autem sunt priora: comprehendi igitur a nobis non possunt. Si verò sunt quædam prima, hæc non possunt demonstrari: quia demonstratio est ex prioribus, vt suprà fuit probatum: nulla autem sunt priora primis: proinde non possunt sciri, quia non est scientia, nisi per demonstrationem. Aristoteles soluit hoc argumentum, negans hanc vltimam consecutionem. cùm enim dicunt, Aut principia in infinitum progrediuntur, aut sunt quædam prima: concedimus. Rursus cùm dicunt, Si in infinitum progrediuntur, non datur scientia: hoc quoque concedimus. Deinde cùm dicunt, si sunt quædam principia prima, non possunt demonstrari: etiam hoc verum est. Sed cùm postremò dicunt, Non possunt demonstrari, ergo non possunt sciri: negamus hanc cōsecutionem: quia sciri possunt alio cognitionis genere. Quod attinet ad seriem contextus, Aristoteles Primo loco proponit prius membrum illius syllogismi disiuncti: & in eo membro probat quod illi dicebant. Rectè (inquit) dicunt: quia infinita non possunt percurri, siue intellectu comprehendi. Secundò cùm ait, *Si verò, statur* ponit alterum membrum, nimirum esse quædam prima principia: & secundum illos probat hæc principia non posse sciri, quia non possunt demonstrari. Deinde cùm ait, *quòd si non sciret*, ex eo quòd principia non sciuntur, colligit etiam conclusiones ignorari, quia non possunt sciri, nisi ex principiis: proinde nil scietur. Et quia dicere aliquis posset conclusiones sciri sub conditione si propositiones veræ sint: (exempli gratiâ, non quidem scio animam humanam mouere seipsam: sed tamen scio eam esse immortalem, si seipsam mouet) respondet Aristoteles, hanc non esse veram & propriè dictam scientiam.

3 *Alij verò* Transit ad alteram opinionem. nam alij soluentes argumentum propositum in præced. part. dixerunt in principiis quibusdam primis stari: Sed cùm diceretur, Ergo demonstrari non possunt, quam consequentiam Aristoteles admittit, isti hanc consequentiam negabant: dicebant enim principia demonstrari ex conclusionibus, & conclusiones ex principiis: vt ita fiat demonstratio circularis, & omnium rerum habeatur scientia per demonstrationem.

4 *Nos verò dicimus.* Declarat suam sen-

pe vera erit, quæ demonstrat ex prioribus secundum naturam: impropriè autem demonstratio dicetur, quæ demonstrat ex prioribus secundum nos: quia hæc non erit per causam: scire autem est causam cognoscere) atqui falsum est primum, id est, nos non rectè definiuisse scientiam: ergo verum est secundum, nempe alteram non esse veram demonstrationem. proinde non erit demonstratio circularis. Huius syllogismi Aristoteles in contextu tantum ponit maiorem propositionem: sed eam ita ponit, vt simul indicet ea, quæ sunt supplenda. hæc enim phrasis est ipsi familiaris, quemadmodum & alijs auctoribus, vt, cùm diuersa membra disiunctim proponat, vltimum probet.

6 *Accidit autem.* Postquàm probauit non esse circularem demõstrationem: nunc probat, etiamsi demus eam esse, tamen nullum inde fructum percipi, nec inde haberi veram scientiam, quia per eam petitur quæsitum, id est, probatur idem per seipsum, cùm enim dicis, Terra interponitur, ergo est eclipsis: item, Est eclipsis, ergo terra interponitur, quid aliud colligis, quàm terram interponi, quia terra interponitur? Quod attinet ad seriem contextus, Primò Aristoteles aduersariis obiicit, quòd secundum eorum sententiam, id est, per circularem demonstrationem probatur idem per idem. Secundò cùm ait, *sic autem facilè*, deridet eam sententiam: quia hoc modo facile esset omnia demonstrare. i. eadem per semetipsa, veluti, Anima est immortalis, ergo est immortalis: aut hoc modo, Anima operatur sine corpore, ergo est immortalis. eam autem operari sine corpore, probo ex eo quòd est immortalis, & manet sine corpore. Tertiò cùm ait, *constat autem*, volens probare consequentiam, id est, deductionem illam ad absurditatem, quòd, si circulo demonstratur, idem per semetipsum demonstratur; sumit hoc principium, quòd siue pauci, siue multi termini sumantur, cùm fit ab vno ad alium progressus, & ab illo rursus ad alium, tunc dicitur progressus fieri à primo ad vltimum. Exempli gratiâ, si est α, est β: si est β, est γ: ergo si est α, est γ. vt putà si est corpus, est mobile: si est mobile, est in loco: ergo si est corpus, est in loco. Quartò cùm ait, *Si igitur cùm τὸ α*, deducit aduersarios ad impossibile. nam aduersarij cùm vtantur circulo, ita argumentantur: si est α, est β. (i. primũ, est secundum) & vicissim si est β, est α. ergo bis ponunt α: & secunda vice ponunt α, vbi antea ponebamus γ. sicut ergo antea dicebamus, Si est α, est β: si est β, est γ: ergo si est α, est Γ: ita nũc dicemus: Si est α, est C: si est β, est α: ergo si est α, est α: atq; ita probabimus idẽ per idẽ. Sic positis realibus terminis, talis erit argumentatio: Si est eclipsis, terra interponitur: si terra interponitur, est eclipsis: ergo si est eclipsis, est eclipsis. quo modo, inquit Aristoteles, omnia facilè demonstrarentur.

7 *Imò ne quidem.* Tandem ostendit, etiamsi daremus demonstrationem circularem fieri posse, & esse vtilem, neque committere illud peccatum, quod vocamus petitionem quæsiti, id est, non probare idem per idem; nihilominùs tamen aduersariorum sententiam esse falsam, quòd omnia sciantur per demonstrationem: quia pauca ita demonstrarentur, & ita scirentur. Primò Aristoteles breuiter proponit hanc sententiam, quòd hæc demonstratio circularis non potest habere locum, nisi in terminis conuertibilibus; quales termini sunt subiectum, & quæ sunt illius subiecti propria, vt homo, aptum ad ridendum, & disciplinæ capax. nam hi termini reciprocantur: ideóque in his potest fieri circulus, vt didicimus ex secundo libro Priorum. Vt autem pluribus & perfectiùs ostendat circularem demonstrationem non posse in omnibus habere locum, vlteriùs progreditur: & Secundò cùm ait, *Vno igitur*, sumit hoc principium, demonstrationem non fieri ex aliquo vno, id est, neque ex vno termino, neque ex vna propositione, sed minimùm ex duabus propositionibus. quod probat à genere: quia demonstratio est species syllogismi: omnis autem syllogismus constat ex duabus propositionibus.

Tertiò cùm ait, *Si igitur τὸ α*, ostendit, cùm tres termini reciprocantur, fieri circulum in prima figura, id est, in Barbara, vt fuit expositum in libro de syllogismo, id est, libro 2 Prior. cap. 5. Quartò cùm ait, *sed &* [*illud*,] ostendit syllogismum non fieri in secunda & tertia figuris, sicut fuit expositum eodem libro secundo, cap. 6. & 7. in his enim figuris (inquit Aristoteles) aut non fit syllogismus, aut de non acceptis: id est, aut neutra propositio probatur, & nullus fit syllogismus circularis; (vt cùm arguitur in Darapti: nam conclusio est particularis, & ambæ propositiones sunt vniuersales; ideóque non possunt circulo probari ex conclusione, quia vniuersale non probatur ex particulari) aut vna tantùm propositio probatur: veluti cùm altera est vniuersalis, altera particularis, sola particularis circulo probatur: & cùm altera affir-

mai, altera negat, sola negans circulo probatur. Quintò cùm ait, *quæ verò non reciprocantur*, docet in terminis, qui non reciprocantur, non fieri circulum. Sextò cùm ait, *Quocirca cùm pauca*, concludit ineptam & impossibilem esse illam sententiam, quòd omnia demonstrentur circulo: quandoquidem ostendimus pauca demonstrari circulo, id est, ea sola, quæ demonstrantur in Barbara, in terminis conuertibilibus. siue enim alius sit syllogismi modus, siue alij termini: perfectus circulus locum non habet.

IN CAP. IV. QVO DEFINITVR, QVID SIT DE OMNI, PER se, & Vniuersale.

HActenus exposuit Aristoteles essentiam demonstrationis, id est, eius formam, finem, & materiam. Nam forma est syllogistica: finis est scientia demonstratiua: materia sunt propositiones veræ, primæ, &c. adeo vt demonstratio nihil aliud sit, quàm syllogismus scientiam pariens ex huiusmodi propositionibus. Iam vt perfectiùs naturam demonstrationis intelligamus, resumit hunc tractatum: & pluribus, atque accuratiùs declarat materiam, formam, & finem demonstrationis. qua methodo vsus est etiam 8. Physico, & M. Tullius in Topicis. Incipiens à materia, primo loco ostendit propositiones demonstratiuas esse summè necessarias, id est, de omni, per se, & vniuersales.

1 *Quia verò non potest.* Ex antè dictis breuiter colligit propositiones demonstratiuas esse necessarias: quod postea diligentiùs probabit cap. 6. nunc breuiter proponit, vt sumat occasionem explicandi, quænam sint propositiones maximè necessariæ, nempe in quibus insunt tres illæ conditiones, de omni, per se, & vniuersale. Hanc autem conclusionem, quòd propositiones demonstratiuæ sint necessariæ, colligit ex antecedente bipertito, id est, ex duabus sumptionibus. Primò namque sumit, id, quod cadit sub scientiam demonstratiuam, id est, conclusionem quæ demonstratur, esse necessariam, hoc autem probat ex definitione necessarij: Necessarium enim est, quod non potest aliter se habere: atqui quod demonstratur, non potest aliter se habere: ergo est necessarium. Minor patet ex partic. 3. cap. 2. & eam Aristoteles in primis verbis proponit. Deinde, omissa maiore, infert consequens, ibi, *necessarium vtique*: quod est primum fundamentum in probatione principali. Secundò cùm ait, *demonstratiua autem*, adiungit alterum fundamentum, seu secundam sumptionem, nos habere scientiam demonstratiuam, eò quòd habemus demonstrationem. Necesse fuit addere hoc secundum fundamentum: sine quo non valeret consecutio illa, Conclusio est necessaria, ergo propositiones sunt necessariæ. sicut enim verum ex falsis, ita necessarium ex contingentibus concludi potest: sed tunc non habemus scientiam demonstratiuam eius conclusionis necessariæ. Tertiò cùm ait, *demonstratio igitur*, ex dictis duabus sumptionibus, seu duobus fundamentis colligit, syllogismum (subaudi, demonstratiuum) constare ex propositionibus necessariis.

2 *Accipiendum igitur.* Quod breuissimè antè docuit, proponit diligentiùs explicandum, ex quibus & qualibus demonstrationes constent. Cùm dicit, *ex quibus*, respicit ad conditiones propositionum demonstratiuarum necessarias & essentiales, veluti vt sint necessariæ. Cùm dicit *ex qualibus*, respicit ad conditiones accidentales, veluti quòd difficiles sunt inuentu, vt dicetur in partic. vlt. cap. 9. Sed antequàm hæc explicentur, inquit Philosophus declarandos esse hos terminos, quibus postea sumus vsuri, nempe quid sit De omni, quid Per se, & quid Vniuersale: quoniam hæ sunt tres conditiones requisitæ vt dicantur propositiones necessariæ.

3 *De omni igitur.* Declarat quid sit dici de omni: & Primò ponit eius descriptionem, ex qua intelligimus duas conditiones requiri vt dicatur de omni. vna est, quæ ipso vocabulo indicatur, vt attribuatur cuilibet, non tantùm alicui, vel aliquibus. altera est, vt semper attribuatur, non tantùm aliquo tempore. Secundò cùm ait, *vt putà si de omni*, subiungit duo exempla. Primum est physicum, id est, animal dici de omni homine: quia dicitur de quolibet homine, & quolibet tempore. Alterum est exemplum mathematicum, id est, punctum dici de omni linea: quia cuilibet lineæ semper inest. Tertiò cùm ait, [*Huius*] *autem*, confirmat datam descriptionem ab auctoritate & communi opinione. nam interrogati, id est, respondentes qui theses defendunt, cùm sibi opponitur aliqua propositio, vt ostendant eam non esse de omni, obiiciunt

eam.

eam non esse veram in aliquo subiecto, vel non esse veram aliquo tempore. omnes igitur in id consentiunt, vt, si neutra harum obiectionum fieri possit, propositio, sit de omni. Quare hæc propositio, homo est iustus, non est de omni: quia sunt alioqui homines non iusti. Rursus hæc propositio, nullus catulus videt, non est de omni: quia non est vera omni tempore, id est, post aliquot dies, ex quo catulus natus est. Item hæc propositio, omnis homo canescit, non est de omni, quia non semper sit canus, sed tantùm in senectute.

4 *Per se autem.* Deinceps exponit, quid sit Per se, & simul quid sit Per accidens: quoniam contrariorum eadem est doctrina. Cùm autem quatuor modis dicatur aliquid per se: in hac particula ponit duos modos. Ac primò definit primum modum, inquiens per se dici, quæ insunt in quæstione quid est, seu in rei definitione. Secundo cùm ait, *vt triangulo*, declarat hunc primum modum exemplis mathematicis: & inquit lineam per se attribui triangulo: quoniam ponitur in definitione trianguli: siquidem triangulum est figura tribus lineis contenta. item punctum per se attribui in lineæ: quia ponitur in lineæ definitione: quandoquidem linea definitur longitudo sine latitudine, cuius extremi termini sunt duo puncta. Tertiò cùm ait, *Item ea quæ attributis*, definit secundum modum dicendi per se, qui est quodammodò oppositus primo. nam primo modo attributum ponebatur in definitione subiecti, vt rationale in definitione hominis, & linea in definitione trianguli: secundo autem modo subiectum ponitur in definitione attributi: hoc enim secundo modo propriæ affectiones per se attribuuntur subiecto, vt aptitudo ad ridendum homini, & simitas naribus: subiectum enim non definitur per suam affectionem, sed affectio per suum subiectum. vt in definitione nasi non ponitur simitas, sed simitas definitur curuitas nasi. Quartò cùm ait, *vt rectum & curuum*, declarat hunc secundum modum exemplis mathematicis. Primum exemplum est, rectum & curuum per se inesse lineæ, vt affectionem ipsius lineæ propriam. Ne intelligas rectum per se, aut curuum per se: quia non omnis linea est recta, nec omnis linea est curua: quicquid autem dicitur per se, dicitur etiam de omni. Rursus ne intelligas rectum & curuum simul: quia non potest eadem linea simul esse recta & curua. sed (vt ipse Aristot. docebit part. 7.) oportet accipere hæc duo simul sub disiunctione: quoniam rectum vel curuum attribuitur lineæ, id est, omnis linea est recta vel curua. Idem intellige de sequentibus exemplis. Secundum exemplum est, par & impar inesse numero, id est, numerus est par vel impar. Tertium exemplum est, omnem numerum esse vel primum vel compositum. Primus numerus dicitur, quem sola vnitas metitur: vt tria quinq;, septem. Compositus dicitur, quem non sola vnitas, sed etiam aliquis numerus metitur: vt sex: non solùm enim vnitas sexies repetita metitur numerum senarium, sed etiam duo ter repetita, & tria bis repetita. Quartum exemplum est, numerum vel esse æquilaterum, vel altera parte longiorem. Æquilaterus est numerus quadratus, qui efficitur ex numero in seipsum ducto; vt numerus nouenarius, qui efficitur ex ternario in seipsum multiplicato. nam si nouem puncta scribantur, figura quadrata erit. Numerus autẽ altera parte longior est, quẽ producit numerus non per seipsum, sed per aliũ multiplicatus: vt numerus senarius, qui fit ex ternario bis accepto, vel ex binario ter accepto. Etenim si scribantur sex puncta, nõ erunt latera æqualia: sed alterum erit longius, in quo colloeantur tria puncta; alterum breuius, in quo sunt duo puncta. Quintò cùm ait, *atque his omnibus*, ostendit hæc exempla vera esse, id est, has affectiones dici per se, nempe rectum & curuum de linea, reliquas autem de numero. nam ita rectum vel curuum inest lineæ, vt per lineam definiatur. Item reliquæ affectiones ita insunt numero, vt per numerum definiantur. Sextò cùm ait, *similiter & in alijs*, docet eandem esse rationem aliarum propriarum affectionum. omnes enim de subiectis suis per se dicuntur secundo modo. Atque hactenus exposuit duos modos dicendi per se. Septimò cũ ait, *quæ verò*, definit ea quæ per accidens dicuntur, modo opposito duobus illis modis dicendi per se antea declaratis sicut enim erant alij modi per se, ita & alij erant modi per accidens. Ergo per accidens hic dicuntur, quæ neutro modo insunt subiecto, id est, quæ ita insunt subiecto, vt neque ponantur in definitione subiecti, nec definiãtur per subiectum. Octauò cùm ait, *vt musicum*, affert duo exempla eorum quæ dicuntur per accidens. Primum est, animal est musicum: alterum est, animal est album: quia nec musicum vel album per animal, nec animal per album aut per musicum definitur.

5 *Præterea* [*per se appello.*] Sequitur tertius modus dicẽdi per se, & mod⁹ per accidẽs ei

oppositus. hoc modo dicitur per se categoria substãtię: per accidẽs verò quãtitas, qualitas, & reliquę categorię accidentium. Vt faciliùs intelligantur verba contextus, notetur, Aristotelem pro eodem accipere substantiam, & quod significat hoc aliquid, & quod non dicitur de subiecto: quoniam hæc duo sunt substantiæ propria. Rursus pro eodem accipere accidens, & quod dicitur de subiecto: quoniam hoc est proprium accidentis, vt di dicimus ex libro Categoriarum. Sed animaduertendum est, cùm subiectum duplex sit, alterum inhærentiæ, alterum attributionis; quorum illud vocatur subiectũ in quo, hoc verò dicitur subiectum de quo, vt expositum est ad cap. 2. Categor. Aristotelem hic loqui de subiecto inhærentiæ, quod tamen vocat subiectum de quo, sæpe enim solet accipere verbum *de subiecto*, pro, in subiecto. substantia igitur non dicitur de subiecto, id est, nõ est in subiecto: & accidẽs dicitur de subiecto, id est, in subiecto est.

6 *Alio præterea modo*. Sequitur quartus modus dicendi per se, & modus dicendi per accidens ei oppositus. Hic modus pertinet ad causam efficientem. dicitur enim per se id, propter quod effectus contingit: per accidens autem, propter quod non cõtingit. Aristoteles primò describit hunc modum dicendi per se. Secundò cùm ait, *quod non propter*, describit modum dicendi per accidens. Tertiò cùm ait, *vt si ambulante*, dat exemplum modi per accidens. veluti, ambulante Socrate fulgurauit: hæc propositio est per accidens; quia deambulatio Socratis nõ fuit causa fulguris: sed ita casu contigit, vt Socrate deambulante fulguraret. Quartò cùm ait, *Si verò propter se*, repetit definitionem modi per se, vt adiungat exemplũ: hæc n. propositio, Petrus iugulatus interiit, dicitur per se: quia non accidit casu vt iugulatus interiret, sed propter iugulationem interiit.

7 *Quæ igitur in iis*. Quia primus & secundus modus dicendi per se maximè omnium in demonstrationibus locũ habuit, vt ex sequẽtibus apparebit: idcirco eos modos à tertio & quarto distinguit Aristoteles hac proprietate, quæ etiam vsui erit in 10. partic. nam quod per se dicitur primo vel secundo modo, id non solùm est propter se, sed etiam omnino necessarium: quod non æquè dici potest de tertio & quarto modo. Quod enim attinet ad tertium modum, substantia indiuidua non necessariò est, nec semper est, vt Socrates. Item quod ad quartum modum spectat, hominem propter iugulationem interire non est necesse, cùm multæ sint aliæ mortis causæ, nec sit necessarium, hominem iugulari. Quapropter nõ est tãta necessitas in tertio & quarto modo, quanta in primo & secundo. In primo namque & secundo est nexus essentialis: vtpote cùm vel subiectum per attributum, vel attributum per subiectum definiatur. etenim definitio numquàm separatur à suo definito. Quod attinet ad seriem contextus, primò Aristoteles proponit hanc sententiam, ea quæ dicuntur per se, eo quòd insunt subiecta in attributis (id est, in definitione attributorum, vt fit in secundo modo dicendi per se) vel attributa insunt in subiectis, (.i. in definitione subiectorum, vt fit in primo modo dicendi per se) hæc, inquam, & esse propter se, & necessaria: id est, sunt propter se nõ minùs quàm ea quę collocata fuerũt in quarto modo dicendi per se; & præterea sunt magis necessaria. Secundò cùm ait, *non enim accidit*, somma breuitate vtens, simul & ratione & tacitæ obiectionis solutione confirmat dictam sententiã. Ratio sumitur à definitione necessarij hæc. n. quæ vel primo vel secũdo modo dicuntur per se, non possunt aliter se habere: proinde sunt necessaria. Obiectio talis est: Diximus in quarta particula lineæ esse per se rectum & curuum, numero par & impar &c. atqui hæc non videntur necessariò inesse; quia linea non est necessariò recta, nec necessariò curua: & ita de ceteris dicendum. Respondet Aristoteles, hæc necessariò inesse, si rectè accipiantur, id est, si vtrumque sumatur sub disiunctione, vt suprà exposui. nã linea necessariò est recta vel inflexa, & numerus necessariò est par vel impar. Vt hoc rectiùs intelligamus, Aristoteles affectiones, quæ secundo modo per se dicuntur, in duo genera diuidit: quædam enim simplicia sunt, vt aptitudo ad ridẽdum inest homini: quædam verò sunt opposita, id est, constant ex duobus membris oppositis disiunctim consideratis; vt rectum vel inflexum, quod inest lineæ; & par vel impar, quod inest numero. In his ergo necesse est alterutrum inesse. quod Aristoteles probat illis verbis, *nam contrariũ*. Probatio talis est: Hæc duo contraria, vt par & impar, vt rectum & inflexum, ita sunt inter se affecta, vt alterum respectu alterius habeat vim priuationis, vel contradictionis in eodem genere, id est, in eodem subiecto: vt par & impar in numero, vt rectum & inflexum in linea: ergo necesse est, alterũ eorũ inesse in subiecto. Consequentia manifesta ex natura priuantium: quæ si considerentur in eodem subiecto, non possunt ambo abesse: vt homo necessariò videt, vel est cæcus: item ex natura contradictionis; quia

necesse

necesse est, alteram partem esse veram, alteram falsam. Antecedens ab Aristotele exemplo paris & imparis confirmatur illis verbis, *vt par [est.]* nam (inquit) par est, quod non est impar in numeris, id est, in hoc sub iecto, nempe in numero idem valet par & non impar. Dico in hoc subiecto: nam extra numeros aliquid nec est par, nec impar. itaque extra numeros non idem valet par & non impar. etenim si dicas substantiam esse parem, falsum dices. si dicas non esse imparem, verum dices: quia nec est par, nec impar. In numeris autem par & non impar idem valet. quod tamen rectè intelligendū est, non enim prorsus idem valent: quandoquidem par significat positionem aliquam; non impar est pura priuatio: sed diximus idē valere, quatenus se mutuò consequuntur, nempe omnis numerus par est non impar, & rursus omnis numerus non impar est par. Hanc expositionem ponit ipse Aristoteles in contextu, dum ait, *quæ consequitur*, id est, quæ vnum ex altero necessariò colligitur, seu quæ mutuò se consequuntur. Vnde tandem, cùm ait, *quare si necesse*, concludit necesse esse vt omnis numerus sit par vel impar: siquidem necesse est, vt sit impar vel non impar: & par, idem valet, quod non impar.

18 *Ergo de omni.* Epilogo concludit tractatum de iis quæ de omni, & quæ per se dicuntur.

9 *Vniuersale autē.* Transgreditur ad expositionem vniuersalis: & primùm in hac partie. ponit eius definitionem. Obserua vniuersale non hic accipi, vt in prioribus Analyticis, & in lib. de Interpretatione, pro eo quod de omni dicitur, sed angustiùs pro eo quod dicitur de omni & solo, ita vt reciprocatur. Vt ergo dicatur vniuersale, Aristoteles requirit tres conditiones. Prima conditio est, vt sit de omni. i. vt attribuatur cuilibet & semper. Secunda, vt sit per se. Tertia, vt sit quatenus ipsum. Exempli gratiâ, hæc propositio, homo est aptus ad ridendum. est vniuersalis: quia omnis homo semper est aptus ad ridendū: & per se est aptus ad ridendum: (hæc enim propositio est per se secundo modo) denique homo quà homo, est aptus ad ridendum. Hæc autem propositio, homo sentit, non est vniuersalis: quamuis sit de omni, & per se. nā omnis homo semper sentit; & homo non per accidens sentit, sed per se: atque hæc propositio est per se primo modo. verùm homo non sentit, quatenus est homo, sed quatenus est animal. quare hæc propositio, homo sentit, non reciprocatur; hæc autem, animal sentit, reciprocatur.

10 *Apparet igitur.* Ex dictis infert corollarium, quod vniuersalia sunt necessaria. Huius corollarij vsus est: quia posteriùs ostendet propositiones demonstratiuas esse necessarias, eò quòd sint vniuersales.

11 *Per se autem.* Explicat definitionem vniuersalis: sed ita explicat, vt faciat rem obscuriorem. In definitione namque posuit tres conditiones, de omni, per se, & quatenus ipsum: nunc ait idē esse per se, & quatenus ipsum. idque exemplis confirmat: veluti punctum per se inest lineæ; quia inest lineæ, quatenus linea est. Itē rectum (subaudi, vel curuum) inest lineæ per se; quia inest lineæ, quatenus est linea. Item duo recti anguli, id est, tres anguli æquales duobus rectis, per se insunt triangulo; quia triangulū, quà triangulum est, tres angulos habet æquales duobus rectis. Vt hæc loca interpretes concilient, varia comminiscuntur: quibus omnibus prætermissis vtpote nullius momenti, existimo solutionem sumendam esse ex dictione homonymiæ. nam quod per se dicitur, homonymum est, vt patet ex loco à contrariis, quem Aristoteles tradet lib. t. Top. cap. 15. partic. 3. huic enim vocabulo per se, modò opponitur quod est per accidens, modò quod est per aliud. Exempli gratiâ homo sentit per se, non per accidens: sed sentit per aliud, non per se, id est, per animal, seu naturam animalis, nō per suam naturam & essentiam. Si igitur accipiamus per se, prout opponitur ei quod est per accidens, sicut accipiebatur ab Aristotele suprà hoc eodem capite, non est idem per se & quatenus ipsum, sed per se, latiùs patet. nunc verò sumit per se, quatenus opponitur ei quod est per aliud: in quo sensu idem est per se & quatenus ipsum.

12 *Iam verò vniuersale.* Declarat quodnam sit subiectum, de quo vniuersale demōstratur. & primò proponit hanc sententiam, illud esse verum subiectum, cui vniuersale inest: quando aliqua affectio demōstratur de eo subiecto, cui omni & primo inest. Secundò cùm ait, *Exempli causâ duos*, incipit explicare rem exempl. s. Et quia cōtrariorum eadem est doctrina, proponit exempla attributionum vniuersalium, & non vniuersalium. Considerat ergo hanc affectionem habere duos rectos, id est, tres angulos æquales duobus rectis: & eam comparat cum tribus subiectis, id est, cum figura, & cum triangulo, quod est species figuræ, & cum isoscele, quod est species trianguli. In hoc membro comparat eum figurâ: & docet, hoc pronunciatum non

esse vniuersale, Figura habet duos rectos. cùm enim duas conditiones requisiuerimus in primo membro huius particulæ, id est, vt affectio insit omni & primo: hîc deest prior conditio: quia non omnis figura habet duos rectos. Vnde mathematici hanc affectionẽ non demonstrant de quacumque figura, sed de aliqua, id est, de triangulo: vt videre est apud Euclidem lib. 1. nam quadrangulum est figura, nec tamẽ habet duos rectos, sed quatuor rectos. Tertiò cùm ait, *quodlibet verò isosceles*, comparat eãdem affectionem cum isoscele, id est, cum triangulo æquicruro, & inquit hoc pronunciatum, isosceles habet duos rectos, non esse vniuersale propter defectum posterioris conditionis, nempe quia affectio inest quidem omni isosceli, non tamen vt primo subiecto, quia priùs inest triangulo: ita vt isosceles non habeat duos rectos, quà est isosceles, sed quà est triangulum. Quartò cùm ait, *cùm triangulum priùs*, comparat eandem affectionem cum triangulo; & inquit eam priùs inesse triangulo, quàm isosceli, innuens hoc effatum esse vniuersale, triangulum habet duos rectos: quia duo recti insunt omni triangulo, tamquàm primo subiecto. Quintò cùm ait, *Quod igitur*, concludit generaliter verum demonstrationis subiectum, cui vniuersale inest, esse id, quod omne & primum demõstratur habere duos rectos, vel aliam quãcumque affectionem. Sextò cùm ait, *ac demonstratio*, docet demonstrationes esse accommodandas huiuscemodi subiecto. Exempli gratiã, duo recti sunt demonstrandi de triangulo, cui insunt per se, non per aliud: figuræ autem & isosceli, non per se, sed per aliud, id est, per triangulum. Vnde hæc affectio non inest vniuersaliter isosceli: quia latiùs patet, quàm isosceles, vtpote quę inest etiam aliis speciebus trianguli, nempe æquilatero, & quadrato seu scaleno.


IN CAP. V. DE CAVSIS PROPTER QVAS PECCATVR IN VNIUERSALI ACCIPIENDO, & DE RATIONE EIUS ERRORIS VITANDI.

POstquàm exposuit, quid sit vniuersale: nunc declarat quatuor errandi causas, propter quas interdum putamus id esse vniuersale, quod reuera non est vniuersale. Rationem quoque subiicit, qua omnis error vitetur.

1 *Non est autem.* Primò proponit errorem (vnus enim error est, licèt ex variis causis proficiscatur) in eo consistentem, quòd demonstramus de inferiori subiecto: vt de specie, quod erat demonstrandum de superiori subiecto, id est, de genere. Secundò cùm ait, *sic autem fallimur*, quatuor causas illius erroris recenset: Prima causa est, quando vnum est particulare: ideóque nos de eo demonstramus, & putamus nos rectè demõstrasse, eò quòd non reperitur aliud subiectum, cui affectio illa insit. Exempli gratiã, si quis demonstret eclipsim de hac Luna, nõ rectè demonstrat: quia hęc Luna nó deficit, quatenus est hęc Luna, sed quatenus simpliciter est Luna: & si plures essent Lunæ, omnes deficerent. Secunda causa primæ admodum similis ponitur illis verbis, *vel singularia*; nempe cùm putamus rectè demonstratum, quia demonstratum est de singulis particularibus, præter quæ nihil reperitur, cui affectio illa insit, veluti si duo recti demonstrentur separatim de æquilatero, & de æquicruro, & de gradato: nam hæc sola habent duos rectos. sed non est vera demonstratio: quia æquilaterum, non quà æquilaterum, sed quà triangulum est, habet duos rectos. Eadem est ratio aliarum specierum. Tertia causa errãdi ponitur ibi, *aut licet quidem*, id est, cùm demonstramus de particularibus, eò quòd genus nomine careret: ideóque demonstramus de singulis speciebus, quasi genus nullum sit. Quarta causa ponitur ibi, *aut est vt in parte*, nempe cùm putamus sufficere conditionem de omni, & putamus esse verum subiectum demonstrationis, id est, de quo omni affectio dicitur. veluti si quis putet rectè demonstratum, hominem sentire, quia omnis homo semper sentit. Hanc causam Aristoteles obscuriùs expressit: proinde interpretatione opus est. Inquit ergo causam errandi esse, cùm est vt in parte totũ de quo demonstratur, id est, cùm subiectum illud, de quo rectè & vniuersaliter demonstratur affectio, est totum quoddam in partibus contentum, id est, genus sub se continens multas species. genus enim est in speciebus, quasi totum in partibus, cùm igitur tale est subiectum: tunc demonstratio, id est, affectio quæ demonstratur, inest particularib[9], id est, speciebus illius vniuersalis subiecti: & est de omni, id est, omni illi speciei inest: non tamẽ est huius primi vniuersalis, id est, non attribuitur huic speciei tamquam primo & vniuersali subiecto, sed tamquàm speciei & primi & vniuersalis subiecti. Demõstratio namque debet fieri de subiecto primo, qui


mo,cui affectio inest per se, & quatenus ipsum,non de eius specie.

2 *Si quis igitur.* Postquàm recensuit quatuor causas errandi,deinceps singulas exemplis illustrat. In hac parte affert exemplum quartæ causæ.quod vt intelligatur:notandum est,demonstrari ab Euclide duas lineas rectas esse æquidistãtes, si alia linea recta super eas cadẽs,faciat duos angulos internos æquales duobus rectis, siue illi duo anguli sint recti,siue neuter rectus sit, sed alter acutus,alter obtusus. nam ita quoque sunt æquales duobus rectis: quia quantum acutus de recto adimit, tantum obtusus auget. vt in subiecto exemplo linea a b,& linea c d sunt æquidistantes, vt probatur ex eo, quòd linea recta super eas cadens, vt linea e f, aut linea i k, facit duos angulos internos ab eadem parte acceptos, vt g & h, aut l & m,æquales duobus rectis. His expositis,enarremus sententiam Aristotelis. Inquit Philosophus:Si quis demonstret duas lineas rectas,vt lineam a b,& lineam c d,non concurrere,id est,esse parallelas,seu æquidistantes(nam parallelæ seu æquidistantes definiuntur,quæ in longum protractæ,numquàm concurrunt, sed semper manent æqualiter feiunctæ)si quis ergo demonstret has lineas non concurrere: (supple ex sequentibus verbis contextus,eò quòd linea recta,vt linea e f,super eas cadens, facit duos angulos internos ab eadem parte sumptos,æquales, vt angulum g & angulum h) hic fortasse putabit se rectè & propriè demonstrasse:*quoniam* affectio illa,id est,non concurrere, *inest omnibus rectis*,id est,omnibus lineis rectis, super quas linea recta eadens,facit duos angulos internos ab eadem parte sumptos, rectos.*non est autem*: (supple, vera & propriè dicta demonstratio)*quoniam hoc fit*, (vt illæ lineæ,a b & c d,sint æquidistantes, & numquàm concurrant (*non quia sunt ita æquales*, (id est, non quia illi anguli g & h sint hac speciali ratione æquales duobus rectis,quòd ipsi recti sunt)*sed* illa affectio inest,*quà* [*sūt.*] *quomodocumque æquales*,id est,quia anguli illi interni sunt æquales duobus rectis, quocumque modo sint æquales, siue tamquàm duo recti,vt g & h,siue tamquàm acutus & obtusus,vt l & m.



3 *Et si aliud.* Sequitur exemplum primæ causæ errandi:quod est exemplũ fictũ. Finge nullum esse triangulum præter æquicrurum:aliquis fortasse putabit se rectè demonstrare duos rectos de æquicruro: malè tamen demonstrabit,quia non inest,quà æquicrurum,sed quà triangulum.

4 *Et proportio commutata.*Sequitur tertiũ exemplum tertiæ causę errãdi: quod vtrùm verum,an fictum sit,statuere nonpossumus: continet enim magnas difficultates:& varię sunt philosophorum sententiæ. Aristoteles sententiam suam non declarat: quia disertè ostendit se loqui ex aliorum sentẽtia, quam nec probat,nec improbat, quia non est hic de ea re disputandi locus.sufficiet igitur exemplum declarare,vt doctrina demonstratiua intelligatur:de veritate exempli non erimus solliciti. In hoc exemplo affectio est *commutata proportio*.Dicitur autem commutata proportio,quando sunt quatuor termini ita inter se affecti,vt quam rationem habet primus ad secundum, eandem habeat tertius ad quartum ; & rursus quam habet primus ad tertium , eandem habeat secundus ad quartum,vt in seq.exemplo.



Hæc affectio inest numeris,lineis,solidis,(id est,corporibus)& tẽporibus:nihil enim ig-

tereft, an fumas numerum binarium, an lineam vel corpus duorum pedum, an tēpus duarum horarum; & similiter numerum quaternarium, vel lineam quatuor pedum, &c. veteres ergo seorsum demonstrarūt affectionem illam de his omnibus subiectis, eò quòd non haberent aliquod nomen commune, quo significarent genus, & cōplecterentur omnia illa subiecta. *Nunc autem*, id est Aristotelis ętate, quidam reperti sunt, qui vna generali demonstratione probarunt affectionem illam de subiecto quodam, quod supponebant esse vniuersale subiectum. Si igitur horum recentiorum sententia vera est: veteres errarunt ob defectum nominis generici. nam illa affectio non inest numero, quatenus est numerus; nec lineæ, quatenus est linea, nec corpori, quatenus est corpus, nec tempori, quatenus est tempus, sed his omnibus inest ratione primi & vniuersalis subiecti.

5 *Proinde & si quis*. Sequitur exemplum secundæ causæ, nempe si quis demonstret duos rectos de singulis speciebus trianguli: ait Aristoteles hanc non esse veram demonstrationem, siue vna, siue plures fiant. Vnam intellige, si quis simul concludat omne ęquilaterum, & æquicrurum, & gradatū habere duos rectos, ita vt sit vnus syllogismus compositus. Plures intellige, si seorsum concludat tribus separatis syllogismis, vno de ęquilatero, altero de æquicruro, tertio de gradato. hae, inquam, ratione non fit vera demonstratio: quia (inquit Aristoteles) per eam nō cognoscitur triangulum habere duos rectos, nisi sophisticè: neque cognoscitur vniuersaliter de triangulo secundum formam, sed tantùm secundum numerum. Quod ait non sciri nisi sophisticè, sic intellige: quia non habetur vera scientia, quæ distinguitur à scientia sophistica, suprà cap. 2. part. 1. & quia talis demonstratio fallit: cùm vendite se pro vera demonstratione, nec sit vera demonstratio: & fingat esse primum & vniuersale subiectum, quod non est tale. vide Elenchor. cap. 11. partie. 3. Item intellige sciri de omni triangulo secundum numerum: quia non possunt numerari aliæ species trianguli præter illas tres, non tamen scitur de omni secundum formam: propterea quòd non habetur scientia de triangulo generali, sed tantùm de specialibus: atqui alia est generalis forma trianguli, alia est specialis forma æquilateri, vel æquicruri, vel quadrati. quoniā igitur genus habet formam quandam præter formam specierum: ideirco demonstrās de speciebus, non de genere, dicitur non de omni secundum formam demonstrare.

6 *Quando igitur*. Expositis errandi causis, consequenter explicat rationem vitandi erroris: Et primùm in hac particula distinguit inter homonyma & synonyma. Vbi enim est homonymia, oportet demonstrare de singulis, non de vniuersali, quia illud vniuersale est tantùm vocabulum, demonstrationes autem non sunt de vocabulis, sed de rebus. Vbi autem nulla est homonymia, demonstrandum est de communi subiecto, vt in exemplo suprà dato in 4. partic. si est aliquid synonymum commune numeris, lineis, solidis, & temporibus; de eo communi demonstranda est affectio, id est, commutata proportio. si verò commune illud est homonymum, commutata proportio demonstranda est singillatim de numeris, de lineis, &c. Hæc est sententia huius particulæ, quā uis aliis verbis ab Aristotele expressa: qui primò proponit quæstionem *quandonam* (subaudi, is qui demōstrauit de speciali subiecto) quando, inquam, *non nouit vniuersaliter, & quando nouit simpliciter*, vniuersaliter, & simpliciter, pro eodem accipiuntur. nam scientia simpliciter dicta, est vera scientia demonstratiua. suprà cap. 2. part. 1. hæc autē est vniuersalis, id est, quando pronunciata sunt vniuersalia, quo modo vniuersale hîc accipitur. Secūdò cùm ait, *Manifestum [est,]* incipit respondere ad eam quæstionem, adhibitā distinctione: cuius primū membrum est, *si eadē sit essentia trianguli & aequilateri aut caussis aut omniū*, id est, si eadem sit essentia communis subiecti & specierum: siue hæ singulæ per se, siue omnes simul & coniunctim considerentur. hoc autem idem valet, ac si diceret, si sit commune synonymum, Quod vt intelligatur: notanda est differentia inter homonyma, &c. synonyma. Nam synonymum significat naturam communem, distinctam à singulis speciebus; vt animal non significat hominem, equum, & bouem: sed naturam quandā homini, equo, & boui communem. Itaque aliud est animal, quàm homo, & aliud quàm bos, & aliud quàm equus: immo aliud quàm homo, bos, equus simul accepti. genus enim differt ab omnibus speciebus simul sumptis. Vnde Aristoteles in præced. partic. dixit, eū, qui nouit omnes species trianguli, non cognoscere omnem triangulum secundum formam. Cùm autem vocabulum est homonymum: tunc nulla est natura, aut res, præter singula significata: vt canis non significat naturam, vel rem aliquam distinctam à quadrupede, sydere, & pisce, sed (vt loquitur Auerroës) immediatè descendit in sua significata, id est, immediatè significat illa tria, adeo vt essentia

essentia canis eadem sit, atque essentia syderis, quadrupedis, piscis. Hoc autem duobus modis potest contingere, id est, vel sumendo singu la significata per se, vel omnia simul. Cùm enim canis sit vocabulum homonymum: interdū sumitur pro sydere, túncque essentia canis & illius syderis eadem est: interdum pro quadrupede, túncque similiter essentia canis & illius quadrupedis eadē est. similis ratio est, si sumatur pro pisce. Ita ergo canis est idem cum singulis canibus per se consideratis. Quòd si canis accipiatur in sua l ta significatione: tunc canis idem est, quod tria illa significata simulaccepta: idém que est, siue dicas canem, siue dicas sydus, quadrupes, piscem; vt Aristoteles notabat cap. 8. de interpretat. part. 2. Eadem igitur est essentia illius communis, & singulorum: & qui demonstrauit de singulis, rectè demonstrauit. Ad verba notandum est, Aristotelem exempli causâ sumpsisse triangulum, & species trianguli, respicientem ad demonstrationē, de qua in praeced particula, id est, qua ostenditur triangulum habere duos rectos, sed quod dicit de triangulo, idem intelligendum est de quocumque subiecto. Tertiò cùm ait, *si verò non idem*, ponit alterum mēbrum distinctionis, nempe si non eadem sit essentia rei communis, & singularum, id est, si sit commune synonymum. tunc ait Aristoteles eum non habere veram scientiam, qui demonstrauit de singulis, veluti de speciebus trianguli: quia demonstrādum est de communi & primo subiecto, id est, de triangulo.

7 *Vtrùm autem inest.* Cùm docuerit distinctionem inter homonyma & synonyma: nūc vult tradere regulam, qua dignoscamus verum seu primum vniuersale subiectum, vbi nulla est homonymia. Primò autem proponit quaestionem, quam ter repetit verbis diuersis, sed eodem sensu. Quaerit enim, vtrùm haec affectio, habere duos rectos, insit in subiecto putà in triangulo, vel isoscele, quatenus est triangulum, an quatenus est isosceles. quod perinde est, ac si quaereret, vtrùm primum subiectum, de quo demonstrari debet, sit triangulum, an isosceles: quoniam affectio illa inest omni triangulo, & omni isosceli. Rursus quaerit, quando secundùm hoc primum insit, id est, quodnam sit primum & verum subiectum, quod per se habet illam affectionem, & in causa est vt cetera eandem affectionem habeāt. vt putà triangulum per se habet duos rectos, & est causa cur isosceles habeat duos rectos: quia triangulum est subiectum primum: isosceles autem est illius subiecti species. Tandem quaerit, cuius subiecti demonstratio sit vniuersaliter, id est, de quo subiecto affectio sit demonstranda, ita vt dicatur conclusio vniuersalis, quomodo nunc vniuersale accipitur. Hae tres quaestiones, vt dixi, reipsa sunt vna quaestio. nam prima quaerit subiectum quatenus ipsum, secunda subiectum primum, tertia subiectum vniuersale: idem autem est subiectum quod per se, & quatenus ipsum habet affectionem, & subiectum primum vel vniuersale. Secundò cùm ait, [*Tunc*] *sanè*, respondet ad eam quaestionem, datâ hac regulâ: Illud est subiectum per se, siue primum, siue vniuersale, quo primo sublato, affectio tollitur. Duae igitur conditiones requiruntur, vt sit verum & primum subiectum. vna est, vt eo sublato tollitur affectio. altera, vt hoc primo, id est, vt hoc primo sublato tollatur affectio. Tertiò cùm ait, *vt isosceli*, datam responsionem illustrat exemplo. sumit enim subiectum, in quo inest haec affectio, duo recti, seu tres anguli aequales duobus rectis. video hoc subiectum esse isosceles, esse (exempli gratiâ) aeneum, & esse triangulum. itaque dubito, quod sit verum subiectum, id est, vtrùm aff. ctio insit quatenus est aeneum, an quatenus est triangulum, vel isosceles. Singula haec tria expendit Aristoteles. & examinat ad suam regulam. Primò considerat aeneum: & ostendit hoc non esse verum subiectum: quia hoc dempto, affectio manet. sumatur enim aliud triangulum ferreum, vel aureum, vel ligneū: eâdem affectione praeditum erit: habebit enim duos rectos. Secūdò considerat isosceles: & eadem ratione ostendit isosceles non esse verum subiectum: quia dempto isoscele, affectio manet, nempe duo recti nihilominùs inerunt in aequilatero, & scaleno. Haec igitur duo, id est, aeneum & isosceles, non sunt vera subiecta propter defectum prioris conditionis, id est, quia iis demptis non tollitur affectio. Post haec Aristoteles ibi, *atqui non* [*inerit*,] cōsiderat figuram & terminum. illud enim subiectum, quod dicebatur habere duos rectos, & esse isosceles aeneum triangulum, illud (inquam) subiectum est etiam figura quędam, & habet certos terminos: siquidem non est figura infinita. Vnde hoc etiam in dubiū venit, vtrùm affectio illi subiecto insit, quatenus est figura, vel quatenus habet terminos, adeo vt figura vel terminus sit verum subiectum. quod prima facie videri potest: quoniam his demptis, affectio tollitur. Sed Aristoteles ostendit haec non esse vera subiecta: quia deficit posterior conditio, id est, non his primis demptis affectio tollitur. nam si demptâ figurâ & ter-

minis maneret triangulus, manerent etiam duo recti. ſed quatenus illis demptis tollitur triangulus,& triangulo dempto tolluntur duo recti; eatenus verum eſt,illis ſublatis tolli duos rectos. hoc autem non eſt verum primò & immediatè, ſed per triangulum. Tandem igitur,cùm ait , *Quo igitur*,oſtendit hoc primum ſubiectum eſſe triangulum, in quo reperiuntur duæ illæ conditiones:quia hoc primo dempto,ſtatim affectio tollitur. vnde concludit affectionem illam ineſſe triangulo per ſe;aliis verò,vt iſoſceli, ratione trianguli : ideóque affectionem illam vniuerſaliter demonſtrari de triangulo.

IN CAP. VI. QVO OSTENDITVR DEMONSTRATIONEM conſtare ex principiis neceſſariis,& per ſe.

EXpoſuit,quęnam ſint propoſitiones maximè neceſſariæ, nimirum quæ ſunt de omni,per ſe,non per accidens , & quatenus ipſum,id eſt, per ſe,non per aliud, & (vt vno verbo dicam)quæ ſunt vniuerſales.nam vniuerſale complectitur tres illas conditiones:ideóque eſt maximè neceſſarium.Illę enim tres conditiones ſignificant tres ſubordinatos gradus neceſſitatis.Minima neceſſitas eſt,quando própoſitio eſt tantùm de omni,id eſt,cùm accidẽs inſeparabile dicitur de ſubiecto:veluti , omnis cygnus eſt albus, omnis coruus eſt niger : quia inter hos terminos nullus eſt nexus eſſentialis.Maior neceſſitas eſt,quando propoſitio eſt per ſe:quia hic eſt aliquis nexus eſſentialis:eſt tamen etiam aliquid accidentarium:vt hæc propoſitio, homo eſt animal , quæ eſt per ſe primo modo,neceſſaria eſt & eſſentialis ex vno latere,accidentaria ex altero.animal enim eſt eſſentiale homini , homo verò accidit animali:& omnino genus eſt eſſentiale ſpeciei, ſpecies verò(vt docet Auerroës)accidit generi:ac ſpecies quidem non poteſt eſſe ſine genere,genus tamen poteſt eſſe ſine ſpecie; immo etiam ſine omnibus ſpeciebus,vt Porphyrius nos docuit cap.7.partic.7.& cap.8. partic. 7. Denique maxima eſt neceſſitas, quando propoſitio eſt vniuerſalis:quia vtriuſque eſt nexus neceſſarius; & neque ſubiectum poteſt eſſe ſine attributo,nec attributum ſine ſubiecto. Quare cùm tales ſint propoſitiones demõſtratiuę:apparet, eas eſſe maximè neceſſarias,vt Ariſtoteles conſequenter demonſtrabit.

1. *Si igitur.* Breuiter & ſummatim probat propoſitiones demonſtratiuas eſſe neceſſarias , ideóque eſſe per ſe. Vtitur autem ſyllogiſmo affirmatiuo in ſecunda figura, qui vtilis eſt ratione materiæ ; quia maior propoſitio reciprocatur,qua reciprocata ſyllogiſmus reſoluitur in Barbara. Sic igitur argumẽtatur:Quæcumque ſunt per ſe, ſunt neceſſaria: atqui principia demonſtrationis ſunt neceſſaria:ergo ſunt per ſe.Maior probatur:quia quæ ſunt per ſe , ſunt eſſentialiter connexa:loquimur enim de primo & ſecundo modo dicendi per ſe,qui potiſſimùm in demonſtrationibus locum habent : atqui in primo modo attributum ponitur in definitione ſubiecti : in ſecundo autem modo ſubiectum ponitur in definitione attributi: nexus igitur terminorũ eſſentialis eſt ; quia quod in definitione ponitur , ad rei eſſentiam pertinet Minor probatur:quia concluſio eſt neceſſaria,proinde etiam propoſitiones ſunt neceſſarię.Huius argumenti ſeu cõſequentiæ vis ex ſequentibus patebit. in eo autem conſiſtit:(vt breuiter explicem)quia propoſitiones demonſtratiuæ , ſunt cauſæ concluſionis : quod autem non eſt neceſſarium , non poteſt eſſe cauſa rei neceſſariæ: alioquin eſſet effectus ſine cauſa : quia concluſio,vtpote neceſſaria,ſemper eſt; propoſitiones autem , ſi non ſunt neceſſariæ , non ſemper ſunt. Huius ratiocinationis primò Ariſtoteles ponit minorem propoſitionem. Secundò cùm ait,*quod enim ſcitur*, probat eã minorem. Tertiò cùm ait , *quæ autem per ſe*, adiungit maiorem. Quartò cùm ait , *alia namque*,probat eandem maiorem.Quod ait, alterum oppoſitorum neceſſariò ineſſe, fuit expoſitum ſuprà cap.4.part.7. Quintò cùm ait , *perſpicuum*[*eſt*,] colligit concluſionem. Sextò cùm ait,*quidam enim*, oſtendit maiorem reciprocari,vt appareat ſyllogiſmũ eſſe vtilem,quamuis ſit ex duabus affirmantibus in ſecundá figurá.ſicut ergo in ea maiore ſumpſerat, quæcumque ſunt per ſe , eſſe neceſſaria:ita nunc è conuerſo ſumit omnia neceſſaria eſſe per ſe : quod probat ſyllogiſmo disiuncto.aut enim neceſſarium eſt per ſe,aut per accidens: ſed neceſſarium non eſt per accidens:ergo eſt per ſe.

2 *Aut igitur.* Iterum vult vtrumque diligentiùs & pluribus cõfirmare,id eſt,propoſitiones demonſtratiuas eſſe neceſſarias, & eſſe per ſe. Et primùm probat multis argumentis eas eſſe neceſſarias Primum argumentum ſumitur à neceſſitate concluſionis, hoc modo:Cõcluſio eſt neceſſaria:ergo propoſitiones ſunt neceſſariæ.Hæc conſequentia valet propter naturam demonſtrationis, quæ non tantùm eſt ſyllogiſmus probans

conclu-

conclusionem necessariam, sed etiam syllogismus necessarius, vt cap. 2. expositum fuit. Ait igitur vel ita dicendum esse, id est, nos debere acquiescere breui illa & summaria confirmatione; aut, si requirimus maiorem confirmationem, repetito initio dicendum &c.

3 *Nam ex veris.* Sequitur secundum argumentum à distinctione demonstrationis & aliorum syllogismorum. nam ex veris propositionibus fieri potest etiam syllogismus dialecticus. vt igitur demonstratio ab eo differat, constare debet ex propositionibus non solùm veris, sed etiam necessariis.

4 [*Hoc*] *autem signum.* Tertium argumentum sumitur ab obiectionibus, quę contra demonstrationes fieri solent. Simili argumento vsus est suprà cap. 4. part. 3. Ait igitur omnes volentes aliquam demonstrationem refellere, id est, ostendere non esse veram demonstrationē, solere obiicere, quòd non constet ex propositionibus necessariis. quamquàm alij hoc obiiciunt, quia reuera putant eam, contra quam disputant, non esse ex necessariis: alij verò tantùm disputandi causâ hoc obiiciunt, cùm reuera sciant esse veram demonstrationem ex necessariis.

5 *Ex his constat.* Ex dictis infert corollarium contra eos, qui putant sufficere, si principia sint probabilia & vera: & inquit, eos esse sophistas, qui talibus vtuntur propositionibus: ac proponit hoc exemplum, scire est scientiam habere. Quod vt intelligatur: notandum est, Aristotelem respicere ad sophisma Protagoræ, quod ita cōcipitur: Qui aliquid scit, scientiam habet: qui verò scientiam habet, scit quid sit scientia: ergo qui aliquid scit, ille scit quid sit scientia. Conclusio est falsa. non enim si quis scit quid est triangulum, aut quid est homo, propterea scit quid sit scientia. Vitium huius sophismatis est, quòd maior est tātùm probabilis, non necessaria. nam probabile est nos scire id quod habemus: proinde si habemus scientiam, nos scire quid sit scientia. sed hoc non est necessarium. Reprehendit igitur Aristoteles sophistas: quia quòd est probabile, vel non probabile, non est principium, id est, cùm sumimus principia demonstrationis, non debemus quærere an sint probabilia, néne, sed an sint necessaria. Ideo subdit Aristoteles, illud esse principium demonstratiuum, quod est primum generis, de quo demonstratur, id est, quod est principium illius subiecti, de quo subiecto affectio demonstratur. nam primum, idem significat quod principium, vt dictum fuit cap. 2. partic. 12. genus autem pro subiecto scientiæ passim ab Aristotele in his libris accipitur. Subiicit Aristoteles non omne verum esse proprium. Sensus est, non sufficere, si principia sint vera: quia debent esse etiam propria, vt expositum fuit cap. 2. part. 6. & part. 12.

6 *Quòd autem.* Sequitur quartum argumentum sumptum ex natura demōstrationis: Quicumque ignorat causam rei demonstrabilis, non est sciens: atqui demonstrans ex propositionibus non necessariis, ignorat causam rei demonstrabilis: ergo non est sciens. Quod ad seriem contextus attinet, Primò Aristoteles ponit problema. Secundò ibi, *nam si ignorant*, ponit maiorem propositionem. Tertiò ibi, *facta*, adiungit minorem propositionem. Quartò ibi, *quoniam hoc*, probat eam minorem: quia propositiones, quæ non sunt necessariæ, non possunt esse causæ conclusionis necessariæ.

7 *Præterea si quis.* Quintum argumentum ducitur à corruptione medij termini. vtitur autem Philosophus syllogismo hypothetico: Si is qui demonstrauit ex propositionibus non necessariis, nunc saluus, re quam demonstrauit salua, nō oblitus, ignorat; etiā antea ignorabat. Cùm dico *nūc*, intelligo, postquàm medius terminus interiit, & conclusio permansit: quod posse contingere, palam est: quia ponebamus conclusionem esse necessariam, ergo non potest interire: rursus ponebamus propositiones non necessarias, ergo medius terminus, ex quo illæ constant, potest interire. Sic habemus maiorem: de qua vide etiam Topic. lib. 8. cap. 2. partic. 6. Cui adiungatur minor, Atqui hic, qui demonstrauit ex propositionibus non necessariis, nunc est saluus; & res, id est, conclusio, quam demonstrauit, est salua; nec est oblitus; & tamen ignorat, quia non habet ampliùs demonstrationem, quandoquidem medius terminus interiit, sine quo non potest esse demonstratio. Ergo & antea ignorabat, id est, quādo habebat illam demonstrationem: si tamen demonstratio vocari debet, quæ non est vera demonstratio. In contextu Aristot. primo ponit maiorem. Secundò cùm ait, *sed interire*, ponit probationem minoris. Tertiò cùm ait, *quare habebit*, ex ea probatione colligit minorem. Quartò cùm ait, *ergo ne antea quidem cognoscebat*, infert conclusionem. Quintò cùm ait, *Quòd si* [*medium*] soluit quandam obiectionem, id est, refellit quandam solutionem dicti argumenti. Posset enim aliquis dicere: Cōcedo, si medius ter-

minus intereat; vt ponebatur ab Aristotele in dicta argumentatione, eum non habere scientiam qui demonstrauit ex non necessariis: sed ponamus medium terminum non interiisse: argumentum Aristotelis cessat: proinde possumus dicere, eum scire, qui demonstrauit per medium terminum non necessarium, si hic terminus nondum interiit. Aduersus hanc solutionem replicat Aristoteles, & inquit: Sicuti quando actu & reipsa medius terminus interiit, aduersarius deducitur ad hanc absurditatem actu contingentem, quòd ille nesciebat, quem ipse scire asserebat: ita si medius terminus nondum interiit, possit tamen interire; certè eadem absurditas, quamuis actu non contigerit, tamen potest contingere. Ergo aduersarius ductus est ad hanc absurditatem, posse id contingere quod est impossibile, id est, vt ille nunc sciat, qui aliquando fieri poterit vt nunc ignotet. Atqui ille qui est ita affectus, vt ex postea contingentibus possit contingere eum nunc ignorare, certè nunc non habet scientiam. Qui igitur demonstrauit ex nō necessariis, non habet scientiā.

8 *Cùm igitur conclusio.* Hactenus probauit veram scientiam, id est, conclusionem constare ex principiis necessariis: nunc obiicit aduersus ea, quæ docuit: quia sicut conclusio vera potest colligi ex propositionibus falsis, ita conclusio necessaria potest colligi ex propositionibus contingentibus.

9 *Quoniam igitur.* Soluit dictam obiectionem, distinguens inter demonstrationem & alios syllogismos. fatetur enim necessariam conclusionem posse colligi ex propositionibus non necessariis: sed negat posse ex illis demonstrari. Non valet enim consequentia à genere ad speciem, id est, à syllogismo ad demonstrationem, affirmatiuè. Potest syllogismo concludi: concedo. Ergo potest demonstrari: nego consecutionem. Rationem distinctionis Aristoteles in contextu docet: quia demonstratio non tantùm est syllogismus probans, sed etiam facit scire; proinde per veram & necessariam causam concludit.

10 *Accidentium verò.* Postquàm docuit propositiones demonstratiuas esse necessarias: nunc inde ostendit, accidentia non cadere sub scientiam demonstratiuam: quia non sunt necessaria, sed possunt esse, & non esse.

11 *Atqui dubitabit.* Obiicit aduersus ea, quæ modò dixit. nam si in accidentibus non esset necessitas, frustra de iis disputaretur: & conclusiones, quæ à dialectico probantur, non essent necessariæ. semper igitur negari possent. Quod cùm sit absurdum: concedendum est, esse necessitatem etiam in syllogismis dialecticis, in quibus pronunciata non sunt per se & vniuersalia.

12 *Sed oportet.* Soluit obiectionem, distinguens inter necessitatem dialecticam & necessitatem demonstratiuam: & inquit dialecticam interrogare, & ex propositionibus sibi concessis argumentari, & concludere; non quia propositiones illæ sint necessariæ, nec quia conclusio sit necessaria propter illas propositiones; sed quia necesse est, vt ille, qui concessit propositiones, concedat etiam conclusionem: in demonstrationibus autem secus res habet, quia non solùm concedens propositiones, cogitur concedere conclusionem, sed etiam conclusio est necessaria propter illas propositiones: quandoquidem propositiones illæ continent causam conclusionis. Vis solutionis in eo cōsistit: quòd in disputationibus dialecticis est tantùm necessitas formæ. i. formæ syllogisticæ: in demōstrationibus autē est etiā necessitas materiæ: de qua necessitate nos in præsentia loquimur.

13 *Quia verò.* Hucusque probauit demonstrationem constare ex necessariis: iam vlteriùs pergit, & probat tam conclusionem quàm propositiones esse per se. vtitur autem duobus argumentis: quorum prius, quod proponitur in hac partic. commune est tam propositionibus, quàm conclusioni. Primò igitur ponit hoc antecedens: Quæ sunt per se & vniuersalia, sunt necessaria. Secundò cùm ait, *apparet de his,* ex illo antecedente infert consequens, nempe demonstrationes esse de conclusionibus per se, & ex propositionibus per se. supple, & vniuersalibus. Tertiò cùm ait, *accidentia namque non sunt necessaria*, probat consequentiam: quia nisi essent per se, essent per accidens, consequenter non essent necessariæ, contra hypothesim. Huius particulæ demonstratio nihil differt à demonstratione posita in 1. partic. sed hic repetitur. huiusmodi autem repetitiones ab Aristotele sæpe fiunt, quando propter materiæ difficultatem resumit eundem tractatum, & repetit examen alicuius quæstionis, vt videre præcipuè est lib. 8. Phys. Sic ergo in præsentia, quod summatim probauit in prima particula, postea in 2. partic. accuratiùs & pluribus, re ab initio repetita, declarare & confirmare cœpit.

14 *Quocirca non necesse.* Sequitur alterum argumentum, quod est proprium propositionum: quia propositiones demonstratiuæ scientiā pariunt: quæ verò non sunt per

se,nō possunt sciētiam parere, quia non cōtinent causam. Quod attinet ad seriem contextus, primò Aristoteles ponit hoc axioma, ex propositionibus, quæ non sunt per se, non haberi scientiam, licèt sint semper vera. Secundò cùm ait, *eiusmodi [sunt,]* declarat illud axioma: exemplo syllogismorum, qui sumuntur à signis: veluti, mulier est pallida, ergo est prægnans. nam etiamsi ponamus aliquam mulierē semper esse pallidam, & ponamus eam esse prægnantem, non propterea est vera scientia, quòd sit prægnans, quia pallida. Tertiò cùm ait, *nam quòd est per se*, confirmat idem axioma: quoniam etiamsi conclusio sit per se, non tamen scietur per se, nisi etiam propositiones, per quas scitur, sint per se. Ex hoc explicans addit non sciri τὸ διότι, id est, quam ob rem res sit: quia hæc scientia habetur per causam, quæ causa inest in propositionibus per se. Quartò cùm ait, *Per se igitur*, ex dicto axiomate colligit, & concludit, vtramque demonstrationis propositionem esse per se. hoc enim est, quod ait, per se inesse medium tertio, id est, minori extremo in minori propositione; & primum, id est, maius extremum, medio in maiore propositione.

IN CAP. VII. QVO OSTENDITVR PRINCIPIA ET CONCLVSIONEM demonstrationis, non esse heterogenea, sed syngenea.

SVperiori capite probauit conclusionem & principia demonstratiua esse necessaria, proinde esse per se: nunc vlteriùs pergit, & ex eo quòd sunt per se, probat non esse heterogenea, id est, non mutuari ex alia scientia, quæ in alio genere subiecto versetur, sed esse syngenea, id est, ex eodem genere.

1 *Non licet igitur.* Initiò proponit, quod mox expositurus, & probaturus est, videlicèt demonstrationes non esse heterogeneas.

2 *Tria namque.* Quò meliùs intelligamus, quam trāslationem seu quorum translationem de scientia ad scientiam reprehendat, præmunit diuisionem demonstrationis in tres partes, id est, in affectionem, quæ demonstratur, axiomata, ex quibus demonstratur, & subiectum, de quo demonstratur.

3 *Ex quibus.* Nunc docet axiomata diuersis scientiis posse esse cōmunia, demonstrationem tamen non esse communem, nisi sciētiis subalternis, vt geometriæ & opticæ. nam scientia inferior, vt optica, sumit principia & demonstrationem à superiori, vt à geometria. Dicet aliquis: Si axiomata, ex quibus fit demonstratio, communia sunt: qui fieri potest, vt demonstratio non sit cōmunis? Respondeo, axiomata non esse omnino ac simpliciter communia: alioquin obiectio locum haberet. non sunt enim planè eadem in diuersis sciētiis, sed tantùm eadem secundum analogiam, vt explicabitur cap. 10. part. 3. & cap. 11. part. 4. Quod ad seriem cōtextus attinet, primò Aristoteles docet axiomata esse communia. Secùdò cùm ait, *quarum autem*, ostēdit demōstrationem ex vna scientia nō posse transferri ad aliam sciētiam diuersam, veluti ex arithmetica ad geometriam. Tertiò cùm ait, *nisi magnitudines*, ostendit hanc translationem admitti in scientiis subalternis. hoc enim est, quod ait, *nisi magnitudines sint numeri*, id est, nisi subiectū geometriç cōtineatur sub subiecto arithmeticæ: vel (vt generaliter loquar) nisi subiectū scientię demonstrantis cōtineatur sub subiecto scientiæ, ex qua sumitur demonstratio: vt subiectū opticæ i. linea optica continetur sub subiecto geometriæ. i. sub linea, & subiectum musicæ. i. numerus harmonicus continetur sub subiecto arithmeticæ. i. sub numero. Quod enim Aristoteles hic ait de magnitudine, quæ est subiectū geometriæ, & de numero subiecto arithmeticæ, debet accipi exēpli gratiā. Nec est nouum, vt huiusmodi verbis specialibus Aristoteles significet aliquid generale. sic enim locutus est etiā suprà c. 5 part. 6. & loquitur infrà cap. 12. part. 8. Quartò cùm ait, *hoc autē*, pollicetur se hāc exceptionem sciētiarū subalternarum posteriùs declaraturum, nempe cap. 9.

4 *Sed arithmetica.* Quod dixit in præced. part. non transferri demonstrationē ex vna scientia ad alterā diuersam, vt ex arithmetica ad geometriā: id nunc probat ex eo, quòd quælibet sciētia habet propriū genus subiectum, de quo affectiones demōstrat, vt physica corpus mobile, geometria magnitudinem, arithmetica, numerū. vnde infert Aristoteles, non posse demōstrationem transferri, nisi genus subiectū vel sit idē, vel quasi quodā modo idem. Dicitur esse idē subiectū, quando in vna scientia, & ex vna parte sumuntur principia ad probandam conclusionem alterius partis: veluti cùm in libris de generatione extruuntur demōstrationes sumptę ex libris de cœlo: & cùm in libris de cœlo demonstratur ex principiis sumptis ex libris physici auditus. Dicitur autem subiectum esse quodammodò idem in sciētiis subalternis: vt linea, & linea optica:

vt numerus,& numerus harmonicus. Huius argumentati onis,quam dixi, primò Aristoteles ponit antecedens. Secundò ibi, *quare aut simpliciter*, infert consequens. Tertiò ibi,*quoniam ex eodem*, probat consequentiam ex eo,quòd necesse est extrema & medium demonstrationis esse ex eodem genere.nam si transferrentur ad aliud genus,seu (quod idem est) ad aliam scientiam:non essent omnia ex eodem genere.Exempli gratiâ,si sumeres principia arithmetica ad demonstrandam affectionem geometricam: ex alio genere essent principia: ex alio affectio, quæ demonstratur. Quartò cùm ait, *quandoquidem nisi*, vt probet ea esse ex eodē genere, ostendit ea esse per se,seu potiùs sumit,quod suprà ostenderat, hæc esse per se: nam quæ sunt ex eodem genere,sunt per se: & quæ sunt per se,sunt ex eodem genere. Oportet ergo fateri hæc esse talia: alioquin essent accidentia,proinde non necessaria.

5 *Id vero geometriæ*. Sententiam iam probatam illustrat exemplis,in quibus peccatur, quia demonstratio sumitur ex alia scientia & ex alio genere. In hac ergo particula,Primò proponit exempla, in quibus solus medius terminus sumitur ex alia scientia.Vnum exēplum est,si geometra ex suis principiis velit probare contrariorum esse eandem scientiam: nam principia erūt geometrica,conclusio verò metaphysica.Alterū est,si geometra ex suis principiis nitatur ostendere duos numeros cubos cubum facere:nam principia erunt geometrica,conclusio autem arithmetica.Numerus cubus est, qui oritur ex multiplicatione numeri quadrati per suam radicem. numerus quadratus est, qui efficitur ex numero in se ipsum ducto: atque hic numerus qui in seipsum ductus efficit quadratum, radix appellatur. exēpli causâ,ter tria faciunt nouē, & ter nouē efficiunt viginti septē.ergo numerus ternarius est radix: nouenarius est quadratus: numerus viginti septē,cubus.Similiterquia quater quatuor faciunt sedecim, & quater sedecim conficiunt sexagintaquatuor:radix sunt 4:quadratus 16:cubus,64. Iam si sumas duos cubos,vt 27.& 64:& alterum per alterū multiplices: efficieturnumerus 1728, æquè cubus.nam cubus in cubum ductus facit cubum,vt demonstratur apud Euclidem lib.9.Elementor.proposit. 4. Secundò cùm ait,*nisi exceptis*, dat exempla demonstrationum quæ rectè transferuntur,eò quòdscientiæ sunt subalternæ.

6 *Ne id quidem*. Nunc subiicit exemplum,in quo affectio non est syngenea, sed communis: veluti si geometra probet lineā rectam esse pulcherrimam. nam pulchritudo non est affectio propria lineæ rectæ: nec potest demonstrari ex principiis lineæ propriis:quia nō inest lineæ,quà est linea,ideóque linea non est verum & proprium subiectum pulchritudinis.

IN CAP. VIII. QVO OSTENDITVR DEMONSTRATIONEM ESSE TANTUM RERUM ÆTERNARUM.

QVemadmodum in præced. cap. ex eo quòd demonstratiuæ orationes sunt vniuersales, ostendit demonstrationem non esse heterogeneam:ita nunc ex eodem principio probat demonstrationem esse tantùm rerum æternarum.

1 *Perspicuum quoque*. Probat demonstrationem esse rerum æternarum non corruptibilium,hoc syllogismo hypothetico:Si propositiones syllogismi illius, (id est, demonstrationis, quæ per excellentiam vocatur syllogismus) sunt vniuersales; necesse est,vt conclusio huiusmodi demonstrationis,vel(vt rectiùs,id est,generaliter loquar) conclusio demonstrationis sit æterna,& perpetuò vera,non corruptibilis: atqui propositiones sunt vniuersales : ergo conclusio est æterna , non corruptibilis. Huius syllogismi Aristot. primò ponit maiorem. Secundò omissa minore , quæ nota est ex præcedentibus , infert conclusionem , cùm ait, *non est igitur*. Tertiò cùm ait, *cùm autem talis*, probat maiorem propositionem , id est,consequentiam illam,si propositiones sint vniuersales,conclusionemesse perpetuò veram : quia nisi conclusio esset perpetuò vera,propositiones non possent esse ambæ vniuersales,& perpetuò veræ, sed altera saltem esset non vniuersalis , & corruptibilis, contra hypothesim, quia supponimus propositiones esse vniuersales. Quartò cùm ait,*caducam quidem*, probat, quod modò dixit, si conclusio sit corruptibilis,etiam propositionem esse corruptibilem : quia si ambæ propositiones essent perpetuò veræ,perpetuò inferrent conclusionem: atque ita cōclusio,quam aduersarius inquit esse corruptibilem , non esset corruptibilis. Quintò cùm ait, *non vniuersalem autem*,probat, si cōclusio non sit æterna , non posse propositiones esse vniuersales:quia iam ostēdimus eas non posse esse perpetuò veras: non sunt igitur vniuersales , cùm non omni tempore veræ sint.

2 Simi-


2 *Similiter [si res] habet.* Quæ dixit de demonstratione, producit ad definitionem. nam definitio quoque est rerum æternarum: Probat consequentiam à demonstratione ad definitionem: quia vtræque fiunt ex iisdē terminis. omnis enim definitio vel est principiū demonstrationis, vel conclusio demonstrationis, vel terminorū tantùm positione differt à demōstratione; quia scilicèt iidem termini alio modo collocati faciunt demonstrationem, alio modo definitionem, vt explicabitur lib. sequent. cap. 10.

3 *Eorū autē.* Occupat tacitā obiectionem. Demōstratur enim eclipsis seu defectio luminis de Luna, cùm tamē Luna nō semper deficiat: ergo hæc demōstratio nō est rei æternæ. Respondet Aristoteles, distinguendū esse inter eclipsim generaliter acceptam, & hanc vel illam eclipsim particularē. rursus distinguendum esse inter essentiam & existētiam. nam aliud est essentia & natura rei: aliud est, rem illam existere, quod Auerroës rectè inquit esse accidens. Essentia eclipseos generaliter acceptæ, quæ demonstratur de Luna, semper est eadem, & est res æterna: existentia verò huius vel illius eclipsis non semper est: semper enim eodem modo eclipsim definies, & quando Luna actu deficit, & quando non deficit.

IN CAP. IX. QVO OSTENDITVR DEMONSTRATIONEM NON esse ex communibus, sed ex propriis, proinde ex indemonstrabilibus principiis, ex quibus an quis sciat: non facile cognitu est.

EX eodem fonte, id est, quia propositiones demōstratiuæ sunt vniuersales, plura deducuntur. Hinc enim cap. 7. probatum est, eas non esse heterogeneas, & cap. 8. eas esse perpetuò veras, & de rebus æternis, atque inferre cōclusionem simi'iter perpetuò veram & rerum æternarum. Ex eodem fonte deriuatur, quod probatur hoc capite, propositiones demonstratiuas esse proprias, nō communes. ex eo verò, quòd propriæ sunt, deinde alia colligentur hoc eodem capite, vt suis locis declarabo.

1 *Cùm autem perspicuum.* Vt ostendat demonstrationem ex propriis, non ex cōmunibus cōstare: facit duo enthymemata subordinata. nam ex primo antecedente infert consequens, & ex hoc consequente colligit alterum consequens, ita vt duæ fiant consecutiones, hoc modo: Id quod demonstratur, id est, conclusio, est per se: ergo principia quoque demonstrationis sunt per se: consequenter sunt propria, non communia multis scientiis. Primò ponit primum consequens. Secundò cùm ait, *si res quæ probatur*, ponit primum antecedens. Tertiò cùm ait, [*certè eam rem*] *scire*, infert secundum consequens. Cùm ait. *fieri enim potest*, declarat hoc secundum consequens, quia minùs dilucidè id proposuerat. dixerat enim non esse scientiam, (quod idem valet, ac si diceret non esse demonstrationem) si probatū fuerit ex propositionibus veris, & indemonstrabilibus siue immediatis. quorum verborum sensus est, non sufficere, si tales sint propositiones. non enim significat Aristoteles, hoc esse vitium demonstrationis, si propositiones sint veræ & immediatæ; quasi hæc sit causa, cur non sit vera demonstratio: sed inquit hoc solum non sufficere, id est, non esse propositiones demonstratiuas, etsi sint veræ & immediatæ, nisi sint propriæ, sed communes. Hanc suam sententiam declarat exemplo demonstrationis cuiusdam à Brysone factæ, quæ non est vera demonstratio, quia est ex communibus. voluit enim Bryso probare quadrationem circuli, id est, efficere quadratum circulo, æquale hac ratione. Proposito circulo, cuius quadratio, id est, cui æquale quadratum quæritur, inscribebat in eo circulo quadratum, & circa eundem circulum describebat aliud quadratum, quod contineret ipsum circulum, quemadmodum circulus continebat prius quadratum, hoc modo.



Certū est cùm vnum quadratum sit in circulo & in altero quadrato sit circulus, circulum esse maiorem quadrato quod in se continet, & minorem quadrato in quo continetur, ita vt medium locum teneat inter duo quadrata. vnde putauit Bryso, si describatur tertium quadratū inter duo illa priora, ita vt æquè sit minus maiori quadrato, & maius minore: putauit (inquam) hoc tertium quadratum esse æqualē dato circulo. Sic igitur ratiocinabatur: Quæ sunt iisdē æquè maiora & minora, sunt inter se æqualia. atqui circulus & quadratū tertiū, i. medium, sunt æquè iisdē maiora & minora, i. maiora

quadrato interno & incluſo, minora autem quadrato in quo continentur: ergo circulus & quadratum medium ſunt æqualia. In hac ratiocinatione duo ſunt vitia. Primum eſt: quia minor eſt falſa. Alterum eſt, quod Ariſtoteles obiicit, quia hęc probatio ſumitur ex communibus.

2 *Etenim huiuſcemodi.* Ex duabus conſequentiis factis in prima particula, nunc probat ſecundam, id eſt, ſi propoſitiones ſint per ſe, eas non eſſe communes: quia ſi communes ſint, accommodari poſſunt aliis rebus non ſyngeneis, proinde non ſunt per ſe. vtputà quod ſumit Bryſo de quadratis & circulis, poteſt aptari etiam numeris, & aliis rebus. ſicut enim ex quadrato maiore & ex quadrato minore Bryſo colligebat quadratum medium æquale circulo: ita poſſumus ex numeris maiore & minore colligere numerum medium.

3 *Vnumquodque autem.* Probat primam conſequentiam particulæ primæ, id eſt, ſi concluſio ſit per ſe, etiam propoſitiones eſſe per ſe, proinde ſyngeneas & proprias non communes. Ad hoc probandum, ſumit hoc principium, tunc eſſe veram ſcientiam demonſtratiuã, non ſcientiam per accidens, quando non ſolùm nouimus id quod eſt per ſe, ſed etiam ſcimus per cauſam, per quam eſt, id eſt, ex principiis ipſius ſubiecti, quatenus ſubiectum eſt illud ipſum quod eſt. Senſus eſt, tunc eſſe veram ſcientiam, quando affectio demonſtratur de ſubiecto, ex natura ipſius ſubiecti, propter quam illa affectio in ſubiecto ineſt. Secundò cùm ait, *exempli causà duobus*, declarat id quod dixit, exemplo. tunc enim habemus ſcientiam huius affectionis, habere tres angulos æquales duobus rectis, quãdo eã demõſtrauimus de eo cui per ſe ineſt. i. de triangulo, ex principiis ipſius trianguli, quæ ſunt cauſæ cur triangulũ habeat tres angulos ęquales duobus rectis. Tertiò cùm ait, *quare ſi & illud*, eo quod nunc expoſui ſuppoſito, argumentatur. & inquit, ſi id quod demonſtratur, (id eſt affectio) per ſe ineſt ei cui ineſt, (id eſt, proprio ſubiecto) neceſſe eſſe vt etiam medius terminus, per quem affectio de illo ſubiecto demonſtratur, ſit ex eadem ſingenia, id eſt, per ſe. Quod perinde eſt, ac ſi diceret, etiam propoſitiones eſſe per ſe. Vis probationis in eo conſiſtit: quia cùm oporteat ſcire affectionem de ſuo ſubiecto per veram cauſam, propter quam in eo ſubiecto ineſt; certè ſi ineſt per ſe, eſt etiam demonſtranda per ſe, id eſt, ſi ineſt per naturam ipſius ſubiecti, eſt etiam demonſtranda per eandem naturam; hæc verò non eſt quid communε, ſed proprium ipſius ſubiecti.

4 *Sin minus.* Ab ea regula, quòd principia debent eſſe propria vnius ſcientiæ, nõ communia pluribus, excipit ſcientias ſubalternas. quia ſcientia inferior principia mutuatur à ſuperiori, vt etiam ca. 7. attigimus. veluti optica à geometria, & harmonica ab arithmetica. Hoc eſt, quod ait, *ſin minùs*, id eſt, ſi medius terminus non ſit proprius ſciẽtiæ, in qua fit demonſtratio: id ita fit, *vt cùm harmonica* problemata probantur per principia arithmetica, id eſt, concluſiones ſciẽtiæ inferioris demonſtrantur ex principiis ſciẽtiæ ſuperioris. *Quæ autem* [*ſunt*] *eiuſmodi*, id eſt, quæ in ſcientia inferiori probantur ex principiis ſuperioris, ea *itidem demonſtrantur*, id eſt, verè demonſtrantur, nõ minùs quàm ea quæ probantur ex principiis eiuſdẽ ſcientiæ, vt concluſio phyſica ex principiis phyſicis. quod igitur ad hoc conueniunt. eo *tamẽ differunt*: quòd vbi principia ſumuntur ex eadem ſcientia, tunc vna & eadem ſcientia eſt τὸ ὅτι, καὶ τὸ διότι, id eſt, quæ cognoſcit rem eſſe & cur ſit: cùm autem ſcientia inferior demonſtrat ex principiis ſuperioris, tũc in alia ſcientia habetur cognitio τὸ διότι, in alia τὸ ὅτι, id eſt, in ſcientia inferiori cognoſcitur rem eſſe, in ſcientia verò ſuperiori habetur cauſa propter quam res eſt, quoniã in ea habẽtur principia, adeo vt affectiones ex illis principiis fluentes per ſe referantur ad eandem ſcientiam ſuperiorem. Hinc duo ſunt notanda. Primò eius ſcientiæ eſſe demonſtrationem, cuius ſunt principia. nam ſi alia ſciẽtia iis principiis vtitur, quodammodò precariò vtitur: vt cùm opticus demonſtrat ex principiis geometricis, demonſtratio illa eſt geometrica. Quocirca rectè Zabarella notat, ſcientias ſubalternas non augere numerum ſcientiarum: non enim eſſe omnino diuerſas. Quod tamen rectè eſt intelligẽdum: quia nec ſunt omnino diuerſæ, vt geometria & phyſica; nec omnino eædẽ vt ſcientia de cœlo, & ſcientia de ortu & interitu, quæ ſunt partes eiuſdem ſcientiæ phyſicæ: ſed ſunt aliquo modo eædem, aliquo modo diuerſæ, vt ipſe Ariſtoteles in contextu declarat, quamuis conciſè & obſcurè, dum ait, *quòd ſit*, eſſe *alterius ſcientiæ*, id eſt, τὸ ὅτι ſeu rẽ eſſe, cognoſci in ſcientia diuerſa ab ea quæ habet τὸ διότι, hoc eſt, in ſcientia inferiori, quæ eſt diuerſa à ſuperiori, vt optica à geometria. quomodo autẽ diuerſa ſit declarat, *quia ſubiectum genus* [*eſt*] *diuerſum*. ſicut enim vna ſcientia dicitur, quę habet vnũ ſubiectum: ita diuerſæ ſunt, quæ habent diuerſa ſubiecta. Vide cap. 28. huius lib. Ergo ſcientiæ ſubalternæ eatenus ſunt diuer-

diuersæ, quatenus habent diuersa subiecta. vnde quia subiecta non sunt omnino diuersa, etiam scientiæ ipsæ non sunt omnino diuersæ. nam inferior accipit subiectum à superiori, qua ratione est idem subiectum: sed addit aliquid: ideóque non manet omnino idem, sed est differentia quasi inter genus & speciem. Exempli gratiâ geometria considerat lineam, optica verò considerat eandem lineam accommodatam aspectui, ideirco dicitur versari circa lineam visualem. similiter arithmeticæ subiectum est numerus, & idem numerus harmoniæ accommodatus, proinde numerus harmonicus est subiectum musicæ. Secundò notandum fieri posse vt cognoscatur solùm τὸ ὅτι, vel solùm τὸ διότι, vel vtrumque, vt videtur mihi apertè colligi ex cap. 17. huius libri, ad cuius interpretationem hic locus facit, vt ibi τὸ ὅτι notabo. Exposui sententiam huius particulæ vsque ad ea verba, *quare ex his*, ibi Aristoteles concludit non posse aliquid demonstrari simpliciter, id est, vera demonstratione non per accidens, nisi ex principiis propriis ipsius scientiæ, in qua demonstratur; aut ita communibus, vt pertineant ad scientias subalternas superiorem & inferiorem. nam hæ habent eadem principia, quatenus inferior accipit principia à superiori, vt suprà exposui. aliàs non fit demonstratio ex cõmunibus, id est, ex principiis seu propositionibus, quæ communia diuersis scientiis omnino separatis & sciunctis, vt physicæ & geometriæ.

1 *Quòd si perspicuum*. Postquàm ostendit principia non esse communia, sed propria; inde colligit principia esse indemonstrabilia, & nihilominus sciri, immo maximè sciti, ita vt principiorum sciẽtia sit quodammodò domina eorũ omniũ, quæ in eadẽ scientia traduntur. nã à principiis reliqua pẽdent. Vnde Aristoteles rectè dixit principium esse magnitudine paruum, sed virtute maximum, & esse maximam totius partem. Elenchor. cap vlt. partic. 6. seu plus quàm dimidium, Ethic. lib. 1. cap 8. Primò igitur adhibet hoc enthymema: Principia sunt propria & per se: ergo sunt indemonstrabilia. Secundò cum ait, *quoniam illa*, probat consequentiam: quia hæc principia sunt omniũ prima: non habent igitur alia priora, per quæ demostrentur. Item eorum scientia est domina omnium, id est, per ipsa principia sciuntur reliqua omnia, quæ in eadem scientia traduntur: ipsa igitur non sciuntur: proinde non demonstrantur per alia: alioqui non omnia scirentur per hæc principia; quãdoquidem ipsa per se non scirentur, sed per alia. Tertiò cùm ait, *etenim magis sunt*, probat scientiam principiorum esse maximè dominam & maximè scientiam. Scientia nãque habetur per causam. quare si scimus per causas secũdas, multò magis scimus per causas primas, & principia prima. etenim causæ secundæ, non tantùm sunt causæ, sed etiam effectus. Exempli gratiâ, locus est causa finiti, & est effectus motus. Sicut ergo finitum cognoscitur per locum, ita locus per motum. Denique motus per naturam, quæ est principium primum, & tantùm causa, non effectus in scientia physica, siue vt in physicis consideratur. Hoc igitur est, quod ait, eum cognoscere ex prioribus, qui cognoscit ex causis non causatis, id est, ex causis primis, quæ tantùm sunt causæ, non effectus. *quare si magis nouit*, (subaudi, qui ex prioribus causis nouit) ille *maximè nouit*, supple, qui ex primis causis, & ex primis principiis nouit. Tandem cùm ait, *& si scientia*, docet scientiam primorum principiorum (si tamen scientia dici debet: nam suprà cap. 3. docuimus non dici propriè sciẽtiam, sed principium scientiæ, id est, intelligẽtiam, vt dicetur vltimo cap. lib. seq. & lib. 6. Ethic.) docet ergo scientiam principiorum magis scientiam esse, quàm scientiam conclusionum, atque adeo scientiam primorũ principiorum esse maximè scientiã, vtpote cùm ab ea pendeãt reliqua omnia in scientiis tradita. Exposui hanc part. ex mea sententia. Aliorum enim interpretatio, qui hæc quæ de cognitione principiorum dicta sunt ad metaphysicam referunt, mihi nullo modo probatur.

6 *Demonstratio verò*. Occupat & soluit obiectionem quandam, quæ oritur aduersus dicta in præced. part. id est, aduersus cã consequentiam, qua colligebamus principia esse indemonstrabilia, quia non possunt demonstrari ex communibus. Obiiciet enim fortasse aliquis, Principia vnius scientiæ demonstrari, non ex quibusdam axiomatis, quæ sint multis scientiis communia, sed ex principiis vel conclusionibus alterius scientiæ propriis. Aduersus hanc obiectionem Aristoteles reuocat in memoriam ea, quæ docuit cap. 7. id est, demonstrationem non sumi ex alia scientia, nisi sint scientiæ subalternæ. In hoc igitur capite hoc supposuimus, tamquàm antea probatum. Hoc autem posito, quòd principia non demonstrantur ex alia scientia, necesse est vel ea demõstrari ex communibus, vel esse indemõstrabilia. atqui iam ostendimus non demonstrari ex communibus: rectè igitur conclusimus principia esse indemonstrabilia.

7 *Difficile autem.* Ex dictis infert hoc corollarium, Difficulter cognosci, an aliquis sciat: quia difficulter cognoscetur, an sciat ex principiis per se & vniuersalibus: falluntur autem, qui putant se scire id quod probatur ex propositionibus veris & primis, id est, in demonstrabilibus, vt Bryso ex illo axiomate: Quæ sunt iisdem maiora & minora, sunt inter se æqualia. nam ex huiusmodi communibus axiomatis non habetur vera scientia: quia nõ cognoscitur natura generis subiecti, nec cognoscitur vera causa: quandoquidem vera causa non est communis, sed propria, & ipsi rei essentialis, adeo vt cum effectu reciprocetur. Oportet ergo syngenea esse primis, id est, ex natura eiusdẽ generis subiecti sumi tam affectiones proprias, quæ de eo subiecto demonstrantur, quàm prima, id est, principia, quæ sunt causæ illarum affectionum, & per quas eædem affectiones demonstrantur. Ex his, quæ hactenus exposita sunt à cap. 4. habemus cõditiones & proprietates principiorum demonstratiuorum. Primò namq; ostendimus ea esse necessaria, id est, de omni, per se, & vniuersalia. Secundò ea non esse heterogenea, id est, non sumi ex alio genere, siue ex alio subiecto, siue ex alia scientia. Tertiò esse æterna, & perpetuò vera. Quartò non esse communia multis scientiis, & multis subiectis. Quintò esse indemonstrabilia, maximè tamen cognosci, ita vt ex eorum cognitione pendeat cognitio cõclusionum. Sextò esse difficilia inuentu, & difficulter discerni ab iis quæ videntur esse nec sunt principia, quia sunt quidem vera, & probant conclusionem, non tamen sunt causæ conclusionis.

IN CAP. X. IN QVO PRINCIPIA DEMONSTRATIVA DEfiniuntur, & diuiduntur.

EXpositis variis conditionibus, sine qui bus propositiones non possunt esse principia demonstrationis; nunc ipsa principia definit, & in species diuidit.

1 *Principia verò.* Definit principia demonstrationis, id est, prima scientiæ cuiusque principia, quæ sunt indemonstrabilia: atque ait ea esse prima principia: quæ quòd sint, probari nequit. Ita seiungit hæc principia à principiis secũdis, quæ non sunt omnino & absolutè principia; sed cùm demonstrantur, sunt conclusiones; cùm autem postea sumuntur ad alia probanda, tunc sunt principia in illis solis demõstrationibus quę ex ipsis conficiuntur. principia verò, quę hic definiuntur, sunt principia totius scientię, & absolutè atque omnino principia, atque adeo prima principia. item hæc definitio seiungit principia à conclusionibus, vt declarabitur in seq. particula.

2 *Quid igitur.* Exponit allatam principiorum definitionem, & per eam principia distinguit à conclusionibus. Cùm enim duæ sint præcognitiones, vt ex 1. cap. didicimus, nempe quòd sit seu rem esse, & quid vocabula significent: quantum ad hanc pręcognitionem, quid vocabula significent, non est discrimen inter propositiones & conclusiones: quia numquàm in scientiis demonstratur quid vocabula significent, siue ea vocabula adhibeantur in principiis, siue in cõclusionibus. quare in definitione principiorum non est facta mentio huius præcognitionis, sed tantùm præcognitionis quòd sit, quoniam hæc sola seiungit principia à conclusionibus, eò quod demonstratur conclusiones esse, non demonstratur principia esse. Primò igitur Aristoteles declarat id, in quo conueniunt & prima principia & conclusiones quæ inde probãtur, inquiẽs vtrobique sumi quid vocabula significent. sumi propriè dicuntur, quæ non demonstrãtur: & ita in præsentia hoc verbum accipitur. Secundò cùm ait, *quod autem principia sint*, declarat discrimen inter principia & conclusiones: quia non demonstratur principia esse, sicut demonstratur conclusiones esse. Hinc intelligimus definitionem suprà traditam distinguere principia à conclusionibus. Tertiò cùm ait, *veluti quid [sit] vnitas*, dat exempla eius, in quo principia & conclusiones conueniunt. Sumuntur autem hæc exempla ex arithmetica: & sumitur vnitas tamquàm principium arithmeticæ: triangulum verò est affectio, quæ in arithmetica demõstratur de numeris: sunt enim quidam numeri triangulares, quorum scilicet vnitates descriptę in abaco efficiunt & triangulum, veluti tria, septẽ. Additur in contextu exemplum recti, quod est affectio geometrica, nam magnitudo vt linea, dicitur recta vel curua. Sunt igitur duo exempla affectionum, vnum geometricum, alterum arithmeticum. Vnum autẽ est exemplũ principij arithmetici. sed suppleri potest & fortasse culpâ scriptorum omissum est exemplum geometrici principij, nempe magnitudo. nam hoc exemplum in sequenti membro non omittitur. Ergo geometra non demonstrat quid significet magnitudo, nec quid significet rectum

ctum: cùm magnitudo sit principium, rectum autem sit affectio, quæ demonstratur. Similiter Arithmeticus nō demōstrat, quid significet vnitas, quæ est principium, nec quid significet triangulum, quod est affectio demonstranda. Quartò cùm ait, *sed[etiam] vnitatem*, dat exempla differentiæ inter principia & conclusiones. nam arithmeticus sine demōstratione sumit vnitatem esse, & geometra sine demonstratione sumit magnitudinem esse, quia hæc sunt principia: reliqua verò, id est, conclusiones demonstrant esse: vt arithmeticus demonstrat quēdam numerum esse triangulum, & geometra lineam esse rectam vel inflexam.

3 *Ex[iis] autem.* Definitioni principiorum subiicit diuisionē in principia propria & communia. Ac primò ponit hanc diuisionem, id est, hæc duo membra, nempe propria principia, & communia principia, quæ ait esse communia non homonymos, nec synonymos, sed secundum analogiam. Et hoc probat ex eo, quòd hęc principia nō sunt vtilia omnino in sua maxima communitate, sed coangustata ad subiectum argumentum. Hoc eget declaratione. Sit(exempli gratiâ) hoc principium commune; Totum esse maius sua parte. quādo geometra vtitur hoc principio, non considerat totum & partem in quacumque re. siue enim totus numerus sit maior sua parte, siue non sit: hoc ad geometriam nihil pertinet. quare geometra ita vtitur hoc principio, vt dicat totam magnitudinem esse maiorē sua parte. arithmeticus autem inquit totum numerum esse maiorem sua parte. Dicitur ergo esse idem principium secundum analogiam siue proportionem: quia analogia siue proportio est rationum similitudo, qualis hic reperitur. quam enim rationem habet tota magnitudo ad partem magnitudinis, eandem habet totus numerus ad partem numeri, id est, sicut tota magnitudo est maior sua parte, ita etiā totus numerus est maior sua parte: hæc autem similitudo vocatur analogia seu proportio. Hæc habentur in primo membro huius particulæ: quæ vt breuiter colligam, tria sunt, nēpe esse quædam principia propria, & esse quædam principia cōmunia, & hæc esse cōmunia secundum proportionem. Hæc tria Aristoteles deinceps declarabit. Secundo namque, cùm ait, *Propria sunt*, declarat primum ex illis tribus, afferēs duo excēpla principiorū propriorū. Vnū exēplū est, lineā esse eiusmodi. i. esse longitudinē sine latitudine. significat enim definitionem lineæ. Hoc est exemplum principij: quia linea est principiū in geometria. Alterum exemplum est, rectū esse eiusmodi. His quoque verbis respicit ad definitionē recti: vt perinde sit, ac si diceret principia propria esse, veluti definitionem lineæ, & definitionem recti. Iam verò si rectum acci piamus vt in præced. partic. non erit exemplum veri principij, quia rectum erat affectio demonstranda, non principium. hoc tamen, quid significet rectum, potest aliquo modo dici principiū, quatenus non demōstratur. Quod si appellatione recti, intelligamus lineam rectam, erit exemplum veri & propriè dicti principij: erit enim definitio lineæ rectæ, nempe à puncto ad punctum breuissima extensio. Vt hæc, & sequentia quoque rectè intelligantur, notandum est, in scientia qualibet esse subiectum, ad quod omnia, quæ in ea scientia considerantur, referri debēt. nā cetera omnia aut sunt principia huius subiecti, aut species, aut affectiones. sed & species sunt subiecta. sicut enim corpus naturale est subiectum physicæ, ita cœlum, quod est species corporis naturalis, est subiectum in libris de cœlo. Itaque species posteriùs tractantur. In explicatione autem generis considerantur principia, & affectiones. nam ex principiis demonstrantur affectiones de subiecto. Principia verò quodāmodò duo sunt, quodam modò vnum. nam vnum est subiectū, quod duobus modis pręcognoscitur, nempe quòd sit, & quid sit. præcognitio quòd sit, vocatur hypothesis, vel postulatum: præcognitio autem quid sit, appellatur definitio. Ergo vnum est principium, id est, vnum subiectum: vel duo principia, id est, subiectum esse, & subiecti definitio. Affectio verò non est principium: quoniam affectio non est fundamentum scientiæ, sed solum subiectum est fundamentum. Cùm autem duæ sint cognitiones affectionis non minùs quam subiecti, id est, quid affectio significet, & quòd affectio sit: neutra est verū principium, quoniam ex neutra demonstramus. & generaliter ipsa affectio non est principium. quatenus tamen nō demonstratur quid significet affectio, eatenus aliquo modo dici potest principium. Tertiò cùm ait, *Communia vt*, dat exemplum secundi ex tribus illis dictis, id est, principij communis, nempe Si ab æqualibus æqualia demantur: quæ supererunt, erunt ęqualia. hoc enim principiū accōmodatur diuersis generibus, vt magnitudinibus, & numeris. Quartò cùm ait, *Sufficit autem*, declarat tertiū ex tribus illis dictis. i. hęc principia, cōmunia esse secundū analogiā, quia scietię iis non vtuntur in sua maxima communitate, sed singulæ coangustant ad sua subiecta, vt geome-

tria ad magnitudines, & aritmhetica ad numeros, ſicut antea expoſui.

4 *Sunt autem propria.* Propria principia ſubdiuidit in duo, vel tria genera, nempe quòd ſubiectum ſcientiæ ſit, quid illud ſubiectum ſit, & quid quæque affectio ſignificet. Dixi duo, vel tria: quia priora duo ſunt vera principia, vtpote quæ in ſubiecto ſcientiæ cernuntur: tertium eſt aliquo modo principium, quatenus non probatur, ſed ſumitur, vt paulò antè notaui. Primò ergo ponit primũ genus principii, inquiens propria principia eſſe, quæ ſumũtur eſſe, id eſt, de quibus præcognoſcimus quòd ſunt: & magis declarans, quænam ſint hæc, quæ ita præcognoſcuntur, ſubiicit hæc eſſe ſubiecta, circa quæ ſcientia conſiderat ea quæ inſunt per ſe, id eſt, de quibus in ſcientia demonſtrantur propriæ affectiones. Secundò cùm ait, *verbi causâ vnitates*, dat exempla eiuſcemodi principiorum. Nam arithmetica ſupponit vnitatem eſſe: geometria verò ſupponit eſſe puncta, & lineas. hæc igitur eſſe accipit ſine vlla demonſtratione. Tertiò cùm ait, *& eſſe hoc*, proponit alterum principii genus: proponit autem concisè; quia conſtructio verborum à præcedentibus pendet; ita vt ex præcedentibus verbis ſumenda ſint etiam exempla. Secundum igitur principii genus eſt, ſubiectum eſſe hoc. Illud, *hoc*, indicat definitionem ſubiecti: veluti lineam eſſe longitudinem ſine latitudine. Quartò cùm ait, *quæ verò* [*ſunt*,] adiungit tertium principii genus, quid affectio ſignificet. Quintò cùm ait, *vt arithmetica*, ſubiicit exempla tertii principii, partim arithmetica, partim geometrica. Arithmetica exempla hæc ſunt, quid ſit impar vel par, quid quadratum vel cubus: hæ namque ſunt affectiones numerorum. Par numerus dicitur, qui diuiditur in duas partes æquales: vt duo, quatuor, ſex. Impar, qui diuiditur in partes inæquales: vt quinque, vel ſeptem. Quadratus numerus eſt, cuius vnitates in ſuperficie deſcriptæ efficiunt formam quadratam: quod contingit in quouis numero in ſeipſum ducto, id eſt per ſeipſum multiplicato. Exempli gratiâ, numerus quaternarius eſt quadratus: quia bis duo faciunt quatuor. item nouenarius: quia tria ter accepta faciunt nouem. ſic igitur quadratâ formâ *hi numeri* deſcribuntur. Cubus autẽ ſeu numerus cubicus non conſideratur in ſuperficie ſed eſt numerus ſolidus: fitque cùm quadratus multiplicatur per ſuã radicem. Exempli causâ binarius in ſe ipſum ductus, facit quaternarium: quaternarius igitur eſt quadratus. iã quaternariũ multiplica per binarium: efficies cubum, nempe octonarium: quia bis quatuor faciunt octo. Eodem modo ſi nouem accipias ter, facies viginti ſeptem: tria ſunt radix: nouem, numerus quadratus: viginti ſeptem, numerus cubus. Exempla autem geometrica ſunt, quid irrationale, aut inflecti, aut cõcurrere. Irrationalia, quæ Græcè ἄλογα & ἀσύμμετρα dicuntur, ea ſunt, quæ non habent communem menſuram; vt latus quadrati & diameter. Inflecti dicitur linea, quæ non eſt recta, id eſt, non breuiſſimá viâ à puncto ad punctum ducitur. Concurrere dicuntur lineæ, quę ab vna parte coniũguntur in eodẽ pũcto, in quo faciũt angulum; vt linea a c, & linea b c, cõcurrũt & cõiũgũtur in pũcto c.

Sextò cùm ait, *quòd autem ſit*, occupat obiectionẽ quãdam. aliquis enim credere poſſet dari etiam quartum principii genus: vt ſicuti præcognouimus an ſit, & quid ſit ſubiectum; ita etiam pręcognoſcamus, nõ ſolùm quid affectio ſignificet, ſed etiam affectionẽ eſſe. Reſpondet Ariſtoteles, hoc non eſſe principium: quia non præcognoſcitur, ſed demonſtratur: demonſtratur autem vel per cõmunia, id eſt, ex primis ſciẽtiæ principiis, vel per ea quæ antea demonſtrata fuerunt, id eſt, ex ſecundis principiis. Vt enim antea notaui, concluſio primę demonſtrationis fit principium in ſecunda. Aliter itaque ſumit hìc principia communia quàm ſupra. nam ſuprà opponebat communia propriis: & vocabat communia, quæ pertinent ad multas ſcientias: hìc verò opponit communia principia principiis demonſtratis: & communia appellat, quę in tota aliqua ſciẽtia ſunt principia, id eſt, quæ ſunt tantùm principia, non concluſiones, atque adeo ſunt prima principia in illa ſcientia. Septimò cùm ait, *itidémque* [*facit*] *aſtrologia*, quia ſuprà dederat exempla arithmetica & geometrica, inquit ſimiliter poſſe ſumi exẽpla aſtrologica. immo ex quauis ſcientia facilè accipi poſſunt.

5 *Omnis enim.* Subdiuiſionem principiorum proximè traditam declarat tripertitã ſcientiæ diuiſione, quam etiam attulit ſuprà cap. 7. partic. 2. Tria namque in ſcientiis ſunt: genus ſubiectum, de quo demõſtratur, vt in phyſica corpus naturale: & affectiones, quæ de eo ſubiecto demonſtrantur, vt locus, & finitum: tertiò axiomata, ex quibus demonſtratur, veluti aut omnia aut aliqua moueri. Ex his tribus partibus pendet expoſitio eorum, quæ ſuprà tradidimus: nam axiomata faciunt principia communia. ſubiectum, ſecũdum duas illas præcognitiones,

an ſit,

an sit, & quid sit, facit duo genera propriorum principiorum. affectio autem, quatenus praecognoscitur quid significet, efficit tertium principij genus: quatenus verò demonstratur, ad conclusionem pertinet.

6 *Sanè scientiae.* Occupat obiectionem quandam: quia saepe in scientiis non traditur subiectum esse, vel quid affectio significet: ergo nō videntur haec semper esse principia. Respondet Aristoteles per distinctionem inter praecognitionem expressam & tacitam. quamuis enim nō semper praecognoscantur expressè, tamen praecognoscuntur saltem tacitè: quia scilicèt in scientiis negligitur expositio eorum, quae per se manifesta sunt. Quare vbi potest aliquis error contingere, ibi adhibetur expositio: vbi verò nulla est dubitatio, tacitè praecognoscitur. Primò Aristoteles hanc sententiam proponit, quasdam praecognitiones siue expositiones in scientiis contemni & praetermitti. Secundò cùm ait, *vt putà aliqua*, dat exemplū praecognitionis quòd subiectum sit. Tertiò cùm ait: *non enim aequè*, declarat hoc exemplum: quia non aequè manifestum est, esse numerum, atque calidum & frigidum. etenim calidum & frigidum sentimus; numerum non sentimus. quapropter arithmeticus expressè supponere debet numerum esse. quod necessarium non esset, si aequè esset notum, atque calidum & frigidum. Hic non puto nobis esse laborandum, vt quaeramus quomodo calidum & frigidum, quae sunt affectiones physicae, sumantur ab Aristotele loco subiecti, quemadmodū numerus, cum quo cōferuntur, est subiectum arithmeticę. neque enim puto calidum & frigidum hic poni quasi subiecta, sed tantùm adhiberi ad explicandum subiectum, quod est numerus: cùm enim Aristoteles ostendere vellet hoc subiectum, id est numerum, esse, non satis esse manifestum: comparauit numerum cum rebus manifestioribus, quae sensu percipiuntur, vt per eam comparationem magis elucesceret obscuritas numeri. Quod igitur ad hanc comparationem attinet: nihil interest, vtrùm hae res, quibuscum numerus comparatur, sint subiecta, an affectiones. Quartò cùm ait, *neque accipias*, subiicit alteram speciem praecognitionis tacitae, nempe quid affectio significet. [...]uam prima species erat, subiectum esse. Quintò cùm ait, *quemadmodum ne communia*, adiungit tertiam speciem, id est, quid significent verba axiomatum, putà quid significet hoc verbum, *si ab aequalibus aequalia demantur*, quod ponitur in illo axiomate: Si ab aequalibus aequalia demantur: quae supererunt, erunt aequalia.

Sextò cùm ait, *Sed nihilominùs*, docet, quamuis praecognitiones illae interdum in scientiis non exprimantur, nihilominùs reipsa in quacumque scientia esse tria illa; subiectum, axiomata, & affectiones, in quibus dictae praecognitiones locum habent vel expressè, vel saltem tacitè.

7 *Non est autem.* Transit ad aliam principiorum diuisionem quadripertitam. Omne enim principium aut est axioma, aut suppositio siue hypothesis, aut postulatum, aut definitio. Axioma est principium commune: reliqua sunt principia propria. Suppositio & postulatum pertinent ad praecognitionē quòd sit: definitio verò ad praecognitionem quid sit. Vt haec quatuor principiorum genera explicet, primùm in hac particula distinguit axioma à suppositione & postulato: quoniā axioma ab omnibus cō ceditur: quod in suppositione & postulato nō contingit. Primò ergo proponit hanc distinctionem. Secundò cùm ait, *non enim ad externum*, occupat & soluit obiectionem, quae contra datam distinctionem oritur. Posset enim aliquis obiicere, quòd etiam axioma, quantumuis notum, tamen potest ab aliquo non concedi, sed negari: quandoquidem quicquid affirmatur, negari: & quicquid negatur, affirmari potest, vt ipse Aristoteles docuit lib. de Interpretat. cap. 6. part. 2. Respondet per distinctionem inter sermonem internum & externum. Nam axiomata quidem oratione externā negari possunt, internā vero non possunt: sed qui ea negat, nihilominùs iis fidem habet: demonstratio verò non respicit ad verba externa, sed ad rationem internam.

8 *Quaecunque igitur.* Confert suppositionem & postulatum inter se: ac docet, in quo conueniant, & quo differant. Conueniunt in eo, quòd sunt ambo demonstrabilia. Si obiicias, suprà in 1. part. huius cap. & in 14. par. cap. 2. probatum fuisse omnia principia esse indemonstrabilia: respondebo, omnia esse indemonstrabilia in ea scientia, in qua sunt principia: quaedam tamen esse demonstrabilia, quae demonstrantur in alia scientia. Haec dico de primis principiis. non semel enim docuimus secunda principia demonstrari in ipsa scientia: quia sunt principia respectu sequentium conclusionum, & conclusiones respectu praecedentium principiorum. In eo igitur conueniunt suppositio & postulatum: quòd ambo demonstrari possunt in alia scientia. Possumus etiam intelligere demonstrationem in eadem scientia, dummodò non intelligamus

veram demonstrationem τοῦ διότι, quæ fit per causam; sed demonstrationem τοῦ ὅτι, quæ fit à posteriori, & per effectum. Ceterùm eo differũt: quòd suppositio nonsolùm docenti, sed etiam discenti vera videtur: postulatum autem non ita discenti videtur: sed aut putat id esse falsum, aut saltẽ dubitat. vnum igitur & idem principium numero, veluti naturam esse principium motus & quietis, vni erit hypothesis, alteri postulatum.

9 *Definitiones igitur.* Duplici discrimine vult distinguere definitiones à suppositionibus & postulatis. Prius discrimen ponitur in hac particula: Suppositiones sunt propositiones significantes esse, vel non esse: atqui definitiones nõ sunt propositiones significantes esse vel non esse: ergo definitiones non sunt suppositiones. Quod dixi de suppositionibus, idem intellige de postulatis: quandoquidem suppositio & postulatum re idem sunt. Huius syllogismi primò ponit conclusionem. Deinde ibi, *quia non dicunt*, minorem propositionem. Tertiò ibi, *verùm in propositionibus*, adiungit maiorem. Quartò ibi, *Definitiones verò*, explicat minorem per comparationem definitionis cum simplicibus vocabulis. sicut enim simplex vocabulum, vt hoc verbum AVDIRE, non est suppositio; quia non supponit aliquid esse, vel non esse, sed significat rem simplicem, quam tantùm intelligere oportet: (dico *tantùm*, cum Aristotele, vt significem nos non cognoscere illud simplex vocabulum esse verum, aut falsum) sicut ergo ita res habet in simplicibus vocabulis, ita etiam in definitionibus. Quintò cùm ait, *Sed [illæ sunt,]* explicat maiorem propositionem, inquiens eas esse suppositiones, ex quibus tamquàm propositionibus infertur conclusio.

10 *Neque geometra.* Occupat tacitam obiectionem ex proximè dictis emergentem. Dictum enim fuit, suppositionem siue hypothesim esse principium, ex quo conclusio colligitur. in contrarium opponi potest, quòd ex propositionibus seu principiis falsis non potest colligi conclusio vera, vt dictũ fuit cap. 6. part. 8. & latiùs lib. 2. Prior. cap. 2. partic. 2. & cap. 4. partic. 17. atqui suppositiones geometricę sunt falsæ, & conclusiones veræ. ergo ex suppositionibus non colliguntur conclusiones. Quòd suppositiones geometricæ sint falsæ, probatur ex descriptionibus geometricis. geometra namque describit (exempli gratiâ) lineam, quam ait esse duorum pedum, vel rectam, cùm sit multò minor, vel inflexa. Soluit Aristoteles hanc obiectionem, negans has esse suppositiones: veluti quòd hæc linea sit recta, vel sit duorum pedum. nam hæc sunt singularia, & sensibilia: mathematicus verò versatur in vniuersalibus, quæ sub sensum non cadunt. quare geometra nonsupponit, hanc, quam describit, esse rectam, vel duorum pedum, sed eam, quam animo concipit, cuius explicandæ causâ hanc describit. Itaque descriptiones mathematicæ non sunt suppositiones, sed expositiones suppositionum in intellectu consistentium.

11 *Præterea postulatum.* Sequitur alterum discrimen, quo definitio secernitur ab hypothesi & postulato. Nam omnis hypothesis vel postulatum, aut est vniuersale, aut particulare: atqui definitio nec est vniuersalis, nec particularis: ergo non est postulatum, nec hypothesis. Huius syllogismi in contextu habemus maiorem, & ibi, *definitiones autem*, minorem, conclusio verò est repetenda ex partic. 9.

IN CAP. XI. DE PRINCIPIIS QVIBVSDAM OMNIVM SCIENTIARUM communibus.

SVperiori capite generaliter egit de principiis cõmunibus, & propriis: nunc specialiter vult explicare quædam communia axiomata. vnde sumpta occasione, docebit, quænam sint communia omnibus scientiis.

1 *Species igitur.* In hac particula agit de ideis: quoniam hæ secundum Platonem sũt principia quędam communia omnibus scientiis. existimauit enim Plato nullam esse scientiam, nisi idearum: propterea quòd demonstratio est rerum æternarum, vt probatum fuit cap. 8. vnde non putauit Plato sciri posse res materiales, vtpote interitui obnoxias, nisi ratione ideæ, quæ est æterna. Hoc fundamento vtens Plato, sic argumentabatur: Demonstratio est: ergo ideæ sunt. quæ etiam vocantur vniuersalia præter multa, siue ante multa, quia sunt abiunctæ à rebus singulis. Primò Aristoteles negat hanc consequentiam. Secundò cùm ait, *sed necesse*, docet, ex demõstratione non colligi vniuersalia ante multa, quæ sunt ideæ; sed vniuersalia in multis, quæ sunt genera, & species. Hoc autem docet, vt intelligamus, absque ideis fieri vt demonstratio sit rerum æternarum: quoniam etiam vniuersalia in multis, æterna sunt: vt species humana semper manet, licèt singuli homines oriantur & occidant. Aristoteles igitur à Platone dissentiens, sic argumentatur: Est demonstratio,

ergo

ergo est vnum in multis. Tertiò cùm ait, *qui non erit*, probat consequentiam, hoc modo: Si non est vnum in multis, non est vniuersale: si non est vniuersale, non est medium: supple, si non est medium, non est demonstratio. hinc Aristoteles concludit, si non est vnum in multis, non esse demonstrationem. Haec conclusio sumatur pro maiore propositione syllogismi hypothetici. supple minorem, atqui est demonstratio. inde sequitur conclusio, quae ponitur in contextu, ibi, *oportet igitur*, nempe esse vnum in multis non homonymum, sed synonymum.

2 *Fieri autem.* Postquàm refutauit principium commune Platonicum, deinceps vult explicare quaedam axiomata communia, & declarare eorum vsum. Est autem principium omnibus scientiis commune, Contradictionis alteram partem esse veram, alteram falsam. Hoc principium, quamuis vnum videatur, tamen duabus partibus constat, & in duo principia diuiditur: nempe affirmatio & negatio nō sunt simul verae: &, non est vtraque simul falsa. Prior pars declaratur in hac particula: posterior in particula sequenti. Quod ad priorem attinet, Primò Aristoteles ponit regulam; inquiens hoc axioma non poni actu in demonstratione. Intellige non poni expressè, sed tantùm tacitè. veluti cùm demonstrator ait, Omne corpus naturale est mobile. dum accipit hoc esse verum, simul accipit esse falsum quòd non sit mobile: hoc tamen non exprimit, quia satis per se manifestum est. Secundò cùm ait, *nisi oporteat*, adhibet exceptionem ad dictam regulam, nisi (inquit) conclusio sit ita demonstranda: quia qualis est conclusio, talia debent esse principia, vt intelligemus ex subiecto exēplo. Tertiò cùm ait. *probatur autem*, declarat exceptionem modò propositam, docens quomodo, cùm actu in cōclusione ponitur non esse simul veram affirmationem & negationem, hoc principiū debeat poni etiam in syllogismo: & inquit esse accommodandum tantùm maiori extremo, non medio termino, nec minori extremo. Idem de iteratione seu repetitione docuit libro primo Priorum, capite 38. Quartò cùm ait, *nam si concessum*, id quod dixit, magis declarat prolato exemplo syllogismi, in quo principium illud actu & expressè ponitur. Volo concludere Calliam esse animal & non esse non animal. sumo igitur in maiore propositione, hominem esse animal & non esse nō animal. deinde in minore sumo, Calliā esse hominem inde rectè cōcludo, Calliam esse animal & non esse non animal. non sumo autem hominem non esse non hominem; nec sumo Calliam non esse non Calliam: quoniam haec ad syllogismum nihil pertinent. nam etiamsi quis concederet hominem simul esse hominem & non hominem, itē Calliam simul esse Calliam & non Calliam: tamen aequè dicto syllogismo cōcluderetur, Calliam esse animal & non esse non animal. Quintò cùm ait, [*Plures*] *autem*, rationem affert, cur non adhibeamus illud principium etiam ad medium terminum. Ratio enim est: quia maius extremum potest latiùs patère, quā medius terminus, vt animal dicitur de homine, & de non homine. cùm ergo sumis hominem esse animal, nihil ad rē facit, si dicatur homo simul esse homo & non homo, quia nihilominùs verè sumitur esse animal, quādoquidem animal dicitur de homine & de non homine. Eandem rationem possumus accommodare ad minus extremum, quam Aristoteles breuitatis studio exposuit solùm in medio termino. sicut enim maius extremum latiùs patet, quàm medius terminus: ita medius terminus latiùs patet, quam minus extremum. Quare veritati huius propositionis, Callias est homo, nihil officit, si quis dicat Calliam non esse Calliam: quia etiamsi non sit Callias, nihilominùs est homo, quādoquidem homo dicitur etiam de non Callia.

3 *De quauis autem.* Transgreditur ad alterū principium, id est, aut affirmationem aut negationem veram esse: & inquit, huius principij vsum esse in demonstrationibus ducentibus ad impossibile, nempe quia (vt ex 2. lib. Prior. didicimus) ex falsitate conclusionis colligitur falsitas propositionis, & ex falsitate propositionis colligitur veritas problematis, cui propositio illa cōtradicit. Ex eo igitur, quòd vna pars contradictionis, id est, propositio syllogismi ducentis ad impossibile, est falsa, colligimus alteram partē, id est, problema esse verum: quae consequentia non valeret, si vtraque pars posset esse falsa.

4 *Atque haec.* Postquàm docuit specialiter vsum duorum illorum axiomatum; nunc dat exemplum vtrique commune, immo generaliter pertinens ad omnia communia principia, nempe ea non esse proponenda in sua maxima communitate, sed coangustata ad proprium subiectum, vt putà non dicet mathematicus, aut vera est affirmatio aut negatio: sed dicet, aut linea est recta aut non est recta. Huius coāgustationis ratio data est cap. 10. part. 3.

5 *Communicant autem.* Docet haec ge-

neralia axiomata esse communia omnibus scientiis, nimirum secundum analogiam, vt expositum fuit dicta partic. 3. Et quia vult explicare quæcumque sunt omnibus scientiis communia, idcirco in hac particula ait axiomata quidem esse communia; non tamen subiectum, de quo demonstratur; nec affectiones, quæ demonstrantur. quod satis exposui suprà.

6 *Ac dialectica omnibus.* Pergit in explicandis iis quæ sunt communia omnibus scientiis: & secundo loco ponit dialecticam. Ne intelligas totam logicam, neque artem demonstrandi, sed dialecticam propriè dictã, quæ ex probabilibus disserit, ideó que non est adstricta certo subiecto, ex quo sumat sua principia, quæ sint per se, vt facit demonstrator, sed vndecumque sua principia colligit. Rursus ne intelligas dialecticam docentem, sed quam scholastici vocãt vtentem, id est, non ipsam artem, sed vsum artis. Sicut enim alius est rhetor, alius est orator: ita alius est dialecticus docens, alius dialecticus vtens præceptis artis: alioquin, si artem intelligas, non minùs apodictica, quàm dialectica dici posset communis omnibus scientiis. Quomodo autem dialectica in scientiis vsum habeat, docebit Aristoteles lib. 1. Top. cap. 2. part. 5. & 6.

7 *Et si qua [scientia.]* Tertio loco pluribus scientiis communem ponit metaphysicam, quatenus hæc probat aliarum scientiarum principia, non minùs quàm dialectica. Vide lib. 3. Metaphys. cap. 3. & 4. Itaque dum ait, *si qua*, innuit metaphysicam.

8 *Dialectica verò.* Differentiam ponit inter dialecticam & metaphysicã. nam metaphysica, quamuis sit cõmunis, quia communiter circa ens versatur, non circa aliquod ens: tamen, cùm sit vera scientia, certo subiecto est adstricta: considerat enim ens, non quocumque modo, sed qua ens: dialectica verò nulli subiecto est adstricta: nec magis cõsiderat ens, quà ens, quàm aliâ ratione, putà quà mobile, quà quantum, &c. Hoc Aristoteles probat ex interrogationibus dialecticis. nam si dialectica haberet certum subiectum, non interrogaret: atqui interrogat: ergo non habet certum subiectum. Maior probatur illis verbis, *demonstranti namque*: quia scientiæ habentes certum subiectum, de subiecto demonstrãt: demonstrationes verò non fiunt ex interrogationibus. Quid ita? quia demonstrationum conclusiones certæ sunt ex ipsa rerum natura depromptæ: vnde etiam principia certa esse oportet: qualia non sunt, quæ ex interrogationibus eliciuntur. nam qui interrogat, vtrùm hoc sit, an illud; vel vtrùm vera affirmatio, an negatio; dat optionem aduersario, vtram contradictionis partem eligere velit: & quam partem aduersarius eligit & concedit, eam ipse sumit, & ex ea probat. Quare dialecticus æquè paratus est argumentari ex affirmatione & ex negatione. non est igitur adstrictus certæ conclusioni, vt demonstrator: quia non potest ex oppositis, id est, ex affirmatione & negatione probari eadem conclusio, vt Aristoteles docuit in libris de syllogismo, id est lib. 2. Prior. cap. 15.

IN CAP. XII. DE INTERROGATIONIBVS, ET OBITER DE scientiarum incremento.

QVia in calce præcedentis capitis visus est interrogationes soli dialectico cõcedere, cùm id non sit intelligendum de omnibus interrogationum generibus, sed tãtùm de interrogationibus dialecticis, quę scilicet aduersario tribuunt electionem, vt ex ore aduersarij sumantur propositiones: idcirco Aristoteles hoc capite docet esse alias quoque interrogationes essentiales, & ab his seiungit interrogationes à scientia alienas. Sunt igitur tria interrogationum genera, id est, interrogatio dialectica, interrogatio secundum scientiam, & interrogatio secundum ignorantiam scientiæ contrariam. De interrogatione dialectica dictum est in extremo capite præcedenti: de reliquis duabus in hoc capite agitur: & primùm de interrogatione scientiali vsque ad partic. 8. postea de interrogationibus secundum ignorantiam.

1 *Si verò idem.* Docet an sit, & quid sit interrogatio scientialis. probatio autem perspicua est. nam interrogatio & propositio idem sunt. cùm igitur sint quædam propositiones scientiales, nempe ex quibus fit syllogismus ille, id est, demonstratio in qualibet scientia, certè hæ sunt interrogationes scientiales, ex quibus fit proprius & essentialis syllogismus, quem vocamus demonstrationem. Intellige interrogationem & propositionem esse idem re, differre ratione, quatenus enim affirmatiuè aut negatiuè sumitur, dicitur propositio, veluti, omnis homo est animal: quatenus autem interrogatiuè proponitur, appellatur interrogatio, veluti, nónne omnis homo est animal? Sic autem demonstrator interrogat docendi causâ, non vt discipulo optionem det affirmandi

mandi vel negandi, sed vt ex eius ore extorqueat veram propositionem, veluti omnem hominem esse animal.

2 *Constat igitur.* Deinceps ex dictis infert quædam corollaria. Primum corollarium est, eam esse interrogationem scientialem, id est, demonstratiuam, putà geometricam, ex qua aliquid demonstratur, vel in eadem scientia, vel in inferiori, vt in optica.

3 *Ac de his.* Sequitur secundum corollarium, quo explicatur, de quibus, & ex quibus habendæ sint disputationes scientiales seu didascalicæ. Nam disputationum varia sunt genera, & in iis quædam sunt didascalicæ, vt docebit Philosophus cap. 2. Elench. Ait ergo geometram (exempli causâ) subire disputationem debere de his, quorum mentio facta est in verbis proximè præcedentibus, id est, de his, quæ probantur in geometria, vel in optica: subire autem hanc disputationem ex principiis, & conclusionibus geometricis. Sensus est contra geometram posse proponi argumenta vel ex primis & indemonstrabilibus geometriæ principiis, vel ex principiis iam demonstratis, quatenus conclusio vnius demonstrationis sumitur pro principio in alia demõstratione. Hoc Aristoteles docet initio huius partic. Deinde cùm ait, *De principijs*, docet de quibus non oportet geometrã disputare: & ait, eum non debere disputare de suis principiis. addit tamen limitationem, quatenus est geometra, vt ostendat de principiis non posse haberi disputationem sciẽtialem seu didascalicam & demonstratiuam. ceterùm de principiis disputari potest vel metaphysicè, vel dialecticè: quandoquidem principia scientiarum, vt suprà notauimus, à metaphysico probantur, & à dialectico. De probatione metaphysica videantur 3. & 4. capita libri 3. Metaphys. De probatione dialecticâ cap. 2. part. 5. & 6. lib. 1. Top. Sic Aristot. lib. 1. Phys. metaphysicè disputat de principiis naturalibus contra Parmenidem & Melissum: & dialecticè disputauit de principiis analyticis suprà cap. 3.

4 *Neque igitur.* Sequitur tertium corollarium: Scientem, putà geometram, non esse interrogandum quacumque interrogatione, nec debere eum respõdere ad quamcumque interrogationem; sed tantùm de iis, quæ scientiæ illius, putà geometriæ finibus continentur; hoc est, respondere tantùm debet de iis, quæ ad scientiam pertinẽt. Exempli gratiâ geometra nõ debet respondere de numeris quatenus geometra est, sed de lineis, & figuris.

5 *Si [quis] verò sic disputet.* Sequitur quartum corollarium, quo explicatur quinam rectè secundum scientiam disputent, vel secus. Dico, secundum scientiam: quia hic loquimur de disputatione demonstratiua, non de topica. Primò Aristot. proponit regulam de iis qui rectè disputant: & inquit eum rectè disputare, qui disputat cũ geometra, quatenus est geometra. Secundò cùm ait, *si ex his*, declarat eam regulam, & docet cũ disputare cum geometra, quatenus est geometrã, qui ex his probat seu disputat. Verbum *ex his*, explicari debet ex præced. partic. id est, ex his, de quibus rectè interrogatur, & de quibus interrogatus debet respondere geometra. Tertiò cùm ait, *sin minus non rectè*, tradit contrariam regulam pertinentem ad eos, qui malè disputant de iis, de quibus diximus rectè geometram interrogari.

6 *Sed & manifestum.* Quintum corollarium est, eum esse verum elẽchum scientialem, qui ex principiis scientiæ redarguit.

7 *Quocirca apud.* Sextum corollarium est, non esse de rebus ad sciẽtiam aliquam, putà geometriam, pertinentibus disputandum apud scientiæ illius ignaros. Intellige, etiamsi illi sint præceptis logicis imbuti. Loquimur enim de disputatione scientiali, quæ fit ex scientiæ illius principiis. vnde scientiæ illius ignarus nõ cognoscet, rectène, an secus instituatur disputatio.

8 *Quia verò.* Hactenus locutus est Philosophus de interrogationibus scientialibus, quas exempli causâ vocat geometricas. nunc agere incipit de interrogationibus nõ geometricis, id est, à scientia alienis: ac de his proponit tres quæstiones. Prima quæstio est, an sint interrogationes quædam nõ geometricæ, id est, alienæ à scientia. Altera quæstio proponitur ibi, *& in quaque*. cùm enim in quacumque scientiâ sint quædã interrogationes secundum ignorãtiam; siquidem in quacumque sciẽtia peccari aliquando potest: quæritur, quænam harum sint geometricæ, vel non geometricæ. i. ad sciẽtiam pertineant, vel non pertineant. Tertia quæstio proponitur ibi, *& vtrum syllogismus*, nempe qui sint syllogismi secundum ignorantiam, id est, quomodo fiant praui syllogismi in scientiis, vtrùm peccẽt in materia, quia propositiones sint falsæ; an in forma, quia non sint seruatæ regulæ syllogismorum. hæc enim est sententia verborum Aristotelis, dum quærit, *vtrùm syllogismus, qui [est] secundum ignorantiam*, id est, prauus syllogismus, qui in aliqua scientia extruitur, *sit ex oppositis*, id est, ex propositionibus

falsis, quę opponuntur veris principiis scientiæ, *an sit paralogismus, secundum geometriam tamen*, id est, non habeat veram formam syllogisticam, constet tamen ex principiis scientiæ, putà geometriæ.

9 *An ex alia arte.* Respondet ad primam & secundam quæstionem, id est, an sint & quænam sint interrogationes à scientia alienæ: respõdet autem per distinctionem ignorantiæ, quę explicabitur posteriùs cap. 16. 17. & 18. alia namque vocatur ignorantia puræ negationis, alia prauæ dispositionis. Verbi gratiâ, rusticus aut infans geometriæ ignorantiam habet secundum puram negationẽ quia geometriam non didicit. qui verò malè sunt edocti, & (exẽpli causâ) putant triangulum non habere duos rectos, aut dari communem mẽsuram dimetienti & lateri: hic dicitur habere ignorantiam prauæ dispositionis. Hac distinctione positá, dicimus esse quasdã interrogationes non geometricas: idque contingere duobus modis, qui respondẽt illis duabus ignorantiæ speciebus. quædam enim sunt non geometricæ prorsus & omnino, quia scilicèt non sunt de re geometrica, veluti hæc interrogatio, an motus sit æternus: nam hęc nullo modo est geometrica: & proportione respondet ignorantiæ puræ negationis. aliæ verò interrogationes sunt quodammodò geometricæ, quodammodò non geometricæ, nempe quæ de rebus geometricis falsò concipiuntur, veluti lineas æquidistantes concurrere: atque hæ proportione respondent ignorantiæ prauæ dispositionis. Hæc est sententia contextus: nunc singula verba sunt explicanda Ait, *An ex alia arte.* Particula *an*, hoc loco, vt & multis aliis apud Aristotelem, est nota responsionis, quæ ad propositam quæstionem redditur: itaque particula *ἢ* hoc loco non est accipienda pro vel, sed pro an: & oportet supplere, seu ex præcedentibus repetere quædam verba: vt perinde sit, ac si Aristoteles diceret, An illæ sunt interrogationes simpliciter & omnino non geometricæ, quæ sumuntur ex alia arte? Artem latè accipit, vt cõplectatur etiam scientiam: quamuis propriè loquendo, ars & scientia differant, vt declaratur lib. 6. Ethic. Deinde ait, *vt interrogatio musica.* Dat exemplum dictæ interrogationis omnino alienæ à scientia: veluti problema musicum propositum in geometria omnino est non geometricum; quia nihil habet commune cum geometria. Deind ait, *putare autem æquidistantes.* Nunc dat exemplum alterius generis, id est, propositionis geometricæ falsæ, Lineæ parallelæ siue æquidistantes concurrunt. hæc enim aliquo modo est geometrica, quia de rebus geometricis, alio modo non geometrica, quatenus est falsa, & contra principia geometrica. Deinde ait, *duplex enim.* Quò meliùs intelligamus vtrumque genus propositionum nõ geometricarum, id declarat exemplo arythmi. Ait ergo *hoc*, id est, non geometricum, esse *duplex*, id est, esse homonymum, & duobus modis accipi, *quemadmodum arrythmum*, id est, quod non est rythmicum. & declarans hanc homonymiam, ait *alterum* esse *non geometricum*, *quia non habet*, id est, quia nihil geometrici in se continet, veluti pronunciatum musicum: hoc enim est non geometricum, *sicut ἄῤῥυθμον* non est rythmicum Hic accipit *ἄῤῥυθμον* angustè pro eo, quod omni rythmo caret: paulò ante latiùs accipiebat, vt complecteretur tam ea quæ non habent rythmum, quàm ea quæ prauum habent rythmum. Hoc igitur ita se habet. *Alterum verò* genus dicitur non geometricum, vel non rythmicum, *quia prauè* seu prauũ rythmũ habet. Deinde ait, *at que hæc ignorantia.* docet hanc ignorantiam, id est, prauæ dispositionis, quę est ex huiusmodi principiis, id est, ex positionibus geometricis falsis, esse contrariam: subaudi, veræ scientiæ geometricę. supple, altera verò ignorãtia, quę est puræ negationis, nõ opponitur scientiæ vt cõtraria, sed vt priuatio.

10 *In mathematicis.* Progreditur ad tertiam quæstionem propositam in partic. 8. Cùm autem ea quæstio esset, quomodo fierent in scientiis praui syllogismi, vtrùm peccantes in forma, an in materia: de vtroque vitio distinctè loquitur, incipiens ab iis vitiis, quæ in forma syllogistica spectantur. Hic autem considerat tria genera paralogismorum. Primum genus est propter homonymiam medij termini; qua fit, vt licèt in syllogismo videantur esse tres termini, tamen revera sint quatuor; siquidem medius terminus aliter accipitur in maiori propositione, aliter in minore. itaque sunt duo extremi, & duo medij termini: veluti, omnis canis latrat, aliquis piscis est canis, ergo aliquis piscis latrat. Cùm enim supponamus propositiones esse veras, & peccatum esse in forma: necesse est, aliter canem accipi in maiore, aliter in minore. Hoc paralogismi genus docet Aristoteles minùs habere locum in sciẽtiis mathematicis, quàm in disputationibus. & vt afferat differentiæ rationẽ, Primò præmunit; medíũ. i. medium terminum, semper. i. in omni syllogismo esse duplicẽ. i. bis poni; nẽpe semel in maiore propositione, & semel in minore. Deinde de-

de declarans quomodo medius terminus fit duplex, seu bis ponatur in syllogismo, inquit hoc ideo fieri, quia aliud, id est, maius extremũ de hoc omni dicitur, id est, medio termino vniuersaliter attribuitur in maiori propositione: & hoc, id est, medium, de alio omni dicitur, id est, minori extremo vniuersaliter attribuitur in minori propositione. Deinde ait, *attributum verò*, soluit tacitã dubitationẽ. quæreret enim aliquis posset, cur Aristoteles modò dixerit dici de omni, non autem omne dici. Respondet: quia nota illa vniuersalis *Omne*, adiungi debet subiecto, non attributo propositionis. Hoc iam fuit expositum in lib. de Interpretat. cap. 7. partic. 3. & 4. & Prior. lib. 1. cap. 27. part. 7. 8 9. Deinde ait, *hac autem*. Post præmunitionem, nunc declarat rationẽ differentiæ inter mathematicas & disputationes. Nam *hac*. i. tres termini syllogistici, quasi intellectu cernuntur: subaudi, in mathematicis. Quid ita? quia mathematicus vtitur descriptionibus illos terminos repræsentantibus. vnde sicut cernimus oculis corporeis circulum (exempli gratiâ) in abaco depictum: ita videmus animo circulum geometricum, siue abstractum, qui per materialem illum circulum repræsentatur: in disputationibus autẽ hæc latent, & sunt magis obscura, quia nullæ adhibentur descriptiones, quæ singulas res oculis nostris repræsentent. Deinde ait, *an omnis*. Quod modò dixit, declarat hoc exemplo: Omnis circulus est figura, aliquod carmen est circulus, ergo aliquod carmen est figura. Hæc enim in disputationibus sunt obscura: sed si describatur circulus, vt fit in mathematicis: manifestũ est, omnẽ circulũ esse figuram, carmẽ autem non esse circulũ.

11 *Non oportet*. Sequitur secundum paralogismi genus: quia propositio seu propositiones sunt particulares. Hic paralogismus videtur maximè reperiri in mathematicis, in quibus videtur demõstrari per propositiones confectas ex singularibus in abaco descriptis. Hunc errorem Aristoteles refellit: quia mathematicus non demõstrat ex iis, quæ describit; sed ex vniuersalibus, quæ per descriptiones illas quodammodò repræsentantur, & declarantur. Vide part. 10. cap. 10. & lib. 1. Prior. cap. 41. Quod attinet ad seriẽ contextus, primò Aristoteles inquit non esse hoc obiiciendum mathematico, quasi vtatur propositione inductiua. i. particulari. Inductiuã vocat, quę cõstat ex terminis singularibus, vel quia inductiones fiũt ex singularibus, vel quia singularia inducũtur. i. educuntur seu proferũtur & depromuntur. nam hoc modo inducere accipiebat etiam cap. 1. partic. 5. & alibi Hæc est sententia primorum verborum contextus. Sed vt magis inhæream verbis, & ea magis declarem, Aristoteles inquit, si mathematicus vtatur propositione inductiua, id est, si loquatur de linea, vel triangulo, vel alia figura à se in abaco descripta: non debes contra id obiectionẽ tuam dirigere, id est, non debes eo nomine mathematicum reprehendere, quasi demonstret ex singularibus. Hoc deinde cõfirmat, cùm ait, *nam quemadmodum*. Quorum verborũ sensus est: Si obiectionem tuam dirigas contra propositionem inductiuam, seu cõtra diagrãma mathematicũ: tãtum abest, vt mathematicum redarguas, vt potiùs ipse pecces. sicut enim propositio debet esse vniuersalis, ita etiã obiectio: quandoquidẽ propositio & obiectio re idẽ sunt, vt dictũ fuit in 1. partic. atqui tua obiectio est particularis: ergo mala. Quòd propositio debeat esse vniuersalis, probat Philosophus illis verbis, *quia non erit*, hoc modo: Propositio particularis non est vera in omnibus: atqui propositio demonstratiua est vera in omnibus: ergo propositio demonstratiua, non est particularis. Quòd autem obiectio debeat esse vniuersalis, primùm ibi, *eadem enim sunt*, probat argumento, quod paulò antè retuli, id est, arguendo à propositione ad obiectionẽ; quia re idem sunt propositio & obiectio. quomodo autem idem sint, consequenter declarat, cùm ait, *quam enim*. Sensus est, eam quæ vocatur obiectio quatenus opponitur propositioni aduersarij, appellari propositionẽ quatenus ex ea extruitur syllogismus. Vnde lib. 2. Priorum, cap. 26. obiectio definita fuit propositio propositioni contraria. Atqui ibi dictũ fuit, obiectionem esse vel vniuersalẽ vel particularem: hîc verò dicitur omnis esse vniuersalis. rectè. nam in propositionibus ita res habet. audiuimus enim in Prioribus alias esse propositiones vniuersales, alias particulares: hic verò dicimus non esse propositionẽ, nisi sit vniuersalis, nempe quia loquimur de propositionibus demonstratiuis, & de obiectionibus demonstratiuis, quarum hoc est proprium, vt sint vniuersales, vt per eas possit oppositum demonstrari.

12 *Accidit autem*. Sequitur tertium paralogismi genus, cùm arguitur ex duabus propositionibus affirmantibus in secunda figura: cuius exemplum est argumentatio Cænei. Quod multiplici proportione augetur, celeriter augetur: atqui ignis celeriter augetur: ergo ignis multiplici proportione augetur: Aristoteles ait hunc non esse syllogismum; quia peccat in

regulas secundæ figuræ. Deinde cùm ait, *sed si celerrimè*, ostendit quomodo sint concipiendæ propositiones, vt rectè concludatur: & inquit ita esse arguendum, nimirum in prima figura. Quod celeriter augetur, multiplici proportione augetur: atqui ignis celeriter augetur: ergo ignis multiplici proportione augetur. Dicitur autem multiplici proportione augeri, quando ipsa ratio augetur: veluti si ex vno fiant duo, quantitas duplatur. si deinde ex duobus fiant quatuor, iterum duplatur. sic ergo augetur numerus, non augetur ratio: quia sicut inter vnum & duo est ratio dupla, ita etiam inter duo & quatuor est ratio dupla. sed si ex duobus fiant quatuor, deinde ex quatuor fiant sedecim: adeo vt sicuti numerus binarius in se ipsum ducebatur, quia bis duo faciunt quatuor, ita etiam quaternarius in se ipsum ducatur: (quatuor enim quater accepta, efficiunt sedecim) tunc non tantùm augetur numerus, sed etiam ratio: quandoquidem inter duo & quatuor est ratio dupla, inter quatuor autem & sedecim quadrupla. Deinde cùm ait, *interdum igitur*, docet non omnes syllogismos ex duabus affirmantibus in secunda figura esse vitiosos. nam si maior propositio ratione materiæ reciprocetur, syllogismus est vtilis: quia per cõuersionem maioris resoluitur in Barbara, licèt hoc quandoque non videatur, id est, licèt videatur paralogismus, quia nõn animaduertimus maiorem reciprocari. Eiusmodi syllogismo vsus est Aristoteles cap. 6. part. 1. & aliis locis.

13 *Quòd si non posset*. Hactenus de paralogismis, quorum vitium in forma consistit: nunc loquitur de prauis syllogismis ratione materiæ, id est, qui constant ex propositionibus falsis. Hos quoque minùs in mathematicis, quàm in disputationibus reperiri ostendit: quia in mathematicis plerumque termini reciprocantur, ita vt non minùs veritas propositionum colligatur ex veritate conclusionis, quàm veritas conclusionis ex veritate propositionum: quod manifestum est legentibus Elementa Euclidis. Secus est in disputationibus, in quibus etiam ex propositionibus falsis colligitur conclusio vera. Differentiæ ratio est: quia ex diuersis locis topicis disseritur, mathematicus verò argumentatur ex definitione, & natura rei subiectæ.

14 *Augentur autem*. Occupat tacitam obiectionem, quæ ex proximè dictis oritur. Nam si mathematici demonstrant per definitiones, non per accidentia: vnde fit, vt sint tam multę demonstrationes mathematicę? nam cuiusque rei vna est definitio, multa accidentia. Respondet Aristoteles demonstrationum numerum in mathematicis augeri, non quia per plura demonstretur eadem conclusio, sed per assumptionem, id est, quia semper adiunguntur & probantur nouæ conclusiones. Hoc autem contingit duobus modis, id est, vel in directum, vel ex transuerso. In hac particula declaratur modus multiplicandarum demonstrationum in directum. veluti si demonstretur α de β, deinde β de γ postea γ de δ, & ita deinceps: verbi gratiâ, si probetur mobile de corpore naturali, & esse in loco de corpore mobili, & finitum de eo quod est in loco: ita sunt plures demonstrationes subordinatæ.

15 *Et in transuersum*. Declarat alterum modum augendarum disciplinarũ ex transuerso, id est, cùm demonstratur eadem affectio de diuersis subiectis: vt in exemplo illo, de quo suprà cap. 5. part. 4. Commutata proportio demonstratur de numeris, de lineis, de solidis, & de temporibus. Aristoteles autem proponit aliud exemplum, vt si per medium *impar*, probetur ternarium esse finitum vel infinitum; & per medium *par*, probetur binarium esse finitum vel infinitum. Sunt enim duæ demonstrationes: quia duæ sunt conclusiones. & quamuis vna sit affectio; tamen duo sunt subiecta, & duo media. Prior demonstratio ita erigitur: Omne impar est finitum vel infinitũ: omnis ternarius est impar: ergo omnis ternarius est finitus vel infinitus. Posterior ita extruitur: Omne par est finitum vel infinitum: omnis binarius est par: ergo omnis binarius est finitus vel infinitus. In verbis contextus notandum est, Aristotelem accipere *noῦν*, id est, quantum, seu tantum, pro finito. Præter verba autem notandum est, etiam alio modo maximè vsitato euenire, vt sint plures demonstrationes in eadem scientiâ, nempe si demonstrentur plures affectiones de eodem subiecto: veluti si de Luna probetur figura sphærica per accretionẽ luminis, & eclipsis per interpositionem terræ, vt audiemus cap. seq. Est adhuc & alius modus augendarum demonstrationum: quia non solùm consideratur subiectum generaliter, sed etiam singulæ eius species vnde & affectiones generales de genere, & speciales de speciebus demonstrantur.

IN CAP. XIII. QVO DECLARANTVR DIFFERENTIAE demonstrationis seu scientiæ quòd sit, & cur sit.

POstquàm exposuit materiam veræ demonstrationis, id est, propositiones, ex quibus demonstratio conficitur: nunc distinguit veram & propriè dictam demonstrationem, de qua hactenus locutus est, à demonstratione minùs propriè dicta; simúl que veram scientiam à scientia impropriè dicta.

1 *Scire autem.* Inter scientiam & scientiam, item inter demonstrationem & demonstrationem duobus modis Aristoteles distinctionem ponit. Primò namque hæc considerat in eadem scientia; postea in diuersis. Obserua scientiç verbum esse homonymũ. Cùm dico in eadem scientia, intelligo scientiam totalem, vt physicam vel geometriam. Cùm dico scientiam à scientia distingui, intelligo scientiã particularem alicuius cõclusionis. Primò igitur considerat distinctionem in eadem scientia: quia τὸ διότι demonstratur, & vera scientia habetur per causam proximam: τὸ ὅτι verò demonstratur & scientia minùs propriè dicta habetur vel per effectum, vel per causam remotam. Ait, *primùm quidem in eadem scientia.* Huic articulo *primùm*, nihil est quod respondeat in hac particula. nã secunda cõsideratio demũ incipiet in partic. 13. Ait, *non ex immediatis*, id est, non per causam proximã, sed per remotã. Ait, *non accipitur prima causa.* Primum, & immediatum, & indemonstrabile, idẽ valent, vt iã notaui cap. 2. partic. 6. Ait, *quæ reciprocantur.* Reciprocati intellige causam proximã & eius effectũ. Ait, *quæ sibi inuicem attribuuntur.* Hæc sunt, quæ supià dixit reciprocari; nempè causa proxima & effectus. Ait, *notius.* Intellige notius secũdum nos, nõ secundũ naturã. Ait, *itaque ex hoc.* Hinc collige, quod & Aristoteles disertè tradit Ethicor. lib. 1. cap. 2. incipiendũ esse à notioribus secundũ nos; nisi ea, quæ sunt notiora secũdum naturam, fiãt nobis quoque notiora.

2 *Veluti quòd planetæ.* Declarat demonstrationem ab effectu, & eam confert cũ vera demonstratione à causa. Cùm autem de monstretur vel per effectum proximum, vel per remotum: incipit ab effectu proximo: & ostendit, ex iisdem terminis, aliter tamẽ atque aliter acceptis, fieri demonstrationẽ ab effectu, & demonstrationẽ à causa. Hoc declarat duobus exẽplis. In primo exẽplo sumuntur hi termini, planetæ, non scintillare, propè esse. Planetæ semper sunt minus extremũ: reliqui duo termini variant. nã si accipias propè esse, pro maiori extremo, & nõ scintillare, pro medio termino: efficies demonstrationem ab eff. ctu. cõtrà si accipias propè esse pro medio termino; non scintillare pro maiori extremo: demonstrabis per causam, nam planetas propè esse, est causa cur non scintillent: non scintillare autem, non est causa cur propè sint. In hac igitur particula extruitur demõstratio ab effectu, hoc modo: Quod non scintillat, propè est: planetæ non scintillant: ergo planetæ propè sunt. Ne dicas esse minorẽ negantẽ in prima figura. nã reuera est affirmãs ex attributo infinito, perinde ac si dicamus, planetç sunt nõ scintillantes, vel, planetæ sunt quod nõ scintillat: medius enim terminus non est scintillare, sed quod non scintillat.

3 *Accidit etiam.* Nunc extruit ex iisdem terminis demõstrationem per causam: Quod propè est, non scintillat: atqui planetç propè sunt: ergo planetç non scintillant. Hic quoque intellige esse demonstrationem & conclusionem affirmantem, licèt pri[illegible] fa cie negans videatur. tunc enim [illegible] ne gat, cùm maius extremum negatur de minori. quod hic nõ contingit. maius enim extremum non est scintillans, sed id quod non scintillat: hoc autem de planetis affirmatur, non negatur.

4 *Rursus vt ostendunt.* Transgreditur ad alterum exemplum: in quo sumuntur hi termini: Luna, augmentum luminis quod paulatim accipitur, & globosum seu sphæricum. Forma sphærica est causa cur Luna ita accipiat luminis incremẽtũ: luminis autẽ incrementũ non est causa cur Luna sit sphærica. In hac particula extruit demonstrationem ab effectu. Quod paulatim recipit luminis incrementum à Sole, est globosum: atqui Luna ita augetur seu recipit paulatim luminis incrementum à Sole: ergo est globosa.

5 *At si è contrario.* In iisdem terminis erigit demonstrationem à causa: Quod est globosum, ita augetur: Luna autem est globosa: ergo Luna ita augetur. In his duobus exemplis expositis potest demonstrari causa per effectum, & effectus per causam: quia cùm sit causa proxima, & effectus proximus; reciprocantur.

6 *In quibus autem.* Nunc loquitur de demonstratione per effectum remotum; & ait in his terminis tantùm demonstrari posse causam per effectum, non etiam effectum per causam. Ratio est: quia positã causã remotã, non necessariò ponitur effe-

ctus; quamuis eâ causâ ablatâ, necessariò tollatur effectus. Exempli gratiâ, ex eo quòd homo est aptus ad ridendum, possum probare hominem esse animal: sed ex eo quòd est animal, non probatur esse aptus ad ridendum. Ait *media*, id est, causæ & effectus. Ait *non reciprocantur*: quia causa, cùm sit remota, latiùs patet, quàm effectus.

7 *Item in quibus.* Hactenus de demonstratione ab effectu proximo, vel remoto, quare vtraque est τὸ ὅτι, non τὸ διότι, deinceps loquitur de demonstratione à causa remota: & hîc quoque demonstrari tantùm τὸ ὅτι, non τὸ διότι: quia non affertur causa, id est, vera & proxima causa. Vera enim causa est, qua positâ, necessariò ponitur effectus: causa verò remota non est talis.

8 *Veluti cur non respirat.* Affert exemplum demonstrationis à causa remota, nẽpe si probetur parietem non respirare, quia non est animal. nam animal est causa remota respirationis: habere autẽ pulmonem, est causa proxima: vnde animalia quæ pulmone carent, non respirant. Ait, *etenim si hæc.* Probat hoc, non esse animal, non esse causam cur non respiretur. eodem modo probari potest de quacumque causa remota. sic enim arguit: Si non esse animal, est causa cur non respiretur: esse animal, est causa cur respiretur: atqui posterius est falsum: ergo & prius. Maiorem probat ex generali axiomate, cùm ait, *vt si negatio*: quia si negatio est causa negationis, etiam affirmatio est causa affirmationis. Et quia huc axioma est obscurum: id exemplo declarat, cùm subiicit, *veluti si intemperies.* Nam si hæc negatio, calida & frigida non sunt bene temperata, est causa huius negationis, id est cur homo nõ bene valeat: etiam affirmatio opposita erit causa affirmationis oppositę, id est, calida & frigida esse bene tẽperata, erit causa cur homo bene valeat. Postea cùm ait, *simul vtérque si affirmatio*, obiter ostendit hoc axioma reciprocari, id est, sicuti arguebamus à negatione ad affirmationem, ita posse argui ab affirmatione ad negationẽ. nam si affirmatio est causa affirmationis, etiam negatio est causa negationis oppositæ. In summa spectantur duæ affirmationes, & duæ negationes. prima negatio est opposita primæ affirmationi: & secunda negatio secundæ affirmationi. His ita positis, dicimus: si affirmatio prima est causa affirmationis secundæ, negationem primam esse causam negationis secundæ. Item si negatio prima est causa negationis secundæ, affirmationem primam esse causam affirmationis secundæ. Deinde ait, *in ijs verò.* Hæc est minor propositio dicti syllogismi hypothetici, id est, animal non esse causam respirationis. Tandem cùm ait, *non enim*, probat eam minorem: quia non omne animal respirat. Probatio hæc in syllogismum ita resoluitur: Si animal esset causa respirationis, omne animal respiraret: atqui non omne animal respirat: ergo animal non est causa respirationis. Maior patet: quia positâ causa ponitur effectus. Minor patet: quia animalia pulmone carentia non respirant.

9 *Fit autem syllogismus.* Ostendit demõstrationem à causa remota fieri in secunda figura, vt in hoc exemplo: Quicquid respirat, est animal: nullus paries est animal: ergo nullus paries respirat.

10 *Assimilantur autem.* Comparat huiuscemodi causas remotas iis quæ dicuntur hyperbolicè. sicut enim in hyperbolicis orationibus plus dicitur, quàm oporteat: veluti, *it clamor cœlo:* nam clamor cœlum versus oritur, sed ad cœlùm non peruenit: ita cùm demonstramus per causam remotam, plus assumimus, quàm oporteat. dicimus enim non respirare, quia non est animal: oportebat autem angustiùs loqui, & dicere, quia non habet pulmonem. habens enim pulmonem, est species animalis: quandoquidem animalia quædam pulmonẽ habẽt, alia pulmone carent. Ait *abscedendo*, id est, discedendo à proprio termino ad terminum magis generalem, veluti à non habente pulmonem ad non animal.

11 *Quale [est.]* Huc refert demonstrationem Anacharsidis Scythæ, qui in Græcia interrogatus an in Scythia essent tibicines, respondit non esse tibicines, quoniam ibi non essent vites. Vsus est causa remota. nam quia ibi non sunt vites, non est vinum: & quia non est vinum, non inebriantur: & quia non inebriantur, non sunt tibicines. Sic Anacharsis subobscurè intemperantiam Græcorum taxare & Scytharum temperantiam commendare voluit. Demonstratio Anacharsidis extruitur in secunda figura, hoc modo: Tibicines sunt, vbi sunt vites: sed apud Scythas non sunt vites: ergo apud Scythas non sunt tibicines.

12 *Ergo in eâdem.* Epilogo concludit tractatum de differentia demonstrationis τὸ ὅτι, καὶ τὸ διότι.

13 *Alio autem modo.* Transgreditur ad differen-

differentiam τοῦ ὅτι καὶ τοῦ διότι, quæ in diuersis scientiis spectatur, quoniam in alia scientia habetur τὸ διότι, id est, causa, in alia τὸ ὅτι, id est, cognitio quòd res sit. Hoc contingit in scientiis subalternis: quia superior continet causam, inferior effectum, vt declarabitur in partic. 15.

14 *Ferè autem.* Docet quasdam scientias subalternas ferè esse synonymas, quoniam habent idem nomẽ & quodammodo eandem definitionem: vt putà mathematica & nautica syderum cognitio communi nomine appellãtur astrologia, & communiter astrologia describi potest cognitio eorum quæ in cælo sunt.

15 *Hic enim.* Cùm dixerit aliam scientiam cognoscere causam, aliam effectum: nunc docet, quænam illæ sint: & ait effectum, seu quòd sit, cognosci in inferiori, quæ magis ad sensum accedit, causam verò in superiori, quæ continet principia. Ait, *ac sæpe ignorant quòd [res] sit.* Mathematici quamuis habeant τὸ διότι tamen sæpe ignorant τὸ ὅτι. Hæc sententia videtur falsa esse, nam demonstratio per causam simul facit nos scire quòd res sit, & cur sit. Respondeo scientiam superiorem ideo cognoscere tantùm τὸ διότι: quia habet causam, sed eam non applicat, id est, per eam non demonstrat conclusionem scientiæ inferioris. itaque habet tantùm maiorem propositionem, in qua continetur causa. Exempli gratiâ, medicus nouit vulnera orbicolaria tardiùs sanari, non per causam, sed per experientiam: itaque nouit quòd sit, non nouit cur sit. causa enim est geometrica, quia figura circularis est omnium maxima. hanc causam nouit geometra: sed hoc axioma considerat generaliter, non accommodat vulneri orbiculari: proinde etiamsi habeat τὸ διότι, tamen non cognoscit τὸ ὅτι. æquè enim potest geometra ignorare vulnera orbicularia tardiùs sanari, vt medicus figuram circularem maximam esse. geometra igitur cognoscit solùm propositionem vniuersalem. & hoc Aristoteles significat sequentibus verbis, *quemadmodum qui vniuersale* &c. Deinde cùm ait, *hæc autem sunt*, magis declarat quænam sint hæ scientiæ, quæ considerant tantùm vniuersale, non particulare, ideòque continent τὸ διότι, non τὸ ὅτι: & inquit esse eas, *quæ, cùm aliud sint secundum essentiam*, id est, cùm essentialiter differant à scientiis inferioribus, *vtuntur formis*, id est, versantur in formis à materia abiunctis: vt geometria in magnitudinibus, & arithmetica in numeris, sicut ipse Aristoteles statim declarat, cùm inquit, [*etenim scientiæ.*] Obserua formas dici omnia abstracta à materia, etiamsi accidentia sint: vt quantitates, in quibus versantur mathematicæ. quamuis enim forma plerumque significet rei essentiam, & plerumque referatur ad categoriam substantiæ: interdum tamen complectitur etiam accidentia: ita vt dicamus alias esse formas substantiales, alias accidentales. Deinde cùm ait, *quamuis enim*, soluit obiectionem quandam contra id quod modò dixit, formas mathematicas esse abiunctas à materia. Opponitur enim, quòd circuli, quadrata, & cetera mathematica non reperiuntur, nisi in aliqua materia. Respondet Aristoteles, ea quidem non existere separata à materia, sed tamen ita considerari à mathematico: non sunt enim in subiecto & materia, quatenus ad mathematicum pertinent. Dices, quid ita? Respondeo: quia mathematicus non considerat harum rerum existentiam, sed essentiam, & proprietates, quæ non pendent à materia subiecta.

16 *Vt autem.* Monet, non tantùm binas subalternas esse posse, sed etiam plures, quamuis hactenus in binis tantùm exempla dederit. ac dat exemplum, in quo sunt tres scientiæ subordinatæ. nam tractatus de iride subiicitur opticæ, & optica geometriæ: quia sicut opticus accipit principia à geometra; ita qui tractat de iride, accipit principia ab optico. Idcirco ait Aristoteles, de iride physicum cognoscere quòd sit: opticum autem, qui in hoc tractatu superior est physico, cognoscere cur sit. Sed quomodo opticus cognoscit cur sit? Ait Aristoteles, *aut simpliciter, aut ratione scientiæ* [*mathematicæ.*] Sensus est, opticum habere causas iridis, vel quatenus est opticus, vel quatenus accipit principia à geometra.

17 *Ex iis quoque.* Declarauit discrimen cognitionis quòd sit, & cognitionis cur sit, in scientiis subalternis: nunc docet idem discrimen reperiri etiam in scientiis non subalternis: vt in exemplo, quod proponere anteuerti: quia medicus nouit vulnera orbicularia tardiùs sanari: geometra autem habet causam, quia figura circularis est maxima. Quærunt interpretes, vter demõstret per causam vulnera orbicularia tardiùs sanari. Quidam dicunt geo-

me rani hoc demonstrare, quia ipse habet causam. Plerique hoc tribuunt medico, vt principia mutuetur à geometra. Sed vtraque sententia falsa videtur. Nam geometra cùm non agat de vulneribus, si hoc demonstraret, conclusio esset heterogenea, contra praecepta ab Aristotele suprà tradita. Quòd si medicus hoc demonstraret, principia essent heterogenea, & ex vna scientia transferretur ad alteram non subalternam, id est, à geometria ad medicinam: quod etiam Aristoteles suprà prohibuit. Huic argumento illi respondent, alias scientias esse simpliciter & omnino subalternas, sicut optica subiicitur geometriæ, & harmonica arithmeticę; alias verò secundum quid, id est, ratione quorundam problematum, seu cuiusdam problematis, vt ratione dicti problematis de vulneribus orbicularibus inquiũt medicinam subiici geometriæ. Hæc respõsio est omnino reiicienda. Primùm enim reddit vniuersam Aristotelis doctrinam inanem, dum prohibet transferri principia de scientia ad scientiã. dicam enim semper transferri posse: quia quantum ad ea problemata, altera scientia alteri subiicitur. nec potest afferri vlla ratio, cur potiùs geometria & medicina sint subalternæ ratione illius problematis de vulneribus orbicularibus, quàm alię duę quæcunque scientię, quę ita se habeant, vt ex principiis ab vna acceptis possint probari conclusiones alterius. itaque fieret, vt semper demonstrationes transferri possent, & propositiones numquàm dicerentur heterogeneæ, quia semper viderentur sumptæ ex scientia superiori, & translatę ad inferiorem: quod Aristoteles antea concessit. Præterea medicus non potest ex natura circuli probare vulnera orbicularia tardiùs sanari: quia sicuti causa illa est generalis, ita etiam accommodari debet subiecto generali, vt Aristoteles docuit cap. 4 particvlt. Quid dicendum? Geometra generaliter nouit figuram orbicularem esse maximam, proinde habere partes maximè distantes, nec facilè coëuntes. hanc generalem doctrinam medicus accommodat vulneri orbiculari: sic tamen, vt demonstrare non sit dicendus. nam & Aristoteles suprà negabat esse veram demonstrationem, si duo recti demonstrarentur de speciebus trianguli.

IN CAP. XIV. DE FIGVRA SYLLOGISMI demonstratiui.

Exposito fine & materiã demonstrationis, (nam finis est scientia τὸ διότι: materia verò sunt propositiones necessariæ, propriæ, & reliquis conditionibus antea expositis prædite) tandem demonstrationis formam declarat, & ostendit eam potissimùm fieri in prima figura. nam quam suprà extruebat in secunda figura cap. prox. part. 9. ea non est vera demonstratio pariens scientiam τὸ διότι, sed demonstratio per causam remotam pariens scientiam τὸ ὅτι.

1 *Ex figuris.* Proponit problema, quod est probaturus, primam figuram esse maximè idoneam ad pariendam scientiam. quod perinde est, ac si diceret in ea fieri demonstrationes: quia demonstrationes scientiam gignunt. Hoc problema deinceps quatuor rationibus confirmabit.

2 *Nam mathematicæ.* Prima problematis confirmatio sumitur ex eo, quòd omnes scientiæ maximè vtuntur prima figura.

3 *Ideóque ob hoc.* Secunda confirmatio est: quia potissimùm per primam figuram cognoscitur cur sit: est igitur maximè scientialis, seu demonstratiua: quia vera scientia est scientia cur sit.

4 *Deinde scientia.* Tertia confirmatio est: quia per solam primam figuram probatur quid sit. valet autem consequentia à definitione explicante quid sit, ad demonstrationem, propter coniunctionem & affinitatem, quæ est inter hæc duo, vt Aristoteles attigit suprà cap. 8 part. 2. & pluribus declarabit libro seq. Antecedens autem, id est, in sola prima figura probari quid sit, perspicuè probatur ab Aristotele, quia omnis definitio vniuersaliter attribuitur definito, & de eo affirmatur: ergo nec probari potest in secunda, nec in tertia figura: quia in secunda tantùm colligitur negatio, in tertia tantùm particulare.

5 *Insuper hæc.* Quarta confirmatio est: quia prima figura non eget secunda, vel tertia: hæ verò egent prima; quoniam per primam densantur, & augentur, donec ad prima & immediata principia perueniatur. Dicuntur secunda & tertia figuræ densari per primam, quatenus debent ad eam referri, & in eam resolui: quia (vt didicimus ex libro 1. Prior.) syllogismi secundæ & tertiæ figuræ sunt imperfecti,

fecti, & per primam perficiuntur. dum autem hoc fit, dicuntur syllogismi densari: quia propositiones conuectuntur, ita vt numerus propositionum augeatur ad probandam eandem conclusionem. In hac densatione.i. in syllogismis ita perficiendis manifestum est reliquas duas figuras primâ egere. Egent etiam primâ in syllogismis augendis. Dicuntur augeri, quando fiunt prosyllogismi ad probandas propositiones syllogismi principalis. tunc enim non solùm adduntur nouæ propositiones, sed etiam conclusio mutatur. & hic quoque duæ posteriores figuræ egent primâ quamuis prima illis non egeat. Ratio est: quia (vt didicimus ex primo libro Priorum) in prima figura probantur omnia problemata, in secunda tantùm negantia, in tertia tantum particul.tia. cùm igitur syllogismus est extructus in prima figura. ambæ eius propositiones, qualescumque sint, probari poterunt in eadem figura cùm autem in omni syllogismo necesse sit esse aliquam propositionem vniuersalem & aliquam affirmantem: fac esse syllogismum in secunda figura, certè non poteris in eadem figura probare propositionem affirmantē. rursus finge esse syllogismum in tertia figura: constat in eadem non posse probari propositionem vniuersalem. Ait, *donec ad immediata ventum fit.* Sicuti propositiones syllogismi principalis, si mediatæ sunt & demonstrabiles, debent demonstrari per prosyllogismos; ita etiam prosyllogismorum propositiones, si sint demonstrabiles, demonstrandæ sunt per alios prosyllogismos: & ita deinceps progrediendum est, donec peruenjamus ad prosyllogismos cōstantes ex propositionibus immediatis & indemonstrabilibus.

6 *Perspicuum igitur.* Ex dictis rationibus concludit primam figuram esse aptissimam ad scientiam gignendam: quod in prima particula probandum proposuit.

DE IGNORANTIA OPPOSITA SCIENTIAE DEMONSTRATIUÆ.

TRACTATVS III.

IN CAP. XV. DE PROPOSITIONIBVS IMMEDIATIS NEGANTIBUS.

POstquàm exposuit essentiam demonstrationis, per quam habetur vera scientia: in sequenti parte, quia (vt dici solet) contraria iuxta se posita magis elucescunt, vult agere de ignorantia scientiæ demonstratiuæ opposita. Et quia hæc ignorantia spectabitur non solùm in affirmationibus, verùm etiam in negationibus, tam immediatis, quàm mediatis: idcirco in hoc capite præmunit esse quasdam negationes immediatas: veluti, Nulla qualitas est substantia, nulla substantia est accidens.

IN CAP. XVI. DE IGNORANTIA SECVNDVM prauam dispositionem in iis quæ medio vacant.

HActenus præmunitio: sequitur tractatus de Ignorantia. quæ cùm duplex sit, altera puræ negati[illegible], altera prauæ dispositionis: de h[illegible] [illegible]ffecit primo loco. Ex hoc quidem capite eam considerat in propositionibus immediatis: sequenti autem capite eandem considerabit in propositionibus mediatis. sed primùm initio huius capitis generalem d[illegible] [illegible] affert. Tria igitur in hoc capite habentur de [illegible] ignorantia, definitio, diuisi[illegible], & membrorum distinctio.

1 *Ignorantia verò.* Definit ignorantiam primæ dispositionis: & ait eam esse deceptionem quæ per logismum efficitur. Logismus videtur Latinè verti posse ratiocinatio. Sed quia Latini ratiocinationis vocabulo solent significare syllogismum; logismus autem latiùs patet, quàm syllogismus: idcirco homonymiæ vitandæ causâ malui retinere Græcum vocabulum. Dicitur enim fieri deceptio per logismum, cùm fit quæcumque intellectus operatione, vt explicabitur in s[illegible] q[illegible] particula.

2 *Hæc autem.* Definitioni adnectit diuisionem accommodatam propositionibus immediatis, de quibus hoc capite sermo est. Ait igitur, *hæc* (subaudi, ignorantia prauæ dispositionis) *in iis, quæ primùm insunt, vel non insunt.* i. in affirmationibus vel negationibus immediatis, *bifariam accidit*, id est, aut simplici logismo, aut syllogismo. Simplici logismo dicitur fieri deceptio: veluti si quis putet Solem esse paruum: aut remum, cuius pars est in aqua, fractum esse: quia sic oculis videtur. Hic enim intellectus fallitur sine vllo syllogismo. Syllogismo autem deceptio fit: veluti si [illegible]nis cum Zenone putet nihil moueri, hac ratione quòd omne spatium contineat partes infinitas, nec liceat infinitum pertransire.

3 *Simplicis igitur.* Distinctionem ponit inter simplicem ignorantiam & syllogisticam: quoniam illa vna est, hæc verò plures in se continet, quia non potest esse falsa conclusio, quin falsa sit etiam vel alterutra, vel vtraque propositio, vt Aristoteles iam docuit lib. 2. Prior. & hic quoque singillatim declarat in sequentibus particulis.

IN CAP. XVII. DE IGNORANTIA SECVNDVM PRAVAM dispositionem in iis, quibus medium aliquod est interiectum.

CVm egerit de syllogistica ignorantia propositionis immediatæ: hic eandem ignorantiā considerat in iis quæ per mediū demonstrari possunt: & ostendit deceptionem hic accidere tribus modis. Primò per verum & proprium medium. Secundò per medium ex alia classe sumptum. Tertiò per non proprium mediū. Medium propriū appellat, per quod, si bene accipiatur, demonstratio fit. Ex alia classe sumptū dicitur, per quod rectè acceptum vera cōclusio probatur quidem, non tamen demonstratur, quia non est syngeneum. Non proprium medium est, per quod vera conclusio probari nequit. Quapropter hoc omnino parit ignorantiam: duo priora ita demum, si malè accipiantur. Exemplū ignorantiæ ex proprio medio: Nihil rationale est aptum ad ridendum: omnis homo est rationalis: ergo nullus homo est aptus ad ridendū. Nam rationale, est proprium medium, id est, vera causa aptitudinis ad ridendum. itaque si bene acciperetur, id est, si maior propositio affirmaret, esset demonstratio. Sed quia maior negatiuè est concepta, proinde est falsa: idcirco fallimur, & conclusio quoque falsa colligitur. Exemplum autem syllogismi apateтici. i. deceptionis per medium ex alia classe, hoc esto: Nihil rectè incedens, est apiū ad ridendum: omnis homo rectè incedit: ergo nullus homo est aptus ad ridendū. Tandem exemplū ex non proprio medio, hoc esto: Nullus lapis est viuens: omnis homo est lapis: ergo nullus homo est viuens.

IN CAP. XVIII. DE IGNORANTIA SECVNDVM negationem.

POstquàm locutus est de ignorantia prauę dispositionis, hic tractat de ignorantia puræ negationis. Cuius ignorantiæ cùm sint multæ causæ voluntariæ & accidentariæ, vt rusticitas, negligentia, desidia, morbus: Aristoteles, his prætermissis, de vna necessaria causa agit, id est, de defectu sensus, qui ab ortu contigit. Omnis enim nostra cognitio sumit originem à sensu, vt Aristoteles in contextu probat ex eo, quòd scientiam acquirimus vel demonstratione, vel inductione: inductio autem fit ex singularibus sensu perceptis: & demonstratio est ex vniuersalibus per inductionem, proinde per sensum notificatis. Coniunge lib. seq. cap. vlt. & lib 2. Prior. cap. 23. par. 1. & lib. 6. Eth. cap. 6. Ait, *aliqua scientia desit*, id est, ea, ad quam peruenitur ex principiis, quæ sine eo sensu cognosci nequeunt. Vt exempli gratiā natus cæcus non poterit habere scientiam colorum: sed alias scientias acquirere poterit. ideo non ait Aristoteles omnem scientiam deesse, sed aliquā. Ait *vniuersalia contemplari*. i. vniuersalium cognitionem acquirere. Ait, *quoniam & ea quæ abstracta dicuntur*, vt mathematica, quæ sunt abstracta à materia. Vtitur hoc argumento: Si quæ sunt vniuersalia quæ non cognoscantur inductione, nec egeant sensu: certè ea sunt vniuersalia abstracta & abiuncta à materia, qualia sunt mathematica: atqui hæc quoque per inductionē notificantur: ergo omnia vniuersalia per inductionem notificantur. Ait, *si quis declarare velit quædam cuique generi inesse*. Genus accipit pro subiecto, vt in toto hoc opere passim. Caue autē putes his verbis significari accidentia, quæ in subiecto insunt, & de subiecto demonstrantur. nam conditiones essentiales intelligit, quę non possunt demonstrari, sed per inductionem notæ fiunt, vt omnes circuli lineas à centro ad circumferentiam ductas esse æquales. Ait, *quamuis non separabilia sint*. Particula *quamuis*, respicit ad illa verba, *ea quæ abstracta dicuntur*. & sensus est, hæc vocari abstracta, quamuis non reipsa separentur à materia, sed tantùm per intellectum. Ait, *quatenus vnumquodque [est] hoc tale*, id est, quatenus singula hęc quę vocantur abstracta, reipsa existunt cum qualitatibus sensibilibus, ita vt digito demonstrari possint. verbi gratiā, triangulū, quatenus est hoc aliquid, quod demōstrari digito potest, & oculis cernitur, non est abstractū, sed in materia, vt ligneū, vel æneū. sed eatenus dicitur abstractū, quatenus in intellectu nostro est, & ab intellectu consideratur nulla habita ratione materiæ. Ait, *singularium*. subaudi, ex quibus fit inductio. Ait, *non potest accipi ipsorum scientia*, id est, ipsorum singularium, quæ non cadunt in demonstrationem.

VARIARVM QVÆSTIONVM SOLVTIO EX QVA DEmonſtrationis & ſcientiæ demonſtratiuæ proprietates manifeſtæ ſiunt.

TRACTATVS IV.

IN CAP. XIX. VTRVM PRINCIPIA DEMONSTRAtionis ſint finita, an infinita.

POſtquàm Ariſtoteles methodicè egit de demonſtratione: nunc ſubiicit & diſſoluit varias quæſtiones ad demonſtrationē & ſcientiam demonſtratiuā pertinentes. Prima quæſtio eſt de numero principiorū demōſtratiuorum, vtrùm ſint finita, an infinita. Si dicantur infinita: id poteſt contingere tribus modis, id eſt, vel ſurſùm verſus, vel deorſum verſus, vel in medio. Surſum verſus principia infinita erunt, ſi dicamus non dari primum attributum; ſed, quodcumque attributum ſumatur, ſemper reperiri aliquod ſuperius attributum, quod de illo dicatur. Deorſum autem verſus principia erunt infinita, ſi dicamus non dari vltimum ſubiectum; ſed, quodcumque ſubiectum ſumatur, id etiam attribui alii inferiori ſubiecto. Denique ratione medii ponentur principia infinita, ſi dicamus eſſe infinita media inter primum attributum & vltimum ſubiectum: vt ſi dicamus eſſe infinita ſubalterna inter genus generaliſſimum & ſpeciem ſpecialiſſimam. Ita fit, vt hæc quæſtio de numero principiorum ſit tripertita: an detur primum attributum, & an detur vltimum ſubiectum, & vtrùm media ſint finita, an infinita. Hę tres quæſtiones ſiue hę tres partes quęſtionis diſſoluentur in tribus ſequentibus capitibus.

IN CAP. XX. QVO PROBATVR MEDIA NON ESSE infinita.

INcipit diſſoluere quæſtiones propoſitas in capite præcedenti: & probat, ſi extrema ſunt finita, id eſt, ſi datur primum attributum, & vltimum ſubiectum, etiam media eſſe finita. Quòd autem extrema ſint finita, probabit duobus ſequentibus capitibus. inde apparet etiam media eſſe finita.

IN CAP. XXI. QVO OSTENDITVR IN NEGATIONIBVS ESSE quoddam ſupremum, & quoddam vltimum, in quibus eſt conſiſtendum.

COniungit reliquas duas quęſtiones: & ſimul probat dari primum attributū, & vltimum ſubiectū. Sed in hoc capite id tantùm probat in negationibus: neque id probat abſolutè, ſed ſub conditione ſi affirmationes finitę ſunt, i. ſi in affirmationibus datur primum attributum & vltimum ſubiectum. Quòd autem in affirmationibus res ita habeat, ſequenti capite probabit.

IN CAP. XXII. QVO OSTENDITVR IN AFFIRMATIONIBVS REperiri ſupremum & infimum in quibus conſiſtitur.

HOc caput probat finitas eſſe affirmationes. vnde colligitur finitas eſſe etiā negationes. nam hęc conſequentia probata eſt etiam capite pręcedenti. Item colligitur finita eſſe media. nam hæc conſequentia probata eſt cap. 20.

IN CAP. XXIII. QVOD CONTINET COROLLARIA quędam.

EX dictis colligit quinque corollaria ad demonſtrationes pertinentia, quę breuiter recenſebo. Primò, Vnum attributum duobus ſubiectis ineſſe poteſt vel mediatè, vel ſine medio, vt putà iſoſceli & ſcaleno immediatè attribuitur triangulū. per triāgulū autē attribuuntur tres anguli ęquales duobus rectis. Secundò, Propoſitio, quæ mediū habet, eſt demonſtrabilis: quę autem medio caret, indemōſtrabilis. Tertiò, Tot ſunt demonſtrationes, quot ſunt medii termini. Quartò, Principia demonſtrationis ſunt propoſitiones immediatę. Quintò, Ad principia prima & immediata progredimur ſumendo mediū terminum propinquum minori extremo. Exēpli causā cùm τὸ α dicatur de δ, & τὸ δ de γ, & τὸ γ de β: propoſitio αβ probatur per γ: deinde propoſitio αγ probatur per δ: propoſitio verò αδ, eſt immediata.

IN CAP. XXIV. QVO OSTENDITVR DEMONſtrationem vniuerſalem præſtare particulari.

HActenus prima quæstio de numero principiorũ: sequitur secunda de collatione demonstrationũ. Comparat vniuersalem cum particulari, & affirmantem cum negante, & categoricam siue ostensiuã cum ea quæ ducit ad impossibile. Itaq; hæc quoque quæstio est tripertita. Prima pars absoluitur hoc capite, quo Philosophus probat vniuersalẽ demonstrationem esse præferendã particulari: quia magis parit scientiam. immo vniuersalis est vera demõstratio & propriè dicta; particularis autem minùs propriè vocatur demonstratio.

IN CAP. XXV. QVO PROBATVR AFFIRMANTEM demonstrationem negante meliorem esse.

HOc caput demonstrat secundã partem quæstionis, & pluribus argumentis præfert demonstrationẽ affirmatiuam negatiuæ. nam affirmatio negationi præstat: quandoquidem negatio probatur per affirmationẽ, non contrà affirmatio per negationẽ. Etenim conclusio affirmatiua colligitur ex duabus propositionibus affirmantibus: negatiua autem ex altera affirmante, & altera negante.

IN CAP. XXVI. QVO OSTENDITVR DEMONSTRAtionem categoricam præstare demonstrationi ducenti ad incommodum.

PErpurgat tertiã partẽ quæstionis, & ostendit demonstrationẽ categoricã negantẽ præstare demonstrationi ducenti ad impossibile. Atqui suprà ostendit affirmantem esse potiorẽ negante. Ergo multo magis affirmans erit potior ducẽte ad impossibile. Sunt igitur tres demonstrationum gradus. Optima est categorica affirmatiua: secundum locum tenet categorica negatiua: infimum, quæ ducit ad impossibile.

IN CAP. XXVII. DE SCIENTIA CERTIORE ET PRIORE, vel minùs certâ & posteriori.

SEcundæ quæstioni, qua demonstrationes inter se comparabantur, adnectit tertiam, comparans scientias inter se: & quærit quænam scientia sit certior, vel minùs certa; & quænam sit prior, vel posterior.

1 *Est autem*. De comparatione scientiarum, quam vult hoc capite explicare, tres regulas tradit. Primâ regulâ constituuntur tres scientiarum gradus. nam exactissima & certissima scientia est, quando simul cognoscimus & quòd sit, & cur sit: secundum locum tenet scientia cur sit, seiuncta à scientia quòd sit: tertium & vltimum locum damus scientiæ quòd sit sine cognitione cur sit. Hinc Auerroës constituit tria demonstrationum genera, id est, demonstrationem potissimam, quæ docet cur sit & quòd sit; demonstrationem propter quid, quæ tantùm docet cur sit; & demonstrationem quia, quæ solùm probat quòd sit. Græci interpretes duas tantùm agnoscunt demonstrationum species, id est, τοῦ διότι καὶ τοῦ ὅτι. quarum illam Latini vocant demonstrationem propter quid; hanc autem, demonstrationem quia. Græcorum sententia videtur mihi esse verior. nõ enim puto demonstrari posse cur sit, quin simul demonstretur quòd sit. Quod autem Aristoteles hîc ponit scientiam cur sit, separatã à scientia quòd sit, debet aliter accipi, id est, eo modo, quem ipse Aristoteles docuit cap. 13. vbi ostendit scientiam tantùm cur sit, haberi in scientia superiori; scientiã verò tantùm quòd sit, haberi in inferiori & propinquiori sensui. vt in illo exemplo, vulnera orbicularia tardiùs sanari, causam tenet geometra, effectum nouit medicus. hoc ideo: quia de vulneribus orbicularibus demonstratio non fit, vt docui ad dictum cap. 13. alioquin demonstratio simul vtramque scientiam pareret; & qui demonstraret, siue esset geometra, siue medicus, simul cognosceret & quòd sit & cur sit. Ad verba Aristotelis duo sunt notanda. Primò Aristotelem hæc duo cõiungere, scientiã exquisitiorem, & priorẽ: propterea quòd scientia prior est certior, & scientia posterior est minùs exquisita: scimus enim posteriora ex prioribus, non contrà. Secundò notandum, cùm sint tres gradus scientiarum, Aristotelẽ breuitatis causâ duos tantùm expressè ponere, primum & secundũ, dum inquit scientiam quòd sit & cur sit, præstare scientię tantùm cur sit. Tertium gradum omittit tamquam manifestũ: satis enim suprà docuit, scientiã cur sit, præferri scientiæ quòd sit.

2 *Et quæ non* [est.] Sequitur secunda regula: Quò magis scientia abstrahit à materia sensibili, eò est exactior & prior. Nam omnis variatio & incertitudo est à materia. Dat exemplũ in arithmetica & musica. nã arithmetica versatur in numero absolutè, quem abstrahit ab omni materia sensibili. musica verò versatur in numero harmonico: habet igitur subiectum magis sensibile: proinde

proinde est posterior, & minùs certa. Hoc est, quod ait, *quæ non [est] de subiecto*, id est, quæ non versatur in subiecto materiali, sed abstrahit à materia: vt geometria vel arithmetica est scientia prior & exquisitior, quàm ea quæ est de subiecto, id est, quæ versatur in subiecto materiali & sensibili; vt optica, musica, physica.

3 *Et quæ[est] ex paucioribus*. Tertia regula secundæ similis est. Scientia, quæ versatur in simplicioribus, est accuratior & prior, quàm ea quæ est ex adiectione. Primò proponit hanc regulam. Deinde cùm ait, *vt arithmetica*. dat exemplum in geometria & arithmetica. nam etsi vtraque æquè abstrahit à materia sensibili, vnde cessat regula secunda: tamen arithmetica est prior geometriâ; quia versatur in simplicioribus, vt mox declarabitur. Dixi hanc regulã esse similem secundæ: quoniam scientia, quæ est prior secundum secundã regulam, eadem est etiam prior secundum tertiam. sed contrà non omni scientiæ, cui accommodatur tertia regula, potest etiã accommodari secunda. etenim scientia, quò magis abstrahit à materia, eò versatur in simplicioribus: vt arithmetica, quàm musica. quæ autem versatur in simplicioribus, non semper magis abstrahit à materia: sed ob aliam causam dicitur versari in simplicioribus, quam Philosophus declarat, cùm tertio loco ait, *Dico autem*. Comparat enim geometrica & arithmetica: & ostendit arithmetica esse simpliciora; geometrica verò esse ex adiectione, quoniam aliquid adiiciunt, & ampliùs habent, quàm arithmetica. Vnitas enim, quæ in arithmetica consideratur, est substantia sine situ: punctum verò est substantia cum situ. Intellige situm: quia linea est in plano: talẽ autem situm numerus non habet. Sic in libro Categoriarum, c. p. de quanto, dicebamus lineam habere positionem partium, part. 11. numerũ verò non habere eam positionem. part. 14. Quod autem Aristot. ait, punctum vel vnitatem esse substantias, debet accipi impropriè, quatenus quantitates in mathematicis funguntur vice substantiarum. nã quantitates sunt subiecta mathematicarum eodem modo, quo substantiæ sunt subiecta in veris philosophiæ partibus, vt in physica, & metaphysica. tot enim sunt philosophiæ partes, quot sunt substantiæ, vt ait Philosophus lib. 5. Metaphys. cap. 2.

IN CAP. XXVIII. DE SCIENTIA VNA VEL PLVRIBVS.

SVccedit quarta quæstio, quæ sit vna scientia, & quæ sint plures scientiæ. Scientiam hîc accipimus, non pro cognitione vnius conclusionis, sed multarum syngnearum: vt cùm dicimus scientiam physicam, vel geometricam, vel musicam. Quærere enim aliquis posset, cur scientia (exempli gratiâ) de cœlo & scientia de anima referantur ad vnam & eandem scientiam physicam: geometria vero & arithmetica non referantur ad vnam & eandem scientiam mathematicam. Hoc igitur Aristoteles in præsentia explanat. Atque hæc declaratio necessaria est: quia vbi sunt partes vnius scientiæ, demonstrationes rectè transferuntur ab vna parte ad aliam: vbi verò sunt diuersæ scientiæ, non licet transferre demonstrationes.

1 *Vna scientia*. Scientiam vnam à pluribus seiungit definitionibus, & signis. Alia namque est definitio vnius scientiæ; alia diuersarum scientiarum. Rursus quibusdam signis vna à pluribus dignoscitur. In hac particula ponitur definitio scientiæ vnius. Ait, *Quæ est vnius generis*. Hæc verba (vt ego interpretor) non sunt pars definitionis: sic enim verborum constructio fieri non posset: sed explicant ipsum definitum. cùm enim verbum *scientia*, sit homonymum; & modò accipiatur pro scientia particulari vnius conclusionis; modò pro scientia tõtali, quæ in se continet multas conclusiones: Aristoteles hîc definit totalem, quæ dicitur esse vnius generis, id est, versari in eodem genere subiecto, vt scientia de cœlo & scientia de animalibus, quãuis habeant specialia subiecta diuersa, nimirum altera cœlum, altera animalia: tamen generale subiectum, id est, corpus mobile, vtrisque commune est. cœlum enim & animal sunt species corporis mobilis. Ait[est] eorum, &c. hæc est definitio vnius scientiæ: qua definitione Aristoteles docet vnã & eãdem scientiã contineri tria. Primò continentur ea quæ constant ex iisdem principiis, id est, quæ pendent ex iisdem principiis: vt in dicto exemplo vna est scientia de cœlo & de animalibus; quia vtraque proficiscitur ex iisdem primis principiis ab Aristotele enarratis in 8. libris Naturalis auscultationis. quamuis ergo subiecta in specie sint diuersa: quia tamen principia habent communia, referuntur ad vnam totalem scientiam. Secundo loco ad eandem scientiam pertinent partes eorundem subiectorum, quæ diximus constare ex iisdem primis princi-

piis. vt puta ad scientiam physicam pertinet agere de materia, & forma: quia sunt partes corporis naturalis: item agere de anima, quę est pars animalis. Tertio loco ad eandem scientiam pertinent affectiones per se, quę scilicèt attribuuntur secundo modo dicendi per se: & demonstrantur vel de generali scientiæ subiecto, vel de eius speciebus. Vna igitur scientia hęc omnia complectitur, principia syngenea, subiectum generale, & eius species, item affectiones. Atque hæ tres partes considerantur etiam in demonstratione: in qua sunt principia, ex quibus demonstratur; & subiectum, de quo demonstratur; & affectio, quæ demonstratur.

2 *Diuersæ scientiæ.* Definit scientias diuersas. Hæc definitio perspicua est ex iis, quæ notata sunt ad præcedentem definitionem. nam contrariorum contraria est ratio. Si igitur nec sint eadem principia duabus scientiis communia, nec vna sumat principia ex altera: iam dicentur scientiæ diuersæ. Exempli gratiâ, scientia meteorologica, & scientia de generatione sumunt principia à scientia elementorum, & scientia elementorum sumit principia ex libris Naturalis auscultationis. hę igitur omnes referuntur ad vnam scientiam physicam. & scientia quidem meteorologica, ac scientia de generatione oriuntur ex iisdem principiis communibus de elementis, & Naturalis auscultationis. scientia verò de elementis & scientia Naturalis auscultationis ita se habent, vt vna sumat principia ex altera, id est, elementorum scientia à Naturali auscultatione, non ambę sumant principia à tertia aliqua scientia. Quòd si neutro modo principia communicentur: iam dicentur scientię diuersæ, vt geometria, & arithmetica.

3 *Huius [rei] signum.* Subiicit duo signa, quibus vna scientia discernitur à pluribus. Primum signum vnius scientiæ est, quando prima & indemonstrabilia principia vtrique parti syngenea sunt: vt natura est principium syngeneum omnibus corporibus naturalibus, putà cœlo, animalibus, & plantis: ergo horum omnium vna est scientia.

4 *Signum quoque.* Alterum signum sumitur à conclusionibus. omnes enim conclusiones syngeneæ, id est, quæ continentur in eodem genere, referuntur ad vnam scientiam: vt conclusiones de animalibus, & conclusiones de plantis: vtraque enim sunt corpora naturalia, & mobilia.

IN CAP. XXIX. DE PLVRIBVS DEMONstrationibus eiusdem rei.

SVccedit quinta quęstio, an sint plures demonstrationes eiusdem rei. Docet Aristoteles plures demonstrationes esse posse: quia possunt esse plura media. Latius igitur sumit nomen demonstrationis. nam si propriè loqui velimus, vna est demonstratio potissima vnius conclusionis, vt docebit Philosophus libro sequenti, cap. 16. & 17.

IN CAP. XXX. DE REBVS FORtuitis.

HOc capite dissoluitur sexta quæstio, an rerum fortuitarum sit scientia per demonstrationem. Non esse harum rerum scientiam demonstratiuam, Aristoteles ita probat: Quod demonstratur, vel est necessarium vel plerumque euenit: atqui res fortuitæ nec sunt necessariæ, nec plerumque eueniunt: ergo res fortuitæ non demonstrantur. Demonstratio est rerum necessariarum vt in mathematicis: earum quæ plerumque eueniunt, vt in Ethicis: sicut Aristoteles notat libro 1. Ethicorum. Quod attinet ad seriem contextus, Primò ponit problema. Secundò ibi, *fortuitum enim*, minorem propositionem. Tertiò ibi, *demonstratio verò*, maiorem propositionem. Quartò ibi, *omnis enim syllogismus*, probat eam maiorem, sumpta probatione à genere, id est, à syllogismo. omnis enim syllogismi conclusio vel est necessaria, vel plerumque vera: ergo etiam demonstrationis conclusio ita se habet: quia demonstratio est species syllogismi. Quòd autem omnis syllogismi conclusio talis sit, probat Aristoteles à propositionibus. aut enim propositiones sunt necessariæ, & efficiunt conclusionem necessariam: aut sunt plerumque veræ, & efficiunt conclusionem plerumque veram. In summa quales sunt propositiones syllogismorum, tales sunt etiam eorum conclusiones, proinde etiam conclusiones demonstrationum. Quanquàm hæ demonstrationes, quæ non sunt semper, sed plerumque veræ, minùs propriæ dicuntur demonstrationes. Demõstratio namque maximè propriè di-

cta est rerum æternarum, vt probatum fuit cap.8. Quintò, Cùm ait, *quocirca si fortuitũ*, repetit minorem propositionem, & infert conclusionem.

IN CAP. XXXI. QVO OSTENDITVR PER SENSVM NON haberi scientiam demonstratiuam.

Transgreditur ad septimam quæstionẽ, an scientia demonstratiua per sensum comparetur. Quidam (de quibus lib. 3. de anima, cap.3.) existimarunt idem esse sensum & intellectum, adeo vt secundum eorum sententiam si videremus triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, non esset opus vlla demonstratione. Hanc sententiam Philosophus refutat: & ostendit aliam esse cognitionem sensitiuam, aliam demonstratiuam: & sensitiuam non sufficere, quia non explicat rei causam.

1 *Nec per sensum.* Probaturus scientiam demonstratiuam non acquiri per sensum, initiò præmunit discrimen quoddam inter sensum, id est, facultatem sentiendi, & sentire, id est, ipsum actum sentiendi. Discrimen in eo consistit: quòd sensus est rei vniuersalis: actu autem sentimus res singulares. Exempli gratiâ, obiectum aspectus est color simpliciter, non hic, vel ille color: nos tamen non videmus colorem simpliciter, sed hunc, vel illum colorem. Ait *sciamus*. Accipit propriè verbum Sciendi, vt significet scientiam per demonstrationem. Ait, [*rei*] *talis*, id est, rei vniuersalis. Ait, *non huius alicuius*, id est, non rei singularis. Ait, *hoc aliquid, & alicubi, & nunc*, id est, singulare, quod his tribus circumstantiis circumscribitur, vt sit hoc aliquid quod digito monstrari possit, vt sit hoc loco, & hoc tempore.

2 *Quoniam igitur.* Posita præmunitione, iam extruit syllogismum: Scientia demonstratiua est cognitio rei vniuersalis: atqui per sensum non habetur cognitio rei vniuersalis: ergo per sensum non habetur cognitio demõstratiua. Maior patet ex iis quæ dicta fuerunt suprà, vbi ostendimus pronunciata demonstratiua esse de omni, per se, & vniuersalia. Minor patet ex præmunitione posita in prima particula.

3 *Immo planum.* Nunc ostendit non sufficere cognitionem sensitiuam, sed vlteriùs requiri scientiam demonstratiuam. hoc autẽ probat eodẽ argumento, quo distinxit cognitionem sensitiuam à demonstratiua: quia scilicèt sensitiua est particularium; demonstratiua, vniuersaliũ. hinc apparet non sufficere sensitiuam: quia per eã non cognoscimus vniuersale: opus igitur est demonstratione, per quam vniuersale cognoscamus. Declarat hoc Aristoteles duobus exemplis: quorum primum, quod est in hac particula, est mathematicum, alterum in sequenti particula erit physicum. Vtrumque autem est exemplum fictum sententiæ Heracliti accommodatum. Nam si videremus triangulum habere duos rectos: non quæreremus (inquiebat Heraclitus) demonstrationem: quia sufficeret illa cognitio per sensum. Immo quæreremus adhuc demonstrationem, inquit Aristoteles: quia per sensum haberemus cognitionem particularem, id est, de illis triangulis, quos videremus, quæreremus autem cognitionem vniuersalem de omni triangulo; atque adeo etiam de triangulis, quos numquam vidissemus: nec visuri essemus. Sic habemus exemplum mathematicum, & rationem ex eo sumptã, quòd non sufficit cognitio particularis, sed requiritur vniuersalis.

4 *Idcirco si supra.* Subiicit exemplum physicũ coniunctum cũ noua ratione, quæ tamen superiori est simillima. Finge nos supra Lunã positos videre terrã Soli & Lunæ interiectam: secundum Heraclitum nõ esset quærenda demonstratio eclipseos. Contradicit Aristoteles: quia videremus effectũ, non videremus causam vniuersalẽ. videremus enim Lunam nunc deficere, & terram nunc interponi: sed ignoraremus interpositionem terræ generaliter esse causam omnis eclipsis. quod enim ad sensum attinet: possemus credere ita contigisse vt terrã oppositã fieret eclipsis, quemadmodũ dicebatur cap.4. part.6. contingere vt aliquo deambulante fulserit, cùm deambulatio non sit causa fulguris.

5 *Veruntamen ex eo.* Ostendit scientiã sensitiuam conferre ad inquirendam scientiã demonstratiuam: quia ex particularibus sensu cognitis colligitur vniuersale, quod pertinet ad demõstrationẽ. Coniunge cap. 2 part.4. lib. seq.

6 *Vniuersale autem.* Ostendit cognitionẽ vniuersalis demonstratiuã, quæ est in intellectu, præstare cognitioni particulariũ, quæ habetur per sensum: quoniam illa declarat rei causam, per hanc verò non cognoscimus causam.

7 *Perspicuum igitur.* Hactenus docuit cognitionẽ sensitiuã differre à demonstratiua, nec sufficere sine cognitione demõstratiua,

ad eam tamen conferre, & ei postponi vt indigniorem præstantiori: in sequenti parte capitis vult occupare, & soluere duas tacitas obiectiones. Primùm in hac parte. concedit rem sensibilem, esse demonstrabilem, & scientiam haberi per sensum, si quis accipiat sensum pro intellectu, vt interdum auctores faciunt, veluti cùm Vlpianus & Iustinianus aiunt bruta carere sensu. Sed hic accipimus propriè sensum pro facultate distincta ab intellectu: in qua significatione dicimus, scientiam nõ haberi per sensum.

8 *Sunt verò nonnulla.* Soluit aliam obiectionem, qua videtur ostendi sufficere cognitionem sensitiuam absque cognitione demonstratiua. Quædam enim problemata in quæstionem veniunt, propterea quòd sensu deficimur: ergo si sensu id perciperemus, cessaret omnis quæstio. Declarat hoc Aristoteles exemplo ficto. Quidam enim, vt Epicurei, censent lumen esse corpus ex minutissimis atomis constans: item putant in omnibus corporibus esse vacuum siue inane. Vnde secundum eorum sententiam ideo lumen transit per vitrum; quia sunt in vitro parua quædam foramina, propter suam exiguitatem fugientia nostros oculos, per quæ transeunt minutissimæ illæ partes luminis. Hæc sententiâ positâ quasi verâ, inquit Aristoteles: Si possemus oculis cernere vitri foramina, & videremus partes luminis transeuntes per illa foramina, non quæreremus ampliùs cur lumen per vitrum transiret, quia res esset satis manifesta. Possumus hoc declarare aliò exemplo: Si quis aliquid proiiciat de fenestra, nemo quæreret, cur illud corpus permeet, & egrediatur per fenestram apertam; quia per sensum hoc liquet. sumus igitur contenti cognitione sensitiua. Respondet Aristoteles: Etiamsi videremus lumen transiens per foramina vitri, tamen illi cognitioni sensitiuæ non acquiesceremus, sed ex multis particularibus per sensum cognitis, id est, quia sæpius & semper videremus partes luminis transeuntes per illa foramina, intellectus noster colligeret vniuersale, & statueret vniuersaliter hanc esse causam cur lumen per vitrum transeat. quod autem dictum fuit, nos non esse quæsituros causam & cognitionem vniuersalem: eatenus est verum, quatenus non esset opus magna inquisitione. vt enim suprà diximus, cognitio sensitiua confert ad acquirendam demonstratiuam: & in quæstione proposita adeo conferret, vt facillimè cognitionem sensitiuam statim sequeretur intellectiua.

IN CAP. XXXII. DE PRINCIPIORVM diuersitate.

HOc capite dissoluitur octaua quæstio, an eadem sint omnium scientiarum & demonstrationum principia, omniumque syllogismorum. Ostendit Aristoteles non esse eadem, neque omnium syllogismorum, quoniam alia sunt vera, alia falsa: nec omnium demonstrationum & scientiarum, quia singulæ scientiæ habent propria & syngenea principia, quæ non possunt demonstrationibus aliarum scientiarum accommodari.

IN CAP. XXXIII. DE DISTINCTIONE SCIENtiæ & opinionis.

SEquitur nona quæstio, an, & quid intersit inter scientiam & opinionem. Aristoteles duplicem distinctionem inter hæc ponit: quarum prior sumitur ab obiecto, in quo versantur, posterior à subiecto, in quo sunt, id est, ostendit nec eiusdem rei eodem modo acceptæ esse scientiam & opinionem, nec esse in eodem homine.

1 *Id verò.* Primam distinctionem ab obiecto sumptam probat tribus rationibus. Prima est eiusmodi: Scientia est rerum necessariarum, quæ non possunt aliter se habere: Opinio verò est rerum, quæ possunt aliter se habere: ergo opinio non est scientia. Maior fuit satis probata in superioribus capitibus, præsertim cap. 4. part. 7. & cap. 6. Minor ab Aristotele probatur syllogismo disiuncto, hunc in modum: Earum rerum quæ aliter & aliter se habere possunt, aut est scientia propriè dicta, aut intelligentia, aut scientia indemonstrabilis, aut opinio: atqui nec est scientia propriè dicta, nec intelligentia, nec scientia indemonstrabilis: relinquitur ergo, vt sit opinio. Scientiam propriè dictam intellige, quæ acquiritur per demonstrationem. Intelligentia verò dicitur cognitio communium axiomatum, veluti omne totum esse maius sua parte. Scientia indemonstrabilis dicitur cognitio propositionum immediatarum, id est, principiorum propriorum, veluti quid sit scientiæ subiectū.

Quod

Quod attinet ad seriem contextus, Primò, Aristoteles proponit cõclusionem seu problema. Secundò cùm ait, *quia scientia*, docet sciẽtiam esse rerum necessariarum, quæ non possunt aliter se habere: atque ita ponit maiorem propositionẽ syllogismi principalis. Tertiò cùm ait, *quadam autem sunt*, transit ad probandam minorem eiusdem syllogismi principalis per prosyllogismum disiunctum, quem antea retuli, & huius prosyllogismi ponit ac probat minorem. Quartò cùm ait, *atqui vera*, adiungit maiorem eiusdem prosyllogismi. Quintò cùm ait, *quamobrem restat*, infert eius prosyllogismi conclusionem, quæ est minor propositio syllogismi principalis. Sextò cùm ait, *hoc autem*, adiungit expositionem quãdam eius minoris. Minor erat, opinionem esse eorum quæ possunt aliter atq; aliter se habere. Expositio autem est, quòd talis opinio est non solùm conclusionum, sed etiam propositionum immediatarum, quæ non sunt necessariæ, sed possunt aliter se habere. Sicut enim in propositionibus necessariis non datur progressus in infinitum, sed reperiũtur quędam primæ, quæ sunt immediatæ & indemonstrabiles, vt probatum fuit cap.21. ita etiam sẽtiendum est de propositionibus non necessariis, quę in opinionem cadunt, nempe si probentur per alias priores, atque illæ rursus per alias, hunc progressum non posse extendi in infinitum, sed esse quasdam propositiones primas opinabiles.

2 *Atque hoc.* Secunda ratio distinguẽs opinionem à scientia, sumitur ab iis quæ vocãtur *φαινόμενα*, id est, quæ apparent, & ab omnibus conceduntur, omnes enim fatentur opinionem esse rem inconstantem & incertam; ergo eam distinguunt à scientia quæ est constans & certa.

3 *Præterea nemo.* Sequitur tertia ratio ab omnium hominum opinione: quia nemo putat se idem simul scire & opinari: nemo igitur accipit pro eodem sciẽtiam & opinionem.

4 *Quomodo igitur.* Contra distinctionem scientiæ & opinionis iam expositã, & confirmatam, nunc obiicit tale argumentum: Scientia & opinio neque obiecto differunt, neque modo quo versantur circa obiectum: ergo idem sunt. Non differunt obiecto: quia eædem res sub scientiam & sub opinionem cadunt. sæpe enim contingit, vt aliquid opinemur, & postea eius scientiam nobis comparemus. item eãdem rem alius potest opinari sine demonstratione, alius scire per demonstrationem. non differunt igitur obiecto scientia & opinio. Rursus non differunt modo versandi circa obiectum. Hoc probatur ab Aristotele duobus argumentis. Prius est: quia sicuti sciens progreditur per syllogismos, donec perueniat ad propositiones immediatas, in quibus acquiescit: ita etiam facit is qui opinatur: peruenit enim ad primas propositiones opinabiles, quales reperiri dictum fuit in calce 1. particulæ. Vt hoc argumentum apertiùs intelligas, sume eandem demonstrationem, & eosdem prosyllogismos, quibus propositiones illius demonstrationis probantur: & finge duos esse, quorum vnus sciat omnes illas propositiones esse necessariò veras, alter tantùm opinetur: nihilominùs tamen in progressu syllogistico vtentur eadem methodo. Exempli gratiã tu scis hominem esse aptum ad ridendum, quia scis hominem esse rationalem: & ego opinor hominem esse aptum ad ridendum, quia opinor hominem esse rationalem. In progressu igitur syllogistico nulla est differentia. Posterius argumentum est: quia sicuti duplex est scientia, cur sit, & quòd sit: ita similiter duplex est opinio, cur sit, & quòd sit. Quod attinet ad seriem contextus, Primò Aristoteles proponit, problema siue conclusionem, id est, scientiam & opinionem non differre. Secundò cùm ait, *si quis posuerit*, ponit illud argumentum, quòd non differunt obiecto. Tertiò cùm ait, *persequetur enim*, transit ad alterum argumentum, quòd non differunt modo versandi circa obiectum: idque ostendit in progressu syllogistico, quo peruenitur ad propositiones immediatas. Quartò cùm ait, *vt enim*, adiungit posterius argumentum, quo tollitur discrimen in modo versandi circa obiectum.

5 *An sicut.* Obiectionem propositam in præced. partic. soluit duobus modis. Primò negat eundem esse modum sciendi & opinandi: quia sciens existimat rem esse necessariam, nec posse aliter se habere: qui verò aliquid opinatur; is putat id aliter se habere posse.

6 *Eiusdem autem.* Adiungit secundam solutionem, & negat esse omnino eiusdem rei scientiam & opinionem. nam etsi subiectum est idem, tamen attributa sunt diuersa. Verbi gratiã hæc est scientia, quòd homo est essentialiter & necessariò animal: opinio verò de eodem homine est, quòd ei accidat vt sit animal. Primò igitur Aristoteles hoc proponit, & declarat exemplo opinionis veræ & falsæ. sicut enim opinio vera & falsa sunt aliquo modo eiusdem rei: ita etiam scientia & opinio sunt aliquo modo eiusdem rei, non omnino eiusdem

rei. Secundò cùm ait, [*Si quis*] *enim*, vult diligentiùs explicare, quomodo res habeat in opinione vera & falsa : & reprehendit eorum sententiam, qui dicebant idep esse eiusdem rei veram & falsam opinionem, quia verum & falsum tantùm in opinione consistunt. dicebant enim rem talem esse, qualis cuique videtur. Hanc sententiam Aristoteles refellit per deductionem ad impossibile: quia hoc modo sequerentur multa absurda, inter quæ hoc est, eum, qui falsò opinatur, non opinari. Consequentia manifesta est: quia secũdum illos omnis opinio est vera, siquidem res talis est, qualis cuique videtur. Plura de hac sententia vide lib. 2. Metaphys. cap. 5. Tertiò cùm ait, *Quia verò*, declarat quomodo eiusdem rei sit opinio vera & falsa, & quomodo non sit eiusdem rei. sunt enim de eodem subiecto, sed diuersis modis accepto. Vt putà de eadem dimetiente opinio vera est, quòd non habet communem mensuram: & opinio falsa, quòd habet cõmunem mensuram. Sic de eodem homine vera est opinio, quòd sit bipes: falsa opinio, quòd nõ sit bipes. Quartò cùm ait, *Similiter autem*, ostendit similiter rem habere in quæstione proposita, id est, in scientia & opinione. nã de eodem homine scientia est, quòd sit necessariò animal: opinio verò, quòd contingat esse animal.

7 *Ex his autem.* Ex dictis colligit secundam opinionis & scientiæ differẽtiam, nempe vtramque simul esse non posse in eodem subiecto, id est, in eodem homine. nam hactenus declarauit primam differentiam sumptam ab obiecto: quod in scientia sumitur vt necessarium; in opinione verò, vt contingens. Quòd autem idem non possit eandem rem scire & opinari, probat per deductionem ad impossibile: quia quatenus sciret, existimaret rem non posse aliter se habere: quatenus autem opinaretur, existimaret rem posse aliter se habere: atque ita duo contradicentia, seu duorum contradicentium existimationes simul essent: quod est impossibile.

8 *Reliqua.* Sicut distinxit Philosophus hos duos habitus, scientiam & opinionem: ita desiderare quispiam posset distinctionem aliorum habituum, nempe intelligentiæ, artis, sapientiæ, &c. Monet igitur Aristoteles horum expositionem & distinctionem aliunde petendam esse. Ait, *dianœan*, id est, cognitionem quæ per ratiocinationem & demonstrationem acquiritur. hanc cap. 1. partic. 1. vocabat doctrinam & disciplinam dianoëticam. Ait *intelligentiam.* Intelligentia est cognitio communium axiomatum, veluti quòd omne totum sit maius sua parte. Ait *scientiam.* Scientia propriè dicitur cognitio conclusionis per demonstrationem acquisita, quæ non habet alium finem, quàm ipsam contemplationem; vt scientia physica. Ait *artem.* Ars est cognitio, cuius finis est effectio, id est, quæ efficit aliquod opus post effectionem permanens; vt ars ædificandi. Ait *prudentiam.* Prudentia est cognitio, cuius finis est actio. Actio autem ab effectione differt: quoniam actio nõ relinquit post se aliquod opus, quod sit finis illius actionis: quemadmodum effectio relinquit opus, quod est finis ipsius effectionis. Verbi gratiâ, ædificatio est effectio: quia postquàm ædificari desiit, ædificium manet: fortiter autem agere, non est efficere; quia ipsa actio est vltimus finis, nec post se relinquit aliud opus. Ait *sapientiam.* Sapientia est cognitio contemplatiua, id est, cuius finis est contemplatio, non actio vel effectio: cognitio, inquam, contemplatiua, constans cognitione principiorum & conclusionis. Nam sapientia in se continet tam intelligentiam, quàm scientiam. Ait, *partim ad naturalem.* Horum habituum distincta cognitio partim petenda est ex libris physicis, id est, ex libris de anima, cuius sunt hi habitus; partim ex Ethicis, id est, ex lib. 6. Ethicorum Nicomachiorum.

IN CAP. XXXIV. DE SAGACITATE.

Vltima quæstio superest, quid sit εὐστοχία, id est, solertia, siue sagacitas, siue acumen, quo medium terminum demonstrationis coniectamus. Est enim naturalis quædam animi nostri facultas, vel eius facultatis actus & operatio, quam Aristoteles declarat definitione, & exemplis.

1 *Sagacitas autem.* Definit sagacitatem, quatenus est actus & operatio procedens à naturali animi nostri facultate: idcirco ait eam esse coniectationem medij termini, id est, causæ. Hinc autem facile est colligere definitionem sagacitatis pro naturali facultate acceptæ. sic enim definietur, naturalis facultas medij seu causæ rectè coniectandi breuissimo tempore. Duæ conditiones requiruntur, vt quis dicatur sagax siue acuto ingenio. vna est, vt rectè coniectet, id est, inueniat verum medium. altera, vt coniectet breuissimo tempore.

2 *Veluti*

2 *Veluti si quis.* Definitioni subiungit tria exempla perspicua. Ait, *omnes enim.* Sensus est, virum sagacem & acutum, statim ac intellexit extrema, id est, conclusionem quæ ex duobus extremis constat, statim (inquam) inuenire causam, quæ pro medio termino accipitur ad probandam conclusionem. Ideo autem inquit omnes causas: quoniam is qui acuto ingenio præditus est, non in vno vel altero tantùm problemate facilè inueniet medium terminum, sed in omnibus.

3 [*Esto*] *Solem.* Ostendit, quomodo inuento eo medio termino, & extremis adiecto, extruatur demonstratio. Hoc autem declarat in primo ex tribus exemplis suprà adductis: sed idem modus obtinet in ceteris omnibus. Resoluit ergo in figuram syllogisticam: & ponit maius extremum, veluti splendere Solem versus, vbi α, id est primo seu summo loco: medium terminum, id est, illustrari à Sole, vbi β, id est, medio loco: & minus extremum, nempe Lunam, vbi γ, id est, infimo loco. Syllogismus igitur demonstratiuus ita extruitur: Quicquid à Sole illustratur, Solem versus splendet: atqui Luna à Sole illustratur: ergo Luna Solem versus splendet.

IVLII PACII A BERIGA
IN ANALYTICORVM POSTERIORVM LIBRVM II. COMMENTARIVS
Analyticus.

QVAE superiori libro Philosophus attigit variis locis, sed ne methodum turbaret & obscuram redderet, non satis ibi exposuit: ea nunc resumit explicanda prolixiùs & diligentiùs; adeo vt hic liber nihil aliud sit, quàm supplementum quoddam libri superioris, & proportione quadam respondeat ei Categoriarum parti, quæ vulgò inscribitur Postprædicamenta. Continet autem sex tractatus, quorum singulorum occasionem indicabo suis locis.

DE QVÆSTIONIBVS Tractatus I.

IN CAP. I. DE NVMERO ET ORDINE QVÆSTIONVM.

CVm superiori libro diuersis locis mentionem fecerit quatuor quæstionum, An sit, Quid sit, Quòd sit, & Cur sit, vt cap. 1. part. 2. & cap. 2. part. 14. & cap. 6. part. 9. & cap. 10. 13. & 14. vult in præsentia harum vim & ordinem declarare.

1 *Quæ quæruntur.* Tractat de numero eorum quæ quæruntur. Ac primò docet eundem esse numerum eorum quæ quæruntur, & eorum quæ sciuntur. cuius dicti ratio est: quia ideo quærimus, vt sciamus: & frustra quæreremus, nisi scientiā acquirere possemus. Quare dū explicabimus numerum eorum quæ quæruntur, simul intelligetur numerus eorum quæ sciuntur. Secundò cùm ait, *quærimus autem*, quatuor genera quæstionum recenset, an sit, quid sit, &c. Omittit quæstionem quid verbum significet, vel quia minoris momenti est, cùm scientiæ sint potiùs de rebus, quàm de vocabulis, vel quia continetur aliquo modo sub quæstione quid sit. Nam & lib. 1. cap. 1. partic. 4. de ea loquens dixit, τί ἐστι τὸ λεγόμενον, *quid est id quod dicitur.*

2 *Quædam verò.* Exemplis declarat duas quæstiones, id est, quòd sit, & cur sit, & earum ordinem. Ac primò loquitur de quæstione quòd sit: quoniam hæc priùs sciri debet: & ait hanc quæstionem esse, quando quærimus, *vtrùm* aliquid *sit hoc, an hoc.* Hæc verba indicāt attributum: & est subaudiendum subiectum. vt cùm quærimus, vtrùm

Æthiops sit albus, an niger: illud, albus an niger, vocatur in contextu *hoc an hoc.* voluit enim Philosophus vti verbis generalibus complectentibus quæcumque attributa. Ait, *plura complectentes.* Ne intelligas plura attributa; quia dixit *hoc an hoc*; sed plures terminos, id est, subiectum & attributum. Sensus enim est, hanc quæstionem esse compositam, quia constat ex duobus separatis terminis: siquidem attributum differt à subiecto: vt in subiecto exemplo, vtrùm Sol deficiat, an non. aliud enim est Sol: aliud est defectus luminis, seu eclipsis. Alia ratio erit quæstionis quid sit: veluti quid sit homo. ibi namque vnus est terminus, homo. Dices, cur Aristoteles primo loco declarat quæstiones compositas, deinde simplices? Respondeo: quia compositæ sunt nobis notiores ex superiore libro, in quo docuit aliam esse demonstrationem quòd sit, aliam cur sit: nam illæ duæ quæstiones sunt compositæ, quòd sit, & cur sit: nunc autem adiungimus duas simplices, an sit, & quid sit. Secundò cùm ait, *Huius autem* [*rei.*] Quod proximè dixit, per signum probat. cùm enim scimus Solem deficere: non quærimus, an deficiat. hoc igitur est signum, quòd quando quærimus an deficiat, quærimus quòd sit, id est, quòd deficiat. semper enim id quærimus: quo inuento quiescimus: & si haberemus, non quæreremus. Tertiò cùm ait, *cùm autem cognoscimus*, transgreditur ad quæstionem cur sit, retento eodem exemplo defectus Solis, adiecto etiam altero exemplo terræ motus. ac docet hanc quæstionem cur sit, sequi illam quæstionem quòd sit. cùm enim scimus rem esse talem, putà Solem deficere, vel terram moueri; deinde quærimus cur sit talis, veluti quam ob causam Sol deficiat, vel terra moueatur. Quartò cùm ait, *Hæc quidem ita*, breui epilogo finem imponit expositioni duarum quæstionum compositarum. Ait, *ita*, id est, plura complectentes, seu quærentes attributum de subiecto, ita vt sint duo termini distincti.

3 *Quædam verò.* Transgreditur ad duas quæstiones simplices, quas declarat eodem prorsus modo quo declarauit compositas. Ait igitur quædam quæri alio modo, id est, simpliciter, ita vt sit vnus terminus. Ait, *veluti an sit.* Affert duo exempla: vnum rei quæ non est, nempe centauri: alterum rei quæ est, nimirum Dei: vt ostendat hanc quæstionem an sit, habere locum & in iis rebus quæ sunt, & in iis quæ non sunt: quamuis quæstio quid sit, non habeat locum nisi in iis quæ sunt: quando quidem non quærimus quid sit, nisi priùs sciamus quòd sit, id est, rem esse. Secundò cùm ait, *Dico autem*, declarat quomodo accipiat hanc quæstionem An sit: & inquit se eam accipere simpliciter, non adiuncto aliquo attributo. Simpliciter enim quæris, cùm quæris an homo sit. adiicis autem attributum, cùm quæris an homo sit albus. illa igitur est simplex quæstio an sit: hæc verò est composita quæstio, an sit. Sed homonymiæ vitandæ causâ Aristoteles illam appellat an sit: hanc verò vocat quòd sit, vt suprà audiuimus. Tertiò cùm ait, *cùm autem nouimus*, transit ad quæstionem quid sit, quæ sequitur quæstionem an sit, sicut quæstio cur sit sequebatur quæstionem quòd sit. Exempli causâ cùm inuenimus Deum esse, quærimus quid sit Deus: & cùm inuenimus hominem esse, quærimus quid sit homo. Retinuit Aristoteles exemplum Dei: non retinuit exemplum cẽtauri: quia cùm cẽtaurus non sit, nõ potest quæri aut sciri quid sit, sed tantùm quid nomen significet, vt magis explicabitur cap. 8.

4 *Quæ igitur.* Epilogo cõcludit hoc caput.

IN CAP. II. QVO OSTENDITVR OMNEM QVAESTIONEM ad medium pertinere.

CVm docuerit esse quatuor quæstiones, nunc docet omnes quærere medium, quamuis diuersis modis illud quærant.

1 *Cùm autem quærimus.* Quatuor rationibus ostendit omnes esse quæstiones medij. Prima, quæ est in hac particula, est inductio. Cùm enim quærimus an sit, vel quòd sit; tunc quærimus an sit medium: cùm autem quærimus quid sit, vel cur sit; tunc quærimus quodnam sit medium. Exempli gratiâ, quæstio an sit eclipsis, vel an Luna deficiat, quærit an sit aliquod medium id est, causa, propter quam sit eclipsis, seu propter quam Luna deficiat. Similiter cùm quæritur quid sit eclipsis, vel cur Luna deficiat; tunc quæritur, quæ sit causa eclipseos, vel quæ sit causa cur Luna deficiat. Ait, *aut an sit simpliciter.* Illud, *simpliciter*, iam exposui superiori capite. Est autem adiungendũ tantùm proximo *an sit*, non præcedenti verbo *quòd* [*sit.*] Ait, *siue in parte.* Hæc verba paulò pòst declarat, cùm ait, *Sic autem intelligo*: ac docet se quæstionẽ in parte vocare eã, quam suprà vocauimus compositã. ideóque eam opponit quæstioni simplici. cùm enim quæris (exẽpli gratiâ) an Luna deficiat: hæc quæstio vocatur in parte: quia est de vna Lunæ affectione, nempe de luminis defectu, cùm

sint;

sint & plures aliæ quæstiones de eadem Luna. Cùm autem quæris an sit Luna, vel quid sit Luna: tunc simpliciter quæris de tota Luna. Deinde ait, *In omnibus igitur.* Concludit semper quæri an sit medium, vel quod sit medium. Quæritur an sit medium, per quæstionem an sit, & per quæstionem quid sit: quæritur autem quod sit medium, per quæstionem quid sit, & per quæstionem cur sit.

2 *Nam causa.* Sequitur secunda ratio: Omnis causa est mediũ, omnis quæstio est causę, ergo omnis quæstio est medij. Huius syllogismi primò ponit maiorem. Deinde cùm ait, *in omnibus*, adnectit minorem. ideo cùm ait, *hæc:* supple, causa. Tertiò cùm ait, *veluti deficitne?* exemplis declarat & confirmat minorem propositionem. Dum igitur ait, *deficitne*, sensus est, dum quærimus an Luna deficiat, nos quærere an sit aliqua causa cur deficiat: quia nullus effectus esse potest sine causa. Quartò cùm ait, *Nam causa*, explanat & confirmat maiorem propositionem eiusdem syllogismi. Ait, *non hoc vel illud.* Hæc verba expone, vt superiori cap. initio part. tertiæ exposui. Sensus sequentium verborum est, causam cur substantia sit, vel causam cur accidens sit, nihil aliud esse, quàm medium, quo probatur substantiam esse, vel quo probatur accidens esse. Quintò cùm ait, *Dico autem*, declarat verba, quibus proximè vsus fuerat. cùm enim dixit esse simpliciter, intellexit subiectum, id est, substantiam, quæ est subiectum accidentium, vt Lunam, terram, &c. cùm autem dixit esse aliquid: (*τινὶ ἢ κατὰ* repete, ex iis quæ insunt per se, aut per accidens) tunc intellexit accidentia propria, quæ dicuntur in esse per se; & accidentia communia, quæ dicuntur inesse per accidens; prout per se & per accidens accipiebantur superioris libri cap. 4. In summa igitur quærimus causam vel substantiæ, vel proprietatis siue affectionis propriæ, vel eius quod communiter accidit.

3 *In iis enim omnibus.* Sequitur tertia ratio: Idem quæritur quæstione cur sit, & aliis quæstionibus: atqui ea quæstio cur sit, perspicuè quærit causam: ergo & reliquæ omnes quærunt causam. alias quæstiones idem quærere quod quæstio cur sit, declarat quibusdam exemplis. veluti si quæras quid sit eclipsis, inuenies esse priuationem luminis in Luna ob terræ interpositionem, hoc igitur est, quod quærebas. quòd si quæras cur sit eclipsis, vel cur Luna deficiat, inuenies eandem causam, id est, priuationem &c. nempe inuenies; ideo esse eclipsin, vel ideo Lunam deficere (quia lumine priuatur ob terræ interpositionem. Sunt & alia exempla in contextu eodem modo explicanda.

4 *Quod autem medij.* Sequitur quarta ratio sumpta ab iis, quorum medium, id est causa, sub sensum cadere suâ naturâ potest, quamuis per accidens fiat vt sentiri ne queat. nam si sensu perciperemus medium, nihil quæreremus. causa igitur quærendi est ignorantia medij: & ideo quærimus, vt cognoscamus medium. Nunc hæc ita dicimus, quasi cognitio sensitiua sufficeret, nam per sensum cognoscimus particularia: quibus cognitis, quærimus vniuersale. Sed in iis rebus quarum medium sensibile est, facillimè & confestim intellectus colligit vniuersale ex particularibus, vt aliâ diligentiori inquisitione non sit opus. Exempli gratiâ si supra Lunam essemus, sensu perciperemus, id est, videremus terrã oppositam efficere eclipsin: & facilè per intellectum cognosceremus vniuersaliter esse eclipsin quotiescumque terra Soli & Lunę interponitur. Vide superioris libri cap. 31. & quę ibi notata fuerunt.

5 *Quemadmodum igitur.* Epilogo concludit hoc caput, & concludit omnem quæstionem esse quæstionem medij.

DE QVIDDITATE, AC DEFINITIONE.

Tractatus II.

IN CAP. III. IV. V. VI. & VII. QVIBVS AFFERVNTVR DVBITATIONES de quidditate ac definitione.

Definitionis, ac quidditatis quæ definitione explicatur, superiori libro sæpius mentionem fecit, vt cap. 4. vbi exposuit modos dicendi per se, & cap. 2. part. 14. & cap. 10. vbi docuit definitionem esse speciem principij demonstratiui, & cap. 8 parte. 2. vbi dixit omnẽ definitionem aut esse principium, aut conclusionem demonstrationis, aut terminorum tãtùm positione differre à demonstratione, & aliis quoque locis. quapropter facturum se operæ pretium Philosophus putauit, si copiosè hoc loco exponeret ea quæ pertinẽt ad definitionem, & quæstionem quid est. ac suo more priùs proponit varias dubitationes, quàm veritatem enucleet. nam tertium, quartum, quintum, & 6. capita, merã disputationẽ continẽt in

hunc tantùm finem, vt res difficilis & obscura reddatur. Hoc tertio capite varias rationes proponit, quibus probari videtur nō posse idem demonstrari & definiri, nec eundem esse modum sciendi per demonstrationē & per definitionem. Sequentibus capitibus nititur probare nullam esse viam inuestigādæ quidditatis ignotę. & capite 4. probat eam non posse inueniri & probari syllogismo. Capite 5. ostendit eam non posse inueniri methodo diuisiuâ, qua Platonici solebant inuestigare rerū definitiones. Capite 6. ostendit eam non posse probari per definitionē ipsius quidditatis, nec per definitionē eius quod rei definitæ est contrariū. vtputà nō possum probare quid sit albū, nec ex definitione quidditatis, nec ex definitione nigri. Cap. 7. generaliter ostēdit nullo modo quidditatem probari posse. Atque hæc omnia proponuntur tantùm dubitandi & disputandi causâ. Singula autem argumenta Aristoteles non dissoluet: sed in cap. 8. 9. & 10. veritatem ita explicabit, vt ei cedant omnes dubitationes, quemadmodum lumini tenebræ: ideóque tantùm obiter quasdam dubitationes dissoluet. Porrò in his tribus capitibus tria Philosophus docebit. Octauum enim caput & 9. sunt de quidditate: decimū verò de definitione, quæ explicat quidditatem. Et capite quidem octauo declarabit modum probādi quid sit, vt teneamus viam quærendæ quidditatis ignotæ: capite autē 9. aget de ipsa quidditate, quæ eo modo probatur.

IN CAP. VIII. QVOMODO PROBETVR QVID sit.

1 Rursus autem. Proponit ea quæ de quidditate ac definitione expositurus est. Ait, *quid horum*, supple, quæ dubitandi ac disputandi causâ in quinque præcedentibus capitibus dicta fuerunt.

2 *Quoniam igitur.* In hac particula ostendit quidditatem quandam probari per aliam quidditatem, seu partem quidditatis per aliam partē. Vt autem hoc doceat, quædam præmunit. Prima præmunitio est, idē esse scire quid sit, & scire causam qua satisfit quæstioni an sit. Et huius dicti rationem affert: quia est aliqua causa. subaudi, propter quam res est. Sensus est: Quicquid est in rerum natura, per causam aliquā est, quæ facit illud esse: & illa causa ponitur in ipsius quidditate. nam rei quidditas est causa cur res illa sit, vtputà ratio seu rationalitas est causa cur homo sit, & est quidditas ipsius hominis. idem ergo est, scire quid sit homo, & scire causam propter quam homo est. Secūda præmunitio ponitur ibi, *atque hæc vel eadem*. Hæc causa propter quam res est, (inquit Aristoteles) vel est eadem, vel alia, id est, vel non differt à re ipsa, vel est diuersa ab ipsa re. Intelligas non differre in substantiis. nam causa propter quam substantia est, non differt ab ipsa substantia: quandoquidem substantia per se est. Intellige autem causam esse diuersam in accidētibus: quoniam accidentia non sunt per se, sed per substantiam. itaque causa cur accidentia sint, diuersa est ab ipsis accidētibus: vt natura hominis, quæ est substantia, est causa aptitudinis ad ridendum, quæ est accidens. Interdum etiam accidēs est causa accidentis: vt interpositio terrę est causa defectus luminis in Luna. Huius igitur secundæ pręmunitionis sententia est, quidditatem esse vel substantiæ, vel accidentis. Tertia præmunitio ponitur ibi, *& si sit alia.* Hic causa, propter quam res est, causa (inquam) diuersa ab ipsa re (id est, quidditas accidentis) subdiuiditur: quia vel est demonstrabilis, vel indemonstrabilis. Hucusque primum membrum huius particulæ. Secundò cùm ait, *ergo si [causa*,]incipit docere quomodo quidditas probetur. considerans igitur quidditatem illam, quæ à re differt (id est, quidditatem accidentis) & est demonstrabilis, inquit causam esse medium terminum, per quē quidditas probatur in prima figura, id est, in Barbara: quoniam quidditas vniuersaliter affirmatur de eo, cuius est quidditas: talis autem affirmatio non potest probari, nisi in Barbara. Tertiò cùm ait, *vnus igitur*, declarat, hoc solo modo probari posse quidditatem, ita vt pro medio termino sumatur quidditas, & ex eo colligatur alia quidditas: quia necesse est talem esse conclusionem, qualia sunt principia. Vnde sicut propria concluduntur ex propriis, ita quidditates ex quidditatibus. Hoc ita est intelligendum: quia pars quidditatis perfectæ probatur per aliam quidditatis partem, vt defectus luminis in Luna probatur per interpositionem terræ. Tandem cùm ait, *quare ex duabus*, concludit, ex duabus quidditatibus eiusdem rei, putà eclipseos, alteram demonstrari, nēpe defectum luminis in Luna; alteram non demonstrari, sed esse principium demonstratio-

strationis, nempe interpositionem terræ.

3 *Hunc igitur.* Docet hanc probationem quidditatis per quidditatem nõ esse demõstrationẽ, sed logicum syllogismũ ipsius quidditatis. Hæc verba sunt rectè intelligẽda. non enim negat Aristoteles esse demonstrationem, sed negat esse demonstrationem quidditatis; non quia non demonstret quidditatem, sed quia non demonstrat esse quidditatem. Res obscura erit, nisi planius explanetur. Vtamur ergo exemplo eclipsis. Hæc est vera demonstratio, qua probatur defectus luminis in Luna per interpositionẽ terræ. dũ igitur concludimus defectũ luminis in Luna, cõcludim⁹ quidditatẽ eclipseos; propterea quòd hæc est quidditas eclipseos: nõ tamẽ demõstramus eam esse quidditatẽ eclipseos, sed simpliciter demõstramus Lunam deficere. Quòd igitur hæc sit quidditas eclipseos, non ponitur in conclusione demonstrationis: sed post factam demonstrationem debemus definitionem colligere ex ea demonstratione: ita vt coniungentes medium terminum, id est, interpositionem terræ, cum conclusione, id est, cum defectu luminis in Luna, perficiamus definitionem eclipsis.

4 *Quo autem modo.* Quia minùs breuiter & concisè exposuit modum probandæ quidditatis: idcirco more suo (quem morem notaui ad cap. 4. lib. præced.) vult ab initio hanc rem explicare diligentiùs. Hanc nouã expositionem promittit hac particula: cuius verba si expendas, facilè intelliges Aristotelem nolle explicare nouum modum, sed apertiùs declarare modum iam traditum.

5 *Vt enim quærimus.* Expositurus diligentiùs modum probandę quidditatis, primùm quædam præmunit. Præmunitio prima est, non posse cognosci quid sit, quin cognoscatur quòd sit. Hoc Aristoteles declarat exemplo duarum reliquarum quæstionum: quia similiter nõ possumus cognoscere cur sit, sine cognitione quòd sit. Notandum est, Aristotelem in hac particula (cuius locutionem nos quoque nuncfecuti sumus) vti homonymus verbo quòd sit quãdo enim confert quæstionem quòd sit, cum quæstione quid sit; tũc intelligit quæstionem quòd sit simpliciter, quam suprà & in extremis quoque verbis huius particulæ vocat quæstionem an sit. quando autem confert quæstionem quòd sit, cum quæstione cur sit, tunc intelligit quæstionem quòd sit compositam, quam etiam suprà vocauit quòd sit.

6 *An autem sit.* Sequitur secunda præmunitio, aliàs per accidens cognosci an sit: veluti cùm scimus esse grammaticos, per accidens scimus esse homines, quia grammatica accidit homini: aliàs cognosci per se, id est, per aliquid essentiale: cuius cognitionis dat Aristoteles in contextu quædam exempla, quamuis cognitionis per accidens nullum det exemplum. Ait, *aliquid ipsius rei*, id est, aliquid pertinens ad rei essentiam.

7 *Quæcumque igitur.* Sequitur tertia præmunitio, ad cognoscendum quòd sit, cõferre cognitionem an sit: dummodò hęc cognitio an sit, habeatur per se, non per accidens; quoniam accidentia nihil habẽt commune cum quidditate; quæ verò sunt per se & essentialia, pertinent ad quidditatem: vt autem dictum fuit in 2. partic. quidditas per quidditatem probatur, non per accidens.

8 *Quorum igitur.* Absolutis præmunitionibus, subiicit expositionem, quam promisit partic. 4. & primò duobus exemplis ostendit, quærere an res, id est, an accidens sit, nihil aliud esse, quàm quærere an sit aliqua ratio, propter quam hoc accidens sit. Primum exemplum est naturale. quærere enim an eclipsis sit, nihil aliud est, quam quęrere an sit ratio aliqua, propter quam sit eclipsis. & illa ratio nihil aliud est, quàm medius terminus, per quem probatur eclipsis de Luna, vt putà interpositio terræ. Vt hoc perspicuè doceat, constituit figuram, & ponit tres terminos α β γ, id est, maius extremum, mediũ terminum, & minus extremum: & pro



maiori extremo accipit eclipsin, vbi α: pro medio termino interpositionem terrę, vbi β: pro minori extremo Lunam, vbi γ. Deinde ait, *quærere an deficiat*, id est, quærere an sit illud maius extremum, nempe eclipsis, nihil aliud esse, quàm quærere an sit τὸ β, id est, an sit aliquod medium. Hoc autem, id est, quærere mediũ, perinde valet, ac si quæratur, quæ sit ratio seu definitio ipsius eclipseos, & si sit hoc (supple, β) id est, si inueniamus esse aliquod medium, vt oppositionem terrę, dicimus esse etiam illud, (supple, maius extremum,) id est, eclipsin. Hoc igitur est primum exemplum rei naturalis, nẽpe eclipseos. Deinde cùm ait Aristoteles *vel vt alterum,*] subiicit alterum exemplum, quod est mathematicum, eodem modo explicandum. cùm enim quęrimus an sint duo

recti in triangulo, quærimus an sit aliqua ratio seu causa, propter quam sint duo recti in triangulo. Ad hæc exempla notare duo oportet. Primò hæc esse exempla accidentium: quia de accidentium tantùm quidditatibus loquimur, vt suprà notaui; propterea quòd hę solæ demonstrantur, definitio autẽ seu quidditas substantiæ est principium demonstrationis. Secundò notandum, perinde esse, siue quæramus an sit eclipsis, siue quæramus an Luna deficiat: quoniã (vt vulgò dici solet) accidentis esse est inesse, id est, accidens pendet à substantia, in qua inest, & sine qua esse non potest. Proinde illa distinctio inter quæstionem simplicem an sit, & quæstionem compositam quòd sit, potissimùm spectatur in substantiis. nam in accidentibus aliquo modo concurrunt, vt nunc exposui.

9 *Cùm autem inuenimus.* Docet duobus modis satisfieri quæstioni an sit. Primus modus est, cùm esse probatur per causam, vt defectus luminis probatur esse in Luna, per interpositionem terre: túncque simul cognoscimus quòd sit & cur sit: quoniã habemus causam. Ait, *cùm inuenimus*: ex proximo repete, causam propter quam res est. Ait, *per media*, id est, per veras causas. nam medium & causa idẽ sunt, vt dictũ fuit capite 2. par. 1.

10 *Sin minùs.* Secundus modus est satisfaciendi quæstioni an sit, cùm rẽ esse probatur per nõ causã, vt putà eclipsis probatur esse per priuationem vmbræ in plenilunio: túcque cognoscimus tantùm quòd sit, non etiam cur sit.

11 *Cùm autem manifestum.* Ostendit, cum secundo modo inuenimus rẽ esse, nos vlteriùs quærere cur ea res sit, id est, quodnã sit mediũ, seu causa propter quam res est. Ait, *τὸ α τῷ γ inesse*, id est, affectionẽ esse in subiecto. Nam α est maius extremũ, id est, affectio, quæ demõstratur: γ est minùs extremũ, id est, subiectũ, de quo demõstratur. Ait, *an cõuersio Lunæ*, i. an ideo sit eclipsis, quia pars Lunę est lucida, pars obscura: vnde lumẽ nobis deficit, cùm Luna partẽ suã obscurã erga nos vertit. Ait, *hæc autẽ*, id est, hæc causa eclipseos, quæcũq; tandẽ illa sit. Ait, *quid est tonitruum?* Exemplo eclipseos subiicit alterũ exemplũ tonitrui, in quo similiter apparet, quãdo cognouim' tonitru esse, nos vlteriùs quærere cur sit, i. quodnã sit mediũ seu causa ipsius tonitrui, vt putà an causa sit extinctio ignis in nube. Sic igitur fit, vt quæramus quidditatẽ, quæ sit causa alterius quidditatis, & eam demõstret. vt cùm scimus esse defectum luminis in Luna, quærimus huius causam, id est, alteram quidditatem, nempe oppositionem terræ.

12 *Quòd si rursus.* Ostendit, quod dictum est de duabus quidditatibus, posse transferri etiam ad plures. Sicut enim prima quidditas probatur per secundã, ita fieri potest vt secunda probetur per tertiã. Quod si fiat: sciendum est, illã esse perfectã definitionẽ, quæ illas omnes quidditates complectitur. Exempli gratiã cur est defectus luminis in Luna? quia terra interponitur inter Solem & Lunam. Cur autem terra interponitur? quia Sol est in capite draconis, Luna in cauda, vel contrà. Perfecta igitur definitio eclipsis est defectus luminis in Luna propter terræ interpositionẽ, cùm Sol & Luna sunt, alter in capite, alter in cauda draconis.

13 *Dictum igitur.* Concludit, non sine syllogismo & demõstratione fieri notã quidditatem accidentis, id est, cognosci quid sit affectio aliqua, licèt hæc quidditas non demonstretur, nec syllogismo concludatur. nã concluditur cur sit, vt putà cur Luna deficiat: deinde per conuersionem demonstrationis in definitionem intelligitur quid sit. Atque hæc est definitio accidẽtis perfecta, quæ tot minorum tantum positione differt à demõstratione. veluti, cur deficit lumen in Luna? quia terra opponitur. quid est eclipsis? defectus luminis in Luna ob terræ oppositionẽ. hæc est definitio: illa erat demõstratio.

IN CAP. IX. QVO DECLARANTVR QVAENAM QVIDditates probentur, aut non probentur.

POstquàm docuit quomodo quidditas probetur: nunc docet, quænã quidditates ita probentur, aut non probentur. Hoc quidem suprà attigit, sed obiter & breuiter; nunc verò diligentiùs explanat.

1 *Iam verò quorundam.* Præmunit, quasdam habere causam diuersam, alia verò habere causam non diuersam, id est, quasdam quidditates habere aliam causam, quasdam verò non habere: vnde illæ possunt demonstrari, hæ verò non possunt, vt postea declarabitur.

2 *Quare patet.* Docet esse quasdã quidditates indemõstrabiles, quæ sunt principia prima & immediata, vt quid sit subiectum scientiæ, veluti quid sit vnitas in arithmetica.

3 [*Eas*] *verò.* Ostendit eas quidditates, quarum est aliquod medium seu causa, posse per demonstrationem, non quidẽ concludi, sed declarari, quatenus scilicèt eliciũ tur

tur ex conuersione demonstrationis in definitionem, vt suprà exposui.

IN CAP. X. QVO EXPLICATVR QVID SIT DEFINITIO, & quotuplex.

CVm duobus proximis capitibus egerit de quidditate; hoc capite tractat de definitione, quæ est oratio declarans quid res sit.

1 *Quia verò definitio.* Expositurus est quatuor genera definitionum: sed in primis declarat quid sit definitio. Itaque in hac particula duo habemus. Primò definitionem ipsius definitionis. Secundò ibi, *profectò quædam*, primum genus definitionis. Definitio sic definitur, Oratio explicãs quid sit. Illud, *quid sit*, debet latè accipi, vt complectatur non solùm quid sit τὸ πρᾶγμα, ipsa res; sed etiam quid sit τὸ λεγόμενον, id quod dicitur, (nam hoc modo loquebatur Aristoteles superioris libri cap. 1 part. 4.) id est, vt non solùm complectatur definitionem realem & essentialem, quæ declarat rei naturam; sed etiam nominalem, quæ à Græcis appellatur ὀνοματώδης, & potiùs explicat vim vocabuli, quàm naturam rei. Atque hoc est primũ definitionis genus, quod Aristoteles in hac particula declarat. & primùm affert eius definitionem, cùm ait definitionem nominalem esse eam, quæ declarat quid nomẽ significet. Ait autem hanc esse alteram definitionem nominalem, id est, diuersam à realibus siue essentialibus, de quibus in sequentibus particulis dicetur. Deinde cùm ait, *veluti quid significat*, hanc definitionem nominalem declarat exemplo: Quid est triangulum? quod constat tribus angulis. Deinde cùm ait, *quod cùm scimus*; ostendit, habitâ definitione nominali, postea cognoscendum esse an res sit, veluti an sit triangulum: quo cognito, tunc quæremus cur sit triangulum, seu quid sit triangulum. suprà namque docui idem esse quęrere quid sit, & cur sit. Deinde cùm ait, *difficile autem*, ostendit non esse quærendum cur sit, antequàm sciamus an sit. Nec enim sufficit habere definitionem nominalem, sed oportet primùm scire rem ipsam esse; deinde quærere cur ea res sit. Ratio est: quia imponuntur nomina etiã iis rebus, quæ non sunt. Exempli gratiâ hippocentaurus est animal genitum ex semine equi & tauri: hæc est definitio nominis: qua habita, non est quærendum cur hippocentaurus sit, sed an sit, quidã enim censent hippocentaurum esse, alij verò negant. Ait *sic accipere*, id est, intelligere cur sit. Ait, *fuit antè exposita*, cap. 8 partic. 7.

2 *Oratio verò.* Docet orationem duobus modis vnam dici, id est, vel coniunctione, vel significatione. Coniunctione dicitur vna oratio, vt Ilias Homeri. significatione verò, vt definitio: quia significat vnũ de vno, non per accidens, sed essentialiter. Huius rei diligentior expositio pertinet ad metaphysicum, vt etiam dictum fuit in lib. de interpretatione, cap. 5. partic. 3. Breuiter tamen sciendum est, partes definitionis ideo vnum quid constituere, quia ex potentia & actu maximè vnum fit, in definitione autẽ aliæ partes habent rationem potentiæ, aliæ actus; id est, aliæ, materiæ; aliæ, formæ. vt in hac definitione, homo est animal rationale, animal subit rationem materiæ, seu potentiæ; rationale verò habet rationẽ formæ, & actus. proinde ex rationali & animali verè vnum fit, tamquàm ex materia & forma, seu potentia & actu. Hoc significabat etiam Porphyrius, cùm dicebat genus habere rationem materię, differentiam autem subire vicem formæ.

3 *Vna igitur.* Postquàm exposuit prius genus definitionis, & docuit quomodo vna definitio sit vna oratio; nunc persequitur alia genera definitionum. & primo definitionis generi addit secundum, id est, definitionem, quæ declarat cur res sit. Hæc vocatur definitio αἰτιώδης, & est definitio accidentis perfecta: veluti, eclipsis est defectus luminis in Luna ob terræ interpositionem. item tonitrus est sonus in nube ex eo ortus, quod ignis extinguitur. Ait, *alia verò definitio*, Ne intelligas aliam definitionem eiusdem definitionis. nam suprà definiuit definitionem nominalem: nunc verò definit definitionem causalem, quæ est realis & essentialis.

4 *Quocirca prior.* Distinctionem ponit inter primum & secundum definiendi modum, id est, inter definitionem nominalem & causalem: quoniam illa tãtùm significat, hæc verò demonstrat. Exempli gratiâ cùm eclipsim definis defectum luminis in Luna ob terræ interpositionem, ostendis Lunam deficere, quia terra interponitur: ac demonstras defectum luminis de Luna, per interpositionem terræ. Vnde oritur quæstio quid intersit inter hanc definitionem, & demonstrationem. Respondet Aristoteles, ma-

teriam esse eãdem, formam verò diuersam. Dico materiam esse eandem: quia sunt idẽ tres termini, tam in definitione, quàm in demonstratione. Dico formam esse diuersam, quia tres illi termini aliter collocantur in demõstratione, aliter in definitione. ideo dicimus hanc definitionem à demonstratione differre terminorum positione & situ. Quare concludit Aristoteles eandem orationem (intellige eandem ratione materiæ, quia iidem sunt termini) alio atque alio modo prolatam, esse demonstrationem continuam, vel definitionem. Cur vocat demonstrationem continuam? hoc verbo indicat proprietatem demonstrationis, qua seiungitur à definitione. Continuum enim definitur, (vt in Categoriis audiuimus, cap. de quantitate) cuius partes communi termino conn ctuntur. talis autem est demonstratio, quia partes eius, id est, maior & minor propositio, connectuntur communi termino, id est, medio termino; qui cùm in vtraque propositione ponatur, eas coniungit & connectit. definitio verò non tam continuum quàm indiuiduum quid est: partes enim definitionis constituunt vnum quid, vnde definitio comparatur puncto, demõstratio verò lineæ. Et quemadmodum punctum non dicitur continuum, ita nec definitio. Rursus quemadmodum linea dicitur continua, ita & demonstratio.

5 *Præterea est definitio.* Sequitur tertium definitionis genus. i. definitio, quæ per demonstrationem concluditur. Hæc est imperfecta definitio accidentis: veluti, eclipsis est defectus luminis in Luna.

6 *Immediatorum autem.* Sequitur quartum definitionis genus, quod est principium demonstrationis, vt definitio subiecti, & ea definitio accidentis, per quam altera definitio probatur: veluti, eclipsis est interpositio terræ inter Solem & Lunam.

7 *Definitionum igitur.* Colligit tria genera definitionum essentialium, omissâ primâ definitione nominali. Eadem tria genera recensuit superioris libri cap. 8. partic. 2. Ait, *casu*, id est, positione seu collocatione terminorum.

8 *Ex dictis.* Epilogo concludit totum hunc tractatum de quidditate & definitione.

DE CAVSIS, ET DE INVENTIONE.

TRACTATVS III.

IN CAP. XI. QVO EXPONITVR PER QVAE genera causarum demonstretur.


TRactatus de causis occasio manifesta est, & ab ipso Aristotele initio huius capitis ponitur: quia finis horum librorum est scientia: tũc autem scimus, cùm causam cognoscimus, sicut iam dictum fuit superiori libro, cap. 2. part. 1. Ergo hoc capite ostendit Philosophus demonstrari per omnia genera causarum.

1 *Cùm autem.* Generaliter docet demonstrari per omnia causarum genera. & primò proponit hanc sententiam, cùm quatuor sint genera causarum, per omnia demonstrari posse. Recenset autem hæc quatuor genera. Primum est quid res sit. hoc verbo significat formam, vel definitionem: quia cùm forma sit præcipua pars definitionis, & maximè declaret quid res sit, vt in metaphysicis demonstratur, Aristoteles hęc duo simul iungit. Secundum genus est id quod quibusdam positis necessariò est, id est, sine quo effectus esse nequit. hæc autem est materia, quæ vulgò vocatur causa sine qua non, id est, sine qua non potest esse effectus. Tertium genus est id quod primum mouit, id est, causa efficiens. nam Aristoteles non videtur nouisse aliam causam efficientem, quàm per motum. vulgò tamen diuidunt causam efficientem, quòd alia efficit per motum, vt ignis calefacit aquã, alia per simplicem emanationem, sicut Sol est causa luminis; & forma cuiusque rei est causa proprietatum, quæ in ea re sunt. sic enim vulgò in scholis statuunt, formam rei esse causam formalem respectu ipsius rei subiectæ, sed esse causam efficientem respectu affectionum, quæ per eam demonstrantur. Verùm hæc diuisio, etsi videtur satis probabilis, tamen videtur parum consentanea sententiæ & verbis Aristotelis, qui vbique, generaliter loquendo de causa efficiente, vocat eam principium vnde motus. Quapropter quam scholastici appellant causam efficientem per simplicem emanationem, Aristoteles tantùm vocat formam. efficit enim seu causat affectiones in subiecto, nõ tamquàm causa efficiẽs, sed tamquàm forma subiecti.

Quar-

Quartum genus est id cuius gratiâ, id est, causa finalis. Cùm igitur sint hæc quatuor causarum genera:omnia(inquit Aristoteles) per medium ostenduntur,id est, omnes hæ causæ indicantur & significantur per mediū demonstrationis.Quod perinde valet, ac si Aristoteles diceret, quamlibet causam seu quodlibet causæ genus accipi pro medio termino demonstrationis. Hæc sunt, quæ habentur in primo membro huius particulæ. Secundò cùm ait, *etenim* [*hoc*,] confirmat, quod suprà dixit, hac ratione: quia quod dici solet,Positâ causâ necessariò poni effectum,non est ita intelligendum,quasi ex causa colligatur effectus sine demonstratione:immo eatenus colligitur, quatenus illa causa accipitur pro medio termino, & efficiuntur propositiones syllogisticè compositæ. Ait,*cùm illud sit*, id est, si ponatur causa esse. Ait,*necesse* [*est*] *hoc esse*, id est, necesse est effectum esse. Ait, *duabus minimum*, id est,duabus propositionibus demonstrationem constituentibus. Ait, *hoc igitur*, &c. id est, sumpto vno medio termino in duabus propositionibus, non sumpta vna propositione. Ait, *conclusionem*, qua effectus ex causa concluditur.

2 *Sed & hoc modo.* Quod generaliter tradidit in præced partic. deinceps per partes declarat.& primùm in hac particula affert exemplum demōstrationis mathematicæ per causam materialem; quâ probatur angulum descriptum in semicirculo, esse rectum, quia est dimidia pars duorum rectorum. Demonstratio igitur sumitur à partibus:constat autem partes habere rationem materiæ.nec potest aliter spectari materia in mathematicis, cùm mathematici abstrahant ab omni materia sensibili. Hæc demonstratio extat apud Euclidem lib. 3. propo sit.31.& ita extruitur: Omnis angulus qui est dimidium duorum rectorum,est rectus:atqui omnis angulus descriptus in semicirculo, est dimidium duorum rectorū: ergo omnis angulus descriptus in semicirculo,est rectus. Angulus in semicirculo dicitur, qui fit in circumferentia semicirculi per duas lineas rectas ductas ab extremitatibus diametri,& cōcurrentes in idem punctum in circumferentia. vt angulus a b c,est in semicirculo a b c,& est dimidia pars duorum rectorum, id est, anguli a b c, & anguli c b d, qui fiunt à linea recta c b eadente supra lineam rectam a d.



3 *Hoc autem est.* Ostendit exemplum modò expositum conuenire non solùm materiæ,sed etiam quidditati: quia medius ille terminus, dimidium duorum rectorum, quem diximus habere rationem materiæ, constituit definitionem anguli recti. nam rectus angulus definitur per lineam perpendicularem constituentem duos angulos æquales, quorum vterque est rectus,vt legere est apud Euclidem lib.1.Elementorum. Sic in proposito exemplo linea c b, ad perpendiculum cadit super lineam a b: & constituit duos angulos rectos,a b c,& c b d:quorum dimidia pars est rectus angulus a b c. Ergo sicut Aristoteles lib.2.Phys.cap.7.docet,in Physicis formam & finem in vnum coite:ita hic in mathematicis docet in vnum coire materiam & quidditatem. Intellige materiam, qualis potest reperiri in mathematicis abstrahentibus à materia physica,id est,materiam(vt Thomas loquitur) intelligibilem, non sensibilem. Nunc explicemus verba Aristotelis. Ait, *hoc*, id est,hic medius terminus,dimidium duorum angulorum rectorum, *est idem quod quidditas*,id est,definitio anguli recti: *quia hoc*, id est,dimidiam partem duorum angulorum rectorum,*significat definitio*: subaudi,anguli recti. Deinde ait, *Sed & quidditatem ostendimus esse causam mediam*, id est, ostendimus quidditatem,seu quid res sit, sumi pro medio termino demonstrationis. hoc autem dictum fuit initio huius cap. & suprà cap.8. partic.2.& cap.10.part.4.

4 *Cur autem Medi.* Nunc affert exemplum politicum demonstrationis per causam efficientem.Nam bellum ab Atheniensibus contra Sardeis gestum, mouit Medos vt bellum Atheniensibus inferrent. Demonstratio ita extruitur: Iis qui lacessiuerunt, bellum infertur: atqui Athenienses lacessiuerunt Medos, dum bellum contra Sardeis gesserunt:ergo bellum Atheniensibus à Medis infertur.

5 [*Ex ys*] *verò.* Affert duo exempla demonstrationis à causa finali: quorum vnum est medicum, alterum artificiosum. Primum exemplum est, quo probatur aliquem deambulare vt bene valeat.nam valetudo est finis deambulationis. Alterum exemplum est, quo probatur domum esse vt seruentur supellectilia: hic enim exēpli gratiâ ponitur vt finis ædium. Demonstrationes ita extruuntur: Qui vult bene valere, post cœnam deambulat:hic vult bene valere:ergo post cœnam deambulat. Similiter, Qui vult seruare supellectilia, domum sibi extruit:&c.

6 [*Ejus* [*autem*. Postquàm attulit exempla singularum causarum & demonstrationum per singulas causas: deinceps quædam causarum genera inter se confert. In hac particula confert causam finalem & efficientem, ac docet earum similitudinem, quia sunt inuicem causæ & effectûs, & se inuicem demonstrant. Exempli gratiâ, cibos non fluitare in stomacho, est causa efficiēs sanitatis: & sanitas est finis, propter quē natura non sinit cibos fluitare in stomacho: ergo hęc duo ex se inuicem demōstrantur. Primò Aristoteles ponit exemplum demōstrationis, qua finis demonstratur per causam efficientem. Nam cibos non fluitare in stomacho est salubre: deambulatio autē post cœnam non sinit cibos fluitare in stomacho: ergo deambulatio post cœnam est salubris. Ait, *hoc* (id est cibos non fluitare in stomacho) *est veluti* (hoc enim accipiendum est exempli causâ: nec in veritatē huius exempli debet exactè inquiri) *eius* (id est, salubris (*definitio. nam τὸ ε*, (id est, salubre) *sic explicabitur*, id est, ita (exempli gratiâ) definietur, Quod efficit vt cibus non fluitet in stomacho. Secundò cùm ait, *Cur autem*, ostendit in iisdem terminis, aliter tamen collocatis, demonstrari efficiens per finem. Hæc demōstratio sic extruitur: Quod salubre est, facit cibos non fluitare in stomacho: atqui deambulatio post cœnam est salubris: ergo deambulatio post cœnam facit cibos nō fluitare in stomacho. In hoc igitur exemplo propositiones reciprocantur, & demonstrationes conuertuntur. nec mirum: quia ex superiori libro didicimus propositiones & conclusiones demonstratiuas esse vniuersales, proinde reciprocari. Nam vniuersale ibi dicitur, quod non solùm est de omni, & semper, sed etiam per se & quatenus ipsum: ita vt attributum insit omni, & soli subiecto, ac proinde cum eo reciprocetur. Ait, *quia valere est, ita affectum esse*, id est, salubre est, quod facit vt cibi non fluitent in stomacho. Hæc est maior propositio demonstrationis à causa finali. Adde minorem, atqui deambulatio post cœnam est salubris: concludes, ergo deambulatio post cœnā facit cibos non fluitare. Ait, *Oportet orationes commutare*, id est, oportet conuertere propositiones, & aliter collocare terminos in posteriori demonstratione, quàm in priori. Hæc est non incommoda huius loci interpretatio, vt λόγους interpretemur orationes, id est, propositiones, quæ commutantur, id est, conuertuntur. Possumus etiam interpretari rationes: quia rationes mutantur, id est, quia in priori demonstratione cibos non fluitare, sumebatur tamquàm ratio, propter quam deambulatio post cœnam est salubris: in posteriori autem demonstratione è contrario salubre sumitur tamquàm ratio, propter quam deambulatio post cœnam facit cibos non fluitare. Ait, *atque ita singula magis apparebunt*, id est sumptis iisdem terminis, atque ita, vt exposuimus, facta commutatione, perspicuæ erunt vtræque demonstrationes.

7 *Ortus autem*. Declarat differentiam finis & efficientis: quia efficiens tēpore prior est, quàm effectus. finis enim est posterior, quà existit in rerum natura. Ait *ortus vice versa* se habere *hîc*, (id est, in causis finalibus,) *& in causis quæ* [*efficiunt*] *per motum*, id est, in causis efficientibus. ideo, inquam, vice versa: quia *ibi* (id est, in causis efficientibus) *opus est vt medium prius fiat*, (id est, causa efficiens, quæ sumitur pro medio termino, est tempore prior fine, quem demonstrat) *hîc verò* (id est, in causis finalibus) τὸ γ, [*quod est*,] *vltimum*, (id est, minus extremum) *prius* [*fit*.] supple, deinde fit maius extremum. *id verò cuius gratiâ*, (id est, finis per quem demonstratur) *postremum* [*fit*.] Sensus est, ordinem temporis hunc esse: vt priùs fit subiectum, seu minus extremum: deinde attributum, seu maius extremum: tandem finis, seu medius terminus. Exēpli gratiâ, primùm deambulatur post cœnam: postea per hanc deambulationem fit vt cibi non fluitent: tandem per hoc, quod cibi non fluitant, fit sanitas, quæ est vltimus finis deambulationis.

8 *Accidit autem*. Sequitur collatio causæ finalis & materialis, vt intelligamus, quatenus hæ causæ concurrant ad eundem effectum producendum. In hac partic. Aristoteles perspicuis duobus exemplis docet has causas concurrere, id est, idem fieri & propter finem, & ex necessitate materiæ. Vtrumque exemplum sumitur non tam ex Aristotelis, quàm ex aliorum sententia. Cùm enim exempla non probandi, sed declarandi causa proponantur: nihil refert vtrum sint vera, an ficta. Primum est exemplum laternæ, per quam lumen transit. huius enim effectus, id est, transitus luminis per laternam, duplex causa affertur. Prima est materia: quia laterna habet parua foramina, per quæ transeunt partes luminis, eò quòd illæ partes sunt minores illis foraminibus. Altera causa est finis propter quem aliquis laternam gestat, ni-

mirum

mirum ne in itinere offendat. Alterum exemplum est tonitrui: fit enim tonitru & ex necessitate materiæ, quia ig is extinguitur in nube, & propter certum finem, id est, secundum Pythagoreos, vt terreantur manes qui sunt in Tartaro.

9 *Permulta verò.* Docet hunc concursum causæ materialis & finalis potissimùm reperiri in rebus naturalibu, quæ vel constituuntur, vel constant. Constitui dicuntur, quæ scholasticis dicuntur habere suum esse in fieri, id est, quæ eatenus sunt, quatenus fiunt; veluti tonitruum, motus, tempus. Constare autem dicuntur, quæ facta permanent, vt lapis, homo. &c. Hanc sententiam Aristoteles ex eo confirmat, quòd natura vel alicuius finis gratiâ facit, vel ex necessitate: subaudi, materiæ.

10 *Necessitas autem.* Quia proximè dixit naturam interdum agere ex necessitate materiæ: ne fortè intelligamus necessitatem quandam violentam, distinguit duas necessitates. nam alia est naturalis, vt cùm lapis deorsum fertur: alia violenta, vt cùm lapis sursum versus proiicitur.

11 *Ex ÿs autem* Ostendit, in iis quæ ratione fiunt, numquàm concurrere causas materialem & finalem, eo sensu qui suprà acceptus fuit, id est, numquàm talia fieri ex necessitate materiæ, sed tantùm fieri ratione finis, interdum etiam casu. Exempli gratiâ, domus & statua nec ex necessitate materiæ fiunt, quia non est necesse, etiamsi materia domus vel statuæ fit, propterea esse domum vel statuam: neque casu, sed tantùm ratione finis, qui impulit agentem, vt domum ædificaret, vel statuam efficeret. Sanitas autem & salus, vel consilio fiunt, vel arte medici, vel casu aliquo; vt Phæreus ille Iason ictu ab hoste illato sanatus est, cùm medici eum sanare non potuissent, vt refert Cic. libro 3. de natura deorum. Item nauis interdum seruatur arte & diligentiâ nautæ, interdum casu.

12 *Maximè autem.* Cùm docuerit, in quibus necessitas materiæ spectetur: nunc docet, in quibus causa finalis locum habeat, ita vt à fine demonstrari possint: & ait hanc causam non reperiri in rebus fortuitis, sed in naturalibus, vel artificiosis: in iis scilicèt, quæ possunt diuersis modis se habere, & finem bonum habent. Veluti oculi à natura dati sunt in hunc finem, vt possimus videre: cùm fieri possit, vt videamus, & vt cæci simus. Item deambulamus sanitatis tuendæ causâ; cùm possimus tam bene valere, quàm ægrotare.

IN CAP. XII. DE CAVSIS EORVM QVAE SVNT, vel fiunt, vel facta sunt, vel futura sunt.

Superiori cap. causas diuisit in quatuor genera, per quę omnia demonstrationes fieri ostendit: nunc subiicit aliam causarum diuisionem. Quædam enim sunt simul cum effectu, vt aquæ concretio & glacies simul sunt: quædam verò causæ tempore præcedunt, vt ædificator & tigna priùs sunt, quàm ædificium. Hanc diuisionem tradit etiam lib. 2. Phys. cap. 3. partic. 18. Vtrumque causę genus, id est, siue sit simul cum effectu, siue præcedat, variis modis consideratur. nam & causæ & effectus spectantur; vel vt sunt, vel vt fiũt, vel vt facta sunt, vel vt futura sunt. Hoc igitur est argu nentum & materia huius capitis. cuius quatuor sunt partes. Primò namque in part. 1. & 2. loquitur Philosophus de causis & effectis concũctis & (vt ita dicam) simultaneis: ac declarat, quomodo huiusmodi causæ suos effectus producant. Dat autem duas regulas: Primam in 1. partic. quòd eadem causa variè accepta producit eundem effectum variè acceptum. quatenus enim est causa, est effectus: quatenus fit causa, fit effectus: quatenus facta est causa, factus est effectus: & quatenus futura est causa, futurus est effectus. & hanc regulam declarat duobus exemplis, nempe eclipseos, & glaciei. quatenus enim terra est interposita, eatenus est eclipsis. & quia terra interponetur, erit eclipsis: & ita de ceteris. Deinde in 2. partic. dat secundam regulam, quòd eiusmodi causæ & effectus simul fiunt, & simul sunt, & simul facta sunt, & simul fi nt.

Secunda pars cap. à tertiâ partic. vsque ad 13. agit de iis quæ non simul fiunt. In hac parte docet Aristoteles effectum causæ non cohærere continenter, id est, causam & effectum non esse continua. ostendit enim factum facto non cohærere: proinde nec facto cohærere id quod fit. Primum, id est, quòd factum facto non cohæreat sic Aristoteles probat: Indiuidua sibi inuicem nõ cohærent: atqui duo facta, sunt indiuidua: ergo duo facta sibi inuicem non cohærent, id est, non sunt continua, sed secreta. Indi-

ui sua intellige, quæ non recipiunt diuisionem in partes: veluti puncta. Secundum sic probat: Indiuiduum diuiduo non cohæret: atqui factum est indiuiduum: quod autem fit, est diuiduum: ergo quod factū est, & quod fit, non cohærēt: id est, non sunt cōtinua. Vtrumque argumentum declaratur exemplo puncti & lineæ. nam factum, simile est puncto: quod verò fit, simile est lineæ. sicut igitur neque punctum puncto, neque punctum lineæ cohæret: ita neque factō factū cohæret, neque facto id quod fit. Sed quia hęc prolixiorē & diligētiorē expositionē requirunt, quæ ad hūc locū nō pertinet: idcirco monet Aristot. part. 8. eam esse petendam ex libris vniuersalibus de motu, id est, ex lib. 6. Phys. In tertia parte particulæ quæ continetur partic. 13. loquitur Philosophus de iis quæ circulo & ex se inuicem fiunt: & inquit, sicut libro 2. Priorum exposuimus circulum logicum, qui consideratur in syllogismo generaliter accepto; ita etiam in rebus ipsis reperiri circulum, adeo vt in iis demonstratio circularis locum habeat. Hoc autem docet perspicuo exemplo. madefactā enim terrā fit vapor, ex eo vapore nubes, ex nube pluuia, per pluuiam madefit terra: rursus ex terrā madefactā oritur vapor, & ex eo vapore nubes: & ita deinceps in infinitum. Vltima pars capitis de iis quæ plerumque fiunt, continetur tribus postremis particulis. Primò namque in part. 14. distinguit Aristoteles hæc quæ plerumque fiunt, ab iis quæ semper fiunt. Secundò in partic. 15. docet demonstrari per causam effectum similem, id est, effectum qui plerumque est, demonstrari per causam quæ plerumque est, quemadmodum effectus qui semper est, demonstratur per causam quæ semper est. Tertiò in part. vlt. docet, in iis quoque quæ plerumque fiunt, reperiri quasdam propositiones immediatas: alioquin demonstratio fieri non posset.

IN CAP. XIII. DE INVESTIGANDA DEFINITIONE.

EST & hoc maximè necessariū superioris libri supplemētum, vt rationem inuentionis intelligamus. Porrò inueniendi ratio est multiplex. quædam est communis omnibus syllogismis, quæ fuit exposita lib. 1. Priorum tractatu 2. alia est dialectici propria, quæ explicabitur in Topicis: aliā vtitur demōstrator, quæ in præsentia est enarranda. Cùm autem duæ sint præcipuæ quæstiones, quid sit, & cur sit: hoc caput ad priorem quæstionem, sequentia ad posteriorem pertinent. Huius capitis quinque sunt partes. In prima proponitur hic tractatus. In secunda agitur de iis quę constituūt quidditatē & definitionē rei synonymæ. Tertia est de iis quæ cōstituūt quidditatē ac definitionē, quę rei attribuūtur per prius & posterius: quomodo numerus attribuitur binario & ternario, quia binarius est prior ternario. Quarta & quinta declarāt modum, seu methodum inueniendæ quidditatis & definitionis. Est enim duplex methodus: vna diuisiua, de qua agitur in quarta capitis parte: altera inductiua, de qua in quinta parte.

1 *Quomodo igitur.* Proponit hunc tractatum de inuestiganda quidditate ac definitione.

2 *Eorum igitur.* Hic incipit secunda pars capitis, in qua declaratur, quænam sint inuenienda, ac ponenda in definitione rei synonymæ. Initiò præmunit quandam attributorum diuisionem, id est, eorum attributorum, quæ latiùs patent, quàm subiectum. Hæc enim aut reperiuntur extra genus subiecti, aut tantùm in eo genere. Exempla perspicua sunt in contextu.

3 *Quæ igitur sunt.* Iubet ea sola attributa sumi, quæ latiùs patent, quàm subiectum definiendum, nec tamen extra genus illius subiecti reperiuntur. Item tot attributa sumi, quot efficiunt collectionem illam attributorum rei definitæ propriam. Intellige attributa in quæstione quid est: nam hæc sola ponuntur in definitione.

4 *Verbi gratiâ omni ternario.* Datum præceptum declarat exemplo definitionis ternarij continentis tria vel quatuor attributa: quorum singula latiùs patent, quàm ternarius; sed simul accepta reciprocantur cum ternario. Primum attributum est numerus: secundum est impar: tertium est, esse primum duobus modis. Primus enim numerus dicitur, vel quem alius numerus non metitur, vel qui non componitur ex numeris. Numerus numerum metiri dicitur, cùm aliquoties acceptus, eum numerum absumit: vt duo vel tria metiuntur numerum senarium: quia duo ter accepta conficiunt præcisè sex. Nullus ergo numerus est, qui metiatur ternarium: sed tantùm vnitas ter accepta eum metitur, quæ non est numerus, sed principium numeri. Dicitur autem numerus compositus ex numeris, etiāsi nullus numerus eum metiatur, si duo diuersi numeri eum efficiant. Exempli gratiâ, duo & tria faciunt quinque: ergo quinarius

vno

vno modo nō est primus, quia componitur ex numeris binario & ternario: alio modo est primus, quia nullus numerus eum metitur, sed tantùm vnitas. ternarius vero est primus vtroque modo. Quare si spectes singula attributa per se: latiùs patent, quàm ternarius: quia sunt etiam alij numeri, & alij impares, vt quinarius & septenarius. item sunt alij primi primo modo, id est, quos numerus non metitur, vt binarius, & quinarius. item est etiam alius numerus primus secundo modo, id est, qui non componitur ex numeris, nempe binarius. Verùm si hæc omnia simul accipias: fiet definitio solius ternarij propria, numerus impar, vtroque modo primus.

5 *Quia verò declaratum.* Postquam docuit, quæ attributa sint colligenda ad definitionem constituendam: nunc probat ea esse necessaria, id est, necessariò attribui subiecto, sic arguens: Quæcumque attribuuntur in quæstione quid est, sunt necessaria: atqui hæc attribuuntur in quæstione quid est: ergo sunt necessaria. Minorem non probat, sed supponit; quia supponit nos collegisse einsmodi attributa, quæ dicantur in quæstione quid est. Maiorem probat ex eo, quòd vniuersalia, quæ attribuuntur in quæstione quid est, sunt de omni, per se, & quatenus ipsa: ergo sunt necessaria, vt constat ex iis quæ superiori libro exposita fuerunt. Series contextus hæc est: Primò proponitur maior. Deinde ibi, [*sunt enim*] probatur ea maior. vbi notandum est, vel pro δὲ legendum γὰρ, cum Græco anonymo huius libri interprete; vel accipiendum δὲ pro γὰρ, cum Philopono; vel quædam esse supplenda, vt nos in nostra translatione fecimus. Quamcumque autem ex his interpretationibus probes nihil interest: quia sententia semper erit eadem. Tertiò ibi, *quæ autem de ternario*, adiungitur minor. Quartò ibi, *ita[fit,]* colligitur conclusio.

6 *Quòd autem.* Probat hæc attributa perficere essentiam rei, & constituere definitionem. Vtitur autem syllogismo hypothetico composito, & arguit à destructione consequentis, hoc modo; Nisi hæc attributa constituant definitionem (exempli gratiâ) ternarii, erunt eius genus: & si erunt genus, latiùs patebunt, quàm ternarius: atqui latiùs non patent: proinde nō sunt genus: consequenter sunt essentia & definitio ternarij. Primò ponit conclusionem. Deinde cùm ait, *quia necesse*, ponit primam hypothesim, Si non est essentia, est genus. Explicandi autem causâ, obiter addit, hoc genus esse vel nominatum, vel nomine vacans: nam illa attributa, *numerus impar, vtroque modo primus*, si possint vno nomine significari, erit genus nominatum, sin minùs, innominatum. Tertiò cùm ait, *latiùs igitur patebit*, addit secundam hypothesim, nempe, Si est genus, latiùs patet, quàm ternarius.
Quartò cùm ait, *supponatur enim*, probat consequentiam secundæ hypotheseos à definitione generis. Quintò cùm ait, *Ergo si nulli*, euertit vltimum consequens, inquiens illa attributa simul accepta dici de solo ternario. Sextò cùm ait, *hæc erit essentia ternarii*, euertit primum antecedens, atque ita colligit conclusionem, quòd attributa illa non sunt genus, sed essentia. Septimò cùm ait, *nam hoc quoque*, confirmat hanc consequentiam, qua modò est vsus à destructione consequentis ad destructionem antecedentis. Consequentia erat: Hæc attributa in quæstione quid est, non latiùs patent quàm ternarius, sed cum eo reciprocantur: ergo constituunt eius essentiam. hanc igitur consequentiam probat à definitione essentiæ. nam essentia est eiusmodi vltima attributio de indiuiduis, id est, collectio attributorum in quæstione quid est, quæ dicitur vltima, eo quòd tunc est perfecta, cùm à summo genere pertinentibus ad vltimam differentiam, efficitur, vt definitio reciprocetur cum definito: vnde etiam dicitur esse *de indiuiduis*. Octauò cùm ait, *Quare similiter*, quæ dixit de definitione ternarij, producit ad omnes alias res.

7 *Oportet autem.* Sequitur tertia pars capitis, in qua declarat Aristoteles, quænam sumenda sint ad cōstituendam definitionē eorum quæ non æqualiter attribuuntur, sed per prius & posterius: vt numeri species non æquè continentur sub genere; sed binarius ternario, ternarius quaternario prior est. Hic iubet Aristoteles sumi genus & ea quæ in quæstione quid est attribuuntur primis speciebus. nam de his primis speciebus demonstrantur affectiones, non de posterioribus: propterea quòd insunt primis per se, reliquis autem insunt per primas. Hanc puto esse huius particulæ sententiam: quamuis me non lateat, eam aliter ab aliis interpretibus accipi. Primò igitur Aristoteles præcipit, vt *cùm quis circa aliquod totum versatur*, (id est, cum vult aliquid definire. nam definitum appellatur totum: quia in se coniunctim continet omnes partes, quæ in definitione distinctè proponuntur. vide lib. 1. Phys. cap. 1. partic. 4.) diuidat genus in prima indiuidua specie, id est, sumat genus ac primas species specialissimas. Cùm dicimus primas: indicamus alias esse primas, alias se-

cetas, has tertias proinde genus attribui per prius & posterius; nec omnes species esse sumendas, sed tantum primas species aut in specialissimas recte vocat indiuidua specie, non simpliciter indiuidua: quia possunt diuidi numero, sed non possunt diuidi in species. Secundò cùm ait, *verbi gratiâ numerâ*, declarat, quod dixit, perspicuo exēplo. Tertiò cùm ait, *sic deinde*, adiungit alterum præceptum, vt acceptis genere & primis speciebus, inquirantur definitiones harum specierum. Tertiò cùm ait, *veluti linea*, declarat exemplis secundum præceptum. Et sicut in primo præcepto vsus est exemplo numerorum, ita hic vtitur exemplis magnitudinum, inquiens quærendas esse definitiones (exempli gratiâ) lineæ rectæ (nam hæc est prior, quàm obliqua) vel circuli, (quoniam inter figuras prima est circularis, vtpote quæ vnâ lineâ continetur, cùm reliquæ omnes pluribus lineis claudantur) vel anguli recti: propterea quòd est primus inter angulos. vnde Euclides primò definit angulum rectum; postea ex eo definit acutum, & obtusum, inquiens acutum esse, minorem recto; obtusum verò, maiorem recto. Quartò cùm ait, *postea sumendo*, dat tertium præceptum, vt sumatur quodnam sit genus, id est, in quo genere collocetur res definita. putà si definitur impar, est species numeri. si definienda est linea, est species magnitudinis. Quintò cùm ait, *v[...] vero*, dat exemplum tertij præcepti. Sextò cùm ait, *proprias affectiones contemplari*, dat quartum præceptum, vt affectiones propriæ primarū specierū specialissimarū veluti binarij, & ternarij, considerentur, & exquirantur ex principijs communibus, id est, ex principijs quæ communia sunt primis speciebus specialissimis, & reliquis vlterioribus speciebus: veluti ex principijs, quæ communia sunt binario, ternario, quaternario & alijs numeris.

Sextò cùm ait, *quæ enim compositis*, declarat hoc quartum præceptum, cui scilicèt dixerit considerandas esse affectiones proprias primarum specierum specialissimarum.

Quæreret enim aliquis posset, quare non considerentur etiam affectiones secundarū specierum contrà alius quæreret posset, cur non omittantur omnes hę affectiones: siquidem quærimus definitionem & essentiam subiecti, non affectiones, quæ sunt accidentia. Ad vtramque quæstionem simul Aristoteles respondet, & ait has affectiones, quas diximus esse proprias primarum specierum, [...] etiam secundis speciebus, non tamen per se, sed per primas, quatenus secundæ ex primis componuntur. Exempli gratiâ, quinarius habet proprietates ternarij & binarij, ex quibus componitur. hæ verò affectiones, quæ primò & per se insunt primis speciebus, secundariò autem secundis, manifestæ fiunt seu demonstrantur ex definitionibus primarum specierum.

Quid itaque quia definitio & simplex, id est, definitio primę speciei simplicis, est principium & causa, per quam affectiones insunt primis & secundis speciebus. Hinc ergo intelligimus, cur hic considerentur affectiones, quia scilicèt ex his, tamquam signis siue effectibus, cognoscimus an sit bona definitio. nam definitio non est bona, nisi per eam demonstrentur propriæ affectiones. Rursus intelligimus, cur considerentur tantum affectiones primarum specierum, non secundarum: quia scilicèt illæ fluunt ex quidditate & definitione, quam quærimus, & sunt omnibus speciebus aliquo modo communes. Ait ergo (vt singula verba exponā) *quæ compositis ex indiuiduis accidunt*, id est, affectiones, quæ insunt secundis speciebus specialissimis, quatenus sunt compositæ ex primis; veluti quæ insunt quinario, quatenus componitur ex ternario & binario, (nam indiuidua hic accipit: vt paulò antè, pro speciebus specialissimis, id est, quæ sunt indiuidua specie, non numero) hæc, inquam, *manifesta ex definitionibus erunt*, id est, per definitiones primarum specierum demonstrabuntur: si definitiones illæ sint perfectæ. vnde ex hoc, tamquam signo cognoscemus has esse bonas definitiones, si intelligamus, ex his demonstrari proprias affectiones. Quæreret autem aliquis poterat, cur per has definitiones demonstrentur affectiones: ideóque subdit Aristoteles, *propterea quòd definitio & simplex, est principium omnium*: subaudi, affectionum. Ait, *definitio & simplex*, id est, definitio rei simplicis. quod perinde est, ac si diceret definitionem primarum specierum, ex quibus componuntur secundæ. Obserua sane rationem loquendi, *definitio & simplex*, pro definitio rei simplicis. non solùm con[...] poetæ ita loquuntur, vt cùm Virgilius ait, *Pateris libamus & auro*, pro, paterâ aureâ libamus: sed & Aristoteles sæpe vt Prior. lib. 2. cap. 18. inquit accidere conclusionem & falsum, id est, effici conclusionem falsam: & supe. lib. cap. 22. partic. 21. ait, *non ex quibusdam nec sub conditione*, id est, non sub conditione si quędam sint. Eâdem phrasi hic vtitur Postea subijcit, *Et solis principibus*, id est, primis speciebus specialissimis, vt binario, & ternario, *per se insunt accidentia*, i. affectiones illæ,

nes illæ, quas diximus per definitiones demõstrari: ideóque suprà dicebamus eas esse proprias affectiones primarũ specierum, non quia his solis insint, sed quia his solis insunt per se, *ceteris autem*. i. secundis speciebus, *insunt ratione illorum*, id est, per illas primas species.

8 *Porrò diuisiones.* Sequitur quarta pars capitis de methodo diuisiua, per quam rei essentia & definitio inuestigatur. De hac methodo Aristoteles plura tradit. Primùm in hac partic. simpliciter hanc methodum proponit, inquiens diuisionem esse ad hoc vtilem, id est, ad definitiones inuestigandas.

9 *Quatenus autem.* Secundò ait se antea exposuisse, quatenus ad hoc diuisio sit vtilis, seu quatenus vim cõcludendi habeat: quasi dicat inde repetendam esse huius rei expositionem, nempe ex cap. 5. huius libri, & ex cap. 31. lib. 1. Priorum.

10 *Atqui videri.* Tertiò affert obiectionem cõtra diuisionem, quasi omnino sit inutilis: quia petit, quod est in quæstione positum, & probãdum est, vt pluribus exposui ad dictum cap. 31.

11 *Refert autem.* Quartò soluit propositam obiectionem, declarans duas vtilitates diuisionis. Prima vtilitas est, quòd valet ad constituendum ordinem partium definitionis, id est, vt partes communiores priori loco ponãtur, minùs communes posteriori loco. diuidendo nãmque progredimur ab vniuersalibus ad particularia: qui ordo seruandus est in definitione. Ideo ait Aristoteles multùm referre, quo ordine collocentur partes definitionis. Exempli gratiã, multùm refert, vtrùm dicas hominem esse animal mansuetum bipes, an esse bipes animal mansuetum. Quod autem multùm referat, probat, cùm ait, *nam si res.* Probatio in hoc consistit: quòd res omnis ex duobus constat, id est, ex genere & differentia, tamquàm ex materia & formà. vnde quod primo loco ponitur, habet rationem generis: & quod secundo loco, est differentia diuisiua illius generis. Si igitur dicas hominem esse animal mansuetum bipes: significas, ex animali & mansueto fieri vnum tamquàm ex genere & differentia, seu tamquàm ex materia & formà: rursus ex animali mansueto & ex bipede fieri similiter vnum. Quòd si inuertas ordinem, & dicas hominem esse bipes animal mansuetum: iam facis bipes, genus, & animal, differentiã bipedis. item facis vnum ex bipede & animali: antea verò non faciebas vnum ex bipede & animali, sed ex animali & mansueto, vel ex animali mansueto & bipede. Vide cap. 12. lib. 6. Metaphys. nam hæc ratio est metaphysica. Ait, *necesse [est] diuidendo petere*, id est, necesse est vt diuidendo sumas singula attributa quæ ponuntur in definitione. Hæc autem dicuntur diuidendo peti: quia per diuisionem non probantur, vt antea ostensum fuit. Vtilitas ergo diuisionis est, non vt probet partes definitionis, sed vt eas ordine collocet.

12 *Præterea vt nihil.* Exposita est prima diuisionis vtilitas: sequitur altera, quòd per eam fit, ne quod membrũ definitionis prætermittatur. cùm enim diuidendo progredimur à summo genere vsque ad vltimã differentiam, necesse est, nihil prætermitti. etenim si rectà diuisio sit, sine dubio est per membra opposita, ita vt necesse sit omnia referri ad alterutrum membrum. & si vnum membrum rei definitæ non conuenit, necesse est alterum conuenire. veluti omne animal necessariò est vel rationale, vel irrationale. si ergo irrationale homini non potest attribui, rationale ei attribuetur. Quòd si non omnia in diuisionem cadant: dicendum est, non esse bonam diuisionem, id est, nõ rectè accommodari generi diuisionem, sed esse potiùs accommodandam inferiori speciei: vt in exemplo, quod Aristoteles proponit. si quis enim animal diuidat, inquiens, aliud habere alas continuas, vt vespertiliones; aliud scissas, vt plerasque aues: hæc non est bona diuisio: quia reperiuntur multa animalia, quæ neque continuas neque scissas alas habent, id est, quæ alas non habent. Quapropter hæc non est diuisio animalis, sed subdiuisio alati animalis.

13 *Neque verò opus.* Proponit dubitationem quandam, quam mox vult soluere, id est, argumentationem Speusippi, qui fuit sororis Platonis filius, aduersus diuisiuam methodum, & aduersus definitionem. Sic enim argumentabatur Speusippus: Si quis diuidat, & diuisione definitionem inueniat, necesse est, eum habere omnium rerum scientiam: atqui consequens est falsum, & impossibile: ergo & id, ex quo sequitur. Consequentiam probabat per duas hypotheses: quarum prima erat, non posse sciri differentias rei definitæ, id est, quibus res definita distinguitur ab aliis rebus, nisi & aliæ res cognoscantur. Altera hypothesis erat, non posse rem definitam sciri, nisi eius differentiæ sciantur, per quas ab omnibus aliis rebus secernitur. oportet enim scire à quibus rebus differat res definita, vel non differat, sed sit idem. Vnde Aristoteles in Topicis ad problema definitionis refert etiam quęstionem vtrùm sit idem

an diuersum, Ait, *nonnulli*, id est, Speusippus. Ait, *à quaque re*, id est, quibus differentiis res definita distinguitur à singulis aliis rebus. Obserua illud, ἑκάστου, *quaque re*, significare rem, à qua res definita differt; sed paulò pòst, cùm ait, ἐκ ἰδ ἑκάστου, *non posse quamque rem*, eodem verbo significari rem definitam.

14 *Primùm igitur*. Soluit obiectionem Speusippi. & primò negat fundamentum illud, quo vtebatur Speusippus, id est, id quod à re definita differt, esse aliud quàm rem definitam. Hoc enim fundamentum non est vniuersaliter verum: quia sunt multæ differentiæ, quæ non faciunt aliud, sed tantùm diuersum, nempe differentiæ accidentales, vt etiam Porphyrius docuit cap. de differentia.

15 *Deinde cùm*. Secundò negat esse opus vt singulæ res distinctè cognoscantur, à quibus res definita distinguitur: quia sufficit cognitio vniuersalis. Exempli gratiâ, vt homo distinguatur ab omnibus brutis, non est necesse cognoscere bouem, equum, leonē, &c. sed sufficit, si sciamus omne animal esse aut ratione præditum aut rationis expers; hominem verò non esse rationis expertem, sed ratione præditum: sic enim satis distinguimus hominem à brutis, quamuis non habeamus distinctam & specialem cognitionem omnium animalium brutorum.

16 *Sed in conficienda*. Proponit tria præcepta, quæ sunt obseruanda in definitione per diuisionem inuestiganda. Primum præceptum est, vt sumantur ea tantùm, quæ attribuuntur rei definitæ in quæstione quid est. Alterum, vt hæc attributa rectò ordine disponantur. Postremum, vt horum attributorum nullum prætermittatur. Quomodo autem possimus hæc præcepta obseruare, in sequentibus particulis declarabit.

17 *Horum autem*. Docet, quomodo possit obseruari primum præceptum: & in quit attributa in quæstione quid est, quærenda esse ex locis accidentis explicandis lib. 2. Top. & locis generis explicādis 4. libro Topico. Nam Dialectica Analyticæ in seruit, ideóque etiam in scientiis locum habet, vt dicetur 2. cap. 1. Topic. Hoc igitur est, quod Aristoteles ait, horum primum nos consequi posse, id est, posse obseruare primum præceptum, & colligere attributa in quæstione quid est: quia ex locis accidentis possumus probare ea attributa dici de subiecto: & ex locis generis possumus probare ea esse essentialia, id est, esse genus vel differentias. Vt hoc intelligatur: notandum est, Aristotelem ad problema generis referre non solum generā, sed etiam differentias; & ad problema accidentis referre non solùm quæstionem an accidat, sed etiam quęstionem simpliciter an attribuatur. Itaque loci generis probant tam differentiam, quàm genus. loci autem accidentis, qui probant esse accidens, non possunt esse vsui in definitionibus inuestigandis, nisi fortè ad aliquod attributum excludendum tamquàm accidentarium. Sed ij loci, qui simpliciter probant attributum dici de subiecto, possunt aliquem sui vsum præbere: quia necesse est singulas partes definitionis attribui rei definitæ.

18 *Collocabuntur autem*. Ostendit rationem obseruandi secundi præcepti, id est, ordine disponendi singulas partes definitionis. Ratio hæc est, vt, prout quidque communius est, ita priori loco ponatur. Id ergo, quod aliis positis necessariò ponitur, ipso autem posito non est necesse omnia alia poni, illud (inquam) est genus, & poni debet primo loco. Hoc posito, expendenda sunt reliqua attributa. nam similiter id quod ponitur reliquis positis, ipso autem posito cetera non necessariò ponuntur, est prima differentia continenter adiungenda generi. Eādem ratione inueniemus ordinem sequentium differentiarum: quia semper communiores præponemus: & communiores dignoscemus ex ea regula, quam tradidi. Illud enim est communius, quod aliis positis necessariò infertur, ipso autem posito reliqua non necessariò inferuntur.

Exempli gratiâ quæro hominis definitionē, & secundùm primum præceptum ex locis accidentis & locis generis, præsertim ex locis generis, inueni hæc tria homini essentialiter tribui, terrestre, bipes, animal. iam scire volo, quódnam sit genus, & quæ sint differentiæ, & quo ordine hæc debeant collocari. Primùm reperio, omne terrestre, & omne bipes esse animal; contrà non omne animal esse terrestre, nec omne animal esse bipes. hinc ergo intelligo animal esse genus: & pono animal primo loco. Deinde quæro ordinem differentiarum. & quia omne bipes est terrestre, nō omne autem terrestre est bipes, cùm sint quædam terrestria quadrupedia: intelligo terrestre esse communius bipede: proinde priori loco ponendum. Quare hominem definio animal terrestre bipes, rectò ordine statuens omnes partes definitionis.

19 *Quòd autem hæc*. Docet rationem obser-

obseruandi tertij præcepti, vt certò sciamus nos nullam definitionis partem prætermittere. Hoc cognoscitur ex diuisione, si diuidendi initium sumamus à primo genere, & ordine progrediamur vsque ad vltimam differentiam, ita vt nullam subdiuisionem prætermittamus, & ex qualibet diuisione seu subdiuisione vnam differentiam sumamus: ita enim necesse est nihil prætermitti. Nam si quid prætermitteretur, addendum esset vel primo loco, vel vltimo, vel medio. sed nihil addi potest primo loco: quia accepimus primum genus. item nihil potest inseri medio loco inter primum & vltimum attributum: quia cùm nulla diuisio sit omissa, omnes differentiæ ita cohærent, vt nihil possit eis interiici. denique nihil potest addi postremo loco: quia peruenimus vsque ad vltimam differentiam. Exempli gratiâ, diuisiuâ methodo quæro definitionem hominis. incipio ergo à primo genere, sub quo scio hominem contineri, vtputà (quo res certior sit) incipio à substantia. homo namque est substantia. diuido substantiam per membra opposita, quæ complectuntur omnes substantias: alioqnin non esset vera diuisio, vt fuit expositum suprà part. 12. dico igitur omnem substantiam aut esse corpoream aut incorpoream. sumo alteram differentiam, & dico hominem esse substantiam corpoream. hanc subdiuido in animatã & anima carentem: & similiter sumo animam. deinde subdiuido sustantiam corpoream animatam in sensu præditam & sensus expertem: & eodem modo sumo sensu præditam. postea subdiuido substantiam corpoream, animatam, sensu præditam, in rationalem & irrationalem: & sumo rationalem. tandem subdiuido hanc substantiam in mortalem & immortalem: & sumo mortalem. sic perfeci hominis definitionem, vt certò sciam nihil deesse: nempe Homo est substantia corporea, animata, sensu prædita, rationis capax, mortalis. Tria dubia hîc occurrere possunt. Vnum est: quia fortasse diuisiones illæ nõ sunt bonæ, cum fieri possit vt malè accipiantur differentiæ: quod contingeret, si quis diuideret substantiam in animatam & inanimatam, omissa diuisione in corpoream & incorpoream. Præterea fieri potest, vt ad vltimam differentiã nõ perueniamus. vnde. n. sciam (dicet aliquis) me nõ debere subsistere vel in prima, vel in secunda, vel in tertia diuisione; debere autem subsistere, cùm perueni ad eã diuisionem animalis rationalis in mortale & immortale? nam fortasse est alia subdiuisio quærenda. Postrema dubitatio est: quia non videtur hoc modo inueniri vera definitio hominis: cùm homo potiùs sit definiendus animal rationale mortale, quàm substãtia corporea &c. Primæ dubitationi satisfactum est partic. 12. vbi docuimus rationẽ cognoscendæ veræ diuisionis, id est, vtrùm membra diuidentia, sint (exempli gratiá) accommodanda substantiç, an inferiori speciei: putà an hæ differentiæ, sensu præditum & sensus expers, diuidant substãtiam, an corpus, an animal. dictum est enim, has differentias diuidere illud genus, cuius species omnes complectuntur. quare non diuidunt substantiam: quia non omnis substantia est sensu prædita, vel sensus expers. eâdem ratione non diuidunt corpus. sed diuidũt corpus animatum: quod est vel sensibile, vt animal, vel insensibile, vt planta. Secundæ dubitationi satisfaciet Aristoteles in extrema seq. partic. tunc enim scimus nos peruenisse ad vltimam differentiam, quando, si subdiuidatur & adiungatur noua differentia, non facit differre speciẽ. vnde cognoscimus hanc nouam differentiam, non esse essentialem, sed accidentalem, ideóque non ponendam in definitione. Exempli gratiâ, si subdiuidas animal rationale in album & nigrum: hæc sunt accidentia, quæ non faciunt differre speciẽ. Eadem ratio est aliarum diuisionum, & aliarum differentiarũ, quibus animal rationale mortale subdiuidi potest: sunt igitur omnes prætermittẽdæ, & iam peruenimus ad vltimam diuisionẽ, & vltimam differentiam. Quod ad tertiam dubitationem attinet: sciendum est, definitiones illas non differre, sed perinde esse, siue quis dicat animal rationale mortale, siue substantiam corpoream animatam &c. vt antea diximus. nihil enim refert, vtrùm accipias genus remotum, eíque adiungas differentias constituentes genus proximum: an statim sumas genus proximum. Nam (exempli gratiâ) corpus, & substantia corporea, idem sunt: & facile est, definitionem sumptam à primo genere, conuertere in definitionem sumptam à proximo genere. Itaque cùm vtimur hac methodo diuisiua, rectè quidem sumimus propinquum genus, si sit nobis notum: sed si illud ignoremus, oportet adscendere ad genus remotius, sub quo certò scimus definitum collocari. vt in dicto exemplo facilè quiuis intelligit hominem esse in ca-

tegoria substantiæ, quæ si genus propinquius ignorat, sumat ipsam substantiam, vt nos paulò antè fecimus. postquàm autem definitionem perfecit, vt antea perfecimus, poterit definitionem commutare, & breuiorem facere: vtputà pro substantiâ corporeâ animatâ, sumere corpus animatum, vel vno verbo sumere viuens: (eadem ratio est sequentium differentiarum) ac tandem poterit definitionem conficere tribus vocabulis, vt dicat hominẽ esse animal rationale mortale.

20 *Constat enim.* Concludit veram & perfectam esse definitionem, quæ superioribus præceptis obseruatis extructa est: propterea quòd nihil in ea superfluit, & nihil desideratur. Primò igitur ostendit non esse plus adiectum, quàm oporteat, id est, nihil in definitione superfluere: quoniã omnia illa attributa, quę in definitione sumpta sunt, dicuntur in quæstione quid est: omnia igitur pertinent ad rei quidditatem & essentiam, quam definitio explicare debet. Secundò cùm ait, *neque deesse*, ostendit nihil desiderari in dicta definitione. quod ita probat: Siquid deesset, quod oporteret adiicere in definitione: id esset vel genus, vel differentia: nihil enim ponitur in definitione præter genus & differentias: atqui nec genus, nec differentia vlla deest: ergo nihil deest. Genus non deesse sic probat: Omne genus aut est proximum, aut remotum: atqui in nostra definitione neque proximum neque remotum deest: ergo genus non deest. Non deesse genus remotum, apparet ex eo, quòd definitionem inchoauimus à summo genere. Non deesse autem genus proximum, inde apparet, quia generi remoto adiunximus differentias, quæ faciunt genus proximum. Vt enim suprà exposui, idem est, siue dicatur animal, siue dicatur corpus animatum sensu præditum: quoniam hæc est definitio animalis. Eadem est cæterorum ratio. Si quis igitur hominem definiat corpus animatum sensu pręditum, non omittit proximum genus, quod est animal: quoniam hoc genus non solùm hoc proprio nomine *animal*, significari potest, sed etiam multis nominibus eius definitionem constituentibus. Nullam autem differentiam deesse, probatur: quia si adiicienda esset aliqua differentia; necessariò vel insereretur, vel interiiceretur aliis differentiis, siue generi & primæ differentiæ, vel poneretur post omnes alias differentias, quorum nihil dici potest. ita enim diuidebamus, vt prima differentia immediatè cohæreret summo generi, & ei similiter cohæreret secunda differentia, iidẽ mque secundæ tertia, & ita deinceps, adeo vt nihil interiici possit. Sed nec post alias differentias alia potest addi: quia iam ostensum fuit, nos peruenisse ad vltimam differentiam essentialem; vltra quam si velimus pergere, tantùm reperiemus differentias accidentales, quæ non sunt ponendæ in definitionibus. Accidentales autem esse, ex eo apparet, quòd vltimum illud compositum ex præcedentibus, & vltimâ differentiâ, non differt essentialiter à composito ex præcedentibus sine vltima differentia, vel à composito cum differentia contraria. Exempli gratiâ, animal rationale album non differt essentialiter ab animali rationali, nec ab animali rationali nigro: album igitur & nigrum non sunt differentiæ essentiales: proinde sunt prætermittendæ in definitione hominis.

21 *Quærere autem.* Sequitur quinta pars capitis de definitione per inductionem inuestiganda. Hæc methodus est superiori opposita: quia sicut diuisio progreditur ab vniuersalibus ad particularia: ita è contrario inductio progreditur à particularibus ad vniuersalia. Hic Aristoteles præcipit, vt notentur similitudines, primùm in particularibus, deinde in vniuersalibus, sub quibus ea particularia continentur. Sic autem nos progredi iubet à particularibus ad vniuersalia, donec perueniamus ad vnam rationem communem, si modò ad vnam peruenìri possit. nam si id fieri nequeat, inde intelligemus rem, qua de agitur, esse homonymam, & tot modis accipi, quot sunt rationes communes, quæ non possunt ad vnam referri. Hoc præceptum non potest commodè intelligi absque exemplo: sed perspicuum exemplum proponetur in seq. partic. Ait, *quærere*: subaudi, definitionem. Ait, *ad ea quæ sunt similia nec differunt*, id est, ad singularia, quæ continentur sub eadem specie, & dicuntur similia, seu non differre, quia non differunt specie, sed tantùm numero. veluti si quæratur quid sit animal: primò videndum est, quid commune habeant singuli homines, Socrates, Plato, Aristoteles, &c. Deinde ait, *deinde rursus.* Nunc iubet considerari alia indiuidua, quæ continentur sub alia specie, putà quid commune habeant singuli equi, vel singuli boues: nam sunt in eodem genere,

nete, in quo sunt singuli homines, id est, contineantur sub animali: sed sunt in alia specie: alia namque est species hominis, alia equi, alia bouis. & inter se non differunt specie; quoniam omnes equi sunt in eadẽ specie equi; & omnes boues in eadẽ specie bouis. Dein le cùm ait, *iterum autem in his*, iubet nos paulatim adscendere ad vniuersale: ideóque, postquàm inuenimus commune singulis hominibus, commune singulis equis, & commune singulis bobus, nunc iubet nos quærere an illa omnia referri possint ad vnam communem rationem, id est, an sit vnum quid sub quo contineatur, quod est commune singulis hominibus, & singulis equis, & singulis bobus nam si hæc vna ratio reperiatur, hæc erit definitio animalis. si verò vna reperiri non possit, sed sint duæ vel tres separatæ: tunc erunt separatæ definitiones: proinde tot modis dicetur res, de qua agitur, & erit homonyma.

22. *Verbi gratiâ si quæramus.* Traditum præceptum perspicuo exemplo declarat.

23 *Omnis porrò.* Idem præceptum deinceps tribus rationibus confirmat. Prima ratio est: quia per hanc methodum constituitur definitio vniuersalis, qualis esse debet. nam omnis definitio debet esse vniuersalis. quod Aristoteles probat exemplo medici: si quis enim deberet afferre definitiones particulares, is esset artifex, putà medicus; quia pro fine habet actionem, & omnis actio in particularibus versatur, vt medicus non sanat hominem vniuersalem, sed hunc vel illum hominem singularem: atqui medicus vniuersales definitiones affert: viputà non docet, quid sit salubre oculo Socratis vel oculo Platonis, sed quid salubre oculo humano in vniuersum. Eadem est ratio aliarum definitionum.

24 *Ac faciliùs.* Secunda ratio est: quia per hanc methodum progredimur à notioribus ad ignotiora. nam particularia sunt notiora & faciliora; nempe quod ad hoc vt vitentur homonymiæ, quæ in vniuersalibus latent. nam alia ratione vniuersalia sunt notiora, vt traditur lib. 1. Phys. cap. 1.

25 *Vt autem in demonstrationibus.* Sequitur tertia ratio: quoniam hac methodo seruatâ fiunt definitiones euidentes & perspicuæ, quales esse debent. sicut enim virtus demonstrationis est, vt habeat vim concludendi: ita virtus definitionis est, vt sit perspicua. talis autem per hanc methodum ideo fit: quia (vt diximus) vitantur homonymiæ, quæ pariunt obscuritatem, vt in exemplis, quæ in contextu proponuntur.

26 *Quòd si non est.* Obiter addit Aristoteles, vt definitio perspicua fiat, vitandas esse metaphoras, quæ plerumque pariunt obscuritatem, vt homonymiæ. Intellige repudiari metaphoras, non semper, sed plerumque: quia plerumque obscuritatis causę sunt. Interdum tamen verba translata propriis sunt magis perspicua: interdum propria vocabula desiderantur: túncque non ab surdè vtemur metaphoris. sed regulariter ab eis esse abstinẽdum, probat Philosophus hoc argumẽto: Si in definitionibus licet vti metaphoris, licebit etiam disputare metaphoris: sed hoc non licet, vt declarabitur lib. 6. Top. cap. 2. ergo neque illud licet. Cõsequẽtia patet: quia sæpe in disputationibus adhibendæ sunt definitiones, vt intelligatur, quid sit id, de quo disputatur. quare si in his definitionibus sint metaphoræ, erunt etiam in disputationibus.

IN CAP. XIV. DE INVENTIONE PROBLEmatum.

A Quæstione quid sit, transit ad quæstionem cur sit. Hic oportet primùm inuenire problemata; deinde quærere medium, & causam, per quam demonstretur. Meritò igitur Aristoteles in hoc capite incipit ab inuentione problematum. sunt enim multa problemata in eadem scientia, vt expositum fuit superiori libro, cap. 12. part. 14. & 15. cuius loci supplementum esse hoc caput, non malè quis dixerit.

1 *Vt autem habeamus.* Varia sunt genera eorum de quibus proponuntur problemata. & ex his quædam sunt synonyma, de quibus Aristoteles in hac 1. partic. loquitur. Primò igitur docet, qua methodo in synonymis sint quærenda problemata: & ostendit esse vtendum methodo diuisiua; qua progrediamur vel per sectiones, id est, à toto ad partes, veluti ab animali ad caput, brachia, crura, pedes; vel per diuisiones, i. ab vniuersalibus ad particularia. i. à genere ad species. Secundò cùm ait, *veluti si animalia*, affert exẽplum diuisionis generis in species: vt cùm primò quæ rũtur affectiones, quæ in sunt animali; deinde affectiones, quæ insunt

ſpeciebus animalis, putà auibus. Tertiò cùm ait, *conſtat enim*, occupat obiectionem quandam. Potuiſſet enim aliquis credere, fruſtra quæri affectionem communem de genere, aut ſaltem hanc quæſtionem non ſufficere, ſed vlteriùs quæri debere de ſingulis ſpeciebus: veluti ſi probatum ſit animal vigilare & dormire, hoc vlteriùs probandum eſſe de homine, de equo, & de aliis ſpeciebus animalis. Reſpondet Ariſtoteles, ſufficere demõſtrationẽ de genere factam. Satis enim conſtat, quicquid generi ineſt, id etiam ſpeciebus per genus ineſſe: quod facilè per ipſum genus probari poteſt: veluti ſi animal ſentit, homo autem eſt animal, conſtat hominem ſentire. Quartò cùm ait, *nunc ergo*, oſtendit ſe locutum eſſe de rebus ſynonymis, quæ non tantùm habent naturam communem, ſed etiam commune nomen naturam illam ſignificans.

2 *Oportet autem.* Quod docuit de ſynonymis, quæ habent communem naturam & commune nomen, producit ad ea, quæ tantùm habẽt naturam communem, nomine autem communi carent. Ideo ait oportere non in his tantùm conſiderare, id eſt, nõ tantùm in his ſynonymis quærere affectiones diuiſiua methodo, ſed etiam accipere, ſi aliud quidpiam ſit commune. Aliud quidpiam intellige, quod non eſt ſynonymum, quia non habet nomen commune. Ergo in his quoque rebus oportet accipere primùm quod commune eſt, deinde quibus hoc eſt conſequens, id eſt, ſpecies quibus hoc commune attribuitur. item qualia ſint huic cõſequentia, id eſt, quæ ſint affectiones quæ cõmuniter inſunt huic generi innominato. Deinde cùm ait, *veluti cornua*, rem illuſtrat exemplis.

3 *Præterea alia.* Eandem methodum docet eſſe adhibendam in iis quæ communia ſunt ſecundum analogiam; & dat exemplum ſepij, ſpinæ, & oſſis: habent enim eandem rationem ſepium in piſce marino, qui vocatur ſepia, & ſpinæ in aliis piſcibus habentibus ſpinas, & oſſa in animalibus habẽtibus oſſa. Itaque conſiderauit Ariſtoteles tria rerum genera: Primò ſynonyma, quæ ſunt communia ſecundum nomen & ſecundum eſſentiam: Secundò ea quæ ſunt communia ſecundum eſſentiam duntaxat: Tertiò communia ſecundum analogiam. Alia ſunt communia ſecundum nomen tantùm, id eſt, homonyma, quæ meritò ab Ariſtotele prætermittuntur; quia nihil de his communiter demonſtratur; ſed homonymiæ in ſcientiis & demonſtrationibus ſunt vitandæ.

IN CAP. XV. QVO DECLARATVR, QVATENVS IDEM MEDIUM AD PROBLEMATA DEMONſtranda adhibeatur.

CVm rationem docuerit obſeruandam in problematis inueniendis: conſequẽter agit de inuentione cauſæ, ſeu medij, per quod poſſumus inuentum problema demõſtrare. In hoc capite quærendum proponit, vtrùm, quotieſcunque fit aliqua mutatio problematis, debeat etiã nouum mediũ quæri, an idem medium poſſit retineri, & pluribus quæſitis accommodari. Declarat autem tria problematum genera, quæ aliquo modo habent idẽ medium. Primò exponit primũ genus, id eſt, eorum problematũ, quæ habent medium idem ſpecie. i. demonſtrantur per eandẽ cauſã. vtputà *ἀντιπερίστασις* .i. rei contrariæ circumſtantia, eſt cauſa, propter quã gignitur grando: nẽpe quia humor frigidus in aere contrahitur ob calorẽ circũfuſum. eadem cauſa eſt, cur hyeme facilior ſit cibi cõcoctio: quia ſcilicèt naturalis calor ad partes internas contrahitur propter frigus circumfuſum. eadẽ etiã cauſa eſt, cur loca ſubterranea æſtate ſint frigida, hyeme autem calida: nempe quia æſtate frigus contrahitur ob calorẽ circũſtantem, hyeme autẽ calor cõtrahitur propter frigus circumfuſum. Secundò, cùm ait, *horum autem*, explicat ſecũdum genus problematũ, quæ habẽt mediũ idem genere, nõ ſpecie. Exẽpli gratiã, cur fit echo? cur apparet imago in ſpeculo? & cur fit iris? Cauſa in genere eadem eſt, nempe repercuſſio ſeu reflexio: in ſpecie autem cauſæ diuerſę ſunt. nam echo fit per reflexionem aeris: in ſpeculo reflectuntur ſpecies viſibiles: iris fit propter reflexionem radiorum Solis in nube. Notandum eſt, eatenus vocari idem problema, quatenus eſt idem mediũ. veluti ſi mediũ genere eſt idẽ, etiã problema eſt genere idem. Idcirco cùm Ariſtoteles docere vellet problemata habere medium genere idem, dicit problemata eſſe genere eadẽ: quę tamen habent differẽtias, .i. differũt ſpecie, eò quòd aliorũ, vel aliter ſunt. Aliorũ ſunt: veluti alia eſt reflexio radiorum Solis, alia reflexio aeris, alia reflexio ſpeciei viſibilis: hæc enim ſub eadem ſpecie non cõtinẽtur. Aliter autẽ ſunt: veluti ſi ponamus aliter reflecti aerem, cùm fit echo: aliter reflecti ſpeciem viſibilem, cùm fit imago. Sicut.n. vel eadem, vel diuerſa res reflectitur: ita etiã vel eodẽ vel diuerſo modo reflectitur. Tertiò cùm ait, *alia verò*, proponit tertium genus problematum, quæ ſunt ita ſubordinata, vt mediũ vnius pendeat à medio al-

dio alterius:proinde mediũ primi problematis per consequentiam est causa etiã secundi problematis. Exẽpli gratiá, quia Luna extremo mense deficit,(menses Lunares intelligit Aristoteles, quibus vtebantur Græci) ideo extremus mensis est hybernior.i.magis pluuiosus.& quia extremus mẽsis est hybernior, ideo Nilus extremo mense concitatior fluit. Ergo huius incremẽti Nili prima causa est, quia Luna deficit.atque hoc mediũ, Lunam deficere.i.nouilunium non solùm est causa cur extremus mẽsis sit hybernior,sed etiam cur Nilus maior & concitatior fluat. Quare duo problemata eãdem causam habent:sed vnũ eã habet immediatè, alterũ verò, quatenus habet aliã causam, quæ sub ea cõtinetur.

IN CAP. XVI. DE CAVSA EX effectu arguenda.

IN cap. præced. docuit Aristoteles, quodnã medium sit quærendũ.i.vtrùm idem an diuersum:nunc verò docet, quomodo sit quærendũ:& ostendit, causam, quæ est verũ mediũ, si ignota sit, esse arguendam per effectũ, quæ est demonstratio τὸ ὅτι, quam vocant à posteriori, quia effectus est posterior causã.

1 *De causa verò.* Primò proponit quæstionem, an, sicuti positá causá ponitur effectus, id est, rectè arguitur a causa ad effectum; ita etiam posito effectu ponatur causa, ita vt rectè arguatur ab effectu ad causam. Secundò cùm ait, *veluti si arbor,*]declarat hanc quæstionem exemplis. Nã lata habere folia,(exempli gratiá) est causa cur arborum folia cadant, & interpositio terræ est causa eclipseos. An igitur poterimus probare arborẽ constare latis foliis, quia eius folia cadunt? & terram interponi, quia Luna deficit? Tertiò cùm ait, *nisi enim sit*, probat rectè argui ab effectu ad causam: vtrúrque hoc syllogismo hypothetico: Nisi posito effectu ponatur causa, alia erit huius effectus causa: sed consequens est falsum:ergo & id, ex quo sequitur. Consequentia patet: quia nõ potest esse effectus sine causa. Falsitas consequentis patet: quia supponimus vnius effectus vnam esse causam, vt probatiùs Aristoteles demonstrabit sequẽti capite. Atqui iã supposuimus illã esse causam, putà habere lata folia, vel terram interponi. non potest igitur esse alia causa. Hoc est, quod Aristoteles ait, *nisi sit*.i. nisi causa ponatur:(sensus est, nisi liceat arguere ab effectu ad eam causam, à qua rectè ad effectum arguitur: putà nisi posita eclipsi ponatur interpositio terræ: & nisi positá de fluxione foliorum ponatur latitudo foliorũ) nisi(inquam) hoc sit, *alia quædam erit eorum causa*.i.alia erit causa, propter quam folia cadunt, vel Luna deficit, alia (inquam).i. diuersa à latitudine foliorum, & à terræ interpositione. supple, Quoniam igitur alia causa esse nequit, necesse est posito effectu poni hanc causam. Quartò cùm ait, *siue causa sit*, docet, sicuti posito effectu ponebatur causa, ita positá causã poni effectum. hoc enim est fundamentum dubitationis, quę in sequenti partic. proponetur.

2 *Quod si ita.* Sententiam suprà expositam impugnat deductione ad impossibile. sic enim fiet, vt demõstretur causa per effectũ, & effectus per causam: atqui ita demõstrationes erunt circulares cõtra doctrinam tertij capitis libri præced. Primò Aristoteles inquit, ex ea doctrina sequi hoc absurdum, quòd demonstrationes reciprocæ & circulares fiant. Secundò cùm ait, *Esto namque*, incipit deducere ad hoc absurdũ: & proponit demonstrationẽ effectus per causam. Quicquid latis foliis constat, defrondescit: atqui omnis vitis latis foliis constat: ergo omnis vitis defrondescit. Tertiò cùm ait, *Sed & latis*, subiicit reciprocam demonstrationem causæ per effectum: Quicquid defrondescit, latis foliis constat: omnis vitis defrondescit: ergo omnis vitis latis foliis constat.

3 *At si non possunt.* Soluit obiectionem propositam per negationem consequentiæ. negat enim nos deduci ad eam absurditatem, quòd sint demonstrationes circulares. dicuntur enim demonstrationes circulares, prout circulus demonstrationũ à veteribus ponebatur, & ab Aristotele refellitur, quando omnes sunt veræ demonstrationes τὸ διότι. sed in obiectione propositá, altera est vera demonstratio τὸ διότι, quæ fit per causam; altera non est talis, quæ fit per effectum: ergo non sunt demonstrationes circulares. Demonstrationẽ autem per effectũ, nõ esse verã demõstrationẽ, probat Aristoteles ex eo, quòd omnis vera demõstratio est ex prioribus, vt probatum fuit cap.2. superioris libri. cùm igitur causa, per quã demõstratur effectus, sit prior effectu, nõ potest etiã ille effectus, licèt per eum demonstretur causa, esse prior quàm causa: alioquin idẽ eodem esset prius, & posterius. Quando igitur progredimur ab effectu ad causam, deinde reuertimur à causa ad effectum, vt facit Arist. 8. Phys. & aliis locis: non est talis circulus, sed à scholasticis vocatur regressus. quãuis enim magna sit de regressu disputatio: tamen eorũ sententiam verissimam puto, qui regressum concedunt, ab aliis perperã damnatũ.

4 *An contingit.* Proponit alteram obiectionem, qua videtur euerti ratio posita in 1. partic. & simul sententia contraria confirmari. Ratio namque primæ partic. nite-

batur hoc fundamento,quòd vnius effectus est vna causa:nūc autem Aristoteles in contrarium argumentatur:& quia eiusdem effectus possunt esse plures causæ, hinc colligit posito effectu non necessariò poni aliquam causam;quia fortasse effectus nō fluxit ab hac,sed ab alia causa.Exempli gratiâ, si tam febris,quàm vulnus est causa mortis: malè sic argues,mortuus est, ergo laborauit febri:quia fortasse fuit vulneratus,& absque febri extitit. Rursus non poteris ita arguere:Mortuus est,ergo vulneratus est:quia fortasse febri est extinctus absque vllo vulnere. Posse igitur esse plures causas eiusdem effectus, probat Aristoteles ex eo, quòd idem potest duobus attribui per duo diuersa media:vt τῷ α potest probari de δ per medium β,& de ε per medium γ.Ergo eiusdem effectus.id est,τῷ α sunt duo media,nempe β, & γ. Vide lib. præced.cap.12 part.vlt.& cap.29. part. 2. Si placet hîc quoque ponere exemplum in rebus ipsis:iustus laudatur quia iustè agit:& liberalis laudatur,quia liberaliter agit.ergo huius effectus, id est laudis, duæ sunt causæ,videlicet actio iusta, & actio liberalis.

5 *An si problema.* Ex natura demonstrationis soluit propositam obiectionem.Cùm enim idem effectus,vt laus,de diuersis subiectis,vt de iusto & de liberali, probatur per diuersa media,vt per actionem iustā,& per actionem liberalem : tunc media non sunt veræ causæ:& illa subiecta non sunt vera & vniuersalia subiecta : & illę demōstrationes non sunt verę& potissimę demonstrationes. Quod Aristoteles inde ostendit: quòd in omni vera&potissima demōstratione omnes attributiones,tam in propositionibus,quàm in conclusione fiunt vniuersaliter primæ,adeo vt omnes termini reciprocentur,vt fuit probatū superiori libro cap.6. Sed in dato à nobis exemplo non erant veræ demonstrationes,nec allata fuit vera causa,nec proposita vera subiecta:sed demonstratum fuit de speciebus,quod erat demonstrandum de genere:& sumpta sunt media specialia,cùm sumi deberet mediū generale. Vt igitur esset vera demonstratio : oportebat sumere pro subiecto,seu minori extremo, virtute præditum,sub quo continetur tam iustus,quàm liberalis.item oportebat accipere pro medio termino, bene agere, vel secundum virtutē agere:sub quo continentur iustè agere,& liberaliter agere.Sic fuisset vna vera causa,& vera demonstratio,hoc modo cōcepta Quicumque bene agit,est laude dignus: omnis vir bonus bene agit : ergo omnis vir bonus est laude dignus.Hoc est, quod Aristoteles ait,*si problema est vniuersale,*(i.de omni per se & quatenus ipsum)*.itam causa[est]totum quid dam:*(i.non sunt plures veræ causæ; sed vna est causa vniuersalis,quæ omnes illas sub se complectitur)*& id cuius[est]causa,[est]vniuersale.*i. etiam ipse effectus est de omni,per se,& quatenus ipsum.Deinde cùm ait,*veluti defl. endescere,*hoc declarat exemplo:& sumit hunc effectum,arborem defrondescere, qui inest *toti cuidam determinato , si etiam eius species sint.*i. attribuitur cuidam generi vniuersali,& de vno illo debet demonstrari,nō de eius speciebus, licèt sub eo genere sint multæ species, quibus omnibus eadem affectio inest,non tamquàm subiectis primis & vniuersalibus. *ac talibus* (subaudi subiectis primis & vniuersalibus)inest(subaudi,affectio) *vniuersaliter,*id est,de omni,per se, & quatenus ipsum. subiicit autem exemplum eiusmodi subiecti,cùm inquit[*s.*] *vel plantis,vel talibus plantis.* Sensus est, subiectum eius affectionis,quam vocamus defrondescere, exempli gratiâ est planta,vel species quędam plantæ,hoc est,eiusmodi planta, quæ habeat lata folia. Tertiò cùm ait, *Quocirca,* ex dictis concludit,*in his*(i.cùm affectio demonstratur de suo vero & primo subiecto)*& mediū, &[id]cuius[est]causa,æqualia esse ac reciprocari.* i. causam & effectum reciprocari, ita vt positā causā ponatur effectus,& posito effectu ponatur causa : quia vnius effectus vna est causa.Quartò cùm ait, *veluti cur arbores,* vt hoc apertiùs declaret,accommodat hanc doctrinam dicto exemplo,quo demonstratur arborem defrondescere.sed hic sumit aliam causam. suprà namq; ponebat causam esse lata folia: nunc autem ponit concretionem humoris:nimirum, quia hæc exempli causā proponuntur,&in exemplis nō requiritur exacta veritas. Ait ergo hæc duo reciprocari,arborem defrondescere, & concretionem humoris.

IN CAP. XVII. QVO QVÆRITVR, AN VNIVS EFFECTVS sint plures causæ.

QVod dixit superiori capite, vnius effectus esse vnam causam,id in quæstionem reuocat, & diligentiùs declarat. Cùm autē vnus effectus duobus modis possit accipi : vel. n. vna est affectio in diuersis subiectis,vel vna affectio in vno subiecto:docet Aristoteles,neutro modo plures esse causas in demonstrationibus per se : præcipuè tamen respicit ad priorem modum, quiest magis dubius.nam si plures causæ non possunt esse vnius affectionis in pluribus subiectis, multò minùs in vno subiecto esse poterunt.

Hæc

Hæc ita se habent in veris causis per se, ex quibus fiunt veræ demonstrationes. Aliàs possunt esse plures causæ eiusdem effectus tribus modis. Primus modus est, si sumatur causa per accidens, non per se, id est, causa nostræ cognitionis, non causa cur res sit: veluti cùm demonstratur ab effectu. Secundus modus est, cum loco causæ totalis sumuntur separatim eius partes. Exempli gratiâ, ignis est causa luminis: item Sol est causa luminis: ergo sunt plures causæ. Vna tamen est vera causa, nempe corpus lucidum. nam ignis non est causa luminis, quatenus est ignis; nec Sol, quatenus est Sol; sed vtrumque, quatenus est corpus lucidum. Tertius modus est, quando causæ sunt subordinatæ, vt suprà expositum fuit. Exempli gratiâ, latitudo foliorum est causa cur humor concrescat, & concretio humoris est causa cur folia cadant; ergo duæ sunt causæ casus foliorum subordinatæ, altera proxima, altera remota. nam causa causæ, est etiam causa causati. Hinc oritur quæstio, quæ tractatur in cap. seq. quando sunt plures causæ subordinatæ, vtra earum causarum potior sit.

IN CAP. XVIII. QVO QVAERITVR, VTRA causa prior sit, propióne, an magis vniuersalis.

1 *Vtrùm autem.* Proponit quæstionem Vtrùm duorum mediorum sit magis causa singulis: (subaudi, subiectis, de quibus demonstratur) idne, quod accedit ad primum vniuersale, id est, quod est propinquius maiori extremo; an quod magis accedit ad singula, id est, quod est propinquius minori extremo.

2 *Constat igitur.* Ad quæstionem propositam respondet, eam esse causam potiorem, quæ propinquior est minori extremo. quod declarat exemplo alphabetico. nam si τὸ α dicitur de β, item τὸ β de γ, item γ de δ: constat α probari de δ tam per β, quàm per γ: sed rectiùs per γ, quam per β. Quod Aristoteles ex eo probat: quia si probemus per β, deinde oportebit probare β per γ: ergo τὸ γ est potior causa, cùm sit causa cur τὸ β dicatur de δ. Vt addam reale exemplum: sit α, casus foliorum: β, concretio humoris: γ, lata folia: δ, vitis. Si probes vitis folia cadere, ex eo quòd humor concrescit: deinde oportebit te probare humorem concrescere, quia sunt lata folia. ergo hæc est prima & potissima causa.

3 *De syllogismo.* Epilogo concludit tractatum de syllogismo, & tractatum de demonstratione. Hic epilogus respondet propositioni, quam habuimus initio primi libri Priorum. Ita Aristoteles ostendit se fidem suam liberasse, & exposuisse ea, quæ se expositurum promisit. Ait, *quoniam idem est.* Intellige idem esse, non quia sit omnino idem, demonstratio & scientia demonstratiua: (nam scientia est finis: demonstratio verò est organū logicum, quo cum finem consequamur) sed intellige esse eandem expositionem; quia non potest vnum exponi sine altero.

DE COGNITIONE PRIMORVM PRINCIPIORUM.

Tractatus VI.

IN CAP. XIX. DE COGNITIONE PRIMORUM PRINCIPIORUM.

De cognitione principiorum demonstratiuorum dictum est in variis superioris libri locis: præsertim cap. 2. partic. 10. & 15. & cap. 3. & cap. 7. part. 5. ex quibus locis intelleximus principia non demonstrari, sed alio quodam cognitionis genere percipi. Quodnam igitur sit illud cognitionis genus, & quomodo à nobis comparetur, in præsentia declarat. Hoc caput obiter esse adiectum, & esse potiùs appendicem ad opus logicum, quam tractatum logicum, apparet ex epilogo præcedenti capiti subiecto; quo Philosophus ostendit se ea omnia enarrasse, quæ initio primi Priorum proposuerat explicanda.

1 *Quomodo autem.* Duas quæstiones de primorum principiorum cognitione examinandas proponit. Prior quæstio est, quomodo eorum cognitio comparetur: Posterior est, qualis sit ea cognitio. Ait, *cum priùs dubitatum fuerit.* Significat, se, antequàm duas quæstiones propositas dissoluat, propositurum in 4. partic. dubitationem, quasi principia nullo modo cognosci possint.

2 *Non posse igitur.* Ponit fundamentum quæstionum propositarum, hoc est, sciri non posse per demonstrationem, quin etiā principia demōstrationis cognoscātur. Rectè ponit hoc fundamentū: quia nisi principia cognoscerentur, frustra quæreremus quomodo cognoscerētur. Ait, *dictum antea fuit.* cap. 2. lib. superioris.

3 *Virum autem immediatorum.* Apertiùs explicat vim quæstionũ propositarũ. Huiuscemodi expositionẽ scholastici appellare solent titulũ quæstionis. In hac autẽ expositione inuertit ordinẽ quæstionum. nam posteriorẽ priori loco proponit; priorẽ autẽ posteriori loco. Primò igitur proponit posteriorẽ quæstionẽ. i. qualis sit cognitio principiorũ, quæriẽs, vtrũ sit eadẽ, an diuersa: subaudi, à scientia demonstratiua, cuius mentionem fecerat in præce. part. Secundò cùm ait, *& sine*, magis declarans hanc quæstionẽ & pluribus verbis eã repetens, proponit quæstionẽ tripertitã. aut enim vtriusque .i. conclusionis & principiorũ est scientia; (subaudi, demõstratiua & propriè dicta) aut neutrius, (quia neque conclusio, neque principia per demonstrationẽ sciuntur) aut alterius (,i. conclusionis) est scientia, alterius autẽ (.i. principiorũ) est aliud cognitionis genus, nempe intelligentia, vt paulò pòst declarabitur. Tertiò cùm ait, *& vtrùm habitus*, exponit priorẽ quæstionẽ, quomodo acquiratur cognitio primorũ principiorũ. hic ponit duo membra. aut enim nõ inest nobis à natura & ab ortu, sed acquiritur progressu temporis, cùm nascamur omniũ rerũ, atque adeo etiã primorũ principiorũ ignari: aut hæc cognitio nobis natura inest, sed in infantia latet propter nimium cerebri humorem, quo fit vt intellectus infantis non possit edere suas operationes.

4 *Si igitur eos.* Priusquàm veritatem declarat, dubitationem proponit vt part. 1. promiserat. Est autem dubitatio cõtra fundamentum quæstionum, proinde contra vtramque quæstionẽ, præcipuè tamen contra priorem, qua quærebat, vtrùm principiorum cognitio nobis naturá insit, an acquiratur. hic enim dubitatur, quasi neutro modo principia cognoscantur. nam si neutro modo cognoscuntur; frustra quæritur, vter illorũ modorum sit accipiendus; item frustra quæritur, qualis sit ea cognitio. Vtrumque Aristoteles probat per deductionem ad absurditatem. & primò probat cognitionem primorum principiorum nobis non inesse naturá, ita vt in infantia lateat. nam si hoc esset: sequeretur hoc absurdum, infantes habere cognitionem exquisitiorem demonstratione, id est, scientiá demonstratiuá, & nihilominùs eos latere quod iam exquisitè scirent. Hoc autem esse perspicuè absurdum videtur, si quem id lateat, quod maximè cognoscit. Consequentia patet ex iis, quæ didicimus ex lib. 1. cap. 2. part. 16. magis cognosci principia, quàm conclusionem. Secundò cùm ait: *si verò eos,* probat cognitionem principiorum à nobis non acquiri: quia si acquireretur, principia discerentur ex antecedente cognitione: sed consequens est falsum & impossibile, quia hæc sunt prima principia: ergo falsum etiã est id, ex quo sequitur. Notanda sunt illa verba, *vt etiam de demõstratione dicebamus*: quibus verbis respicit ad primam part. 1. cap. lib præced. & perspicue ostendit axioma illud, Omnis doctrina &c. à se fuisse prolatum de demonstratione, non (vt quidam exponunt) de quacumque cognitione, etiã dialectica. Tertiò cùm ait, *perspicuum igitur*, concludit neutro modo cognitionẽ principiorũ in nobis esse posse.

5 *Quare necesse.* Respondet ad priorem quæstionem, & docet, quomodo cognitio principiorũ constituatur. hæc neque connata est, neque acquiritur ex antecedente cognitione intellectiua, sed per inductionem quandã comparatur. dum ex multis particularibus, quæ à sensu suggeruntur, intellectus colligit vniuersale. fit enim ex sensu memoria: ex memoria fit experientia: ex hac vniuersale, vt Aristot. hoc loco declarat, & lib. 1. Metaph. cap. 1. Vt hoc rectè intelligamus, primò Aristoteles cõstituit tria animalium genera, seu tres gradus: in quorũ summo gradu collocatur homo: & explicat, quomodo in homine hoc fiat. Initio igitur huius particulæ docet necesse esse ad principiorũ cognitionem acquirendam, esse præditum quadã animi facultate, cuius cognitio non sit exquisitior, nec præstantior cognitione primorum principiorũ, sed potiùs sit rudimentũ quoddam, seu præparatio quædam ad cognitionẽ principiorum. Secundò cùm ait, *Videtur autem*, declarat quænã sit hæc facultas: & inquit esse facultatẽ sensitiuam, quæ inest omnibus animalibus. Atqui non omnia animalia acquirũt cognitionem primorum principiorum proinde necesse est secernere animalia apta ad hanc cognitionem capessendam, ab animalibus ineptis. Quod vt faciat Philosophus, Tertio loco, cùm ait, *cùm autem sensus*, diuidit animalia in duo genera. nam alia sentiunt tantùm obiectum præsens, vt muscæ, & cetera insecta: alia verò sunt, in quibus species sensibiles manent, ita vt ex sensu nascatur memoria. quæ nihil aliud est, quã permansio rei sensibilis, etiã postquàm res sensui præsens esse desiit. Declarans autem horum animalium discrimen, inquit ea animalia, quæ memoriâ carent, non habere aliam cognitionem, præter eam qua sentiunt obiectum præsens: iis verò animalibus, quæ memoriâ prædita sunt,

fieri

fieri vnum quid in anima, id est, gigni in anima imaginem rei sensibilis. sicut enim gutta sæpius cadendo cauat lapidem; ita obiectum sensibile sæpius feriendo sensum, gignit sui imaginem in anima. Quartò cùm ait, *cùm autem multa*, subdiuidit animalia memoriâ prædita. in aliis nãque, nempe in hominibus, ex memoria fit ratio: in aliis verò, id est in brutis, non fit. Ex his habemus tres animantium gradus. Primus est eorum, quæ tantùm sentiunt obiectum præsens: secundus est eorum, quę habent memoriam, proinde non tantùm cognoscunt obiectum præsens, sed etiam absens. Tertius est eorum, in quibus est non solùm cognitio sensitiua, tam obiecti absentis, quàm præsentis, sed etiam ratio & cognitio intellectiua: atque hoc est genus humanum. Post hæc Aristoteles declarat, quomodo in hominibus gignatur ratio, id est, quomodo ex cognitione sensitiua nascatur intellectiua. Et hîc quoque constituit quatuor gradus cognitionum, docens quomodo ab infimo ad summum gradum fiat progressus. Hi quatuor gradus sunt: sensus rei præsentis, memoria, experientia, & cognitio vniuersalis, quæ est cognitio illa primorum principiorum, quam quærimus. Quintò igitur, cùm ait, *Ex sensu igitur*, docet, ex sensu rei præsentis fieri memoriam, vt paulò antè exposui. Sextò cùm ait, *ex memoria verò*, docet ex repetita eiusmodi rei memoria fieri experientiam. & ideo inquit multas memorias efficere experientiam vnam. sicut enim sæpius percipiendo rem sensibilem, gignebatur vna imago seu species, cuius retentionem vocamus memoriam: ita etiam ex multis memoriis colligitur experientia. Exempli gratiâ, quia memini me obseruasse rhubarbarum purgasse choleram in Socrate, in Platone, in Aristotele, inde colligo experientiam, & iudico prębendum esse rhubarbarum alii cuipiam purgandæ choleræ causâ. Septimò, cùm ait, *at verò ex experientia*, docet, ex experientia nasci cognitionem vniuersalem, quæ quidem est cognitio primorum principiorum. cùm enim sæpe expertus sim rhubarbarum purgasse choleram, meus intellectus inde colligit vniuersale, Omne rhubarbarum purgare choleram. Quomodo autem hoc fiat, Aristoteles in præsentia non declarat, sed in libris de anima, vbi docet hoc fieri, dum intellectus agens nõ aliter illustrat phantasmata, quàm radii solares illustrent obiecta aspectus, adeo vt ea ex intelligibilibus potestate reddat intelligibilia actu, quemadmodum lumen ita afficit obiecta visus, vt cùm aspectabilia sint potestate tantùm, actu autem propter tenebras non cernantur, reddat ea actu aspectabilia. Quod ad verba contextus: notandum est, Aristotelem multis appellationibus significare & circumscribere ipsum vniuersale, vt meliùs intelligamus, quomodo in anima gignatur, dũ experientia, quę erat cognitio sensitiua, virtute & operatione intellectus conuertitur in cognitionem intellectiuam. Primò, vocat vniuersale quiescens in anima. vocat vniuersale: quia sub se complectitur particularia. vocat quiescens in anima: quia in anima, id est, in intellectu permanet, sicut memoria in sensu permanebat. Secundò, vocat vnum præter multa: quia ex multis particularibus colligitur, & abstrahitur per intellectum. Tertiò, inquit esse vnum & idem in illis multis: quibus verbis videtur sibi contradicere. nam si vniuersale est præter multa, quomodo est in multis? Sciendum est, quatenus vniuersale est in intellectu, dici præter multa; sed quatenus hoc vniuersale est imago seu species eius naturæ, quæ in multis eadem reperitur, eatenus dici vniuersale in multis. est enim quodammodò idem, vniuersale quod est in anima, & vniuersale quod est in multis: sicut eadem est Socratis forma in ipso Socrate, & in imagine Socratis, quam speculum repræsentat. Sic Aristoteles concedit vniuersale in multis, & vniuersale præter multa, seu post multa, quod fit à nostro intellectu: non concedit autem vniuersale ante multa, id est, ideas Platonicas: immo eas refutauit superiori lib. cap. 11. vbi vocabat vnum præter multa, id est, ante multa. hîc verò vnum præter multa, significat quod est post multa. Tandem cù n ait, [*sit*] *principium artis & scientiæ*, docet hæc vniuersalia esse principia artium & scientiarum: vt hinc intelligamus iam expositum esse, quomodo acquiratur cognitio primorum principiorum: siquidem expositum est, quomodo fiunt vniuersalia in intellectu, quæ quidem sunt prima principia. Inquit autem Aristoteles esse principia artis, si pertineant ad generationem, id est, ad efficiendum: velut, Omne rhubarbarum purgat atram bilem. esse autem principia scientiæ, si pertineant ad id quod est, id est, non ad efficiendum aliquid artificiosum, sed ad cognoscẽ lun

quod iam naturâ est: veluti Omne totum est maius sua parte.

6 *Itaque nec insunt.* Ex dictis soluit dubitationem propositam in 4. part. ac docet principiorum cognitionem nec esse connatam, neque acquiri ex alia antecedente cognitione; quia cùm nulla esset cognitio in intellectu, tamen in eo gignitur cognitio primorum principiorum, suggerente sensu phantasmata, ex quibus intellectus efficit vniuersale. Ita ergo ex multis particularibus quæ sensus suggerit intellectui, fit vniuersale. Quod Aristoteles declarat eleganti exemplo, cùm ait, *vt in bello.* Fugato namque & dissipato exercitu, singuli milites considerantur tamquàm particularia quædam. Deinde cùm instauratur prælium, vnus, putà dux, consistit, deinde alter accedit, tum alii, atque alii, donec ex multis militibus constituatur exercitus vnus, quasi vniuersale quoddam. Tandem cùm ait, *anima verò*, docet animam (subaudi, humanam) esse talem, quæ possit hoc pati, id est, quæ possit recipere multas rerum imagines permanentes, ex quibus fiat vniuersale: sicut campus recipere potest multos milites, ex quibus fiat vnus exercitus.

7 *Quod autem antea.* Apertiùs explicat solutionem prioris quæstionis propositam in 5. partic. id est, proposito exemplo apertiùs docet, quomodo vniuersale gignatur in anima, & quomodo ex primis vniuersalibus, vt ex speciebus specialissimis, colligantur alia magis vniuersalia: vt genera; & rursus illorum generum genera, donec perueniamus ad generalissimum. Primò ergo proponit explicandum, quod antea dictum fuit in 5. partic. Secundò cùm ait, *stante enim*, incipit hoc explicare, & ponit primum vniuersale, nempe speciem specialissimam: & inquit, cùm primùm in anima stat (stare hîc dicit, quod suprà vocabat quiescere, id est, manere) aliquod indifferens, id est, aliqua species specialissima, quam vocat indifferentem: (subaudi, speciei: sicut suprà appellauerat speciem indiuiduam, quia non diuiditur in alias species) cùm (inquam) primùm talis species est in anima, tunc primùm est vniuersale. nam priusquàm hæc species gigneretur, erant tantùm particularia in anima. Et hoc magis declarans, subdit, *etenim sentitur.* Sententia horum verborum est, sentiri particularia, sensum tamen esse vniuersalium. quod iam exposui superiori lib. cap. 31. part. 1. vt putà videmus hunc, aut illum colorem: obiectum tamen aspectus non est hic, aut ille color, sed simpliciter color. Tertiò cùm ait, *rursus in his*, progreditur à speciebus specialissimis ad genera: & inquit stari in his speciebus specialissimis, donec perueniatur ad impartibilia & vniuersalia, in illisque stetur. Impartibilia & vniuersalia accipit *τὰ ἀμερῆ*: quoniam vniuersale ita in particularibus inest, vt non per partes, sed totum in singulis insit. Verbi gratiâ totum animal est in vno homine, & totum in vno equo, & totum in vno boue. itaque etiamsi diuidatur in species, tamen non diuiditur in partes. Iam verò hunc progressum à speciebus specialissimis ad genus superius, declarat exemplo, cùm ait, *veluti huiusmodi animal.* sensus est, animum quiescere in tali animali, putà in homine, donec progrediatur ad superius genus, nempe ad animal. Quartò cùm ait, *& in hoc itidem*, declarat progressum à genere speciebus specialissimis proximo ad genus superius. qui progressus est planè præcedenti similis. nam similiter statur in hoc, id est, in animali, donec progrediamur ad superius genus, vt ad viuens. & ita deinceps vsque ad genus generalissimum. Quintò cùm ait, *patet igitur*, concludit prima principia vniuersalia cognosci per inductionem ex multis particularibus suggestis à sensu.

8 *Quoniam autem.* Hactenus docuit, quomodo principiorũ cognitio acquiratur, satisfaciens priori quæstioni: nunc respondet ad posteriorẽ quæstionem, qualis sit cognitio principiorũ: & triplici argumento probat eam esse intelligentiam, non scientiam. Primi argumenti vis hæc est: Cognitionem principiorum neque esse opinionem, neque logismum, id est, ratiocinationem, neque scientiam: proinde relinqui, vt sit intelligẽtia. Enumeratio videtur esse imperfecta: idcirco argumentum non valere: quia sunt & alii habitus, de quibus lib. 6. Ethicor. Nicom. nempe ars, & prudentia. & sapientia. Sed Aristoteles omittit artem, & prudentiam: quia perspicuum est, talem non esse cognitionem principiorum. Item omittit sapientiam: quia sapientia nihil aliud est, quàm cognitio composita ex intelligentia principiorũ. & scientia conclusionis. Quod attinet ad seriem contextus, Aristoteles ponit aliquot hypotheses, ex quibus infert conclusionem. Primò ponit diuisionem habituum dianoeticorũ: nam alii sunt modò veri, modò falsi, vt opinio, & logismus: (quid sit logismus, exposui superiori lib. cap. 16. part. 1.) alij sunt semper veri, vt scientia, & intelligentia: supple, & ars, & prudentia,

dentia, & sapientia: quos habitus cur Aristoteles prætermittat, iam exposui. Secundò cùm ait, *ac nullum aliud*, ponit alteram hypothesim, nullum aliud esse cognitionis genus exquisitius scientiâ, quàm intelligentiam. Cuius hypothesis veritas apparet ex declaratione horum habituum, quæ habetur lib.6.Ethic. Tertiò cùm ait, *principia verò*, supponit, quo l lib.1. cap. 2. part. 16. probauit, principia demonstrationis esse notiora conclusione, vt hinc intelligamus eorum cognitionem esse præstantiorē scientiâ conclusionis: proinde, per hypothesim præcedentē, esse intelligentiā. Quartò cùm ait, *omnis autem scientia*, supponit omnē scientiam esse cum ratione: vt hinc intelligamus, cognitionē principiorū non esse scientiam: quia non acquiritur ratione, sed est principium rationis. Quintò cùm ait, *profectò principiorum*, ex dictis hypothesibus concludit cognitionē principiorum nō esse scientiam, sed esse intelligentiam. Sextò cùm ait, [*quod*] *vniuersalim*, vtitur nouo argumento ad idem probandum. sic enim arguit à demonstratione ad scientiā: Principium demonstrationis non est demonstratio: ergo principium scientiæ, id est, cognitio principiorū, nō est scientia. Hoc argumentum sumitur à simili. Ex eo autem, quod nō est scientia, per secundā hypothesim antea positā concludit esse intelligentiā. Postremò cùm ait, *& principium quidē*, idē confirmat tertio argumento: quia probabile est, principiū est. principij, id est, intelligentiā, quæ est principium scientiæ, esse cognitionē eorum vniuersalium, quæ sunt principia cōclusionum. Hoc argumentum ducitur à proportione, quæ est inter res ipsas & earū cognitionem. sicut enim in rebus quædā sunt principia, alia ex illis principiis orta: ita in nostro intellectu alia cognitio est principium, alia vero ex eo principio deducitur. i. alia est intelligentia principiorum, alia scientia conclusionis. Quoniam igitur hoc argumentum in proportione illa consistit: idcirco hanc proportionem declarans Aristot. inquit, omnē (subaudi, cognitionē) similiter se habere ad omnē rem. Cùm inquit *similiter*, significat, proportionē, quæ definitur rationū similitudo. Sensus ergo est. Sicut se habet scientia ad conclusionem, ita se habere intelligentiam ad principia. Hic finis huius interpretationis Librorum Analyticorum.

IVLII PACII A BERIGA IN ARISTOTELIS TOPICA COMMENTARIVS

Analyticus.



Xposito syllogismo demonstratiuo, qui ex propositionibus necessariis parit verā & certam scientiam, trāsgreditur Aristoteles ad syllogismū dialecticū, qui ex propositionibus probabilibus conficitur, proinde imperfectiorē scientiam gignit: multis tamen de causis est apprimè vtilis, quæ ab Aristotele declarabuntur cap. 2. Hi libri de syllogismo dialectico inscribuntur *Topica* ἀπὸ τῶν τόπων, i. à locis. Sciendū igitur in primis est, quid sit locus. Sed cùm hoc vocabulum multis modis accipiatur, distinctio est necessaria. Non afferam in præsentia significationes ab hoc opere alienas: veluti cū locus accipitur pro specie quantitatis, vt Categor. cap. 6. sed eas tantùm proponam, quarum in his libris Topicis est vsus. Primò igitur & maximè propriè locus accipitur pro axiomate generali ad nullum entium genus coangustato, cuius in quacumque disputatione vsus esse potest: veluti, Cuius contrariū multis modis dicitur, id multiplex est. Secundò. Locus significat axioma generale, ad nullum certum entiū genus coarctatum, sed tamen ad certum genus disputationis restrictum: qualia sunt axiomata, quæ pertinent ad problema generis, vel definitionis, vel proprij, vel accidentis: veluti, Genus nō accidit speciei: hoc enim axioma quibuscumque rebus accōmodari potest, sed specialiter pertinet ad problema accidentis euertendū. Si quis enim (exempli gratiâ) defendat hanc thesim, albotē esse coloratū: eam rectè impugnabi-

mus ex eo, quòd genus non accidit speciei, color autem est genus alboris: color igitur non accidit albori. quare albor est color, non est coloratus, sicut Aristoteles docebit lib. 2. cap. 2. partic. 1. Huiusce modi axiomata propriè vocantur formæ, teste Philosopho lib. 1. Rhet. ca. 2. vulgò à scholasticis appellantur Maximę. Tertiò locorū appellatione significantur notæ, quibus axiomata inter se distinguuntur. vtputa hoc axioma, Id cuius contrariū multis modis dicitur, multiplex est, à cōtrario ducitur. hoc autē, Id cuius coniugatū multifariam dicitur, multiplex est, à coniugatis sumitur. Ergo hi sunt loci separati, à contrariis, & à coniugatis. Hæ axiomatum notę vulgò nominantur differentiæ maximarū: quia maximas à maximis .i. axiomata ab axiomatis secernunt. Quartò locus significat quodcumque præceptum dialecticū ad copiam probabiliū propositionum habendam conducens. Horum præceptorū quędam traduntur de differentiis maximarū; (veluti, videndum est an contrarium multis modis dicatur: hoc enim est preceptum de contrariis, ex huiusmodi autem præceptis facilè fiunt propositiones siue axiomata dialectica) alia verò sunt pręcepta, quæ non pertinent ad differentias maximarum, nec possunt conuerti in axiomata, quale est illud præceptum, quod Aristoteles tradet lib 2. cap. 2. part. penult. vt ex problemate propositiones faciamus, & cōtra eam obiiciamus, & aliquot alia præcepta, quę suis locis explicabuntur. His expositis, faciliùs intelligetur definitio loci. Reperio plures loci definitiones. Primùm à Theophrasto (vt refert Alexander lib. 1. & lib. 2 huius operis) locus definitur principium siue elemētum, ex quo principia ad quamque rē pertinentia sumimus, quod ad circumscriptionē attinet, explicitè; quod verò ad singula, implicitè. Ab ipso autem Alexandro definitur principium & causa ἐπιχειρήματος .i. (vt ipse interpretatur) dialectici syllogismi. Cic. in Topicis locum definit sedem argumenti. Argumentum autem definit rationem quæ rei dubiæ facit fidem. Nunc singulas definitiones breuiter expendamus, & enarremus. Teophrastea definitio videtur mihi complecti omnes loci significationes. dum enim inquit locum esse principium, respicit ad primam & secundam significationē, quatenus locus est axioma, quod est principium syllogismi dialectici. Cùm autem subiicit, *vel elementum à quo sumimus principia*, respicit ad tertiam & quartam significationē, quatenus locus non est principium syllogismi. i. nō est propositio syllogistica, sed ex eo tamquàm elemento quodā colliguntur propositiones syllogisticę. Deinde a Theophrast. locum esse principium, siue ex loco sumi principia, quod ad circūscriptionē, explicitè; quod ad singula, implicitè. Sensus est, principia illa .i. axiomata dialectica, sunt propositiones, & expressam formā propositionum habent, adeo vt nihil aliud requiratur, quàm vt tali axiomati adiungatur minor propositio, & inferatur conclusio. sed quod ad singula .i. quod ad singulas propositiones speciales, quæ sub vno generali axiomate continentur, ea tantùm cōtinentur implicitè, nōn explicitè. Exēpli gratiâ, hoc est generale axioma, quod explicitè & disertè habet formam propositionis syllogisticę, Propter quod vnūquodque tale, & illud est magis tale. implicitè autem sub se continet multa specialia axiomata, adeo vt ex vno loco possimus eruere multos syllogismos: veluti, Propter quē aliquis diligitur, ille magis diligitur. & , Propter quod conclusionem cognoscimus, id magis cognoscimus. Circumscriptionē igitur Theophrastus appellat generalem illum ambitum axiomatis. i. axioma in sua communitate & latitudine consideratum. Alexandri quoque definitio loco latissime accepto conuenit. omnis enim locus est causa & principium Epicheirematis. sed alius est causa propinquior, vt axioma: alius remotior, vt præceptum. Cicero autem mihi videtur voluisse locū in secūda significatione acceptū definire: nec magis quàm Pe. Ramus, distinguere inter dialecticam & analyticam. nam dialecticam & locos dialecticos docens, ait locum esse sedem argumenti, argumentum autem esse rationem, quę rei dubię fidem facit. Atqui etiam demonstratio est ratio, quę rei dubię fidem facit. Ergo locos non tribuit specialiter argumētationibus dialecticis, quas Alexander vocat ἐπιχειρήματα, sed generaliter quicuscumq; argumentis, & argumētationibus. Iam verò cùm tot modis locus accipiatur: sciendum est, sumi ab Aristotele in latissima significatione, vt omnes illas quatuor significationes complectatur. A loco igitur qui est principium, siue fundamentum argumentationis dialecticę, hi libri, qui locorum instructissimam quandam penum continent, *Topica* inscribuntur. Nec tamen horum locorum tantùm inuentio, sed & eorundem dispositio, atque vsus his libris continetur, vt in progressu & ex

& ex operis enarratione manifestum fiet. Hoc enim opus tam theoriam quàm praxim dialecticam continet. Theoriæ duæ sunt partes. prior principia quædam declarat, quorum expositionem vocare possumus τεχνικὴν dialecticam. posterior materiam dialecticæ explanat. Praxis autem inuentionem, dispositionem, interrogationem, responsionem & exercitationem comprehendit. Inueniendi ratio in instrumenta & locos tribuitur. Quid autem inter instrumenta inuentionis, & locos intersit, posteriùs declarabo. Hæc igitur omnia his libris Topicis continentur. nimirum primo, libro τεχνικὴ dialectica, materia dialecticæ, & instrumenta inuentionis: secundo autem libro & sequentibus vsque ad octauum loci dialectici: & octauo, qui liber vltimus est, dispositio, interrogatio, responsio, & exercitatio.

Primi libri tres sunt principes partes. Nam tria prima capita continent præ muni tiones seu τεχνικὴν dialecticam, id est, subiectum dialecticæ cap. 1 vtilitatem cap. 2. & rationem cognoscendi perfectum dialecticum cap. 3 Sequentia vsque ad cap. 13. agunt de materia disputationum dialecticarum, id est, de attributis simplicibus à cap. 4. vsque ad cap. 10. postea de propositionibus & problematibus, cap. 10. & 11. ac de ratiocinationibus cap. 12. Tandem in reliquis huius libri capitibus tractatur de quatuor generalibus inuentionis instrumentis, quæ omnibus problematum generibus communia sunt.

IN LIB. I. CAP. I. DE SYLLOGISMO, ET EIVS speciebus.

HOc capite institutum huius operis exponit, & quædam necessariò præcognoscenda præmunit, nempe syllogismi definitionem, & eius specierum distinctionem.

1 *Propositum huius.* Proponit scopum huius operis: qui quidem est, instruere tam opponentem, vt quamcumque thesim probabilibus argumentis impugnare possit; quàm respondentem, vt eam tueri queat.

2 *Primùm igitur.* Proponit duo præmunienda, id est, quid sit syllogismus, & quæ eius species: quandoquidem nulla est argumentatio, quæ ad syllogismum non referatur, vt didicimus ex lib. 1. Priorum.

3 *Syllogismus igitur.* Syllogismi generaliter accepti definitionem repetit ex lib. 1. Priorum, cap. 1. partic. 8. vbi à nobis exposita fuit.

4 *Demonstratio est.* Postquàm definiuit syllogismum in genere sumptum; deinceps varias eius species declarat, vt ab aliis secernat syllogismum dialecticum, de quo in præsentia dicturi sumus. Inter species syllogismi meritò primum locum dat demonstrationi, sed demonstrationem latè accipit; vt complectatur non solùm demonstrationem τοῦ διότι, sed etiam τοῦ ὅτι: item non solùm demonstrationem primam, quæ constat ex propositionibus immediatis; sed etiam sequentes, quæ ab hac pendent. in scientiis namque sunt multæ demonstrationes subordinatæ, vt ex libris Posteriorum didicimus. Illud etiam notandum est, Aristotelem hîc non apponere omnes conditiones propositionum demonstratiuorum: quia rudi Minerua hæc in præsentia declarat, vt paulò post profitebitur. plenior autem expositio petenda est ex Posterioribus.

5 *Dialecticus.* Secunda Syllogismi species est syllogismus dialecticus, qui non requirit necessariò propositiones veras, sed tantùm probabiles.

6 *Sunt autem.* Quia separauit à demonstratione dialecticum syllogismum; quòd illa sit ex propositionibus veris & primis, hic autem ex probabilibus: idcirco singula hæc enarrat: & primò quæ sint propositiones veræ ac primæ: nempe quarum veritas est per se manifesta, non per alias notiores probatur.

7 *Probabilia autem* Secundò docet, quęnam sint propositiones probabiles.

8 *Syllogismus contentiosus.* Tertia syllogismi species est syllogismus contentiosus: qui à sophistico non re differt, sed scopo & fine argumentantis. idem enim syllogismus, si victoriæ causá extruatur, contentiosus dicitur: si gloriæ, ex qua quæstus fiat, sophisticus nominatur. Vide Elench. ca. 11. p. 4. Primò ergo docet, quis sit syllogismus contentiosus & facit duo eius genera. alius enim est verus syllogismus ex propositionibus, quæ videntur probabiles, nec tamen sunt probabiles. alius verò videtur esse syllogismus, sed non est, quia non seruat regulas syllogisticas, siue constet ex propositionibus probabilibus, siue ex iis quæ falsò videntur probabiles. Hinc apparet discrimen syllogismi dialectici & contentiosi.

tam dialecticum requirit duas conditiones: vnam in forma, vt seruentur præcepta & regulæ syllogisticæ: alteram in materia, vt propositiones sint probabiles. harum conditionum alterutra sempta, fit syllogismus contentiosus. Secundò cum ait, *non enim quæ quæ*, declarat differentiam inter propositiones probabiles, & eas quæ videntur probabiles. & inquit eas videri probabiles, quæ leuiter nos afficiunt, ita vt mediocri cognitione possimus facilè nos ab illis liberare, & earum falsitatem deprehendere, quamuis prima facie imaginem quandam probabilitatis præ se ferant. probabiles autem esse eas, quæ non ita facilè possunt reprobari, quia maiorem veritatis speciem continent. Tertiò cùm ait, *prior igitur*, distinguit inter duo illa genera syllogismorum contentiosorum. nam alter potest simpliciter dici syllogismus, quia habet veram formam syllogismi: alter verò non est syllogismus, sed est syllogismus contentiosus. sicut homo pictus, non est homo simpliciter, sed homo pictus. itē homo mortuus, non est homo simpliciter, sed homo mortuus.

9 *Insuper* [*sunt*.] Quarta syllogismi species est syllogismus apatetieus, id est, decipiens, (sic enim vocatur lib. 1 Poster.) qui in materia peccat, & ex falsis propositionibus alicuius scientiæ propriis concludit. Hic opponitur demonstrationi, vt syllogismus contentiosus siue sophisticus opponitur dialectico, teste Aristotele cap. II. Elenchor. partic. 5. Hunc syllogismum decipientem Aristoteles ab aliis speciebus syllogismi perspicuè distinguit, dum ait eum non concludere ex probabilibus: supple, nec ex iis quæ videntur probabilia: ita vt nec que sit dialecticus, nec contentiosus siue sophisticus.

10 *Species igitur*. Affert excusationem quòd minùs accuratè singulas syllogismi species declarat: quoniam eatenus eas declarat, quatenus huic loco conuenit.

IN CAP. II. DE VTILITATE HVIVS tractationis.

ABsoluta est prima præmunitio, id est, quid sit syllogismus, & quotuplex: sequitur altera, quam vtilitatem ex hoc opere consequamur.

1 *His quæ dicta sunt*. Proponit explicandam vtilitatem huius tractatus.

2 *Est igitur*. Recenset tres vtilitates huius tractationis, quas singillatim in sequentibus part. declarabit, & confirmabit.

3 *Quod igitur*. Confirmat primam vtilitatem, id est hanc doctrinam valere ad exercitationē, hoc est, ad disputationes, quæ exercitationis causâ habentur per hanc enim methodum, i. per hanc doctrinam dialecticā habebimus copiam argumentorū, & poterimus de quacumque re disputare in vtramque partem.

4 *Ad congressus*. Probat secundam vtilitatem, nempe hanc doctrinam conferre ad congressus, i. ad colloquia quæ in communi vita & hominū conuersatione habentur: quia hîc traditur ratio, per quam intelligemus varias hominū & diuersarum sectarum opiniones: vnde eò faciliùs poterimus intelligere, quid singuli rectè aut secus dicant: &, si qua in re peccarint, poterimus eos redarguere ex iis propositionibus, quas intelligemus illis probari. ita nostra eruditio in cōmunibus colloquiis apparebit. Exempli gratiâ cū Academicis Academicè, i. ex principiis Academicis disputabimus: cum Stoicis Stoicè.

5 *Ad philosophicas*. Probet tertiā vtilitatem, i. hanc doctrinā conferre ad philosophiā, & scientias, duplici ratione. Prior ratio est: quia disputatio in vtramque partē maximè confert ad veritatem inquirendam: hac ratione inseruit & ancillatur dialectica apodicticæ.

6 *Præterea ad prima*. Secunda ratio est: quia scientiarū principia, si ignota sint, non possunt per verā demonstrationem probari, sed per dialecticā & probabilia argumēta confirmari debent. Idcirco ait Aristoteles, agere de primis principiis, vel esse proprium vel maximè peculiare dialecticę, id est, vel ad solam dialecticam pertinere, vel potissimùm ad dialecticam. Adhibet hanc epanorthosin: quoniam aliter quoque, non tantùm dialecticè possunt probari prima principia, nempe per demonstrationem quia, sicut Aristoteles 8. Physico ex motu æterno probat primum mouens immobile.

IN CAP. IV. DE PERFECTA DIALECTICÆ cognitione

SEquitur tertia præmunitio, Eum esse perfectum Dialecticum, non qui sententiam suam auditori probabilem reddit, sed qui nihil permittit, quod ars dialectica præscribit. Quid enim, si auditor sit nimis rudis aut proteruus? hoc Dialectico imputari nō potest, vt Aristoteles docet exemplo medici

medici & oratoris. Nā interdum medicus, quamuis rectè vtatur præceptis artis, tamen non sanat, vel quia morbus est incurabilis, vel quia in ministris aut in alia re est culpa. multa enim concurrere oportet præter medici officiū, vt ægrotus conualescat. sicut etiam Hippocrates primo aphorismo notauit. Item orator interdum non persuadet, quamuis nihil prætermittat ex iis quæ à rhetorica præscribuntur. In eandem sententiam scribit Aristoteles lib. 1. Rhetor. cap. 1. & Quintilian. lib. 2. cap. 18 Huius autem rei ratio est, quòd harum facultatum finis est externus, id est, extra artem habetur, ideóq; potest aliquo externo vitio, quod non sit in potestate artificis, impediri.

IN CAP. IV. DE QVIBVS ET EX QVIBVS DISseratur.

HActenus præmonitiones pædiam quādam dialecticam cōtinentes: deinceps materiā huic facultati subiectam declarat. Hæc materia est disputatio, in qua duo considerantur, id est, problemata de quibus disseritur & propositiones, ex quibus disseritur. In vnoquoque autem problemate, & in vnaquaque propositione duæ partes reperiuntur: subiectū, & attributum. Subiectum omittemus: quia dialectica nulli certo subiecto est adstricta, sed de omnibus rebus disputare docet, vt inquit Aristo. 1. Rhet. cap. 1. Attributū verò potest spectari, vel vt prima, vel vt secunda notio. Si spectetur vt secunda notio: diuiditur in genus, definitionem, proprium, & accidens. Quod si spectetur vt prima notio: tum diuiditur in decē categorias, quidditatem, quantitatem, qualitatem, &c. Priorem diuisionem tradit Aristoteles hoc capite: posteriorem infrà cap. 9.

1 *Primùm igitur.* Proponit, quod mox, & quod posteriùs est expositurus. Primùm enim exponēda est materia, id est, de quibus & ex quibus disputetur: postea declaranda ratio inuētionis. Materia enarrabitur vsque ad cap. 13. Inuentionis autem ratio, ab eo cap. 13. vsque ad finem huius libri: inuentionis, inquam, ratio generalis. nā specialis & cuique problematum generi accommodata, tradetur sex libris sequentibus: postea verò dispositio & cetera declarabuntur lib. 8.

2 *Sunt autem.* Incipit explicare primum ex his duobus, quæ superiori particulâ proposuit. Ac resoluit disputationem in propositiones, ex quibus disseritur; & problemata, de quibus disseritur. Rursus resoluit tam propositiones, quàm problemata, in genus, definitionem, proprium, & accidens: & singula hæc membra perspicuè declarat.

3 *Nemo autem.* Exponit traditam propositionis, & problematis resolutionem: ac docet quatuor illa, genus, definitionem, proprium, & accidens, non esse species, sed partes propositionis, vel problematis; nempe quia omne attributū, quod est pars propositionis vel problematis, vel est genus, vel definitio, vel proprium, vel accidens.

4 *Iam verò propositio.* Confert propositionem & problema, inter se: ac docet fieri vtrumque ex iisdem terminis, diuersâ tamē formâ: quia in propositione sumitur vna pars contradictionis: veluti, Nonne omnis homo est animal? in problemate autem sumitur vtraque pars; veluti, Estne omnis homo animal, an non? Coniunge cap. 1. lib. 1. Prior. part. 6.

IN CAP. V. QVO EXPONITVR QVID SIT DEFINITIO, GENVS, proprium, & accidens.

SIngillatim explicat quatuor illa attributa, definitione, proprium, genus, & accidens, in quæ superiori cap. resoluit omnes propositiones, & omnia problemata.

1 *Dicendum est.* Proponit explicanda quatuor illa attributa.

2 *Est autem definitio.* Incipit ab attributo definitiuo. Et cùm hoc attributū cōplectatur non solùm quæstionē an ea quę proposita est, sit recta definitio, sed etiam alias quasdam quęstiones, quas mox proponet: in primis in hac particula ponit ipsam definitionem, & primò eam definit, orationem significātem quid res sit. Eodem modo definiuit lib. 2. Posterior. cap. 10. partic. 1. Deinde cùm ait, *Adhibetur autem*, declarat discrimen quoddam inter definitum & definitiones. Nam definitio semper est oratio: definitū autē modò est vnū vocabulum, vt homo, modò oratio, vt minuere maiestatem, apud auctorem ad Herēnium lib. 1. Ideirco ait, eū, qui definit, modò adhibere oratiōnē pro nomine, modò orationē pro oratione.

3 *Eos ve ò qui.* Ad idem attributum definitionis refert expositionem illam, quæ fit per vnum vocabulum, quamuis hæc non sit vera definitio, vt proximè dictum fuit.

4 *Itémque hoc.* Tertio loco ad idē problema definitionis refert quęstionē vtrùm sit idem, an diuersum: quam ostendit pertinere ad definitionem: quia nisi definitio & definitum idem sint, non est bona definitio.

Ex dictis patet, ad problema definitionis etiā referri, nempe definitionem, & expositionē per unum vocabulum, & quæstionē vtrùm sit idem an diuersum.

5 *Proprium verò.* Hactenus definitio & problema definitionis: sequitur proprium, quod ab Aristotele declaratur definitione, exemplo, & distinctione. Primò ponens definitionem, inquit proprium non declarare quid res sit. hinc distinguitur proprium à definitione. Item ait propriū soli inesse. hinc seiungitur proprium à genere, & accidente. Item ait proprium reciprocari cum re cuius est proprium: vt intelligamus proprium non tantùm soli, sed etiam omni inesse. & hinc distinguitur verum proprium à proprio impropriè accepto, vt intelligemus ex 7. partic. Secundò cùm ait, *vt proprium*, subiicit exemplum, quo ostendit proprium reciprocari cum subiecto, cuius proprium est. Tertiò cùm ait, *Nemo enim*, ex eo, quod dictum est, proprium cum re reciprocari, distinguit verum propriū ab eo, quod non reciprocatur, id est, quod nō est absolutè proprium, sed est proprium aliquo tempore, vel relatione ad aliquid habitâ. vtputà sedere, non est proprium Socratis, nisi tunc temporis cùm solus sedet, vel per relationem ad eos qui non sedent.

6 *Genus autem.* Cùm exposuerit attributa, quæ reciprocantur cum suis subiectis, nempe definitionem & proprium: consequenter ea declarat, quæ non reciprocātur, hoc est, genus & accidens. Quod ad genus attinet, primò definit genus: & eam definitionem exponit. Coniūge cap. 2. Porphyrij.

7 *Generale [est.]* Secundò ad problema generis refert quæstionem vtrùm duo quæpiam sint in eodē, an in diuerso genere.

8 *Accidens autem.* Superest attributum accidentarium. Primò Aristoteles duas accidentis definitiones proponit: & posteriorem exemplis illustrat. Coniunge cap. 5. Porphyrij.

9 *Harum autem.* Secundò confert eas definitiones inter se: ac posteriorem priori anteponit, tamquàm perfectiorem.

10 *Adiungantur autem.* Tertiò ad problema accidentis refert comparationē duorum inter se veluti vtrum sit honestius, vel vtrum iucundius, vel vtilius.

11 *Ex his autem.* Postquàm exposuit quatuor illa generalia attributa, definitionē proprium, genus, & accidens: nunc ex dictis colligit & exemplis confirmat, id quod est accidens, interdum effici proprium, non tamen simpliciter & absolutè proprium. sed cum adiunctione tēporis & relationis, quod impropiè dici propriū dicimus ex partic. 7. Sic sedere, quod est accidens, aliquando eius qui solus sedet, proprium est, relatione factâ ad eos qui non sedent.

IN CAP. VI. QVO OBIECTIO QVAEDAM SOLVITVR.

IN hoc capite soluit obiectionē, qua probari videtur, omnia attributa esse referenda ad definitionem, proinde malè proprium, genus, & accidens seiuncta fuisse a definitione.

1 *Nos autem.* Contra enumerationem attributorum dialecticorum suprà expositam sic argumētatur: Non solùm definitio, sed & alia quæ definitioni accommodari possunt, referuntur ad attributum definitiuum: atqui ea quæ pertinent ad genus, vel proprium, vel accidens, definitioni aptari possunt: ergo hæc omnia sunt definitiua. & consequenter vnum est attributum, id est, definitiuum, non (vt suprà dicebatur) quatuor attributa. Maior propositio patet ex cap. præced. Minor ab Aristotele per partes probatur. nam si quis probet attributum nō inesse soli subiecto: non tātùm euertit proprium, sed etiam definitionem: quandoquidem etiā definitio soli definito attribuitur. Rursus si quis probet esse genus euertit etiam definitionem, quæ sine genere esse nequit. Præterea si quis probet attributum non inesse subiecto: non minùs euertet definitionem, quàm accidens. Ait *secundum rationem paulo antè adductam*, id est, quia definitioni quasi attributa definitiua adiunguntur quæcumque possunt definitioni aptari, vt dictum fuit cap. præcedenti.

2 *Sed non propterea.* Postquàm disputandi causâ probauit vnum esse attributum, & vnam methodum: nunc è contrario probat esse plura, nempe quatuor illa, quæ suprà exposuimus: quoniam vna illis quatuor cōmunis methodus aut est inuētu difficilis, id est, vt (verè dicam) impossibilis, aut est obscura & inutilis. Hæc est Aristotelis ratio, quæ diligentiorem expositionem requirit. Dico igitur, si vna communis & sufficiens methodus quęratur, ex qua in promptu sint argumenta, eam numquàm inuentum iri: quia non omnes loci sunt cōmunes omniū attributorum; sed nonnulli quorundam attributorum, quidam vnius attributi speciales & proprij sunt. Exempli gratiâ, si probes attributum non inesse subiecto, euertis quodcumque problema. quod enim rei nō inest, id nec est accidēs, nec genus, nec definitio, nec proprium. Sed si probes non soli inesse, euertis tantùm proprium, & definitionem.

nitionem;non euertis genus, nec accidens. nam hæc non soli insunt. Quòd si probes non posse adesse & abesse, euertis solum accidens. id enim accidentis proprium est, vt adesse & abesse possit. Denique si probes posse adesse & abesse; confirmas solum accidens; euertis autem definitionem, genus, & proprium. Hinc apparet non posse tradi omnes locos ita communes, vt ad quoduis problema pertineant. Verùm si quis eiusmodi methodo sit contentus, quæ tantùm vniuersaliter locos innuat, qualis est illa hodie peruulgata,à causis,ab effectis ab etymologia, à coniugatis, &c. hæc est obscura & inutilis methodus: quia fieri potest, vt aliquis eam probè callens, vel nullum argumentum inueniat, vel malè argumentetur:vt cùm Quintilianus lib.5.cap.10. sic à relatis arguit: Si portorium Rhodiis locare honestum est, Hermacreóti quoque conducere est honestum. Nam eodem modo concludi posset: Si magistratui honestum est punire sontes, etiam sontibus honestum est puniri. & si pater est honestus, etiam filius est honestus. Verùm à relatis non est ita arguendum; quasi quod vni attribuitur, etiam alteri attribuatur, sed eo modo qui ab Aristotele traditur lib. seq. cap.8.part.vlt.Denique & Theophrastum, qui solum accidens à definitione seiunxit, genus autem & propriũ inter definitiua attributa retulit, obscuram methodum ob eam causam conscripsisse auctor est Alexander Aphrodisiensis. Itaque methodus illa generalis à genere,à specie, à coniugatis, &c. non est ea quidem contemnenda, immo ab Aristotele nominatim commendabitur libro 7.cap.4 sed non est accipienda tamquàm perfecta & sufficiens:quia per eam nondum habemus argumenta: quærimus autem methodum, ex qua, tamquàm ex penu locupletissima, possimus argumẽta depromere,& sine vlla dubitatione ac sine vllo errore statim argumenta in promptu habere.talis ergo & tã perfecta methodus nõ potest esse generalis, sed specialis,& singulis problematũ generibus accõmodata

3 *Videri autem posset.* Soluit obiectionem in prima particula propositam.respondet enim ad maiorem oppositi argumenti propositionem, & inquit eam non esse simpliciter veram.non enim quæcumque definitioni quoquo modo aptari possunt,ad definitionem referri debent, sed ea sola, quæ nõ possunt cõmodiùs ad aliud problematũ genus referri. Vnde concludit Aristot cõstituẽda esse quatuor illa problemata,seu quatuor illa attributa,definitionẽ, propriũ &c. deinde singula alia problemata referẽda esse ad aliquod ex his quatuor,id est, ad illud cui rectiùs & commodiùs aptantur.

IN CAP. VII. QVO DECLARATVR, QVOT MODIS IDEM accipiatur.

QVia suprà cap. 5. partic. 4. ad problema definitionis retulit quęstionem an sit idem & partic.9.eiusdem capitis ad problema generis retulit quæstionem an sit in eodem genere: idcirco nunc docet, quot modis idem dicatur. Coniunge cap.6.lib. 4.Metaphys.

1 *Primùm autem.* Proponit explicandum,quot modis idem dicatur.

2 *Videri autem.* Tres modos explicat, quibus, idem dicitur: nempe numero, specie, & genere. Ad hanc partic. Primò notandum est, Aristotelem dicto cap.6. addere quartum modum,quod aliquid dicitur esse idem,nempe idem analogiã: veluti os & spina sunt idem, quatenus eandem rationem habent, os in animalibus ossa habentibus, & spina in iis quæ habent spinas. Sed hæc quodammodò reduci possunt ad idem genere: continentur enim sub eodem genere analogo: quod etsi minùs propriè, tamen dicitur genus. Secundò notandum, quot modis dicitur idem, totidem dici diuersum,seu differens: quoniam idem & diuersum opponuntur. Tertiò notandum, idem numero dici nõ solùm de indiuiduis, sed etiam de speciebus.& generibus.Exempli gratia Socrates, & Sophronisci filius, sunt vnum & idem numero indiuiduum. homo autem,& animal rationale, sunt eadem numero species.animal verò,& viuens sensu præditum, sunt vnum & idẽ numero genus. Vide partic.6. huius cap.& partic. 21. cap. 5. Categor. & lib.1. Poster.cap. 5. partic.5.

3 *Videri autem.* Obiicit contra superiorem enumerationem, quasi insufficientem; propterea quòd prætermissus est modus,quo dicitur eadem aqua,quæ est ex eodem fonte.

4 *Verumtamen in iis.* Soluit dictam obiectionem: quia quod est ex eodem fonte, refertur ad idem specie:sic tamen,vt identitas augeatur ex eo,quòd est idem fons.nam omnis aqua est idem specie, proinde similis: sed quæ est ex eodem fonte, adhuc habet maiorem similitudinem.

5 *Maximè autem.* Docet hoc vocabulum, *idem*, non æquè attribui iis omnibus, quibus attribuitur, nam alia magis, ali-

minùs eadem sunt. Ideo inquit Aristoteles, ea maximè eadem esse, quæ sunt eadem numero. Adde, quòd ea, quæ sunt eadem specie, magis sunt eadem, quàm eadem genere.

5 *Solet autem.* Subdistinguit idem numero in tres significationes, quæ similiter non sunt æquales; sed prout maiorem identitatē significant; ita priori loco ab Aristotele proponuntur. Primo loco ea collocantur quæ sunt eadem essentiâ: veluti cùm duo vocabula idem significant, vt vestimentum, & indumentum: item definitio & definitum, vt homo, & animal pedestre bipes.

7 *Secundo*[*loco.*] Secundus locus tribuitur iis, quæ propria sunt eadem; vt homo, & disciplinæ capax.

8 *Tertio*[*loco.*] Tertio loco ponuntur ea, quæ sunt eadem ratione alicuius accidentis communis, veluti Socrates, & hic sedens. Quia verò posset aliquis credere hæc nullo modo esse eadem, idcirco eadem esse probat à communi vsu loquendi. Cùm enim mandauimus alicui (exempli gratiâ) vt vocaret Socratem: si is nesciat quis vocetur Socrates, iubemus vocari sedentem illum, aut disputantem illum: (finge enim Socratem sedere, vel disputare) idque facimus tamquàm repetētes eundem iussum, quia scilicèt pro eodem habemus Socratē, & disputantem illum, vel sedentem.


9 *Idem igitur.* Breui epilogo finem imponit huic 7. cap.

IN CAP. VIII QVO OSTENDITVR NEC PLVRA NEC PAVCIORA esse attributa, quàm quatuor suprà exposita.

POstquàm enumerauit, & exposuit quatuor attributorum genera: nunc probat eam enumerationem esse sufficientem, quia nec sunt plura, nec pauciora, sed omnia referuntur ad illa quatuor.

1 *Quòd autem.* Inductione probat omnia attributa referri ad quatuor illa suprà exposita. quodcumque enim attributum aliquis proponat, facilè apparebit id esse vel genus vel definitionem, vel proprium, vel accidens.

2 *Altera fides.* Quod per inductionem antea probauit, nunc probat per syllogismū distinctum hoc modo: Omne attributum aut reciprocatur cum subiecto, aut non reciprocatur, sed latiùs patet. Rursus horum vtrumque vel essentiale est, vel accidentale. Quod reciprocatur, & est essentiale, vocatur Definitio. quod autem reciprocatur, nec est essentiale, nominatur Proprium. quod verò non reciprocatur, & est essentiale, appellatur Genus, vel Differentia: Quicquid enim essentiale est, in definitione ponitur: in definitione autem tantùm ponuntur genus & differentiæ: sed cap. 4. part. 2. iam differentiam coniunximus cum genere, & retinimus ad problema generis. tandem quod non reciprocatur, & est accidentale, dicitur Accidens. Hinc igitur apparet esse tantùm quatuor hæc attributa: duo essentialia, & duo accidentalia: seu duo, quæ reciprocantur, & duo, quæ non reciprocantur: vt sequens typus ostendit.



IN CAP. IX. De CATEgoriis.

HActenus prior attributorum dialecticorum diuisio sumpta à secundis notionibus, & quadripertita; quia omne attributum vel est genus, vel proprium, vel definitio, vel accidens: sequitur posterior diuisio, quæ sumitur à primis notionibus, nempe diuisio in decem categorias.

1 *Post hæc igitur.* Proponit, quod expositurus est hoc cap. Ait, *dicta quatuor differentia.* id est, definitio, proprium, genus, & accidens, quæ sunt differentiæ propositionum, & problematum. Sed Alexander non agnoscit verbum *differentiæ.* idcirco notat locutionem Aristotelis esse concisam: & supplet verbum *differentiæ*, quod nos in nostris libris habemus. Petrus Victorius libro 18. variarum lectionum, cap. 18 scribit hoc verbum διαφοραί, abesse à scriptis exemplaribus; nec putat hoc verbum esse supplendum, sed ex proximo repetendum verbum *categoria*, id est, attributiones. Vtraque lectio & vtraque interpretatio æquè admitti potest: quia res eædem recidunt. nam illa quatuor, genus, proprium, &c. possunt vocari differentiæ, quia per ea distinguūtur propositiones & problemata. possunt etiam appellari categoriæ, siue attributiones; quia considerantur vt attributa, quæ dicuntur de suis subiectis. Ego tamen in omnibus libris scriptis reperi hoc verbum διαφοραί.

2 *Hæ autem sunt.* Enumerat decem categorias, in quarū aliqua reperitur quodlibet ex dictis attributis.

3 *Ex his autem.* Ex decem enumeratis categoriis primam exponit, nempe quid est: ac docet eam reperiri non solùm in substantia, sed etiam in accidentibus. nam accidētia quoque habent aliquam essentiam, & diffinitionem: vtputà albor est color dissipans aspectum. quotiescumque enim subiectum & attributum sunt in cadem categoria, adeo vt superius inferiori attribuatur: semper attributio est essentialis; veluti, homo est animal, albor est color, iustitia est virtus, cùm autem sunt in diuersis categoriis, attributio est accidentalis; veluti, homo est albus, grammaticus est homo.

4 *Quare de quibus.* Concludit se exposuisse id quod proposuit initio cap. 4. id est materiam disputationum dialecticarū. vnde ait explicandam relinqui, quomodo illius materiæ ac disputationum copiam habere possimus.

IN CAP X DE PROPOSITIONE DIALECTICA.

HActenus generaliter exposuit rationem & disputationum dialecticarum materiam, id est, quatuor illa attributa, & decem categorias, ex quibus propositiones & problemata cōficiuntur: deinceps vtens ordine compositiuo, agit in hoc capite de propositionibus, & in seq. cap. de problematibus.

1 *Primùm igitur.* Docendum proponit, quid sit propositio dialectica, & quid sit problema dialecticum: quia non quæuis propositio, nec quoduis problema debet admitti à dialectico.

2 *Est autem.* Dialecticam propositionē definit, & in quatuor genera diuidit. Definitio propositionis est, interrogatio probabilis, &c. Intellige interrogationem, quæ dat optionem aduersario, vtrùm malit affirmare, an negare. Veluti, Estne mundus æternus, an non? Nam interrogatio quid est mundus? vel, quid accidit mundo? non est dialectica. Vide c. 1. de Interp. part. 2. & 3. Rursus intellige interrogationem esse ab initio, dum dialecticus percontatur, vt responsum ab aduersario eliciat. postquàm enim aduersarius respondit, & ex eo responso dialecticus sumit propositionem, atque extruit syllogismum: tunc non est ampliùs interrogatio, sed sumptio eius quod probabile est, vt fuit expositum lib. 1. Prior cap. 1. partic. 6 Hæc dicta sint de definitione. Quod ad diuisionem attinet: genera quatuor sunt, quorum vnum proponitur in hac partic. reliqua tria in partic. seq. Primi generis sunt propositiones probabiles, quia veræ esse videntur aut omnibus hominibus, aut plerisque, aut sapientibus: sapientibus, inquam, vel omnibus, vel plerisque, vel celeberrimis. Hoc tamen postremum patitur exceptionem, Nisi opinio alicuius viri celebris abhorreat à communi hominum opinione. Exempli gratiâ, migratio animarum in alia corpora, quam ponebat Pythagoras, aut vxorum & liberorum communio, quam probat Plato, aut nihil moueri, vt affirmabat Zeno, non sunt probabilia, quamuis celebres Philosophos habeant auctores. Septimo autem mense nasci perfectum partum, probabile est, quia Hippocrates id affirmat, nec abhorret à communi hominum opinione.

3 *Sunt autem propositiones.* Adiungit reliqua tria genera propositionū dialecticarū,

quæ deinceps in sequentibus particulis explicabit.

4 *Nam si probabile.* Perspicuis exemplis declarat secundum genus propositionũ probabilium, id est, quæ probabilibus similes sunt. Nam si quid est probabile: id quod ei simile est, probabile videtur.

5 *Similiter etiam.* Declarat tertium genus propositionum probabilium, quas ait esse probabilibus contrarias per contradictionem sumptas, propterea quòd contraria contrariis siue oppositis modis enunciari debent. Vt hæ propositiones meliùs intelligantur, primùm statuatur aliqua propositio probabilis in primo genere, quia per se sit probabilis, veluti de amicis esse bene merẽdum. hinc efficies propositionem probabilem in tertio genere, si sumas vel subiectum contrarium, vel attributum contrarium, id est, si pro amicis sumas inimicos; vel loco benè merendi, sumas malè mereri. Quia verò propositio prima erat affirmatiua, hanc debes negatiuè concipere: sic habebis duas propositiones probabiles in tertio genere; nempe de inimicis nõ esse bene merendum, &, de amicis non esse malè merendum.

6 *Probabile autem.* Adiungit propositionũ probabilium genus præcedenti prorsus simile, adeo vt hæ omnes referri debeãt ad tertium genus. Vt hæ faciliùs intelligantur, statuatur primò propositio probabilis in primo genere, veluti, de amicis oportet bene mereri: & simul sumatur tam subiectum contrarium, quàm attributum contrarium, id est, pro amicis sumamus inimicos, & pro bene mereri accipiamus malè mereri: ita fiet propositio probabilis, de inimicis oportet malè mereri.

7 *Constat autem.* Declarat quartum & vltimum genus propositionum probabiliũ, quæ scilicet ad aliquam artem pertinent, & à peritis in ea arte confirmantur. Hoc est, quod vulgò dici solet, Credẽdum est cuique in sua arte perito. Sic Paulus Iurisconsultus auctoritate Hippocratis probat perfectum partum nasci septimo mense.

IN CAP. XI. DE PROBLEMATE DIALECTICO, & thesi.

CVm dictum sit de propositionibus dialecticis, ex quibus rationes & disputationes constant: consequenter dicendum est de problematis dialecticis, de quib[illegible] rationes, & disputationes. Sæpius autem monui, problema dici, antequàm probetur & illud ipsum vocari conclusionem postquàm est probatum. Huius capitis quatuor sunt partes. In prima agitur de problemate. in secunda de thesi, quæ est species problematis. in tertia conferuntur problema & thesis inter se. in quarta traduntur quædam præcepta omnibus problematibus & thesibus communia.

1 *Problema verò.* Affert problematis descriptionẽ, quam secundum M. Tullium in Topicis possumus appellare definitionem diuisionis, id est, à partibus sumptam, ita vt diuisionem quandam rei definitæ contineat. Ergo in hac particula duas problematis dialectici diuisiones habemus. Prior diuisio est bimembris. aut enim est problema per se dignum cognitu: (quod subdiuiditur in problema contẽplatiuum, vt physicum, & problema practicum, vt politicũ) aut est problema, non per se dignũ cognitu, sed quod propter aliud quæritur, vt problema logicum. Posterior diuisio in quatuor genera tribuitur. aut enim nulla est de problemate opinio: aut in eo d[illegible] vulgus à sapientibus: aut sapientes inter se: aut vulgares homines inter se. Nam si omnes inter se consentirent, non esset res quæstione digna, proinde non esse[illegible] problema.

2 *Quorumdam enim.* Perspicuis exemplis declarat primam problematis diuisionem.

3 *Sunt autem.* Subiicit tertiam problematis diuisionem. aut enim problema est dubium, quia sunt hinc inde rationes contrariæ. (adde, vel ratio est sens[illegible] contraria; vt ea ratio, qua probabat Zeno nihil moueri, quia non potest pertrãsiri infinitũ) aut quia in neutram partem rationes suppetunt, veluti an mundus sit æternus. Abutuntur hoc loco, qui hinc colligunt, ex sententia Aristotelis sciri non posse an mundus sit æternus. Nam Aristoteles non ait rationem non posse inueniri, qua hoc problema dissoluatur: sed ait, ab initio dubitare, antequàm rationem inueniamus: quia non statim ratio succurrit, sed opus est magna inquisitione. Ceterùm si nullo modo sciri posset, frustra quæreretur; cùm eadem sint, quæ quæruntur, & quæ sciuntur, vt dictum est 1. cap. lib. 2. Poster. nec esset problema. Cùm igitur Aristoteles dicat esse problema, existimat posse inueniri rationẽ, per quam hoc problema concludatur: & 8. Phys. putat se demonstrasse motum esse æternum: vnde efficitur vt etiam mundus sit æternus, quod

putat

putat se demonstrasse in libris de cœlo.

4 *Problemata igitur.* Breui epilogo imponit finem primæ par. huius capi. s.

5 *Thesis autem.* Hac nos de problemate: sequitur de thesi. Thesis longè aliter hîc accipitur, quam lib. 1. Poster. cap. 2. part. 14. ibi namque thesis accipiebatur pro specie principij hîc verò pro specie problematis, id est, pro eo problemate, quod aduersatur opinioni plerisque probatæ. Harum theseon duo sunt genera. Vnum est earum, quæ nituntur auctoritate alicuius docti & præstantis viri, alterum earum, quæ nituntur ratione. In hac particula definit primum genus, & adiungit quædam exempla.

6 *Vel [thesis est.]* Dat definitionem & exemplum secundi generis. Definitio perspicua est. Exemplum tale est: Cùm omnes rectè putent, quicquid est aut esse factum aut æternum: huic recept æ sententiæ obijcitur a sophistis; quòd musicus est grammaticus (hoc enim supponatur, eundem esse musicum & grammaticum) musicus autem nec factus est grammaticus, (vt mox probabo) nec semper fuit grammaticus: (suppono namque eundem prius fuisse musicum, & postea grammaticum) quare non quicquid est, vel factum est, vel est æternum: quandoquidem musicus est grammaticus, & neque factus est grammaticus, neque semper fuit grammaticus. Cùm reliquæ partes huius argumenti perspicuæ sint, probandum est, musicum non esse factum grammaticum. Hoc ita probatur: Si musicus fieret grammaticus: aut esset subiectum grammaticæ, aut terminus à quo: sed neque est subiectum grammaticæ, nec terminus à quo: ergo non fit grammaticus. Maior manifesta est iis qui sunt versati in Physicis, saltem in 1. Phys. in quo ponuntur tria principia, materia, forma, & priuatio: & explicatur, aliquid fieri ex aliquo, vel tamquàm ex subiecto & materia, sicuti statua fit ex ære, vel ex contrario: tamquàm ex termino à quo fit motus, vt cùm ex albo fit nigrum. Minor patet: quia musicus est æquè accidens, ac grammaticus: proinde non potest esse subiectum grammatici: sed vtrumque, id est, tam grammatica, quàm musica, sunt in homine tamquàm in subiecto. Rursus musicus non est terminus à quo: quia non opponitur grammatico: terminus autem à quo, est contrarius termino ad quem: vt cùm fit ex albo nigrum. Vnde si consideremus terminum à quo: dicendum est, ex non grammatico fieri grammaticum, non ex musico fieri grammaticum. Sic probatum est, musicum nec esse subiectum grammatici, nec terminum à quo: proinde musicum non fieri grammaticum. Hæc est captiosa ratio, qua nititur thesis communi opinioni repugnans. Vt autem breuiter eam soluam distinguendum est, nam per se, musicus nec fit, nec est grammaticus: cùm autem dicitur musicus esse grammaticus: intelligendum est, per accidens; quia scilicèt homo, cui musicus accidit, est grammaticus. & sicuti musicus per accidens est grãmaticus, ita etiã per accidẽs fit grãmaticus. nã etiã terminus à quo vel fu mitur per se, vel per accidens. & per se ex non grammatico fit grammaticus, per accidens, fit ex musico, id est, quatenus illi non grammatico, quem dicebamus fieri grammaticum, accidit vt sit musicus. Sophista igitur nos decipiebat: quia cùm dicebat musicum esse grammaticum: illa propositio erat accipienda per accidens. cùm autem dicebat, musicum non fieri grammaticum, intelligendum erat per se.

7 *Ergo & thesis.* Postquàm exposuit problema ac thesim, deinceps ea confert inter se: & ostendit thesim esse speciem problematis. nam problema complectitur non solùm thesim, quæ aduersatur communi opinioni, sed etiam alias quæstiones, reliqui de quibus in neutram partẽ est opinio. Primò igitur probat aliquod problema non esse thesim. Deinde cùm ait, *quod autem thesis*, probat omnem thesim esse problema. vt de apparet, problema esse genus theseos.

8 *Sed ferè nunc.* Docet, sæpe thesim latè accipi, vt idem sit quod problema.

9 *Nec verò oportet.* Cùm docuerit esse quædam problemata contra receptas sententias: ne quis hanc doctrinam nimis latè accipiat, & putet quamcumque sententiam receptæ opinioni contrariam posse in quæstionem rectè deduci, quæ [illegible], de quibus dubitari vel a dialectico disputari vetat. In hac igitur particula duas conditiones requirit, vt problema rectè instituatur, id est, vt res de qua quæritur dubitetur, & disputetur. Vna conditio est, vt is, qui dubitat non mereatur pœnam: veluti si quis dubitet an Deus sit colendus, vel an parentes sint diligendi, pœnam meretur. Altera conditio est, vt res, de qua quæritur, non sit sensui manifesta. verbi gratiã non debet proponi problema, an nix sit alba, nécne.

10 *Nec igitur.* Addit alias duas cõditio-

nes, quæ r[illegible] in problemate. nempe vt nec fa[illegible] possit [illegible], nec difficilimè. Nam nimia facultas reddit problema inelegans, & disputationem infru ctuosã, nimia verò difficultas facit, vt veritas dialecticis disputationibus inueniri non possit, adeo vt oporteat confugere ad methodum analyticam & demõstratiuã. Sicut enim medici extremis morbis adhibent extrema remedia, ita philosophi debent rebus obscurissimis adhibere maximum demonstrationis lumen.

IN CAP. XII. DE SPECIEBVS RATIOCINAtionum.

POstquàm egit de materia disputationum dialecticarum, id est, de propositionibus, ex quibus fiunt rationes; & de problematis, de quibus fiunt rationes: consequenter nunc tractat de ipsis rationibus.

1 *His autem definitis*. Proponit agendum de rationibus dialecticis.

2 *Est autem vna*. Duo dialecticarum rationum genera recenset: syllogismum, & inductionem.

3 *Ac syllogismus*. Vult explicare genera illa rationum dialecticarum. sed quod ad syllogismum attinet: quia cum iam definiuit cap. 1. inquit definitionem inde esse repetendam.

4 *Inductio verò*. Inductionem declarat definitione, & exemplo. Plura de ea vide lib. 2. Prior. cap. 23.

5 *Est autem inductio*. Confert inter se inductionem ac syllogismum: & diuersis rationibus vtrumque instrumẽtum alteri præfert. Inductio namque est facilior, ideóque apud multitudinem plerumque commodior: syllogismus verò efficacior, & maiorem vim probandi habet, idcirco apud viros doctos est instrumentum aptius.

IN CAP. XIII. DE INSTRVMENTIS INVENtionis.

HActenus exposita est materia, ex qua & circa quam disputationes & rationes dialecticæ versantur: sequens huius libri pars in generali inueniendi ra[illegible]ne ex[illegible] da continetur. Generalem appello cam, quæ est communis omnibus problemat[illegible]s, nempe accidentis, generi proprio & definitioni. Specialis autem inuenti[illegible]nis ratio, quæ ad singula problematum ge[illegible] distincté pertinet, sequentibus libris enarrabitur.

1 *Genera igitur*. Proponit quatuor organa inuentionis, quæ deinceps singillatim sequentibus capitibus declarabit. Hæc autem sunt, sumptio propositionum, distinctio ambiguorum, inuentio differentiæ, & inuentio similitudinis.

2 *Sed & horum*. Ostendit reliqua tria organa ad primum quodammodò reduci posse: quoniam ex distinctionibus, differentiis, & similitudinibus sumuntur propositiones; vt ipse in contextu perspicuis exemplis declarat.

IN CAP. XIV. DE PROPOSITIONIBVS SVmendis.

DE primo inuentionis organo, id est, de eligendis ac sumendis propositionibus varia præcepta tradit, docens, quænam propositiones, & vnde, & quomodo sint eoligendæ, vt habeamus promptuarium quoddam, ex quo tanquàm ex penu, possimus de quacumque re proposita depromere idoneas propositiones.

1 *Propositiones igitur*. Initiò explicat, quæ propositiones sunt sumendæ, qua de re dat tria præcepta. Primum præceptum est vt eligantur propositiones probabiles, id est, quæ videntur vel omnibus, vel pluribus, &c. vt suprà expositum fuit.

2 *Vtile etiam*. Secundum præceptum est, vt eligantur propositiones simi[illegible]es probabilibus. nam & hæ sunt aliquo modo probabiles, vt dictum fuit cap. 10. Ait, *& nos videre*, &c. Quæstio est à philosophis agitata, vtrùm videamus per receptionem imaginum seu specierum vi[illegible]um; vt Aristoteles censet; an per emissionem radiorum. Vide lib. de sensu & sensi[illegible], cap. 2. Macrobium lib. 7. cap. 14. Gellium lib. 5. cap. 16. Lactantium de opificio Dei, capite octauo.

3 *Præterea quæcumque*. Tertium præceptum est, vt propositiones, quæ sunt plerumque veræ, sumantur quasi simpliciter & semper veræ. Exẽpli gratiâ dicamus, omnia mater

mater amat liberos, non, mater plerumque amat liberos. Ratio huius præcepti est: quia aduersarius fortasse nullam habet exceptionem in promptu: ideóq; cogetur propositionem simpliciter concedere. Vt enim dicitur lib. 8. cap. 8. quotiescúque proponitur aliqua propositio, quæ plerumque reperitur vera, aduersarius cogitur eã simpliciter concedere quasi semper veram, aut exceptionem aliquam afferre.

4 *Eligere etiam.* Hucusque docuit, quas propositiones dialecticus colligere debeat: nũc docet, vnde hę propositiones sint colligendæ: & ait colligi debere nõ solùm ex iis quæ dicũtur, id est, ex iis quæ viua voce proferuntur, & audiuntur, sed etiam ex sermonibus & libris scriptis.

5 *Descriptiones autem.* Nunc declarat, quomodo propositiones à dialectico sint eligendæ. atque ita præcepta tradit de locis communibus, quos vocant, conscribendis. Primò dat primum præceptum, vt diuersa rerum genera separatim notentur: vtputà aliud sit caput de bono, aliud de amicitia, aliud de voluptate, aliud de animali, aliud de alia re. Secundò cùm ait, *de bono* [*inquam*] dat alterum præceptum, vt initiò statuatur subiecti vniuersaliter accepti definitio. à definitione enim inchoanda est omnis disputatio, vt ait Cic. lib. 1 de officiis & lib. 1. de orat. post Platonẽ in Phędro. verbi gratia in loco cõmuni de bono, priùs scribatur quid sit bonũ: deinde cetera ordine attexantur, vt luci quale sit, & quotuplex. Tertiò, cùm ait, *Annotandæ autem*, iungit tertium præceptum, vt annotentur singulorum classicorũ auctorum sententiæ, id est, quod viri docti & celebres de quacumque re senserunt.

6 *Sunt autem.* Quartum præceptum est, vt separentur tria summa propositionũ genera; nempe propositiones ethicæ, physicæ, & logicæ. Primùm igitur in hac parte, proponit hanc diuisionem, quam obiter accommodat etiam problematibus. Ait, *vt typo complectar*, id est, vt rudi & pingui Mineruæ expli cem: quia non omnia genera recenset, sed tantùm præcipua. omittit enim mathematica, metaphysica, medica, & aliarum artium propria. Ait *partes*, id est, species, vt & Alexander interpretatur. In vno Codice manuscripto reperi *εἴδη*, id est, *species*. Secundò cùm ait, *Ethicæ sunt*: exemplis declarat propositiones ethicas. Tertiò cùm ait, *logicæ autem*, similiter explicat propositiones logicas. Quartò cùm ait, *physicæ verò*, similiter exponit propositiones physicas. Quintò cùm ait, *Similis* [*est*] *ratio problematum*, quod dixit de propositionibus, docet producẽdum esse ad problemata. Sextò cùm ait, *quales autem*, occupat dubitationem quandam, ac docet, cur tantùm exẽplis suprà dicta propositionum genera distinxerit, non etiam propriis definitionibus. Rationem autem affert: quia difficile est ea definire: vnde pro subiecto argumẽto sufficit expositio per exempla. Ait, *singulæ quas dixi*, id est, propositiones ethicæ, physicæ, & logicæ.

7 *Quod igitur.* Occupat aliam dubitationem ex dictis emergentem. nam si dialecticus considerat propositiones & problemata physica, ethica, & logica: non videtur differre à philosopho, physico, & ethico. Respõdet Aristoteles, eo differre, quòd Philosophus veritatem quærit, dialecticus probabilitatem. materia vero non differunt, id est, materia philosophię subiecta, etiam dialecticæ substernitur: quia dialecticus nõ est certo rerum generi adstrictus, sed de quacumque re probabiliter disserit in vtramq; partem. Qua ratione comparatur dialectica rhetoricæ, lib. 1. Rhetor. cap. 1.

8 *Omnes porrò.* Quintum præceptum est, vt initiò sumamus propositiones maximè vniuersales, & methodo diuisiuà progrediamur ad particulares. nam per diuisionẽ ex vna propositione vniuersali fiunt multæ particulares. Exemplum perspicuum est in contextu.

9 *De propositionibus.* Breui epilogo concludit hoc caput.

IN CAP. XV. DE HOMONYMIS DISTINGVENDIS.

TRansit ad secundum inuẽtionis instrumentum, id est, ad distinctionem eorum quæ multis modis dicuntur. Notandum est, multiplicitatẽ latius patere, quàm homonymiam. nam multiplicia dicuntur nõ solùm homonyma, sed etiam amphibologica, & analoga. & quæ ab vno vel ad vnum dicuntur. Vide lib. seq. cap. 3. & lib. 3. Metaphys. cap. 2.

1 *Quot modis autem.* Docet, quomodo multiplicitas ac distinctio sit exponenda: & iubet non solùm diuersas verborum significationes proponi, sed etiam explicari. vtputà nõ solùm dicere debemus bonum homonymus dici de virtute, & de eo quod sanitatem, vel firmam corporis constitutionem efficit; sed etiam ostendemus virtutem

dici bonum per se, reliqua dici bona per aliud, id est, quia vim habent efficiendi quod bonum est.

2 *Vtrùm autem specie.* In sequenti parte capitis declarat varios locos, ex quibus multiplicia distinguuntur, seu multiplicitas manifesta fit: atque hunc tractatum in hac particula proponit.

3 *Primùm considerare.* Explicaturus varios locos, ex quibus multiplicitas distingui tur, incipit ab i[…] locis, qui sumuntur à contrariis. Primus locus est: Cui multa sunt cōtraria re & nomine distincta; id multiplex est. Huius loci tria exempla proponuntur in contextu. Primò acutum est homonymum: quoniam acuto modò opponitur graue, modò obtusum. Secundò graue est homonymum: quia interdum ei opponitur leue, interdum acutum. Tertiò pulchrum est homonymum: quoniam aliàs ei opponitur deforme, aliàs vitiosum. Antequam vlteriùs progrediamur; vt pateat vsus non solùm huius loci, sed etiam omnium locorum topicorum, notandum est, hos locos, id est, axiomata sumi in disputando pro maioribus propositionibus, ita vt si minor adiūgatur, statim argumentatio perficiatur, & conclusio colligatur. Minorem autem supplere facile est cùm habeamus maiorem, id est, axioma & conclusionem, id est, problema. nam in problemate seu conclusione habemus vtrumque extremum: in maiore autem propositione habemus maius extremū, & medium terminum. Oportet igitur ex maiori propositione repetere medium terminum in minore, & ex problemate assumere minus extremum, atque ita perficere minorem. Exempla autem, quæ Aristoteles proponit ad singulos locos illustrandos, suppeditant nobis varias minores propositiones. sed nostrum est, in singulis disputationibus pro subiecto argumento minores proponere. Verbi gratiâ, in hac particula habemus tres syllogismos dialecticos, qui omnes constant ex eadem maiore, sed diuersas habent minores, & diuersas conclusiones. Primus syllogismus est: Quod habet multa contraria re & nomine distincta, id est multiplex: atqui acutum habet duo contraria re & nomine distincta, nēpe graue & obtusum: ergo acutum est vocabulum multiplex. Similiter extruitur secundus syllogismus de graui, & tertius de pulchro.

4 *In quibusdam autem.* Sequitur secundus locus à contrariis, primo non absimilis. nam eò tantùm differt, quòd in præced. partic. contraria habebant diuersa nomina; hic verò non sunt diuersa nomina. Locus igitur ita cōcipitur: Cuius cōtrarium est multiplex, id quoque est multiplex. Exempli gratiâ, candidum, quod opponitur fusco, est multiplex; quoniam alia ratione dicitur color candidus, alia ratione vox candida: ergo etiam fuscum est multiplex. Similiter acutum quod opponitur obtuso, est multiplex: quoniam in alia significatione dicitur de magnitudine, in alia de sapore: ergo etiā obtusum, est nomē multiplex. Ait, *hæc enim nominibus*, &c. Sensus est, idem nomen, id est, *acutum*, tribui tam magnitudinibus quàm saporibus, quamuis diuersa ratione dicatur magnitudo acuta, & sapor acutus: adeo vt in re tantùm, non etiam in nomine sit differentia inter acutum quod est in magnitudine & acutum quod est in sapore. eadem ratio est contrariorum, id est, obtusi quod est in magnitudine & obtusi quod est in sapore. nā magnitudo obtusa opponitur magnitudini acutæ, & sapor obtusus sapori obtuso: obtusum autem quod est in magnitudine, & quod est in sapore, licèt diuersis modis accipiantur, tamen eodem obtusi vocabulo significantur.

5 *Præterea [videndum.]* Sequitur tertius locus à contrariis: quod vna ratione contrarium habet, altera ratione non habet, id est, multiplex: vt Aristoteles declarat exemplo voluptatis; cui modò opponitur dolor, modò nihil.

6 *Præterea [spectari.]* Hactenus exposuit locos à contrariis: sequuntur loci à mediis, quæ sunt contrariis interiecta. Primus locus est: Contraria, quæ aliàs sunt mediata, aliàs carent medio, sunt homonyma. Secundus locus est. Cōtraria, quibus non semper idem medium interiicitur, sunt homonyma seu multiplicia. Vnum vtriusque loci exemplum proponitur in contextu. nam candidum & fuscum ita sunt contraria; vt, cùm tam colori quàm voci attribuantur, in colore medium habeant Pallidum; in voce autem aut non habeant medium, vt quidam volunt; aut medium sit Raucum, vt alij affirmant. Probatur igitur homonymia candidi & fusci secundum quorundam sententiam ex primo loco secūdum aliorum sententiam ex secundo loco.

7 *Præterea [videndum.]* Sequitur tertius locus à mediis: Contraria, quæ modò plura, modò pauciora media habere comperiuntur, sunt multiplicia. Exemplum manifestum est in contextu.

8 *Item in eo.* Hucusque expositi sunt loci à contrariis, & contrariorum mediis: sequitur locus à contradicentibus: Quod multiplici contradicit, multiplex est.

9 *Præ-*

9 *Præterea in iis.* Sequitur locus à priuantibus: Si horum oppositorum (id est, quæ opponuntur secundum habitum & priuationem) vnum est multiplex, etiam alterum est multiplex. Hic locus in duos diuidi potest: quia vel arguimus ab habitu ad priuationem, vel contrà à priuatione ad habitum. Sed Aristoteles in contextu vnum affert exemplum ab habitu ad priuationem. nam ex eo quòd sentire multifariam dicitur, probat etiam carere sensu multifariam dici.

10 *Præterea in casibus.* Hactenus loci ab oppositis: sequitur locus à coniugatis. Inter coniugata referuntur etiam casus, vt Aristoteles docebit libro sequenti, cap. 9. Locus ita concipitur: Si vnum ex coniugatis est multiplex, etiam reliqua sunt multiplicia. Hic quoque locus in duo diuiditur. aut enim arguimus à nomine ad casum; veluti si per homonymiam nominis salubre, probetur homonymia aduerbij salubriter: aut contrà arguimus à casu ad nomē principale; veluti si ex homonymia aduerbij iustè, probetur homonymia nominis iustum. Ait, *considerandum*, id est, quærenda est multiplicitas casus ad probandam multiplicitatem nominis, vel multiplicitas nominis ad probãdam multiplicitatem casus.

11 *Spectare etiam.* Sequuntur loci à genere. Primus locus est: Quod reducitur ad diuersas categorias, est multiplex: vt exemplo boni, candidi, & acuti Aristoteles declarat. Ait, *veluti bonum*, Ostendit boni homonymiam: quia refertur ad quatuor categorias: actionē, qualitatem, quando, & quantitatem. potest etiam ad alias categorias referri: vt ipse Aristoteles docet lib. 1. Ethicor. cap. 4. vbi hoc loco vtitur contra ideas Platonicas. Sed quatuor categoriæ exempli gratiâ hîc propositæ sufficienter homonymiam ostendunt. Ait, *Eadem [est] ratio acuti.* Acutum est homonymum: quia refertur ad tres categorias: actionem, relationē, & qualitatem. Ad actionem, quatenus tribuitur voci: vox enim acuta dicitur, quę celeriter aures pulsat. Ad relationem autem, quatenus dicitur de angulo: angulus enim acutus dicitur per relationem ad rectum, id est, quia est minor recto, vt Euclides lib. 1. de finit. Ad qualitatem verò, quatenus attribuitur gladio, qui ratione figuræ dicitur acutus. figuram enim esse speciem qualitatis, didicimus ex libro Categoriarum. cap. 8. Ita hunc locum interpretatur Alexander.

12 *Considerare etiam.* Sequitur secundus locus à genere: Verbum, cuius significata continentur sub diuersis generibus nō subalternis, est multiplex. Hic locus à præcedēti differt eo tantùm, quòd in pręcedēte cōsideratur genus remotissimū, id est, genus generalissimum; in hoc autem spectatur genus proximum. Ait, *earum quæ sub eodem nomine [continentur,]* id est, earum rerum, quæ significantur eo nomine, de quo quęritur an sit homonymum. Ait, *Quod si genera.* Cùm dixerit multiplicitatem probari ex diuersitate generum non subalternorum: meritò docet, vnde genera subalterna à generibus planè diuersis distinguantur. Ratio Inter hæc discernendi est: quia subalternorum definitiones non sunt omnino diuersę: heterogeneorum autem sunt omnino diuersæ. Hoc declaratur exemplis. nam animal & auis attribuuntur coruo, vt genera subalterna. Etenim qui dicit coruum esse animal alatum bipes, dicit coruum esse auem: & qui dicit coruum esse auem, is dicit coruum esse animal quoddam. asinus autem & lapis molaris sunt heterogenea: quia qui vnum dicit, non propterea alterum dicit.

13 *Considerare autem.* Tertius locus à genere, meritò ponitur ordine postremus, quia non simpliciter sumitur à genere, sed à genere contrariorum; ideóque partim dici potest locus à genere, partim à contrariis. sic enim concipitur: Cuius contrarium refertur ad diuersa genera, id est multiplex. Hic locus potest in duos diuidi: quoniā hic quoque considerari possunt vel genera generalissima, vel genera proxima: Cuius enim contrarium refertur ad diuersas categorias, id est multiplex; veluti si bonum refertur ad diuersas categorias, vt suprà diximus; etiam malum est multiplex, siue homonymum. Rursus cuius contrarium refertur ad diuersa genera non subalterna, in eâdem tamen categoriâ contenta, id quoque est multiplex.

14 *Vtile [est.]* Sequuntur loci à definitione. Cùm autem Aristoteles hîc, vt & multis aliis locis proponat pręceptum: nos, vt & antea fecimus, proponemus axioma: idque & in sequentibus obseruabimus. cùm enim præceptum erit in contextu: nos id, si fieri poterit, conuertemus in axioma. conci piam autem axiomata categoricè, vel hypotheticè, prout videbitur esse commodius. Huius particulæ locus hypotheticè ita concipiatur: Si duo coniuncta definiantur separatim, & sublatis propriis non maneat vtrobique eadem definitio: verbum est multiplex. Sententia huius axiomatis seu loci est

obscura, ideóque debet exēplo illustrari. Definiantur seorsim hęc duo, corpus candidū, & vox candida: quę appello coniuncta; quia illorum vtrumque constat ex subiecto & attributo. subiectū enim est corpus, aut vox: attributum autem est candidum. postea ex definitione candidi dematur ea pars, quę est propria corporis: & ex definitione vocis candidę tollatur ea pars, quæ est propria vocis. Dico; quia non idem erit reliquum in definitione corporis candidi, & in definitione vocis candidæ; inde colligi, candidum homonymωs attribui corpori & voci: quoniā alia est definitio candidi respectu corporis, alia respectu vocis. Pone corpus candidum sic definiri, corpus imbutum eo colore qui dissipat aspectum: vocem autem candidam definiri, vocem quæ facilè potest exaudiri. Iam ex priori definitione aufer corpus, ex posteriore vocē: in illa manebit, illo colore imbutum &c. in hoc autem manebit, quod facilè exauditur. quare cùm hæc duo quæ remanent, sint diuersa: apparet, candidum duobus modis definiri, proinde esse verbum homonymum.

15 *Sæpe etiam.* Secundus locus à definitione est: Si qua pars definitionis est multiplex, etiam definitum est multiplex.

16 *Præterea* [*videndum*] Sequitur locus à comparatione: Quod duobus nec æqualiter nec inæqualiter attribuitur, multis modis dicitur. Verbi gratiâ, Candidum dicitur homonymωs de colore & de voce: quia color & vox ratione candoris comparari nequeunt.

17 *Quia verò.* Sequuntur loci à differentiis. Primus est: Illud vocabulum est multiplex, quo significantur differentiæ diuersorum generum non subalternorum. vt acutum est vocabulum multiplex: quia est differentia tam vocis, quàm magnitudinis. diuidimus enim vocem in acutam, & grauem: magnitudinem autem in acutam & obtusam.

18 *Rursus videndum.* Secundus locus à differentiis est: Quod modò his, modò aliis differentiis distinguitur, multiplex est. vt color qui est in corpore, aliter diuiditur seu per alias differentias, quàm color qui est in figuris rhetoricis. color igitur est verbū homonymum.

19 *Præterea quia species.* Vltimo loco proponit locum mixtum à specie & differentia: Quod modò significat speciem, modò differentiam, sumitur multis modis. vt candidum, quod interdum accipitur pro specie coloris, interdum pro differētia vocis.

20 *Quæ igitur.* Breui epilogo concludit hoc caput.

IN CAP. XVI. DE DIFFERENTIIS INVENIENDIS.

Tertium inuentionis instrumentum enarrat, id est, differentiarum, quibus res inter se distinguuntur, consideratiorem.

1 *Mutuas verò.* De differentiis inuestigandis tria præcepta tradit. Primum est, vt quærantur differentiæ eorum quæ sub eodem genere continētur, vt iustitiæ & fortitudinis.

2 *Item in diuersis.* Secundum præceptum est, vt considerentur differentiæ eorum quæ, licèt non contineantur eodem genere, tamen videantur inter se habere aliquam affinitatem, vt sensus & scientia. Hęc enim partim similia sunt, partim differunt. vt similia, considerabantur, suprà cap. 10. part. 4. & cap. 14. part. 2. & alibi sæpe. distinguuntur autem libro 1. Posterior. cap. 31.

3 *Nam in ijs.* Tertium præceptum est, vt omittantur ea, quæ plurimùm inter se discrepant: quoniam eorum discrimen est euidens, nec vlla disquisitione eget.

IN CAP. XVII. DE SIMILITVDINE CONSIDERANDA.

Hoc capite explicat Philosoph⁹ quartū inuentionis instrumentum, de quo similiter varia præcepta tradit.

1 *Similitudo verò.* Primum præceptum est, vt ex diuersis generibus similia conferantur per particulam *ad.* veluti, Quam rationem habet scientia ad scibile, eandem habet sensus ad sensibile.

2 *Item vt alterum.* Secundum præceptum est, vt ex diuersis generibus similia conferantur per particulam *in.* Exempla perspicua habes in contextu.

3 *Maximè autem.* Tertium præceptum est, vt maximè nos exerceamus in eorum quæ maximè differunt similitudinibus eruendis. vbi enim maior est difficultas, ibi maior exercitatio requiritur.

4 *Consideranda autem.* Quartum præceptum est, vt notentur similitudines etiam eorum, quæ sub eodem genere continentur, vt hominis, equi, & canis.

IN

IN CAP. XVIII. DE VTILITATE DICTORVM instrumentorum.

POstquàm exposuit quatuor inuentionis organa, consequenter eorum vsum & vtilitatem declarat. non explicat tamen vsū primi organi, id est, sumptionis propositionum: quia per se est conspicuus, cùm propositiones sumere oporteat adsyllogismos cōficiendos.

1 *Considerare autem.* Secundi instrumēti, quod est multiplicium distinctio, quatuor vtilitates declarat. Prima est, quòd inde facilius intelligitur, quid sit id de quo disputatur.

2 *Ad id etiam.* Secunda vtilitas est: quia per hanc distinctionem fit, vt disseratur de rebus, non de vocabulis. Etenim si verbum multiplex in alio sensu accipiatur ab opponente, in alio à respondente: nulla erit inter eos de re controuersia, sed tantùm de nomine.

3 *Vtile etiam.* Tertia vtilitas est, ne captiosis argumentationibus fallamur, quas per distinctionem soluere possumus. Quarta est, vt paralogismis seu captionibus possimus, si necessitas nos vrgeat, alios, qui distinguendi artem ignorant, fallere.

4 *Hoc autem.* De quarto secundi instrumenti vsu, quem modò exposuimus, id est, vt alium paralogismo seu captiosa argumentatione fallamus, duo notat. Primò hoc non habere locum in iis omnibus, quæ multis modis dicuntur; sed tum demum, cùm propositio aliqua alio modo accepta, vera est, alio modo falsa. vt putà hæc propositio, Omnis canis latrat, de quadrupede est vera, de pisce vel sydere falsa. qui igitur cōcessit omnem canem latrare, nisi distinguere valeat, decipi poterit, quasi cogatur fateri sydus vel piscem latrare. Adde, quod Aristoteles docuit lib. 1. Posterior. cap. 12. pa. 10. huiusmodi paralogismos non ita habere locum in mathematicis, vt in disputationibus.

5 *Sed hic modus.* Secundò notat huiusmodi paralogismos magis conuenire sophistæ, quàm dialectico, ideóque vitandos esse à dialectico, nisi summa necessitate vrgeatur.

6 *Differentias autem.* Transit ad tertium organum, id est, inuentionem differentiarum, cuius duas vtilitates proponit.

7 *Ad syllogismos.* Declarat primam vtilitatem, vt scilicet possimus extruere syllogismos, quibus probemus aliquid esse idem, vel diuersum: quia si differunt, non sunt idem: si non differunt, sunt idem.

8 *Ad cognoscendum.* Declarat secundam vtilitatem, vt cognoscamus quid sit. quid enim res sit, definitione explicatur: definitio autem constat genere & differentiis.

9 *Similitudinis autem.* Transgreditur ad quartum instrumentum, quod est similitudinum consideratio: eiúsque tres vtilitates proponit.

10 *Ad inductiones.* Exponit primam vtilitatem: quia ex particularibus similibus colligimus vniuersale per inductionem.

11 *Ad syllogismos.* Enarrat secundam vtilitatem, quæ pertinet ad syllogismos hypotheticos: quia si quid de re simili rei propositæ probare possumus, id ex hypothesi de re proposita probauimus. Exempli gratiâ probandum sit contrariorum eandem esse scientiam, si mihi desit terminus, quo hoc probem; habeam autem medium ad probandum contrariorum esse eundem sensum: primùm hypotheticè sic argumentabor: Si idem est contrariorum sensus, eadem est contrariorum scientia: atqui illud est verum: ergo & hoc. deinde illud esse verum, probabo categoricè. Fundamentum ergo meæ argumentationis est similitudo scientiæ & sensus.

12 *Ad definitiones.* Declarat tertiam vtilitatem ad definitiones pertinentem: ac docet, ex similib° colligi genus, quod in rei propositæ definitione ponendum est. Primùm autem in hac partic. hoc declarat in iis quæ continentur sub vno genere synonymo: vt homo, equus, leo, continentur sub animali. Deinde in seq. partic. loquutur de genere analogo. Ex hac particula notandum est, cùm in definitione inuestiganda quæratur primo loco genus, in eo quærendo ad duo esse respiciendum. Primò vt attribuatur in quæstione quid est. Deinde vt inter huiuscemodi attributa sit maximè vniuersale. Exempli gratiâ homini in quæstione quid est, attribuitur animal, rationale, mortale: sed animal est genus; quia latiùs patet, quàm rationale, & mortale.

13 *Similiter autem.* Quòd suprà docuit de iis quæ continentur sub genere synonymo, nunc declarat in iis quæ referūtur ad idem genus analogum: vt tranquillitas maris, & serenitas aeris referuntur ad quietem. Ergo hic quoque similitudinis inuentio valet ad constituendum genus.

obscura, ideóque debet exéplo illustrari. Definiantur seorsim hęc duo, corpus candidũ, & vox candida: quę appello coniuncta; quia illorum vtrumque constat ex subiecto & attributo. subiectũ enim est corpus, aut vox: attributum autem est candidum. postea ex definitione candidi dematur ea pars, quę est propria corporis: & ex definitione vocis candidę tollatur ea pars, quæ est propria vocis. Dico; quia non idem erit reliquum in definitione corporis candidi, & in definitione vocis candidæ; inde colligi, candidum homonymôs attribui corpori & voci: quoniã alia est definitio candidi respectu corporis, alia respectu vocis. Pone corpus candidum sic definiri, corpus imbutum eo colore qui dissipat aspectum: vocem autem candidam definiri, vocem quæ facilè potest exaudiri. Iam ex priori definitione aufer corpus, ex posteriore vocē: in illa manebit, illo colore imbutum &c. in hoc autem manebit, quod facilè exauditur. quare cùm hæc duo quæ remanent, sint diuersa: apparet, candidum duobus modis definiri, proinde esse verbum homonymum.

15 *Sæpe etiam.* Secundus locus à definitione est: Si qua pars definitionis est multiplex, etiam definitum est multiplex.

16 *Præterea* [*videndum*] Sequitur locus à comparatione: Quod duobus nec æqualiter nec inæqualiter attribuitur, multis modis dicitur. Verbi gratiâ, Candidum dicitur homonymôs de colore & de voce: quia color & vox ratione candoris comparari nequeunt.

17 *Quia verò.* Sequuntur loci à differentiis. Primus est: Illud vocabulum est multiplex, quo significantur differentiæ diuersorum generum non subalternorum. vt acutum est vocabulum multiplex: quia est differentia tam vocis, quàm magnitudinis. diuidimus enim vocem in acutam, & grauem: magnitudinem autem in acutam & obtusam.

18 *Rursus videndum.* Secundus locus à differentiis est: Quod modò his, modò aliis differentiis distinguitur, multiplex est. vt color qui est in corpore, aliter diuiditur seu per alias differentias, quàm color qui est in figuris rhetoricis. color igitur est verbũ homonymum.

19 *Præterea quia species.* Vltimo loco proponit locum mixtum à specie & differentia: Quod modò significat speciem, modo differentiam, sumitur multis modis. vt candidum, quod interdum accipitur pro specie coloris, interdum pro differẽtia vocis.

20 *Quæ igitur.* Breui epilogo concludit hoc caput.

IN CAP. XVI. DE DIFFERENTIIS INVENIENDIS.

TErtium inuentionis instrumentum enarrat, id est, differentiarum, quibus res inter se distinguuntur, consideratio-nem.

1 *Mutuas verò.* De differentiis inuestigandis tria præcepta tradit. Primum est, vt quærantur differentiæ eorum quæ sub eodem genere continẽtur, vt iustitiæ & fortitudinis.

2 *Item in diuersis.* Secundum præceptum est, vt considerentur differentiæ eorum quæ, licèt non contineantur eodem genere, tamen videntur inter se habere aliquam affinitatem, vt sensus & scientia. Hęc enim partim similia sunt, partim differunt. vt similia, considerabantur, suprà cap. 10. part. 4. & cap. 14. part. 2. & alibi sæpe. distinguuntur autem libro 1. Posterior. cap. 31.

3 *Nam in iis.* Tertium præceptum est, vt omittantur ea, quæ plurimùm inter se discrepant: quoniam eorum discrimen est euidens, nec vlla disquisitione eget.

IN CAP. XVII. DE SIMILITVDINE CONSIDERANDA.

HOc capite explicat Philosoph⁹ quartũ inuentionis instrumentum, de quo similiter varia præcepta tradit.

1 *Similitudo verò.* Primum præceptum est, vt ex diuersis generibus similia conferantur per particulam *ad.* veluti, Quam rationem habet scientia ad scibile, eandem habet sensus ad sensibile.

2 *Item vt alterum.* Secundum præceptum est, vt ex diuersis generibus similia conferantur per particulam *in.* Exempla perspicua habes in contextu.

3 *Maximè autem.* Tertium præceptum est, vt maximè nos exerceamus in eorum quæ maximè differunt similitudinibus eruendis. vbi enim maior est difficultas, ibi maior exercitatio requiritur.

4 *Considerandæ autem.* Quartum præceptum est, vt notentur similitudines etiam eorum, quæ sub eodem genere continentur, vt hominis, equi, & canis.

IN

IN CAP. XVIII. DE VTILITATE DICTORVM instrumentorum.

POstquàm exposuit quatuor inuentionis organa, consequenter eorum vsum & vtilitatem declarat. non explicat tamen vsũ primi organi, id est, sumptionis propositionum: quia per se est conspicuus, cùm propositiones sumere oporteat ad syllogismos cõficiendos.

1 *Considerare autem.* Secundi instrumẽti, quod est multiplicium distinctio, quatuor vtilitates declarat. Prima est, quòd inde facilius intelligitur, quid sit id de quo disputatur.

2 *Ad id etiam.* Secunda vtilitas est: quia per hanc distinctionem fit, vt disseratur de rebus, non de vocabulis. Etenim si verbum multiplex in alio sensu accipiatur ab opponente, in alio à respondente: nulla erit inter eos de re controuersia, sed tantùm de nomine.

3 *Vtile etiam.* Tertia vtilitas est, ne captiosis argumentationibus fallamur, quas per distinctionem soluere possumus. Quarta est, vt paralogismis seu captionibus possimus, si necessitas nos vrgeat, alios, qui distinguendi artem ignorant, fallere.

4 *Hoc autem.* De quarto secundi instrumenti vsu, quem modò exposuimus, id est, vt alium paralogismo seu captiosa argumentatione fallamus, duo notat. Primò hoc non habere locum in iis omnibus, quæ multis modis dicuntur; sed tum demum, cùm propositio aliqua alio modo accepta, vera est, alio modo falsa. vt putà hæc propositio, Omnis canis latrat, de quadrupede est vera, de pisce vel sydere falsa. qui igitur cõcessit omnem canem latrare, nisi distinguere valeat, decipi poterit, quasi cogatur fateri sydus vel piscem latrare. Adde, quod Aristoteles docuit lib. 1. Posterior. cap. 12. pa. 10. huiusmodi paralogismos non ita habere locum in mathematicis, vt in disputationibus.

5 *Sed hic modus.* Secundò notat huiusmodi paralogismos magis conuenire sophistæ, quàm dialectico, ideòque vitandos esse à dialectico, nisi summa necessitate vrgeatur.

6 *Differentias autem.* Transit ad tertium organum, id est, inuentionem differentiarum, cuius duas vtilitates proponit.

7 *Ad syllogismos.* Declarat primam vtilitatem, vt scilicet possimus extruere syllogismos, quibus probemus aliquid esse idem, vel diuersum: quia si differunt, non sunt idem: si non differunt, sunt idem.

8 *Ad cognoscendum.* Declarat secundam vtilitatem, vt cognoscamus quid sit. quid enim res sit, definitione explicatur: definitio autem constat genere & differentiis.

9 *Similitudinis autem.* Transgreditur ad quartum instrumentum, quod est similitudinum consideratio: eiúsque tres vtilitates proponit.

10 *Ad inductiones.* Exponit primam vtilitatem: quia ex particularibus similibus colligimus vniuersale per inductionem.

11 *Ad syllogismos.* Enarrat secundam vtilitatem, quæ pertinet ad syllogismos hypotheticos: quia si quid de re simili rei propositæ probare possumus, id ex hypothesi de re proposita probauimus. Exempli gratiâ probandum sit contrariorum eandem esse scientiam, si mihi desit terminus, quo hoc probem; habeam autem medium ad probandum contrariorum esse eundem sensum: primùm hypotheticè sic argumentabor: Si idem est contrariorum sensus, eadem est contrariorum scientia: atqui illud est verum: ergo & hoc. deinde illud esse verum, probabo categoricè. Fundamentum ergo meæ argumentationis est similitudo scientiæ & sensus.

12 *Ad definitiones.* Declarat tertiam vtilitatem ad definitiones pertinentem: ac docet, ex similib⁹ colligi genus, quod in rei propositæ definitione ponendum est. Primùm autem in hac partic. hoc declarat in iis quæ continentur sub vno genere synonymo: vt homo, equus, leo, continentur sub animali. Deinde in seq. partic. loquetur de genere analogo. Ex hac particula notandum est, cùm in definitione inuestiganda quæratur primo loco genus, in eo quærendo ad duo esse respiciendum. Primò vt attribuatur in quæstione quid est. Deinde vt inter huiusmodi attributa sit maximè vniuersale. Exempli gratiâ homini in quæstione quid est, attribuitur animal, rationale, mortale: sed animal est genus; quia latiùs patet, quàm rationale, & mortale.

13 *Similiter autem.* Quòd suprà docuit de iis quæ continentur sub genere synonymo, nunc declarat in iis quæ referũtur ad idem genus analogum: vt tranquillitas maris, & serenitas aeris referuntur ad quietem. Ergo hîc quoque similitudinis inuentio valet ad constituendum genus.

Omnes enim species, siue synonymæ, siue analogæ in suo genere conueniunt. In fine particulæ ait, *ad commune vtriusque genus*, id est, ad principium, quod est genus vnitatis & puncti. Ait, *referre*. subaudi vnitatem & punctum.

14 *Instrumenta igitur*. Epilogo conclu-dit hoc caput de quatuor generalibus inuentionis instrumentis. In quo epilogo duo significat. Primò se exposuisse hæc quatuor instrumenta, nempe cap. 13. 14. 15. 16. & 17. Deinde se exposuisse horum instrumentorum vtilitatem, quod Aristoteles præstitit hoc capite.

IVLII PACII A BERIGA
IN LIBRVM II. TOPICVM
COMMENTARIVS ANALYTICVS.



SVPERIORE libro exposuit Aristoteles ea, quæ communia sunt omnibus problematibus dialecticis: deinceps verò enarraturus singillatim locos cuiusque problematum generis proprios, incipit a problemate accidentis, quod omnium est simplicissimum, & imperfectissimum. nam accidens tantùm inest in subiecto: genus autem & proprium & definitio aliquid amplius notant: vt essentiam, vel reciprocationem. Vnde hoc secundo libro Philosophus simul considerat quæstionem an sit, & quæstionem an accidat; veluti an homo sit albus, vel an albor accidat homini: traditque locos ad vtramque quæstionem pertinentes. Exempli gratiâ primus locus erit, Quod est rei genus vel proprium vel definitio, ei rei non accidit: qui locus non probat non esse, sed probat non esse accidens: vt putà probat animal non accidere homini, quia est genus hominis, sed non probat hominem non esse animal. Secundus autem locus, Quod nulli speciei inest, generi non attribuitur: veluti quod de nulla animalis specie dicitur, de ipso animali non dicitur: hic (inquam) locus probat simpliciter non esse. veluti si nulli animalis speciei immortale attribuitur, hinc probatur nullum animal esse immortale. Illud quoque non est ignorandum, posse eundem locum diuersis modis proponi. cùm enim dicitur (exempli gratiâ) locus à contrariis: hæc est nota quam vulgo differentiam maximæ appellant, vt superiore libro exposui. quòd si dicamus, videndum an contrarium multis modis dicatur: hic locus est præceptum, quo iubemur videre, &c. vt inde eruamus argumentum, si verò dicamus, Cuius contrarium multiplex est, id etiã est multiplex: aut, Si huic cõtrariũ dicitur multis modis, etiam hoc est multiplex: hoc est axioma (vulgò à scholasticis appellatur maxima) vel categoricum, vel hypotheticum. Aristoteles igitur hoc secũdo libro sub præcepti forma ferè omnes locos tradit. Nos autem vbique notam adiungemus, & axiomata quoque cõcipiemus, vbicumque axiomata concipi poterunt, quò perfectior singulorum locorum notitia habeatur.

IN CAP. I. CONTINENS QVASDAM PRAEMVNITIONES seu protheorias.

PRiusquàm locos accidentis declaret, quædam hoc capite præmunit.

1 *Problematum autem*. Prima præmunitio seu protheoria est, Problematum alia esse vniuersalia, alia particularia. Particulariũ appellatione intellige etiã indefinita. De singularib. disputari nõ solet, alioquin & ipsa possent appellatione particulariũ contineri.

2 *Sunt autem*. In hac particula continentur duæ præmunitiones. Secunda præmunitio est, Epicherematũ seu dialecticorũ argumentorũ alia adstruere, alia euertere ipsũ problema. Tertia præmunitio est: Qui loci ad vniuersale adstruendũ vel euertendũ valent; iidẽ quoque particulare adstruunt, vel refellũt. veluti si probas omne animal viuere, probas etiam aliquod animal viuere. & si probas nullum animal esse immobile, simul probas non omne animal esse immobile. Ait, *vtrique problematum generi*, id est, vniuersalibus & particularibus problematis. Ait, *ea*. subaudi ἐπιχειρήματα dialectica.

3 *Primùm*

3 *Primum igitur.* Quarta præmonitio est, in primis declarandos esse locos, qui vniuersaliter euertunt; quia sunt maximè vniuersales, & maximè vtiles. Theses enim plerumque affirmant, easque conamur opponentes euertere. iam autem diximus, quibus locis euertitur vniuersale, iisdem refelli etiam particulare.

4 *Difficillimè autem.* Sequitur quinta præmunitio, conuersionem in pronunciatis accidentalibus minùs habere locum, quàm in genere, proprio, & definitione. Conuersionem hic intellige, cùm ex pronunciato sumente initium ab attributo fit pronunciatum ex iisdem terminis sumens initium à subiecto. veluti si hoc pronunciatum, animal attribuitur homini, conuertatur hoc modo, homo est animal. talis enim conuersio fieri potest, quotiescumque attribuitur genus, vel proprium, vel definitio. quando autem accidens attribuitur, modò licet ita conuertere, modò non licet. nam rectè dices alborem attribui cygno, vel inesse cygno: rectè etiam dices cygnum esse album. rursus rectè dices alborem inesse Aethiopi, non tamen rectè dices Æthiopem esse album: quia non simpliciter albor inest Aethiopi, sed secundum quid: est enim albus dentes, non simpliciter albus. vnde ad probandum aliquid esse tale, non sufficit in problemate accidentis, si probetur illud ei inesse. Differentiæ rationem inter accidens & cetera attributa Aristoteles hanc affert: quia reliqua attributa aut omnino insunt, aut omnino non insunt: accidens autem potest partim inesse, partim non inesse: quod cùm euenit, subiectum ab accidente non potest simpliciter denominari.

5 *Definire etiam.* Sequitur sexta præmunitio, Duo esse problematũ vitia, nempe falsitatem, & inusitatum loquendi modum. Falsitas est: veluti si affirmetur omnem voluptatem esse bonam. Vitium autem inusitatæ locutionis aliquando est apertum; vt cùm aliquis platanum vocauit hominem, id est, appellatione hominis significauit platanum: interdum est obscurius; vt cùm Stoici dicunt solum sapientem esse liberum, vel diuitem. Nisi enim mentiuntur, aliter accipiunt liberum, vel diuitem, quàm ab aliis accipi soleat.

IN CAP. II. QVO CONTINENTVR VARII LOCI PROBLEMATUM DE ACCIDENTE.

Incipit explicare locos pertinentes ad problema accidentis.

1 *Vnus igitur.* Primus locus sumitur à distinctione attributorum. Generale axioma est: Quod alio quopiam modo inest, non est accidens. Hoc axioma sub se continet tria axiomata magis specialia: ex quibus quilibet accipere poterit, quod intelliges sibi esse vsui pro subiecto argumento. Vnum est, quod maximum habet vsum, vt Aristoteles docet in contextu, Genus non accidit speciei. Alterum est, Proprium non est accidens. Tertium axioma est, Definitio non accidit definito. Explicans hunc locum Aristoteles, Primò proponit præceptum, vt ad hunc locum respiciamus refellendi problematis causâ. Ait *vnus*, id est primus. Ait, *alio quopiam modo*, id est, vel vt genus, vel vt proprium, vel vt definitio. Ait *acceperis*: subaudi, qui thesim defendit. Secundò cùm ait, *Maximè autem*, ostendit errorem potissimùm committi in generibus, qui pro accidẽtibus accipiuntur. nam in proprio, & definitione minùs ita accidere contingit. Tertiò cùm ait, *Accidit igitur*, docet committi dictum errorè duobus modis. Vnus est, cùm exprimitur nomen accidentis: veluti, Iustitiæ accidit virtus: vel, Iustitiæ accidit vt sit virtus. Alter modus est, cùm species denominatur à genere: vt, Albor est coloratus. genus enim speciei debet attribui synonymως, non paronymως, attributio verò paronyma est accidentis de subiecto. vnde qui dicit alborem esse coloratum, quamuis non faciat expresse mentionem accidentis, tamen vi ipsa dicit colorem accidere albori: quod falsum est; quia color est genus alboris.

2 *Alius locus.* Sequitur secundus locus, qui sumitur à speciebus subiecti. Intellige subiectum problematis. Hic locus continet quatuor axiomata, quorum duo valent ad refellendum, duo ad confirmandum. Primum axioma est, Quod nulli speciei inest, falsò attribuitur generi. Secundum, Quod alicui speciei non inest, falsò tribuitur generi. Tertium, Quod omnibus specialibus inest, rectè tribuitur generi. Quartum, Quod plerisque speciebus inest, rectè tribuitur generi. Hoc vltimum axioma patitur exceptionem, nisi aduersarius ostendit id alicui speciei non inesse. Explicans hunc locum Aristot. initiò proponit præceptum: cuius tres sunt partes. Primò igitur ponit primam huius præcepti partẽ, respiciendum esse ad ea, quibus subiectum problematis attribuitur. Ait, *dictũ est*, subaudi in thesi seu problemate, contra quod

diſputatur. Secundò cùm ait, *conſiderare autẽ*, adiũgit ſecũdã præcepti partẽ, reſpiciendũ eſſe ad ſpecies ſubiecti, non ad indiuidua; quia hæc ſunt infinita, vt Porphyrius docuit c. 2. parti. 33. Ait igitur *infinita*, id eſt, indiuidua. Ait, [*ſic*] *enim magis*, id eſt, certiori methodo vtetur: Ait, *in paucioribus*: quia multò pauciores ſunt ſpecies, quàm indiuidua. Tertiò cùm ait, *Oportet autem*, ponit tertiam præcepti partem, vt diuiſiuâ methodo progrediamur à ſuperioribus ad inferiora, id eſt, à generibus ad ſpecies. Ait, *vſque ad indiuidua*: Si hæc verba accipiantur (vt cum ſcholaſticis loquar) excluſiuè, appellatione indiuiduorum ſignificabuntur ſingularia. ſi incluſiuè: indiuidua dicentur, quæ ſunt ſpecies ſpecialiſſimæ. hæ namque interdum appellantur indiuidua, quatenus non poſſunt diuidi in ſpecies inferiores. Quartò cùm ait, *veluti ſi oppoſitorum*, data exempla explicat dilucido exemplo, in quo diſſeruit contra hanc theſim, Omnium oppoſitorum eadem eſt ſcientia. Quintò cùm ait, *Similis ratio*, docet eandem methodum eſſe obſeruandam, cùm diſputatur contra theſim negantem; veluti. Nullorum oppoſitorum eadem eſt ſcientia. Hoc ideo addit: quia ſuprà propoſuerat exemplum theſis affirmatiis, omnium oppoſitorum eſſe eandem ſcientiam. Sextò cùm ait, *Hic autem locus*, oſtẽdit hunc locum tam ad confirmandum, quàm ad refellendum problema valere. Quod quidẽ patet ex axiomatis à me antea notatis: quia duo valebant ad cõfirmandũ, duo ad refellendũ. Ait, *probata diuiſione*. i. enumeratis ſpeciebus ſubiecti, hoc enim argumentum eſt, quod vulgò appellatur à ſufficienti partium enumeratione.

3 *Alius locus.* Tertius locus eſt à definitione ſubiecti, vel attributi. Intellige ſemper ſubiectum vel attributum problematis. Hic locus continet duo axiomata. quorum primum eſt, Quod non conuenit definitioni ſubiecti, falſò attribuitur ſubiecto. Alterum, De quo definitio attributi falsò dicitur, de eodem ipſum quoque attributum falsò dicitur. Hunc locum explicans Philoſophus, Primò præcipit, vt expendamus definitionem attributi vel ſubiecti, vel vtriuſque. Secundò cùm ait, *veluti ſi* [*problema*,] traditum præceptum ſeu locum declarat tribus perſpicuis exemplis. Tertiò cùm ait, [*Oportet*] *etiam ſumere*, præcipit, vt, ſi ex definitionibus ſubiecti & attributi nondũ appareat, vtrùm theſis ſit vera, an falſa; vlteriùs definiendo progrediamur, & expendamus definitiones ſingulorum membrorum in primis illis definitionibus, id eſt, in definitione ſubiecti, & in definitione attributi poſitorum. Exempli gratiâ ſit problema, contra quod volo arguere, Voluptatem eſſe ſummum bonum. Vt argumentum inueniam, conſidero definitionem ſubiecti, nempe voluptatem eſſe motionem lenem. nondum percipio, vtrùm problema ſit verum, an falſum; necdum mihi ſuppetit argumentum contra theſim. pergo igitur: & quia motio ponitur in definitione voluptatis, expẽdo definitionẽ motionis. quid eſt motio? actus imperfectus. Iam hinc habeo argumentum, quo probem voluptatem nõ eſſe ſummum bonum: quia ſummum bonum non eſt actus imperfectus; voluptas autem eſt actus imperfectus, ſi quidem voluptas eſt motio, motio verò eſt actus imperfectus. Eadem ratio valet in definitione attributi.

4 *Prætereà ex problemate.* Quartus locus eſt ab obiectione, quæ vulgò appellatur inſtantia. Hic nulla ſunt axiomata, ſed tantùm eſt præceptum. Ariſtoteles igitur primò præcipit, vt problema conuertamus in propoſitionem, ac deinde obiiciamus. obiectio namque ſuggerit argumentum. Ideo autem mutatur problema in propoſitionem: quia obiectio definitur propoſitio propoſitioni contraria, lib 2. Prior. cap. 26. Exemplo hunc locum illuſtremus. Sit problema. Omnis voluptas eſt bona. volo hoc problema impugnare: ſic igitur concipiam propoſitionem dialecticam, Eſtne omnis voluptas bona? vel, omnis voluptas eſt bona. deinde huic propoſitioni obiiciam, meretriciam voluptatem non eſſe bonam, atque hinc ſumam argumentum contra problema, & ita diſputabo: Nulla meretricia voluptas eſt bona: atqui omnis meretricia voluptas eſt voluptas: ergo non omnis voluptas eſt bona. Secundò cum ait, *Hic autem locus*, docet hunc quartum locum materiâ eundem eſſe cum ſecundo, ſed modo ſeu formâ ab eo differre. Materiâ hi loci conueniunt: quia vtrique reſpiciunt ad ſpecies ſubiecti. nam & ex cap. 26. lib. 2. Prior. didicimus obiectionem ſumi à ſpeciebus ſubiecti. quę obiectio facit quartum locum. Similiter in partic. 4. huius cap. ſecundum locum ſumebamus à definitione ſubiecti. Formâ autem ſeu modo hi loci differunt: quia cùm vtimur ſecundo loco, primùm diuidimus ſubiectum in ſpecies: deinde conſideramus ſingulas ſpecies, vt videamus, an in aliqua problema falſum reperiatur: cùm autem vtimur hoc quarto loco, non facimus vllam diuiſionẽ, ſed ſtatim quærimus

aliquod

si quod particulare, quod obiiciamus. Praeterea hic mutatur problema in propositionem; ibi vero manet problema.

5 *Praeterea definire.* Sequitur quintus locus ab auctoritate vulgi vel sapientum ductus. cótinet autem duo axiomata. Vnű est, Loquendum, vt multa loquuntur. Alterum, Sentiendum, vt sapientes sentiunt. Hunc locum explicans Philosophus, Primò praecipit, vt definiamus, quaenā sint dicenda cum vulgo, & quae cum sapientibus. Intellige sequendum vulgus, quod ad vim & vsum vocabulorum attinet, sequendos autem sapientes, quo 1 ad rerum naturam, vim, & potestatem. Secundò cum ait, *Hoc autem vtile*, docet hunc locum valere tām ad confirmandum, quàm ad refutandum; prout scilicet auctoritas sapientum, aut vulgi, vnde argumentum ducitur, vel cum problemate consentit, vel ei repugnat. Tertiò cùm ait *veluti quod in*, perspicuis exemplis hunc locum declarat, ac docet, quae sint dicenda cum vulgo, & quaenam cum sapientibus.

IN CAP. III. DE LOCIS PERTINENTIBVS AD EA QVAE multis modis dicuntur.

HOc caput duos locos continet, alterū ab homonymis alterum ab iis quae alio modo multipliciter dicuntur.

1 *Praeterea si.* Sextus locus, huius capitis primus, sumitur ab homonymis. Hic nulla sunt axiomata, sed tantùm praecepta. Explicans Aristoteles hunc locum, Primò generaliter praecipit, si quod vocabulum in thesi sit homonymū, nec possimus thesim quocumque modo acceptam infirmare: vt in eam significationem quae refelli potest, nostra argumenta dirigamus. veluti si thesis sit, canem latrare: vt eam impugnemus, argumentabimur de cane pisce, vel sydereō: nā si de quadrupede disseramus, non poterimus thesim refutare. Primo hunc locum proponit. Ait, *positum sit.* subaudi, in thesi seu problemate. Ait, *ambo.* supponit duas tantum esse significationes verbi homonymi: ideóque ait *ambo*. Sed eadem est ratio, vbi sunt plures significationes, vt ipse Aristoteles paulò pòst notabit. Secundò cum ait, [*Hoc*] *autem* [*loco*] *vtendū* ostendit huius loci tum demum esse vsum, cum homonymia latet. Tertiò cùm ait, *hic autem modus*, docet valere hunc locum tam ad confirmandum, quàm ad refellēdum problema. Quartò cùm ait, *verùm infirmantes*, ostendit, aliter esse vtendum hoc loco ad refutandum, aliter ad confirmandum. Infirmamus enim categoricę: quia problema erat vniuersale: proinde vno membro infirmato euertitur; siue sit affirmans, siue negans. Confirmamus autē hypotheticè: quia probato vno particulari nó probamus vniuersale, nisi ex hypothesi, quia supponamus, vt in eo quod confirmamus se res habet, ita & in reliquis se habere. Vide exemplum in contextu. Ait, *prius ex confesso accipere*, id est, hypothetice ex conuentione & consensu aduersarij. Quintò cùm ait, *Hoc verò non semper*, monet, ne in confirmando problemate vtamur hac via & syllogismo hypothetico, nisi cùm destituimur argumēto communiter & de omnibus categoricè probante. Ratio est: quia propositio hypothetica est multò infirmior, & ex consensu aduersarii pendet, qui non tenetur cócedere, vt in vno res habet, ita habere in omnib[9]. veluti, si anima humana est immortalis, omnes animas esse immortales. itaque lōgè melius est, simpliciter & categoricè probare omnem animam esse immortalem.

2 *Si verò multis.* In superiori partic. locutus est de homonymia latente: nūc autē docet, quid faciēdum sit, cùm homonymia est manifesta. Ac primo praecipit, vt distinctione adhibita vtrumq; distinctionis mēbrum probemus, aut refutemus. Secundò cùm ait, *veluti si quod de et*, datum praeceptū illustrat exemplo. Tertiò cùm ait, *Quod si ne queunt*, dat alterū praeceptū, vt, si argumēta nō suppetūt de vtroq; distinctionis mēbro, de vno probemus, & indicem[9] diuersā esse alterius rationem. Quartò cùm ait, *Eadem ratio*, quod dixit de iis quae bifariā accipiuntur, producit ad ea quae dicuntur pluribus modis, puta tribus, vel quatuor. semper enim est eadem ratio.

3 *Rursus* [*considerandum.*] Septimus locus, huius capitis secundus, praecedent. similis, ducitur ab iis quae multifariam, non tamē homonymws dicūtur, quales sūt orationes amphibologicę, vt, Aio te Aeacida Romanos vincere posse. Est.n. amphibologia in oratione vt homonymia in dictione. Hic loc[9] nulla habet axiomata, sed tatùm pręcepta. Primò Aristoteles praecipit, vt ad hęc respiciamus, quae multis modis dicūtur non homonymws. Secundò cùm ait, *veluti scientia*, hunc locū declarat exemplo huius problematis, Contrariorum eadem est scientia. Tertiò cùm ait, *Diuidere autem*, praecipit, vt eatenus distinguamus & subdistinguamus, quatenus nobis vtile erit: ea vero mem

bra, quę sũt nobis inutilia, id est, in quibus non possumus probare quod volumus, prętermittamus. vtputa si probandum nobis sit contrariorum eandem esse scientiam, considerabimus iustum & iniustum, albũ & nigrum, & cetera eiusmodi contraria, quæ in eandem scientiam cadunt; omittemus autem notum & ignotum; quia cùm ignoti non sit scientia, horum contrariorũ prolatio nobis noceret. In summa, distinctionẽ eius quod dicitur multis modis, referre debemus ad causæ nostræ vtilitatem. Quartò cùm ait, *Et in his quoque*, monet hoc secundum præceptum in iis quæ latent, locum habere, vt etiã suprà monuit de loco ab homonymis. Quintò cùm ait, *Quinetiam hoc*, docet huius loci vsum esse nõ tantùm in exemplo suprà allato, in quo quærebatur, an cõtrariorum esset eadem scientia: sed generalem in omnibus problematis, in quibus dicitur hoc esse huius, vtputà medicinam esse scientiam salubrium, cupiditatem esse rerum concupiscibilium; vel non esse huius, vt physicam non esse scientiam rerum immobilium. Sextò cùm ait, *vtilis autem*, ostendit hunc locum valere potissimùm in relatis. quod enim huius esse, vel non esse dicitur, ad hoc refertur. Ait *ferè*: quia potest dici aliquid esse alicuius, nec tamen esse relatum: vt hæc manus dicitur Socratis manus; nec est in categoria relationis, sed substantiæ, vt didicimus ex c. 7. Categoriarum.

IN CAP. IV. CONTINENS VARIOS LOCOS.

HOc capite traduntur quatuor loci, quos singillatim explicabo.

1 *Præterea vtile.* Octauus locus, huius capitis primus, à mutatione nominis, nulla habet axiomata. Aristoteles autem hũc locum declarans, Primò præcipit, vt, si quod nomen in problemate obscurum sit, mutetur in nomen notius. Secundò cùm ait, *velut [si] pro exquisito*, datum præceptum illustrat duobus exemplis. Tertiò cùm ait, *cùm enim notius*, rationem affert eiusdẽ præcepti, quoniã hac ratione fit, vt faciliùs argumentemur. Quartò cùm ait, *Est autem hic*, docet hunc locum prodesse tam confirmanti thesim, quàm refutanti.

2 *Vt autem probetur.* Hæc partic. continet duos locos, alterũ à genere subiecti, alterum à specie subiecti. Initio huius particulæ declarat Aristoteles nonum locum, huius capitis secundum, à genere subiecti, qui coangustatur ad problema An duo cõtraria sint in eodem subiecto. Ne intelligas, actu & omnino eadẽ ratione simul in eodem subiecto contraria inesse: hoc enim est planè impossibile. sed triplici expositione hoc dictum defendere possumus. Primo contraria dici possunt eidem inesse potestate, non actu: quo modo in animali inesse rationale & irrationale, docebat Porphyrius cap. 3. partic. 16. Secundo dici possunt inesse alternatim, non coniunctim: vt numerus est par vel impar, & linea est recta vel inflexa, lib. 1. Posterior. cap. 4. partic. 4. & 7. Tertiò dici possunt inesse ratione diuersarum specierum subiectarum: vt albor & nigror insunt animali: quoniam albor inest cygno, nigror coruo. Hęc postrema expositio maxime cõuenit huic locò. Scias tamen has expositiones cõcurrere: vt & in suprà dictis exẽplis. nam animal dici potest rationale & irrationale vel potestate, vel alternate, vel ratione diuersarum specierum. Eadem est ratio aliorum exemplorum. Sed nihilominùs illa expositio semper est afferenda, quæ magis quadrat. Iam vero huius loci affert Aristoteles præceptũ, vt scilicet respiciamus ad genus subiecti: & addit exemplũ sensus ac iudicij, in quo insũnt duo contraria, rectitudo & peccatum. aut enim rectè sẽtimus & iudicamus, aut peccamus. Axiomata hic duo esse videntur: vnũ affirmatiuum, Contraria, quę insunt generi, in sunt etiam speciebus: alterũ negatiuũ, Quę contraria generi non insunt, ea nec speciebus insunt. Sed prius axioma est fallax. nã rationale & irrationale attribuũtur animali; non tamen homini, quia homo non est irrationalis. Posterius axioma est certius, vt ipse Philosophus mox docebit.

Ait, *eidem.* subaudi, subiecto. Ait *ad genus.* supple, subiecti problematis. Ait, *qui enim sentit, iudicat aliquo modo.* Supple, sed & qui intelligit, iudicat: ergo iudicare est genus, cuius species sunt intelligere & sentire. Secundò cùm ait, *Contrà etiam*, declarat decimum locum, huius capitis tertium, à specie subiecti, qui æquè ac precedens coangustatur ad problema, quo quæritur an cõtraria sint in eodem subiecto. Hic quoque videntur esse duo axiomata: alterum affirmatiuum, Contraria quæ insunt speciei, insũt etiam generi: alterum negatiuum, Contraria quæ non insunt speciei, non insunt generi. Sed prius axioma est verum: posterius est fallax, vt Philosophus mox docebit. Hic ergo Aristoteles præcipit vt respiciamus

clamus ad speciē subiecti. & proponit axioma illud affirmatiuum: Contraria quæ insunt speciei, insunt etiam generi. & adiungit exemplum scientiæ quæ est species, & dispositionis quę est genus. cùm enim sciētia sit bona, vt physica; vel mala, vt *necromantica*: etiam dispositio est bona, vel mala. Tertiò cùm ait, *Ac prior quidem*, confert inter se duos locos proximè expositos: & docet, si velimus confirmare, id est, probare, contraria inesse eidem subiecto, arguendum esse à specie ad genus, non à genere ad speciem. Quartò cùm ait, *At si adhibeantur*, pergit in eadem collatione, ac docet, si velimus refutare, id est, probare contraria eidem non inesse, arguendum esse à genere ad speciem, non à specie ad genus.

3 *Quia verò necesse*. Vndecimus locus, huius capitis quartus, à speciebus attributi, continet sex axiomata, id est, tria affirmantia, & tria negantia. Primum axioma est: Cui attribuitur species, eidem attribuitur genus. veluti si homo est alb⁹, est coloratus. Secundū, Quod habet speciē, habet etiā eius speciei gen⁹. veluti qui habet grāmaticam, habet scientiam: & qui habet vinum, habet rē potabilem. Tertiū, Quod denominatur à specie, denominatur etiam à genere. verbi gratiâ, qui à grammatica dicitur grammaticus, etiam à scientia dicitur sciens. Quartum, Cui nulla species attribuitur, eidem nec genus attribuitur. veluti si nec est homo, nec leo, nec equus nec bos, &c. certe non est animal. Quintum, Quod nullam speciem habet, id nec specierum genus habet. veluti qui neque grammaticam habet, neque musicam, neque aliam speciem scientiæ, is non habet scientiam. Sextum, Quod à nulla specie denominatur, id nec à genere denominatur. vtputà qui nec à grāmatica dicitur grammaticus, nec à musica musicus. &c. is à scientia sciens dici nequit. Hunc locum explicans Aristoteles, Primò tradit præceptum, quod & ratione confirmat & exemplo illustrat. Præceptum est, vt respiciamus ad species attributi. Ratio est: quia si quid attribuitur generi, attribuitur etiā speciei: & quod habet genus, habet etiam speciem: & quod denominatur à genere, denominatur etiam à specie. Hęc ratio declaratur exēplo, in quo scientia est genus, grammatica & musica sunt species. Exemplum autem, quo locus exponitur, est hoc problema, Anima mouetur. impugnaturus enim hoc problema, cōsiderare debet, an aliqua species motus animæ conueniat.

Secundò cùm ait, *Hic autem locus*, ostendit hunc locū valere & ad problema confirmandum, & ad infirmandum.

3 *Cui verò*. Duodecimus locus, huius capitis quintus, à definitione sumi videtur; & idem esse cū loco tertio. Ego hos duos locos sic distinguo. In tertio ponitur definitio subiecti, vel accidentis, & ex illa arguitur contra thesim. sed in hoc duodecimo distinguntur argumenta contra ipsam definitionem ex aliquo illorum locorum, qui ad definitiones pertinent, & libro 6. explicabuntur. Sit (exempli causâ) hæc thesis, Infinita esse æqualia. ex tertio loco sic contra hanc thesim argumentabor: Æqualia sunt, quę communis mēsura totidem vicibus accepta metitur. atqui ea quæ sūt infinita, communis mensura totidem vicibus accepta nō metitur: ergo quę sunt infinita, non sunt æqualia. Quòd si velim vti loco duodecimo, commutabo thesim, & loco definiti accipiam definitionē, quasi thesis ita concepta sit, infinita habent communem mensurā quæ totidem vicibus accepta, ea metitur. Nam qui dicit esse æqualia, dicit ea habere communem mensuram, quæ sic ea metitur, si quidem hæc est æq[...]al[...]ū definitio. deinde ex locis exponendis li[...]. [...]n. tar euertere hanc definitionem, vel aliquā eius partem. Sicut igitur argumentum à definitione [...]mpt[...]m, differt ab argumēto contra definitionē allato. ita differt tertius locus ab hoc duodecimo. proinde nullū axioma hic est quærendum: sed est tantùm præceptum de mutanda d[i]sputatione accidentis in disputatioнē de definitione; quia faciliùs est euertere definitionem, quàm accidens. Ex his intelligere possumus alteram horum locorum differentiam. nā tertius tam ad confirmandum, quàm ad refellendum valet: hic autem duodecimus tantùm ad refellendum: quādoquidem definitio faciliùs quidē euertitur, quàm accidēs, sed difficiliùs adstruitur, vt Aristoteles docebit lib. 7. cap. vlt. Ait, *quæ sunt vel esse videntur*. Exempli causâ, si problema sit, Infinita esse æqualia; & duæ sint, aut esse videantur definitiones æqualium: (id est, quę nec sunt maiora nec minora: & quæ communis mensura metitur) expendam vtramque definitionem; & quæram, vtra mihi sit vtilis: cúmque prior definitio non possit mihi esse vsui, accipiam posteriorem. Ait, *Aduersus definitiones facilior sit argumentatio*. Hoc explicabitur dicto cap. vlt. lib. 7.

3 *Considerare autem*. Decimustertius locus, huius capitis sextus, sumitur ab antecedentibus: & decimusquartus, huius capitis septimus, à consequentibus. Ad illum lo-

cum pertinet axioma: Si verum est antecedens, verum est etiam consequens. Ad hūc pertinet axioma: Si falsum est consequens, falsum est etiam antecedēs. Hæc duo axiomata sunt fundamenta syllogismorum hypotheticorū, quibus arguitur à positione antecedentis ad positionem consequentis, (veluti si est homo, est animal: atqui est homo: ergo est animal) aut ab euersione cōsequentis ad euersionē antecedētis: (veluti si est homo, est animal: atqui nō est animal: ergo nō est homo) quapropter his locis vtens, commodissime argumentabitur ex hypothesi. Hos locos enarrans Aristoteles primo proponit præceptū, vt respiciamus ad antecedentia problematis, & ad consequentia problemati. *Ait, propositum est.* subaudi in problemate, seu thesi. Secundò cùm ait, *Confirmare igitur*, horum locorum differentiam declarat; & ostēdit locum ab antecedētibus valere ad confirmandum, locū autem à consequētibus valere ad infirmandum.

6 *Præterea ad tēpus.* Decimusquintus locus, hui' capitis octauus, à tēpore ductus, habet hoc axioma: Quod aliquādo nō inest: id nec necessariò, nec simpliciter inest. Huius loci affert Aristoteles præceptum, & duo exempla perspicua.

IN CAP. XV. QVO EXPLICANTVR LOCI A translatione disputationis.

DVos locos hoc capite declarat, quibus disputatio à problemate ad aliudquidpiam transfertur, quò magis opponens abundet argumentis.

1 *[Est] præterea.* Decimussextus locus, huius capitis primus, sumitur à trāslatione disputationis, quæ fit à problemate ad propositionem. Hunc locum enarrans Philosophus, primo ait, eum esse sophisticum, propterea quòd eo sophistæ sæpe vtūtur. omisso enim principali problemate, de alia re differunt, ad quam transtulerunt disputationem. Non est tamen semper sophisticus: sed tum demum, cùm translatio sine iusta causa fit, id est, cùm translatio disputationis nec est necessaria, nec videtur necessaria; alioqui est locus dialecticus. Secundò igitur Aristoteles cùm ait, *Accidit in istis* dum, vt ostendat hunc locum non esse semper sophisticum, diuidit translationē disputationis in tria genera. aut enim est necessaria: aut videtur necessaria: aut nec est, nec videtur necessaria. Priora namque duo genera videntur dialectica: tertium genus est sophisticum. Tertio cùm ait, *Necessarium [est,]* explicat primum translationis genus: ac docet necessariam translationē tūc esse, cùm respōdēs negat aliquid, quod ad impugnādā thesin valet. Hoc aute cùm duobus modis accidat, hîc declarat primū modū, id est, cùm opponēs petit aliquid sibi cōcedi, vnde extructurus est syllogismum; sed id à respondente confestim negatur priusquàm conficiatur syllogismus. Quartò cùm ait, *Similiter etiam*, exponit alterum modum, id est, cum post syllogismum extructum ac thesi oppositum, respondens negat aliquā propositionem, ad quam fit translatio disputationis, quia probanda est ab opponente. Hoc casu dicitur fieri abductio; de qua lege cap. 25. lib. 2. Prior. quocirca contra scriptorum & editorum librorum consensum hic legendum, ἀπαγωγὴν, nō ἐπαγωγὴν, id est, *abductionem*, non *inductionem*: & paulò pòst legendum ἀπάγεται, nō ἐπάγεται. Aut si placet retinere vulgatam lectionem: quam etiam Alexāder sequitur, oportet accipere ἐπαγωγὴν ἀντὶ τῆς ἀπαγωγῆς: tuncque malim interpretari *adductionem*, quàm *inductionem*; quoniā idē est abducere & adducere, videlicet ab vno ad alterū ducere. Quintò cùm ait, *Videtur autē*, declarat secūdum trāslationis genus: ac docet translationem necessariā videri, cùm respōdēs negat id, quod ad impugnandam thesim valere videtur. Hîc quoque duo sunt modi; aut enim nondū est factus syllogismus: aut syllogismus iam est extructus, & thesi oppositus: vt suprà diceb amus de translatione necessaria. Sextò cùm ait, *Reliquum [est,]* exponit tertium trāslationis genus: & docet trāslationē nec esse, nec videri necessariam, cū id negatū est, quod reuera ad thesim non pertinet. inde enim nō redarguitur respondens, nisi per accidēs, quatenus id negauit, quod negare non debebat, cū ad rem nō faceret. Si igitur opponens id probauit, respondērem redarguit, sed thesim non confutauit. Ait, *nec necessarium*. subaudi, ad infirmadam thesim. Ait, *aliter*, id est, salua thesi, proinde per accidens. Ait, *Parelenche*. Parelenchus, vel parexelenchus differt ab elencho, vt paralogismus à syllogismo. Itaque non est verus elenchus, cum non refellat thesim, sed est parelenchus Sophisticus. Septimò cùm ait, *[Horū] quos dixi*, ex dictis colligit duo præcepta

cepta ad rationem disserendi pertinentia; quorum prius spectat ad opponentem, posterius ad respondentem. Primùm igitur opponenti præcipit, vt ... tralla tionis genus ... quàm sophisticum, & dia lectico nō cōueniens. Deinde cùm ait, *Quæ circa debet*, respōdēti pręcipit, ne morosè ne get quęcunq; proponitur ab opponēte: sed ea concedat, quę nō faciunt contra thesim; concedat (inquam) non vt vera, sed vt ad thesim pertinentia.

2 *Præterea quicunque.* Decimusseptimus locus, huius capitis secūdus, ducitur à translatione disputationis ad ea quę problemati consequentia sunt. Hic locus iam fuit ex positus cap. 9. secūd. part. 10. & 11. Sed hic repetitur, quia nunc in eo spectatur trāslatio disputationis, quę translatio suprà non fuit considerata. Primò Aristoteles declarat vim huius loci. Secundò cùm ait, *Sed cauere*, declarat eiusdē loci vsum, acmonet ne trāsferamus disputationē ad ea, de quibus difficiliùs disputare possum⁹, quàm de problemate; sed ad ea de quibus faciliùs possimus argumentari. nam hoc modo officimus aduersario: illo autem modo nosmet ipsos impedimus.

IN CAP. XVI. CONTINENS VARIOS LOCOS.

HOc caput cōtinet quatuor locos, quos singillatim cū Aristotele enarrabo.

1 *Quibus autem.* Decimusoctauus locus, huius cap. primus, à disiunctione sumptus, continet duo axiomata de oppositis immediatis. Primum axioma est: Si vnum inest, alterum nō inest. veluti, si est dies, nō est nox. Secundum axioma est: Si alterum non inest, necesse est alterū inesse. veluti, si non est dies, est nox. Hunc locum explicās Philosophus, primò declarat, in quibus hic locus valeat, id est, vbi necesse est duorum immediatorum alterum esse alterum non esse: veluti, necesse est aut esse diem, aut noctem: item necesse est numerum esse parē, vel imparem. Ait, *vt homini.* vide cap. 10. Categoriarum, part. 8. & quę ibi notaui. Secundò cùm ait, *Hoc autem commertitur*, declarat huius loci vsum: & ostendit eum valere tam ad refellendum, quàm ad confirmandum. Duo namque hic ostendimus esse axiomata: vnum negans, quo refellitur: alterum affirmans, quo adstruitur. Ait, *ad ambo*, id est, & ad confirmandum, & ad refellendum.

2 *Insuper [oportet.]* Decimusnonus locus, huius capitis secundus, ab etymologia sumptus, cōtinet vnum axioma: Ea verbi interpretatio debet accipi, quæ conuenit etymologiæ vocabuli. Huius loci perspicua exempla sunt in contextu.

3 *Quoniam autem.* Vigesimus locus, huius capitis tertius, à rerū diuisione quadā quadrimembri sumitur. alia namq; semper sunt, vt cygnus semper est albus, coruus semper est niger: alia sunt plerūque, vt mater diligit liberos: alia rarò, vt mater odit liberos: alia temere in vtramuis partem accidunt, vt Socratem ambulare, vel stare. Hic locus continet duodecim axiomata, id est, terna de singulis membris diuisionis, quæ omnia ad reprehendendum valent. De eo igitur quod semper est, tria sunt axiomata. Primum: Quod est semper, nō est plerumque. Secundum, Quod est semper, non est rarò. Tertium, Quod est semper, non temere in vtramuis partem accidit. De eo quod est plerūque, similiter sunt tria axiomata. Primum, Quod est plerumque, nō est semper. Secundum, Quod est plerumque, nō est rarò. Tertiū, Quod est plerumque, non æque est & non est. De eo quoque quod est rarò, tria sunt axiomata. Primū, Quod est rarò, non est semper. Secundum, Quod est rarò, non est plerumque. Tertium, Quod est rarò, non æquè est & non est. Item de eo quod ęquè in vtramque partem accidit, tria sunt axiomata. Primum, Quod ita accidit, non est semper. Secundum, Quod ita accidit, non est plerūque. Tertium, Quod ita accidit, non est rarò. In his axiomatis concipiēdis dixi, *semper esse*, cùm Aristoteles dicat *necessario esse*: quoniā hæc duo pro eodem accipio. Explicans hunc locum Aristoteles considerat singulas theses, quibus aliquod ex suprà dictis axiomatis opponi potest. confundit enim mēbra suprà dictæ diuisionis. Primò igitur, allatā eā rerum diuisione, reprehendit theses, quæ non distinguūt inter id quod est sēper & id quod est plerumque, aut rarò. Ait, *plerumque*, sub hoc membro tacitè continetur oppositū, id est, quod rarò fit. Sic lib. 1. Prior cap. 13. part. 5 & alibi passim apud Aristotelē. Ait, *positū sit*, subaudi, in thesi, de qua differitur. Secundò cùm ait, *Iidem & si id*, reprehendit theses non distinguentes inter id quod rarò accidit, & id quod semper, aut plerumque fit. Tertiò cùm ait, *Sed & si [quis,]* reprehendit theses simpliciter conceptas de eo quod non semper est. Simpliciter conceptas intellige: quia nec additur particula *semper*, nec *plerumque*, nec *ra-*

...nec dicitur æquè in vtramque partem accidere, ... simpliciter esse dicitur, veluti, Liberi à patre exhereda... improbi.

4 *Praeterea [videndum.]* Vigesimus primus locus, huius capitis quartus, à polyonymis sumptus, continet hoc axioma, Idē sibi ipsi accidere nequit. Aristoteles hunc locum declarat præcepto, & exemplo. Præceptum est, vt videamus, an in thesi ponatur aliquid accidere sibi ipsi, hoc est, an subiectum & attributum theseos eandem rem significent. Exempli causâ proponuntur, voluptas, gaudium, iucunditas, & lætitia, quæ vocabula idem significant, licet à Prodico sophista distinguerentur, dum voluptatem diuidebat in gaudium, iucunditatem, & lætitiam: quam diuisionem refert Plato in Protagora.

IN CAP. VII. QVO TRADVNTVR LOCI A CONtrariis.


SEquuntur à cōtrariis loci quatuor, quos distinctè enarrabimus.

1 *Quoniam autem.* Vigesimus secundus locus, huius capitis primus, à coniunctione contrariorum ductus, continet tot axiomata, quot sunt contrariorum συζυγίαι, id est, sex, quæ postea enarrabuntur. Declarans hunc locum Aristoteles, Primò proponit præceptum, ... variis contrariorum coniunctionibus (sex enim modis contraria coniungi docet, sed quatuor tantùm modis induci contrarietatem) eâ vtamur, quæ nobis est commodior ad confirmandum, vel infirmandum. Secundò cùm ait, *Sex igitur modis*, docet sex esse coniunctiones contrariorum. Sunt enim quatuor termini; quorum duo, vt amici & inimici, habent rationem subiecti; reliqui duo, vt bene mereri & malè mereri, habent rationē attributi: & vt duo priores sunt inter se cōtrarij: ita etiā opponuntur duo posteriores inter se. Horum autem terminorum coniunctione fiunt quatuor propositiones: quia duo attributa cum duobus subiectis coniungi possunt quatuor modis. Sunt autem quatuor propositiones hæ: Prima, de amicis bene merendum: Secunda, de amicis male merendum: Tertia, de inimicis bene merendum: Quarta, de inimicis malè merendum: vt in sequenti diagrammate intueri licet.



Iā hæ quatuor propositiones sunt à nobis cōsiderandæ. Dicimus igitur cū Aristotele has propositiones sex modis cōiungi posse: quorum modorum, quatuor faciunt cōtrarietatem, reliqui duo minimè. Primus modus est, si cōiungātur propositio prima & quarta, nempe de amicis bene mereri, & de inimicis malè mereri. Secundus modus coniungit secundam propositionem & tertiam, nēpe de amicis male mereri, & de inimicis bene mereri. In his duabus cōiugationibus non est contrarietas, sed ea duo secundum Aristotelem cōueniunt eisdē moribus. nam viri boni & prudētis est, de amicis be-

cis bene mereri, & de inimicis male: quæ erat prima ſyzygia. hominis autem mali & prudentis eſt, de amicis male mereri, & de inimicis bene mereri: quæ eſt ſecunda ſyzygia. ergo in his duabus cõiugationibus nulla eſt contrarietas. In ſequentibus autem erit contrarietas ſeu repugnantia. Tertius modus eſt, qui coniungit primam & ſecundam propoſitionem, id eſt, de amicis bene & de inimicis male. Quartus modus coniungit tertiam & quartam, id eſt, de inimicis bene, & de inimicis male. Quintus modus coniungit primam & tertiam, id eſt, de amicis bene, & de inimicis bene. Sextus & vltimus modus coniungit ſecundam & quartam, id eſt, de amicis male mereri, & de inimicis male. In prima coniugatione attribuuntur duo contraria, id eſt, bene mereri & male mereri, duobus contrariis, id eſt, amicis & inimicis. ſimiliter & in ſecunda. in tertia autem conſiderantur duo contraria: id eſt, bene mereri & male mereri de vno ſubiecto, id eſt, de amicis. in quarta ſpectantur duo contraria in eodem ſubiecto, id eſt, in inimicis. in quinta conſideratur vnum attributum, id eſt, bene mereri, de duobus contrariis, id eſt, de amicis & de inimicis. in vltima conſideratur vnum attributum, id eſt, male mereri, de iiſdem contrariis, id eſt, amicis & inimicis. Hæc autem omnia in ſequenti typo dilucide apparent.



Tertiò cùm ait, *Prima igitur*, oſtendit primam ſyzygiam ſeu coniunctionem primæ propoſitionis & quartæ; nec non ſecũdam, id eſt, coniunctionem ſecundæ propoſitionis & tertiæ, non continere in ſe vllam cõtrarietatem. Quartò cùm ait, *Reliqua autem*, oſtendit in reliquis quatuor ſyzygiis eſſe contrarietatẽ, id eſt, inter propoſitiones primam & ſecundã, inter tertiam & quartam, inter primam & tertiam, inter ſecundam & quartam. Quintò cùm ait, *Conſtat igitur*, docet cuilibet ex quatuor illis propoſitionibus duas eſſe cõtrarias. ratio eſt: quia quælibet propoſitio conſtat ex ſubiecto & attributo: proinde ſumi poteſt alia propoſitio, quę vel ſubiectũ, vel attributũ, vel vtrũque cõtrarium habeat. ſed iam in tertio huius particulæ membro Ariſtoteles docuit eam propoſitionem non eſſe contrariam, quæ vtrumque terminum contrarium ſumit. reſtant igitur duæ cõtrariæ, id eſt, quæ habet contrarium attributũ, vel contrariũ ſubiectum. Sic primæ propoſitioni repugnant ſecunda & tertia, non quarta: ſecũdæ prima & quarta, non tertia: tertiæ prima & quarta, non ſecunda: quartæ ſecunda & tertia, non prima. Sextò cùm ait, *Vtrumuis igitur*, cõcludit, ſi theſis referatur ad vnam ex quatuor illis propoſitionibus, ſumendum eſſe argumentum ex ea propoſitione, quæ theſi repugnat. Quoniam igitur docuimus cuilibet ex quatuor illis propoſitionibus eſſe duas propoſitiones contrarias: hinc ſuppetunt duo argumenta. Verbi gratià ſi theſis ſit, De amicis eſt male merendum: cõtra eã argumẽtabimur, vel quia de amicis eſt bene merendũ, vel quia de inimicis eſt male merendum, neq; cõuenit eodem modo eſſe affectum erga amicos & erga inimicos. Axiomata ſpecialia multa hic concipi poſſunt: ſed generaliſſima ſunt tria, vnũ ex prima & ſecunda ſyzygia, alterum ex tertia & quarta, tertiũ ex quinta & ſexta. Primũ axioma eſt; Cõtrariorũ cõtraria ſunt attributa, tã aiẽtia, quàm negantia. Aientia: vt ex prima ſyzygia, Si de amicis eſt bene merẽdum

de inimicis est male merēdum. Negātia: vt ex secunda syzygia, Si de amicis non est male merendum, de inimicis nō est bene merendum. Secundum axioma est: Eidem subiecto contraria attributa non cōueniūt: vt ex tertia coniunctione, Si de amicis est bene merendum, non est de amicis male merēdum: item, Si de amicis non est male merendū, est igitur bene merendū: & ex quarta, Si de inimicis est male merendum, non est de eis bene merēdū: rursus, Si de inimicis nō est bene merēdū, est igitur male merendum. Tertium axioma est: Idem attributum contrariis subiectis non cōuenit: vt ex quinta syzygia, Si bene merēdum est de amicis, non est bene merēdum de inimicis: & ex sexta, Si male merendum est de inimicis, non est male merendum de amicis. Hæc omnia axiomata accipe, non vt necessaria, sed vt probabilia. eiusmodi enim sunt problemata dialectica.

2 *Præterea si quid.* Vigesimus tertius locus, huius capitis secundus, à positione contrarij, habet vnum axioma vtile ad refellendum, Contraria nō possunt esse in eodem subiecto. Potest etiam axioma ita concipi: Id in subiecto non inest, cuius contrarium in eo subiecto inest. vel hypothetice hoc modo, Si ex duobus contrariis vnum in subiecto inest, alterum non inest.

3 *Aut an tale.* Vigesimus quartus locus, huius capitis tertius, à consecutione contrariorum, similis est præcedenti, & continet vnum axioma vtile ad refellendum: quod axioma ita concipitur: Id non inest, quo posito contraria reperientur in eodem subiecto. Aristoteles hunc locum enarrans, primò tradit præceptum, vt videamus an thesim consequatur positio cōtrariorum. Deinde præceptum illustrat exēplo huius theseos, Ideæ sunt in nobis. hac enim thesi positā, sequitur ideas simul esse mobiles & immobiles, item sensibiles & intelligibiles. Differt hic locus à præcedente. nam in precedente thesis ponebat vnum ex contrariis, opponens autem probabat inesse alterum contrarium: hic verò neutrum contrarium in thesi exprimitur; sed qui thesim posuit, ducitur ad hanc absurditatem, vt cogatur fateri duo cōtraria simul esse in eodem subiecto.

4 *Rursus si positam.* Vigesimus quintus locus, huius capitis quartus, à subiecto contrarij, continet duo axiomata. Primum est negans: Quod nō potest recipere vnum ex contrariis, nec alterum recipere poterit. Secundum est affirmans: Quod potest vnum ex contrariis suscipere, potest etiam alterum recipere. Hunc locum declarans Aristoteles, primò tradit præceptum, nempe si in thesi affirmatur aliquod accidēs de subiecto, vt videamus an contrarium accidens possit esse in eodem subiecto: rationemque huius præcepti affert, quia idem subiectum contraria suscipere potest, vt de substantia dictum fuit cap. 5. Categor part. 21. Ait, *positum est*, subaudi, in thesi. Secundò cùm ait, *veluti si odium*, hunc locum proposito perspicuo exemplo illustriorem reddit. Tertiò cùm ait, *similis est ratio*, adiūgit alterum nō minus elegans exemplum. Quartò cùm ait, *Qui igitur refellit*, docet, quatenus hic locus valeat ad infirmandum problema: & ait, hoc loco vtēdū esse quemadmodum dictū est, id est, vt per eum probetur accidens non solùm nō inesse, sed etiam non posse inesse in subiecto. veluti si facultas concupiscibilis non est scientiæ capax, in ea nec est, nec esse potest ignorātia. Quintò cùm ait, *Confirmantiautem*, declarat vim huius loci in problemate confirmando. per hunc enim locum probamus esse posse, non probamus esse actu. veluti ex eo quòd facultas rationalis recipit scientiam, probamus in eadem esse posse etiam ignorantiam. Quocirca maiorem vim habet hic locus ad refellendum, quàm ad confirmandum.

IN CAP. VIII. DE LOCIS AB OPPOSITORVM CONsecutione.

HOc capite explicantur quatuor loci, prout quatuor sunt genera oppositorum: nempe contradicentia, contraria, priuantia, & relata. Ab horum igitur oppositorum consecutione ducuntur argumenta. Sed obserua duplicem conuersionem hoc capite considerari, alteram directam, alteram inuersam. Directa est, cum terminorum ordo nō mutatur; veluti, fortitudo est virtus, ergo ignauia est vitium. Dico nō mutari ordinem terminorum: quia sicut subiectum vnius propositionis opponitur subiecto alterius propositionis, vt ignauia fortitudini, ita attributum opponitur attributo, vt vitium virtuti. Inuersa est, cùm terminorum ordo mutatur: veluti, homo est animal, ergo quod non est animal, non est homo. quod enim in priori propositione erat subiectum, in posteriori est attributum: & quod in illa erat attributum, in hac fit subiectum. In sum-

In summa autem docebit Aristoteles, in contradicentibus obtinere conuersionem inuersam, in contrariis verò plerumque directam.

1 *Quoniã autẽ.* Vigesimus sextus locus, huius capitis primus, à contradicentiũ consecutione, continet duo axiomata. quorum primum est, In quibus terminis vera est affirmatio, in iisdem vera est negatio inuersa. Alterum est. In quibus terminis vera est negatio, in iisdem vera est etiam affirmatio inuersa. Sit exemplum primi axiomatis: Homo est animal; ergo non animal non est homo. Sit exemplum secundi axiomatis: Quod non est animal, non est homo: ergo quod est homo, est animal. Vides in his exemplis inuerti ordinem terminorum: ita vt ex subiecto fiat attributum, & ex attributo subiectum. Primum axioma valet ad refellendum, alterum ad confirmandum. Atque hinc commodissimè extruuntur syllogismi hypothetici. Hunc locum declarans Philosophus, primò proponit præceptum, vt videamus an possimus hac inuersa contradictionis consecutione vti ad refutandum, vel adstruendum. Secundò cùm ait, *Accipere autem*, per inductionem probat, hâc contradicentium consecutionem inuerso terminorum ordine rectè fieri: directò autem factam non valere. Tertiò cùm ait, *patet igitur*, ex allatis exemplis colligit hunc locum valere tam ad confirmandum, quàm ad infirmandum. Ait, *ad ambo*, id est, & ad confirmandum, vt in postremo illo exemplo posito in contextu, si non iucundum nõ est honestum, certè honestum est iucundum; & ad refutandum, vt in reliquis exemplis. Ait, *ordine commutato*, id est inuerso ordine terminorum, ita vt quod in affirmatione est subiectum, in negatione sit attributum; & retro quod in illa est attributum, in hac sit subiectum.

2 *In contrariis.* Vigesimus septimus locus, huius capitis secundus, à contrariorum consecutione, continet duo axiomata. Primum est: Si contrarium contrario nec directò nec ordine inuerso est cõsequens, etiam termini problematis sunt tales vt alter alteri non sit consequens. Cõtraria intellige & attributo & subiecto problematis. Exempli gratiâ, proposita sit hæc thesis, Voluptatem esse fugiendam. contra hanc thesim possumus argumentari: quia nec dolor est optãdus, nec quod est optandum est dolor. Alterum axioma est: Si contrarium contrario est consequens, etiam attributum problematis subiecto est consequens. Exempla subiicientur in contextu. Horum duorum axiomatum prius valet ad refellendũ, posterius ad confirmandum. Hunc igitur locum enarrans Aristoteles, primò proponit præceptum tam adstruenti, quàm refellenti, vt videlicet ad hunc locum respiciat. Secundò cùm ait, *Accipere autem*, ostendit hunc locum inductione confirmari, quemadmodum & præcedentẽ locum confirmauit. Tertiò cùm ait, *directò [fit,]* dat exemplũ consecutionis, per quam adstruimus. hoc exemplum est consecutionis directæ. Quartò cùm ait, *Inuerso autem ordine*, dat alterum exemplum consecutionis adstruentis inuersæ. Quartò cùm ait, *Rarò autem*, docet plerumque consecutionem directam esse, rarò inuersam. Quintò cùm ait, *Quòd si, nec directò*, accedit ad tradenda duo axiomata ad hunc locum pertinentia, quæ suprà exposui. Hîc tradit primum axioma negatiuum, quod valet ad refellendum. Sextò cùm ait, *si verò incontrariis*, adiungit alterum axioma affirmatiuũ, quod valet ad confirmandum.

3 *Vt autem in contrariis.* Vigesimus octauus locus, huius capitis tertius, à consecutione priuantium ducitur. Consecutionem hîc accipimus directam, non inuersam. Axioma est: Priuantibus priuantia sunt consequentia: vt aspectui sensus, & cæcitati priuatio sensus. Hunc locum declarans Philosophus, primò docet similitudinem huius loci & præcedentis. Secundò cùm ait, *præterquàm quòd*, eorundem locorum discrimen declarat: quoniam hic inuersio semper est directa, in superiori autem loco interdum erat inuersa.

4 *Vt autem habitu.* Vigesimus nonus locus, huius capitis quartus, à consecutione relatorum, est omnino similis loco à consecutione priuantium. Itaque Philosophus primò hanc similitudinem exponit. Secundò cùm ait, *Obiectio [proponi potest,]* obiicit exemplum relatorum, in quibus non videtur consecutio vera esse. Tertiò cùm ait, *non tamen hæc*, soluit dictam obiectionem, negans quod in ea obiectione sumebatur, id quod est sensibile, esse scibile. & hanc negationem confirmat, retorquens argumentum sibi obiectũ, vt appareat argumentum illud laborare eo vitio, quod Gell. lib. 9. cap. vltimo ἀντιστρέφον appellat.

IN CAP. IX. DE LOCIS A CONIVGATIS, ET AB ORTV vel interitu; vel efficiente, vel intereunte.

HOc capite duo loci explicantur: quorum prior sumitur à coniugatis, posterior ab ortu, vel interitu, & ab iis quæ efficiendi vel corrumpendi vim habent.

1 *Item[considerand.*]Trigesimus locus, huius capitis primus, sumitur à coniugatis & casibus. Hæc duo coniunguntur: quia casus sub coniugatis continentur, vt mox cum Aristotele docebimus. Hic locus côtinet duo axiomata. Primum est affirmatiuum: Si coniugatum attributi dicitur de coniugato subiecti, etiam attributum vere dicitur de subiecto: (Memineris me semper intelligere subiectum & attributum problematis) veluti si iustitia est laudabilis, iustum est laudabile. Alterum axioma est negatiuum: Si coniugatum attributi non dicitur de coniugato subiecti, etiam attributum falsò dicitur de subiecto: veluti si iustitia non est scientia, iustus non est sciẽs. Hæc duo axiomata possunt ad vnum commune referri, Coniugatorum eadem est ratio. Hunc locum explicans Philosophus, primò proponit præceptum, vt respiciamus ad coniugata & casus: siue improbare, siue adstruere velimus. Secundò cùm ait: *dicuntur autem*, variis exemplis declarat: quænam dicantur coniugata. Tertiò cùm ait, *casus autem*, exemplis declarat, qui dicantur casus, vbi obserua casuum appellatione non tantùm contineri, quos grammatici casus appellant, genitiuum, datiuum, &c. vt iusti, iusto, &c. sed etiam aduerbia, vt iuste. Quartò cùm ait, *videtur autem*, confert coniugata & casus inter se, ac docet casus esse coniugatorum speciem: quoniam omnes casus sunt coniugati, non contrà omnia coniugata sunt casus. Casus enim appellatione Aristoteles hic, vt & in lib. de interpret. intelligit ea tantùm, quæ oblique efferuntur, vt in genitiuo, aut datiuo, aut simili casu, vel aduerbialiter. Itaque iustus, iusta, iustũ, & iustitia, sunt coniugata, non casus: iuste autem, iusto, & iustos, sunt casus coniugati. Quintò cùm ait: *patet igitur*, transit ad explicandum huius loci vsum in confirmando. vnde facilè possumus colligere similem eiusdem loci vsum in refellendo. Quibusdam igitur exemplis ostendit ex coniugatis coniugata rectè concludi. Sextò cùm ait, *dicitur autem*, ostendit, quomodo concludendum sit: ac docet attributũ subiecto simile esse debere: vt putà, iustum est laudabile, ergo iuste, est laudabiter. non enim colligere debemus, ergo iuste, est laudabile: quia cùm *si* iuste sit aduerbium, etiam attributum, aduerbium esse debet.

2 *Considerare autem.* Agit de loco à contrariis coniugatis. Ac primò docet, non solum vtilẽ esse cognitionem eorũ quę sunt terminis problematis coniugata, sed etiam coniugatorum contrariorum. nam si hæc quoque considerentur, maior argumentorum copia suppetet. Ait, *non solum*, &c. id est, non solum consideranda sunt coniugata eorum terminorum qui positi sunt in problemate, sed etiam videndum est, an id quod attributo problematis est contrariũ, dicatur de eo quod est subiecto contrariũ. Exempla habes in contexu. Secundò cum ait, *Hi autem loci*, ne quis putet nouum locum hic statui à contrariis coniugatis, monet hunc locum suprà fuisse traditum cap. proximo, part. 2 ideóque non esse hic ponendum tamquam nouum locum.

3 *Praeterea [ducenda.]* Trigesimus primus locus, huius capitis secundus, pertinet ad quæstionem, vtrùm aliquid sit bonum vel malum: ac ducitur ab ortu & interitu, siue ab efficientibus vel interimentibus, siue ab eo quod oritur, aut efficitur, vel interit. Possumus plures locos hic efficere, sed propter affinitatem ita coniunguntur. Sunt autem hic notanda sedecim axiomata. Primò, Cuius ortus est bonus, id est bonum. Secundò, Cuius ortus est malus, id est malum. Potes ex his duobus axiomatis vnum efficere, Qualis est ortus, tale est id quod oritur. Tertiò, Quod est bonum, eius ortus est bonus. Quartò, Quod est malum, eius ortus est malus. Potes & hic vnum axioma efficere. Quale est quod oritur, talis est ortus. Quintò, Id cuius bonus est interitus, malum est. Sextò, Id cuius malus est interitus, bonum est. Septimò, Quod bonum est, eius interitus est malus. Octauò, Quod malũ est, eius interitus est bonus. Nonò, Boni efficientis bonus est effectus. Decimò, Mali efficientis malus est effectus. Hæc quoque duo axiomata in vnum ita coniungi possunt, Quale est efficiens, talis est effectus. Vndecimò, Si bonus est effectus, bonum est efficiens. Duodecimò, Si malus est effectus, malũ est efficiẽs. Sed & hic potest esse vnum commune axioma, Qualis est effectus, tale est efficiens. Decimotertiò, Si bonum est quod interimit, malum est quod interimitur. Decimoquartò, Si malũ est interimẽs, bonum est quod interimitur. Decimoquintò, Si bonum est quod interimitur, malũ est quod interimit. Decimosextò, Si malum est quod interimitur, bonum est quod interimit. Aristoteles hunc locum declarãs, primò præcipit, vt respiciamus ad ortũ, interitum

teritum &c. siue adstruere, siue improbare velimus. Secundò cùm ait, *quorum enim*, docet quomodo arguatur ab ortu, vel ab eo quod ortum est. Tertiò cùm ait, *in corruptionibus. item*, docet quomodo sit arguẽdum ab interitu ad id quod interit. Quartò cùm ait, *talem ratio*, docet quomodo sit arguendum ab efficientibus, vel interimẽtibus.

IN CAP. X. DE LOCIS A PROPORTIONE, ET A comparatione.

VNum locum tradit à similium analogia seu proportione, & duos à comparatione.

1 *Item in similibus*. Trigesimus secundus locus, huius capitis primus, à similium proportione, continet hoc axioma, Quorum eadem est ratio, his proportione idẽ attribuitur. veluti, Si eadem est ratio scientiæ ad scibile & sensus ad sensile; certè siet scientia est contrariorum, ita etiam sensus. Aristoteles hunc locum explicans, primò tradit præceptum. Secundò cùm ait, *veluti si scientia*, exemplis illud illustrat. Tertiò cùm ait, *vtilis autem*, ostendit hunc locum valere tam ad confirmandũ quàm ad refellendum. Quartò cùm ait, *Considerare etiam*, docet vsum huius loci in vno & pluribus, id est, in eodem termino considerato simpliciter, & considerato cum aliquo adiuncto: vt in exemplo quod habetur in contextu, Si scire est cogitare, etiã scire multa, est cogitare multa: sed hoc est falsum: ergo & illud. Ecce enim in hoc exemplo *cogitare* consideratur primò solum & per se: deinde cum illo adiuncto, *multa*.

2 *Præterea* [*simenda*.] Trigesimus tertius locus, huius capitis secundus, à comparatione eius quod est magis vel minùs, continet aliquot axiomata, quæ mox proponam. Hunc locum declarans Philosophus, primò præcipit vt respiciamus ad ea quæ magis vel minus insunt. Secundò cum ait, *sunt autem*, diuidit hunc locum in quatuor partes, quæ mox singillatim explicabuntur.

3 *Vnus* [*est*.] In prima parte consideratur, quòd est simpliciter tale, & quod est magis tale. Hic statuatur axioma, Si accidens subiecto inest, intentionem subiecti sequetur intentio accidẽtis. Hanc partem Aristoteles explicans, primò eam proponit. Secundò cùm ait, *veluti si voluptas*, eandem exemplis declarat. Tertiò cùm ait, *vtilis autem*, ostendit esse vtilem ad confirmandum, & ad refutandum. Quartò cùm ait, *Hoc autem*, docet, si dubitetur de vi huius loci, eam posse confirmari per inductionẽ: quomodo etiam superiùs nonnulla alia loca confirmata fuerunt.

4 *Alius* [*locus*.] Sequitur secunda pars quæ vocatur alius locus: quia est alius locus specialis: sed refertur ad idem genus. Vnus enim est hic locus generalis, quatuor verò specialia. In hac parte consideratur vnum accidens de duobus subiectis, & ponuntur duo axiomata in contextu. Ait, *vnum*. subaudi accidens. Ait, *de duobus*. subaudi subiectis. Ait, *si cui* &c. Ponit primum axioma, cuius exemplum hoc esto: Summum bonum magis videtur consistere in sanitate, quàm in diuitiis: atqui sanitas non est summum bonum: ergo multò minùs diuitiæ. Ait, *& si cui minùs*. Ponit secundum axioma, cuius exemplum hoc esto: Minùs videntur expetendæ voluptates corporis, quàm animi: atqui quædam corporeæ voluptates sunt expetendæ ergo multò magis voluptates animi.

5 *Item cùm duo*. Sequitur tertia pars, in qua considerantur duo accidentia de vno subiecto. Hic quoque sunt duo axiomata, quæ proponuntur in contextu. Ait, *si quod magis*. Ponit primum axioma: cuius exemplum hoc esto: Magis videtur voluptas esse expetenda, quàm esse summum bonum. atqui non est expetenda: ergo multò minus est summum bonum. Ait, *sin quod minùs*. Ponit alterum axioma: cuius exemplum sit. Minùs videtur voluptas esse summum bonum, quàm esse expetẽda: atqui est summum bonum: ergo multò magis est expetenda.

6 *Præterea cùm duo*. Sequitur quarta pars, in qua considerantur duo accidentia de duobus subiectis. Hic quoque duo sunt axiomata in contextu proposita. Ait, *si quod alteri*. Ponit primum axioma: cuius exemplum sit. Magis videtur paupertas facere hominem miserum, quàm diuitiæ beatum: atqui paupertas non facit miserum: ergo multò minùs diuitiæ faciunt beatum. Ait *si verò quod minùs*. Ponit secundum axioma: cuius exemplum sit: Minùs videtur virtus sufficere ad beatè viuendum, quàm vitium sufficere ad reddendum hominem miserum: atqui illud est verum: ergo hoc multò magis.

7 *Praeterea ducendum.* Trigesimus quartus locus, huius capitis tertius, à comparatione similium, est tripertitus.

8 *Cùm enim vnum.* In prima parte consideratur vnum accidens in duobus subiectis. Hic proponuntur duo axiomata. Ait, *si alteri.* Proponit primum axioma: cuius exemplum sit: Si non sunt multae grammaticae, non sunt multae logicae. Ait, *quòd si alteri.* Proponit secundum axioma: cuius exemplum sit: Si diuitiae sunt in bonis externis, etiam honor est bonum externum.

9 *Cùmque duo.* In secunda parte considerantur duo accidentia in eodem subiecto. Hic quoque ponuntur duo axiomata. Ait, *si alterum.* Ponit primum axioma: cuius exemplum esto: Si voluptas non est expetenda, non est bona. Ait, *si verò insit.* Proponit alterum axioma: cuius exemplum est: Si voluptas est expetenda, est bona.

10 *Eodem modo.* In tertia parte considerantur duo accidentia in duobus subiectis. Hic quoque ponuntur duo axiomata, Ait, *si enim alterum.* Ponit primum axioma: cuius exemplum sit: Si res immobiles non subiiciuntur physicae, res mobiles non subiiciuntur metaphysicae. Ait, *si verò insit.* Ponit alterum axioma: cuius exemplum esto: Si iustus aliis prodest, iniustus aliis nocet.

11 *Ex eo igitur.* Epilogo concludit tractatum de locis à comparatione. De quibus generaliter notandum est, ab eo quod magis inest, argui negatiuè: veluti, Cicero magis est poeta quàm philosophus: sed non est poeta: ergo multò minus est philosophus. Ab eo autem quod minùs inest, affirmatiuè arguitur: veluti, Cicero minùs est philosophus quàm poeta: sed est philosophus: ergo multò magis est poeta. Ab eo verò quod aeque inest, vel non inest, tam affirmatiuè arguitur: veluti, Aequè Empedocles & Lucretius sunt philosophi, atqui Empedocles reuera est philosophus, ergo & Lucretius: quàm negatiuè; vt, Aequè Empedocles & Lucretius videntur poetae, atqui Empedocles (si Aristoteli credimus) non est poeta, ergo nec Lucretius.

IN CAP. XI. DE LOCIS AB ADIECTIONE, ET ab eo quod est quoquo modo, ad id quod est simpliciter.

HOc caput tres locos continet, quos singillatim declarabo.

1 *Praeterea sumpto.* Trigesimus quintus locus, huius capitis primus, ab obiectione, cótinet duo axiomata, quae mox cú Aristotele explicabo. In hac particula declarat primum axioma, Quod rei adiectum, facit eam talem, qualis antea non erat; id quoque tale est. veluti si cibus, cùm non esset dulcis, adiuncto saccaro fit dulcis, fatendum est etiam saccarum esse dulce. Hoc axioma in quantitatibus locum non habet. Etenim quadratum appositione quadrati fit ἑτερόμηκες: non tamen quadratum, quod fuit appositum, est ἑτερόμηκες. Item angulus acutus recto adiunctus, obtusum facit: nec propterea ipse est obtusus. Item vncia deunci adiecta, facit assem: non tamen vncia est as.

2 *Praeterea si ad id.* Transgreditur ad alteram partem huius loci, quae in comparatione cernitur. Ac primò proponit axioma, Quod tali rei adiectú, facit eam magis talem: ipsum quoque tale est. Vt puta si virtus est optabilis, & honor ei adiectus reddit eam optabiliorem: certe etiam honor est optabilis. Secundò cum ait, *Similiter etiam,* quia suprà vsus fuit exemplo albi & boni, núc generaliter docet, eandé esse rationem omnium aliarum quantitatú. Tertiò cùm ait, *Non [est] autem,* docet, quibus in rebus possimus hoc loco vti, nempe in iis quae possunt intédi & remitti. Quintò cùm ait, *Hic verò locus,* ostendit hunc locum non valere ad refellendum, sed tantùm ad confirmandum.

3 *Rursus si quid magis.* Trigesimus sextus locus huius capitis secundus, à comparatiuo ad positiuum, habet vnum axioma, Quod dicitur magis vel minùs tale, etiam simpliciter est tale. veluti, si sanitas est optabilior diuitiis; etiam sanitas rectè dicetur optabilis, & diuitiae rectè dicentur optabiles. Cóiunge cap. 8. Categor. part. 18. Hunc locum declarans Aristoteles, Primò ostendit eum valere ad confirmandum. Secundò cùm ait, *Sed neque hic locus,* ostendit eum non valere ad refellendum. Ait, *nam homo non dicitur,* Coniunge cap. 5. Categor. part. 20.

4 *Eodem modo considerandum.* Trigesimus septimus locus, huius capitis tertius, à determinato seu limitato ad simplex, continet axioma tripertitú; Quod ex parte, aut aliquando, aut alicubi accidit, etiá simpliciter accidit. veluti si homo oculis videt, simpliciter videt. Rursus si quis aestate est languidus, simpliciter est languidus. Item si quis

si quis in Germania est diues, simpliciter est diues. Hic locus non est generaliter verus, sed admodum infirmus: immo videtur incidere in fallaciam, de qua dicetur Elench. cap. 5. Aristoteles de hoc loco tractans, primò eum confirmat per deductionem ad incommodū: quia quod quadamtenus est, si simpliciter esset impossibile, nó posset vllo modo fieri: atqui potest aliquo modo fieri, nempe ex parte, vel aliquo tēpore, vel aliquo loco: non est igitur simpliciter impossibile. Obserua hoc argumē tum fallax esse. nā ex eo quòd non est simpliciter & omnino impossibile, nihil aliud sequitur, quàm esse aliquo modo possibile: non sequitur autem, quod erat probandum, id esse simpliciter. Secundo cùm ait, *Obiectio [est,]* vt ostendat infirmitatem huius loci, contra eum vult afferre aliquot obiectiones, quibus ipsum euertat. Hic affert primam obiectionem pertinentē ad id quod dicitur secundum quid. Tertiò cùm ait, *similiter aliquando*, addit secundam obiectionem pertinentem ad id quod dicitur aliquando. Quartò cùm ait, *eodem modo etiam alicubi prodest*, subiicit tertiam obiectionem pertinentem ad id quod dicitur alicubi. Quintò cùm ait, *insuper vt alicubi*, addit quartam obiectionem similiter pertinentem ad id quod est alicubi. Sextò cùm ait, *eodem modo etiam alicubi honestum*, affert quintam obiectionem, quæ videtur similiter pertinere ad limitationem localem, cùm reuera ad id pertineat, quod ad certum personarum genus coangustatur. Septimò cùm ait, *Rursum aliquando prodest*, affert sextam obiectionem quæ videtur itidem pertinere ad id quod est aliquando, cùm reuera ad id pertineat, quod est certo modo affectum. Atque hactenus obiectiones. Octauò cùm ait, *Id autem simpliciter*, definitione & exemplis declarat, quid dicatur esse simpliciter, nempe quod sine vlla limitatione dicitur.

IVLII PACII A BERIGA
IN LIBRVM II. TOPICVM COMMENTARIVS ANALYTICVS.



PERGIT Aristoteles in explicandis locis pertinentibus ad problema Accidētis. Cùm enim superiori libro egerit de problemate vniuersali absoluto, cōsequenter nunc agit de problemate vniuersali comparato, & de problemate particulari. Huius igitur libri quatuor sunt partes. Prima est de problemate seu quæstione, vtrum ex duobus propositis, vel quodnam ex pluribus propositis sit melius & optabilius. Hæc pars tribus capitibus varios locos continentibus consumitur. In altera parte, id est, in quarto capite iidē loci producuntur ad quæstionem absolutam, qua quæritur, an proposita res sit eligenda vel fugienda. In tertia, id est, in quinto capite generaliter tractatur de accidentium comparatione. Quarta libri pars sexto capite comprehensa pertinet ad problema particulare. nam omnia problemata particularia, de accidentibus proponūtur: nulla sunt de proprio, vel de genere, vel de definitione, propterea quod hæc semper vniuersaliter attribuuntur. Porrò notandum est, Aristotelem hoc libro paulò aliter locos tradere, quàm in præcedenti. in eo namque plerumque tradidit præcepta: in hoc autē plerumq; proponet axiomata. Præceptorū verò & axiomatū discrimen suprà exposui.

IN CAP. I. DE LOCIS EX QVIBVS PROBATVR esse melius vel optabilius.

HOc capite explicantur quinque & viginti loci pertinentes ad quæstionem vtrum sit melius, vel optabilius.

1 *Duorum autem*. Proponit quæstionem seu problema, ad quod sequentes loci pertinent.

2 *Sed [illud] primùm*. Explicat propositi problematis subiectum. Ac primò docet hanc quæstionē, vtrum se melius & opta-

bilius in iis rebus esse discutiendam, quarum differentia parua est, atque obscura. Secundò cùm ait, *Patet igitur*, ex dicta explicatione colligit vim sequentium locorum, quę vis nulla esset in rebus plurimùm distantibus. Exempli gratiâ, quia dubium est, vtrùm gloria diuitiis præstet, an contrà: recte præferes gloriam hoc argumento, quod est diuturnior. hic enim est primus locus mox declarandus. Sed quia perspicue virtus diuitiis longo interuallo antecellit: ideò non sunt diuitiæ diuturnæ præferendæ virtuti exiguo tempore duraturæ. Immo Aristoteles contrarium docet lib.9.Ethic.cap.8.

3 *Primùm igitur.* Sequuntur loci, per quos probatur aliquid esse melius siue optabilius. Primus locus sumitur à diuturnitate seu duratione. Exemplum paulò ante attuli. nam gloria est diuitiis præferenda, vtpote quæ post mortem permanet, cùm diuitiæ morte amittantur.

4 *Et quod potiùs.* Secundus locus ducitur ab auctoritate, id est, à qualitate vel numero personarum eligentium. quod enim meliores vel præstantiores, vel quod plures omnésve eligunt, id magis eligendum videtur, quàm quod deteriores, vel pauci, vel nulli eligunt. Exempli gratiâ, virtus est præferenda diuitiis: quia vir prudens & bonus potiùs illam quàm has eligit. Rursus pax est bello præferenda: quia plerique pacem malunt, quàm bellum. Aristoteles hunc locum exponens, primò proponit axioma multipertitum, nempe Illud est magis eligendum, quòd eligeret vir prudens, aut bonus, &c. Secundò cùm ait, *oportet autem*, docet, argumentum ex ea huius loci parte sumendum esse, ex qua commodissime sumi potest. Exempli gratiâ, si velis præferre virtutem voluptati, veteris auctoritate virorum bonorum. Contrà vt voluptatem virtuti præferas, veteris auctoritate multorũ: quia pleriq; magis eligant voluptatem. Ait, *quod dictum erit.* Hęc verba possunt accipi de eo quod dictũ erit in thesi sed cõmodius accipiẽtur de eo quod dicetur in argumento contra thesim, nẽpe vt in id dirigatur, ad quod valet. atque ita accipiatur prout vtilissimũ erit opponenti. Ait, *vtile sit.* subaudi, ei qui contra thesim opponit. Tertio cùm ait, *Est autem simpliciter*, declarat discrimen inter ea quæ simpliciter sunt eligenda, & ea quæ alicui sunt magis eligenda. Nam (exempli gratiâ) libri, quibus philosophia cõtinetur, sine dubio præstat malleo; faber tamen potiùs malleum, quàm libros eliget.

5 *Præterea optabilius.* Tertius locus est à genere: cuius axioma, & exemplum sunt in contextu.

6 *Et quod propter se.* Quartus locus est ab eligendo propter se. vide axioma, & exemplum in contextu.

7 *Et quod [est] per se.* Quintus locus est ab eligendo per se. Primò Aristoteles hunc locum absolute declarat, proponens axioma & exemplum. Secundo cùm ait, *Hoc autem est*, confert hunc locum cum præcedente: ac docet eos re idem esse, sed modo & ratione loquendi tantùm differre: quia quod est per se, est propter se: & quod est per accidens, est propter aliud.

8 *Et quod per se.* Sextus locus est à causa per se. Aristoteles primò hunc locum declarat in proposito problemate vtrum sit melius & optabilius. & hic quoque vt suprà tradit axioma & exemplum. Secundò cùm ait, *similiter etiam*, ostendit similiter fieri posse de cõtrario problemate. i. de problemate vtrũ sit deterius seu magis fugiendum. Vt enim est magis eligendum quod per se est boni causa, quàm quod per accidens: ita magis est fugiendum, quod per se est mali causa, quàm quod per accidens.

9 *Et quod [est] simpliciter.* Septimus locus est à bono simpliciter.

10 *Et quod natu à.* Octauus locus est à naturali bono.

11 *Et quod rei.* Sequuntur tres loci à subiecto, nonus, decimus, & vndecimus. Nonus locus est à meliori & præstantiori subiecto.

12 *Et quod [est] melioris.* Decimus locus est à proprio melioris subiecti.

13 *Et quod [est] in melioribus.* Vndecimus locus à melioribus vel prioribus, vel præstantioribus sub ectis. Hic locus numero subiectorum differt à loco nono. nam ibi accidens inerat vni subiecto, vt Deo, vel homini: hic autem pluribus simul, vt iis ex quibus primis animal constat. Vide exempla in contextu.

14 *Et finis.* Duodecimus locus à fine, continet tria axiomata. Primum axioma est: Finis est præstatior & optabilior, quàm ea quę ad illum finem referuntur: vt sanitas, quàm pharmacum, vel deambulatio.

15 *Ex duobus.* Alterum axioma est: Cùm duo ad eundem finem referuntur: id, quod fini est propinquius, est etiam optabilius. vt lectio est melior, quàm emptio librorum: quia propiùs ad finem accedit, id est, ad scientiæ comparationem.


16 *Et omnino.* Tertiũ axioma est. Quod ad finem vitę humanæ refertur, optabilius est

est eo quod in alium finem dirigitur.

17 *Et possibile.* Decimus tertius locus est à possibili. Nam possibile est potius eligendum, quàm impossibile. Obiicet aliquis, id, quod est impossibile, nullo modo est eligendum: quod autem nullo modo est eligendum, id non cadere in hâc comparationem vtrum magis sit eligendū, vt constat ex iis quæ dicta fuerunt super. lib. cap. vlt. part. 6. Respondeo, Aristotelem in præsentia sumere hoc verbum *impossibile*, in significatione quadam vulgari, & minùs propria: vt sumitur, cùm dicitur, Armis Italiam vinci nō posse, nec Græciā disciplinis: ergo impossibile hîc dicitur, quod vix fieri potest.

18 *Praeterea cùm sint duo.* Decimus quartus locus à comparatione finium & efficientium, continet duo axiomata. Primū est: Ex duobus efficientibus, quod meliorem finem propositum habet, melius est. Hac ratione melior est ethica, quàm medicina: quoniā ethicæ finis est sanitas animi: medicinæ autem finis est sanitas corporis.

19 *[Cùm] autem alterum.* Alterum axioma est: Si duo ex diuersis classibus comparentur, quorum alterum sit efficiens, alterum finis: tunc efficiens fini præstat, cùm finis illius efficientis magis huic fini præstat, quàm hic finis suo efficienti. vt in exemplo, quod est in contextu. Sint enim duo fines, beatitudo & sanitas. rursus sint duo efficientia i. beatificans, quod efficit priorē finem, & salubre, quod efficit posteriorem finem. iam pone beatitudinem esse quadruplo meliorem sanitate, sanitatem autem esse duplo meliorem re salubri, & beatitudinem similiter duplo meliorem re beatificante. hinc sequitur, rem beatificantem esse duplo meliorem, quàm sanitatem, vt sequens typus ostendit. Ex hoc enim typo apparet, quia β est quadruplo melius quam δ, ipsum autē δ est tantum duplo melius quàm γ, idcirco ipsum α esse melius quàm δ.



20 *Praeterea [optabilius.]* Decimus quintus locus est tripertitus, ab eo scilicet quod per se est pulchrius, vel honoratius, vel laudabilius. Hic locus est similis quarto, quinto, & octauo: ab illis tamen differt. Nam quarti loci axioma est, Quod est propter se eligendum, est optabilius, quàmquod propter alterum eligitur. Quinti axioma est, Quod per se eligitur, optabilius est, quàm quod per accidens eligitur. Octaui axioma est, Quod est naturâ bonum, præstat bono acquisito. Huius autem quintidecimi loci axioma est, Quod est per se pulchrius vel honoratius vel laudabilius, id magis est eligendū. Hæc verò axiomata inter se differunt: quoniam habent diuersa subiecta: quæ quidē in argumentando accipiuntur pro mediis terminis. Nam si quarto loco vtaris, medius terminus erit, eligendū propter se. si quinto, eligendum per se si octauo, naturā bonum. si decimo quinto, pulchrius, aut honoratius, aut laudabilius.

IN CAP. II. QVO CONTINENTVR VARIJ LOCI.

SVbiicit ad idem problema pertinentes locos vnum & viginti, quos singillatim explicabo.

1 *Præterea cùm duo.* Decimus sextus locus, huius capitis primus, à consequentibus ducitur. Hunc locum explicans Philosophus primo præcipit, vt in iis quæ sũt admodum inter se similia, respiciamus ad consequentia. Secundò cum ait, *cui enim consequens*, tradit hoc axioma, Illud est optabilius, cui maius bonum consequens est. Exempli gratiâ vulgatum est carmen, *Dat Galenus opes, dat Iustinianus honores.* Hinc igitur possumus ostendere Iurisprudentiæ dandam potiùs operam, quàm medicinæ: quia honor est præferendus diuitiis. Tertiò cùm ait, *at si consequentia*, tradit alterum axioma, Cui minus malum est consequens, id est optabilius. vt putà orto bello ciuili inter Cæsarem & Pompeiũ, si M. Tullius Cæsarem secutus esset, in infamiam incidisset ob desertum Pompeiũ, cuius potissimùm operâ reuocatus fuerat ab exilio. sequens autem Pompeium, in periculum incidebat seruitutis. atqui seruitus est minus malum, quàm infamia: ergo Pompeium Tullius potiùs sequi debuit, quàm Cæsarem. Quartò cum ait, *bifariam autem*, diuidit consequentia in priora & posteriora, adiunctis perspicuis exemplis. Si quæras, cur vocentur consequẽtia, cùm priora sunt: respõdebo: quia omne attributum appellatur cõsequens, & omne subiectum antecedens, vt lib. 1. Prior. ca. 27. & 28. Cùm igitur dicimus, omnis discens ignorauit: ignorantia, est consequens, i. attributum subiecto prius. Cùm autem dicimus, discens sciet: *scientia*, est consequens, id est, attributum subiecto posterius. Quintò cùm ait, *melius autem*, confert membra dictæ diuisionis inter se: ac docet id plerumque esse melius, quod est posterius cõsequens. Nam quod est prius, plerumque est deterius, vt in exemplo ante allato, discenti consequens prius est ignorantia, posterius, scientia: & scire quidem est melius, quàm discere: ignorare autem est deterius. Hoc intellige in bonis, vt in generationibus. nam in corruptionibus & malis contrario modo res habet. quò enim quidque est posterius, eò est deterius. vt captiuitati consequens prius est pugna, nam qui capitur, pugnauit: consequens autem posterius est seruitus; nam qui capitur, fit seruus. itẽ ægrotanti consequens, prius est (exempli gratiâ) praua victus ratio, posterius verò est mors. seruitus autem est peior captiuitate, & captiuitas peior quàm pugna. item mors est deterior morbo, & morbus est maius malum, quàm praua victus ratio. Ait, *plerumque*: Rectè ait *plerumque*. interdum enim quod consequitur, est deterius: vt in exemplo suprà adducto, Si M. Tullius sequeretur Pompeium, superabitur vnà cũ Pompeio à Cæsare: si vero sequetur Cæsarem, in reprehensionem incurret. hic vtrumque consequens, est deterius eo, cui est consequens. Sexto cùm ait, *consequentium igitur*, præcipit, vt argumentaturi accipiamus illud cõsequẽs, quod ad probandũ nostrã intentionem valet: siue id prius sit, siue posterius.

2 *Præterea plura.* Decimus septimus locus, huius capitis secũdus, ducitur à numero bonorum. Hunc locum declarãs Aristoteles, primò proponit axioma bipertitum. Plura (inquit) bona sunt magis eligenda, quàm pauciora, vel simpliciter, vel cùm hæc in illis insint. Simpliciter, sic accipe, eùm pauciora bona non continẽtur in pluribus. verbi gratiâ iustitia & temperantia sunt optabiliora, quàm sola fortitudo. Insunt autem pauciora bona in pluribus, vt in hoc exemplo, si quis dat virtutem cum nobilitate coniunctam, esse optabiliorem quàm virtutem solam sine nobilitate. Secundò cum ait, *obiectio [est]*, affert *ἔνστασιν*, id est, obiectionem, siue instantiam, siue exceptionem cõtra posteriorem partem axiomatis: quia cùm duo sunt bona, quorũ vnum alterius causâ eligitur, hoc nõ minus est eligẽdum solũ, quàm cũ altero. Sic cùm sanari velimus vt habeamus sanitatem, non minùs est eligenda sola sanitas, quàm cũ sanatione. Item quia discimus vt sciamus, nõ minùs est optanda scientia sola, quàm cum disciplina. Tertio cùm ait, *nihil etiam vetat*, affert exceptionem siue instantiã cõtra priorem partem axiomatis: quia potest vnũ ita excellere, vt etiam cũ aliquo non bono iunctum præstet pluribus bonis coniunctis: sicut virtus cum inuidia potiùs eligi debet, quã nobilitas vel pulchritudo cũ diuitiis.

3 *De eadẽ cũ voluptate.* Decimus octauus locus, huius capitis tertius, est à voluptate. Potest hic locus contineri sub præcedente: quia fortitudo & voluptas sunt plura bona, quàm sola fortitudo sine voluptate.

4 *Et eadẽ cum indolentia.* Decimus nonus locus, huius capitis quartus, sumitur ab indolẽtia, seu doloris vacuitate, quæ est mediũ quid inter voluptatẽ & dolorẽ. Vide Cic. 2. Tuscul. quæst. & 2. de Finib. Hic locus æque ac præcedẽs contineri potest sub decimo septimo.

5 *Et vnumquodque.* Vigesimus locus huius capitis quintus à tẽporis opportunitate: continet duo axiomata. Primũ axioma est: Vnumquodque tunc est magis eligẽdũ, cũ magis vsui est. Exẽpla sunt in contextu.

6 *Et quod*

6 *Et quod omni tempore.* Alterum axioma est: Quod semper vel sæpius vsui est, præferri debet ei, cuius rarior est vsus. Huius quoque axiomatis habes exempla in contextu.

7 *Et [id] quod si omnes.* Vigesimus primus locus, huius capitis sextus, à sufficientia, quã Græci αὐτάρκεια appellãt. In cõtextu est axioma, & exemplum sumptũ ex apophthegmate Agesilai, quod extat apud Plutarchum inter apophthegmata Lacedæmoniorum, id est inter apophthegmata Agesilai, ordine 55.

8 *Præterea [ducenda.]* Vigesimus secundus locus, huius capitis septimus, quinque pertitus est; ab interitu, amissione, ortu, sumptione, & contrario. Inter interitũ & amissionem hoc interest: quòd interitu res extinguitur & omnino perit; post amissionẽ verò manet, veluti cùm pecunia nobis surripitur. Simile discrimẽ est ortus, & acceptionis, siue sumptionis, siue acquisitionis. quod enim oritur, nũc esse incipit, cùm antea nõ esset: quod verò accipitur, antea quidem erat, sed in nostra potestate non erat; veluti si ab aliquo pecuniam accipiamus. Hunc locum enarrans Philosophus, Primò præcipit, vt hinc sumamus argumenta Secundò cùm ait, *quorum enim acceptiones*, tradit axioma de corruptione siue interitu, & de abiectione siue amissione, & de cõtrario. Omittit autẽ exempla, quæ addere operæpretium erit. Primum ergo axioma est: Quorum corruptiones sunt magis fugiendæ, ea sunt magis eligenda. vt si honore priuari est grauius, quàm mori: certe honor est vitæ præferendus. Secundum axioma est: Cuius amissio est deterior, illud est melius. veluti si peior est amissio fũdi, quàm ædiũ: fundus est ædibus præferendus. Tertium axioma est: Cuius contrarium est deterius, illud est melius. veluti si infamia est magis fugiẽda, quàm morbus: certe honor est maius bonum, quàm sanitas. Tertiò cùm ait, *Contrà [si,]* tradit axioma de ortu, & de accept one. Hic quoque adiungemus exẽpla. Cuius igitur melior est ortus, id quoq; melius est. veluti si nasci est melius, quàm honorẽ acquirere: vita est maius bonũ, quàm honor. Rursus, cuius sumptio est melior, id quoque est melius. veluti si melius est discere, quàm mercaturam exercere: etiam sciẽtia est melior, quàm diuitiæ.

9 *Alius locus* Vigesimus tertius locus, huius capitis octauus, sumitur à propinquitate boni: Axioma est in contextu. Exẽplũ hoc esto: Sumere pharmacum est melius, quàm parare pharmacum: quia propiùs ad sanitatem accedit.

10 *Et quod [est] similius.* Vigesimus quartus locus, huius capitis nonus, à similitudine boni, continet tria axiomata. Primũ est: Id quod est bono similius, præstat ei quod est minus simile. Exemplum est in contextu.

11 *Et quod vtroque.* Alterum axioma est: Id alteri præstat, quod est meliori similius. Primò Aristoteles ponit hoc axioma. Ait, *vtroque*: quod in comparationẽ venit. Vtputa comparatio fit inter Aiacem & Vlyssem: vtroque autẽ præstãtior est Achilles. ergo vter illorũ est Achilli similior, est præstantior. si igitur Aiax, est similior Achilli, quàm Vlysses, Aiax Vlyssi præstat. Secũdò cùm ait, *quemadmodum aiunt*, adiungit exemplum, quod modò proposui. Tertiò cùm ait, *obijcitur hoc*, affert ἔνστασιν siue obiectionem contra axioma modò expositũ: quod enim meliori est similius, non est melius, nisi ea ratione simile fit, qua illud est meli⁹. Vide exemplum in cõtextu. Quartò cùm ait, *Considerare etiam*, auget obiectionem prędictam, si tãtùm absit vt sit aliquid meliori simile quã illud est melius, vt potiùs sit simile ratione vitiorum. nam & bonis vitia quædam sunt adiuncta. Verbi gratiã, Aiax non est propterea præstantior Vlysse, quòd sit iræ impatiens, vt Achilles. Vide aliud exemplum in contextu.

12 *Rursus cùm duo.* Tertium axioma est: Si duorum alterum præstantiori, alterum deteriori similius est, illud huic præstat. Pòtest & axioma ita concipi: Si primũ secundo præstat, similius autem est tertiũ primo, quartum secundo: certe tertiũ quarto est præferẽdum. veluti si Homerus Pindaro præstat, & Virgilius est similior Homero, Horatius autẽ Pindaro: certè Virgilius Horatio præstat. Primò Aristoteles tradit hoc axioma. Secundò cùm ait, *Sed & aduersus*, contra hoc axioma affert obiectionem siue exceptionem, nisi alterum meliori parum simile sit, alterum verò deteriori sit valde simile. Exempli gratiã, Virgilius est melior poeta Horatio. si quis tamen valde similis sit Horatio, præstantior poëta erit, quàm ille, qui parũ est similis Virgilio. Simile exemplum est in contextu. Tertiò cùm ait, *Et si quod est*, addit alterã exceptionem, nisi alterum præstãtioris vitia, alterũ deterioris virtutes referat. Exemplũ habes in contextu.

13 *Alius [locus.]* Vigesimus quintus locus, huius capitis decimus, sumitur ab eo quod est magis insigne. Axioma est in contextu. ex quo (vt addam exẽpla) cõcludi potest gloriam esse præferendam diuitiis, &

1 *Præterea cum duo.* Decimus sextus locus, huius capitis primus, à consequentibus ducitur. Hunc locum explicans Philosophus primo præcipit, vt in iis quæ sūt admodum inter se similia, respiciamus ad consequentia. Secundò cum ait, *cui enim consequens*, tradit hoc axioma, Illud est optabilius, cui maius bonum consequens est. Exempli gratiâ vulgatum est carmen, *Dat Galenus opes, dat Iustinianus honores.* Hinc igitur possumus ostendere Iurisprudentiæ dandam potius operam, quàm medicinæ: quia honor est præferendus diuitiis. Tertiò cum ait, *at si consequentia*, tradit alterum axioma, Cui minus malum est consequens, id est optabilius. vt puta orto bello ciuili inter Cæsarem & Pompeiū, si M. Tullius Cæsarem secutus esset, in infamiam incidisset ob desertum Pompeiū, cuius potissimum operā reuocatus fuerat ab exilio. sequens autem Pompeium, in periculum incidebat seruitutis. atqui seruitus est minus malum, quàm infamia: ergo Pompeium Tullius potiùs sequi debuit, quàm Cæsarem. Quartò cum ait, *bifariam autem*, diuidit consequentia in priora & posteriora, adiunctis perspicuis exemplis. Si quæras, cur vocentur consequētia, cùm priora sunt: respōdebo: quia omne attributum appellatur cōsequens, & omne subiectum antecedens, vt lib. 1. Prior. ca. 27. & 28. Cùm igitur dicimus, omnis discens ignorauit: ignorantia, est consequens. i. attributum subiecto prius. Cùm autem dicimus, discens sciet: *scientia*, est consequens, id est, attributum subiecto posterius. Quintò cùm ait, *Melius autem*, confert membra dictæ diuisionis inter se: ac docet id plerumque esse melius, quod est posterius cōsequens. Nam quod est prius, plerumque est deterius, vt in exemplo ante allato, discenti consequens prius est ignorantia, posterius, scientia: & scire quidem est melius, quàm discere: ignorare autem est deterius. Hoc intellige in bonis, vt in generationibus. nam in corruptionibus & malis contrario modo res habet. quò enim quidque est posterius, eo est deterius. vt captiuitati consequens prius est pugna, nam qui capitur, pugnauit: consequens autem posterius est seruitus; nam qui capitur, fit seruus. itē ægrotanti consequens, prius est (exempli gratiâ) praua victus ratio, posterius verò est mors. seruitus autem est peior captiuitate, & captiuitas peior quàm pugna. item mors est deterior morbo, & morbus est maius malum, quàm praua victus ratio. Ait, *plerumque*. Rectè ait *plerumque*. interdum enim quod consequitur, est deterius: vt in exemplo supra adducto, Si M. Tullius sequetur Pompeium, superabitur vnà cū Pompeio à Cæsare: si vero sequetur Cæsarem, in reprehensionem incurret. hic vtrumque consequens, est deterius eo, cui est consequens. Sexto cum ait, *consequentium igitur*, præcipit, vt argumentaturi accipiamus illud cōsequēs, quod ad probandū nostrā intentionem valet: siue id prius sit, siue posterius.

2 *Præterea plu. a.* Decimus septimus locus, huius capitis secūdus, ducitur à numero bonorum Hunc locum declarās Aristoteles, primò proponit axioma bipartitum. Plura (inquit) bona sunt magis eligenda, quàm pauciora, vel simpliciter, vel cùm hæc in illis insint. Simpliciter, sic accipe, cùm pauciora bona non continentur in pluribus. verbi gratiâ iustitia & temperantia sunt optabiliora, quàm sola fortitudo. Insunt autem pauciora bona in pluribus, vt in hoc exemplo, si quis dat virtutem cum nobilitate coniunctam, esse optabiliorem quàm virtutem solam sine nobilitate. Secundò cum ait, *obiectio [est,]* affert *ἔνστασιν*, id est, obiectionem, siue instantiam, siue exceptionem cōtra posteriorem partem axiomatis: quia cùm duo sunt bona, quorū vnum alterius causâ eligitur, hoc nō minùs est eligēdum solū, quàm cū altero. Sic cùm sanari velimus vt habeamus sanitatem, non minùs est eligenda sola sanitas, quàm cū sanatione. Item quia discimus vt sciamus, nō minùs est optanda scientia sola, quàm cum disciplina. Tertio cùm ait, *nihil etiam vetat*, affert exceptionem siue instantiā cōtra priorem partem axiomatis: quia potest vnū ita excellere, vt etiam cū aliquo non bono iūctum prælucet pluribus bonis coniunctis: sicut virtus cum inuidia potiùs eligi debet, quā nobilitas vel pulchritudo cū diuitiis.

3 *De eadē cū volupta e.* Decimus octauus locus, huius capitis tertius, est à voluptate. Potest hic locus contineri sub præcedenti: quia fortitudo & voluptas sunt plura bona, quàm sola fortitudo sine voluptate.

4 *Et eadē cum indolentia.* Decimus nonus locus, huius capitis quartus, sumitur ab indolētia, seu doloris vacuitate, quę est mediū quid inter voluptatē & dolorē. Vide Cic. 2. Tuscul. quæst. & 2. de Finib. Hic loc⁹ æque ac præcedēs contineri potest sub decimo septimo.

5 *Et vnumquodque.* Vigesimus locus huius capitis quintus à tēporis opportunitate, continet duo axiomata. Primū axioma est: Vnumquodque tunc est magis eligēdū, cū magis vsui est. Exēpla sunt in contextu.

6 *Et quod*

6 *Et qu od omni tempore.* Alterum axioma est: Quod semper vel sæpius vsui est, præferri debet ei, cuius rarior est vsus. Huius quoque axiomatis habes exempla in cõtextu.

7 *Et [id] quod si omnes.* Vigesimus primus locus, huius capitis sextus, à sufficientia, quã Græci αὐτάρκειαν appellãt. In cõtextu est axioma, & exemplum sumptũ ex apophthegmate Agesilai, quod extat apud Plutarchum inter apophthegmata Lacedæmoniorum, id est inter apophthegmata Agesilai, ordine 55.

8 *Præterea [ducenda.]* Vigesimus secundus locus, huius capitis septimus, quinque pertitus est; ab interitu, amissione, ortu, sumptione, & contrario. Inter interitũ & amissionem hoc interest: quòd interitu res extinguitur & omnino perit; post amissionẽ verò manet, veluti cùm pecunia nobis surripitur. Simile discrimẽ est ortus, & acceptionis, siue sumptionis, siue acquisitionis. quod enim oritur, nũc esse incipit, cùm antea nõ esset: quod verò accipitur, antea quidem erat, sed in nostra potestate non erat; veluti si ab aliquo pecuniam accipiamus. Hunc locum enarrans Philosophus, Primò præcipit, vt hinc sumamus argumenta Secundo cùm ait, *quorum enim acceptiones*, tradit axioma de corruptione siue interitu, & de abiectione siue amissione, & de cõtrario. Omittit autẽ exempla, quæ addere operæpretium erit. Primum ergo axioma est: Quorum corruptiones sunt magis fugiendæ, ea sunt magis eligenda. vt si honore priuari est grauius, quàm mori: certè honor est vitæ præferendus. Secundum axioma est: Cuius amissio est deterior, illud est melius. veluti si peior est amissio fidei, quàm ædis: fundus est ædibus præferendus. Tertium axioma est Cuius contrarium est deterius, illud est melius. veluti si infamia est magis fugiẽda, quàm morbus: certe honor est maius bonum, quàm sanitas. Tertiò cùm ait, *Contrà [si,]* tradit axioma de ortu, & de accept one. Hic quoque adiungemus exẽpla. Cuius igitur melior est ortus, id quoq; melius est: veluti si nasci est melius, quàm honorẽ acquirere: vita est maius bonũ, quàm honor. Rursus, cuius sumptio est melior, id quoque est melius. veluti si melius est discere, quàm mercaturam exercere: etiam sciẽtia est melior, quàm diuitiæ.

9 *Alius locus* Vigesimus tertius locus, huius capitis octauus, sumitur à propinquitate boni: Axioma est in contextu. Exẽplũ hoc esto: Sumere pharmacum est melius, quàm parare pharmacum: quia propiùs ad sanitatem accedit.

10 *Et quod [est] similius.* Vigesimus quartus locus, huius capitis nonus, à similitudine boni, continet tria axiomata. Primũ est: Id quod est bono similius, præstat ei quod est minus simile. Exemplum est in contextu.

11 *Et quod vtroque.* Alterum axioma est: Id alteri præstat, quod est meliori similius. Primò Aristoteles ponit hoc axioma. Ait, *vtroque*: quod in comparationẽ venit. Vt puta comparatio fit inter Aiacem & Vlyssem: vtroque autẽ præstãtior est Achilles. ergo vter illorũ est Achilli similior, est præstantior. si Igitur Aiax, est similior Achilli, quàm Vlysses, Aiax Vlyssi præstat. Secũdò cùm ait, *quemadmodum autem*, adiungit exemplum, quod modò proposui. Tertiò cùm ait, *obiicitur hoc*, affert *instantiam* siue obiectionem contra axioma modò expositũ: quod enim meliori est similius, non est melius, nisi ea ratione simile sit, qua illud est meli⁹. Vide exemplum in cõtextu. Quartò cùm ait, *Considerare etiam*, auget obiectionem prędictam, si tãtùm absit vt sit aliquid meliori simile quã illud est melius, vt potiùs sit simile ratione vitiorum. nam & bonis vitia quædam sunt adiuncta. Verbi gratiã, Aiax non est propterea præstantior Vlysse, quòd sit iræ impatiens, vt Achilles. Vide aliud exemplum in contextu.

12 *Rursus cùm duo.* Tertium axioma est: Si duorum alterum præstantiori, alterum deteriori similius est, illud huic pręstat. Pòtest & axioma ita concipi: Si primũ secundo præstat, similius autem est tertiũ primo, quartum secundo: certè tertiũ quarto est præferẽdum. veluti si Homerus Pindaro pręstat, & Virgilius si similior Homero, Horatius autẽ Pindaro: certè Virgilius Horatio præstat. Primò Aristoteles tradit hoc axioma. Secundò cùm ait, *Sed & aduersus*, contra hoc axioma affert obiectionem siue exceptionem, nisi alterum meliori parum simile sit, alterum verò deteriori sit valde simile. Exempli gratiã, Virgilius est melior poëta Horatio. si quis tamen valde similis sit Horatio, præstantior poëta erit, quàm ille, qui parũ est similis Virgilio. Simile exemplum est in contextu. Tertiò cùm ait, *Et si quod est*, addit alterã exceptionem, nisi alterum præstãtioris vitia, alterũ deterioris virtutes referat. Exemplũ habes in contextu.

13 *Alius [locus.]* Vigesimus quintus locus, huius capitis decimus, sumitur ab eo quod est magis insigne. Axioma est in contextu. ex quo (vt addam exẽpla) cõcludi potest gloriam esse præferendam diuitiis, &

iurisprudentiam medicinæ.

14 *Et [quod est] difficilius.* Vigesimus sextus locus, huius capitis vndecimus, est à difficultate. Axioma ponitur, & ratione cõfirmatur in contextu. Hac ratione ars demonstrandi præfertur dialecticæ.

15 *Et magis proprium.* Vigesimus septimus locus, huius capitis duodecimus, ducitur à proprietate. Axioma est in contextu. Exẽplum illustre est apud M. Tull. in orat. pro Marcello, vbi ostendit clemẽtię laudẽ, quam Cæsar Marcello ignoscẽs adeptus erat, anteponendam esse gloriæ bellicæ: quoniam hæc est communis cum multis, illa verò est Cæsaris propria.

16 *Et [quod] magis.* Vigesimus octauus locus, huius capitis decimustertius, sumitur à malorũ absentia. Axioma ponitur, & confirmatur in cõtextu. Hinc ostẽdi potest virtutem esse optabiliorẽ diuitiis: quia diuitiæ non possidentur sine multis molestiis, & periculis.

17 *Præterea si hoc.* Vigesimus nonus locus, huius capitis decimusquartus, sumitur à positiuis ad superlatiua. Axioma & exemplum sunt in contextu.

18 *Et si optimum.* Trigesimus locus, huius capitis decimus quintus, est à superlatiuo ad positiuum. Axioma & exẽplum ponuntur ab Aristotele in contextu.

19 *Præterea quæ licet.* Trigesimus primus locus, hui' capitis decimus sextus, ab amicis, duo continet axiomata. Primum axioma est: Id est optabilius, quod potest cõmunicari cũ amicis, quàm quod nõ potest cõmunicari. Hinc præferes sanitati sc ẽtiã, nobilitati diuitias, tẽperantię liberalitatẽ.

20 *Et quæ erga.* Alterum axioma est: Id est optabilius, quod erga amicum agere volumus, quàm quod erga quemuis hominẽ. vide exemplum in contextu.

21 *Et quæ [sunt] ex abundanti.* Trigesimus secundus locus, huius capitis decimus septimus, sumitur ab abundanti, vel necessario. Hunc locum explicans Philosophus, Primò ponit axioma bipertitũ: cuius prior pars est vniuersalis, posterior autem particularis. Sic enim habet: Quod est ex abundanti, semper est melius necessario, interdum est etiam optabilius. Secundò cum ait, *Melius enim*, probat exemplo perspicuo priorem partem dicti axiomatis. Tertiò enim ait, *interdum verò*, probat exemplo manifesto posteriorem partem eiusdem axiomatis. Quartò cùm ait, *Ex abundanti verò*, definit quod est ex abundanti. Omittit definitionem necessarij, tamquàm rei manifestæ. In summa, necessarium pertinet ad esse, quod verò est ex abũdanti, ad bene esse. Quintò cùm ait, *Ac ferè est*, vt corrigat posteriorem partem axiomatis suprà traditi, (quia non solùm nõ est semper vera, sed etiam rarò vera) & confirmet priorem eiusdem axiomatis partem, duo proponit axiomata: quorum primum est: Necessarium ferè est optabilius eo quod est ex abundanti. Dixit, *ferè*: quia non semper optabilius est viuere, quàm honeste viuere: immo interdũ præ' at mori, vt docet Arist. lib. 3. Eth. cap. 9. & lib. 4. cap. 3. & lib. 9. cap. 8. Alterum axioma est: Quod est ex abundanti, melius est, quàm id quod est necessarium.

22 *Et quod ab alio.* Trigesimus tertius locus, huius capitis decimus octauus, ab eo sumitur, quod non potest aliunde haberi. Axioma & exemplũ habentur in cõtextu. sed exemplum non caret obscuritate. Sic autem debet accipi secundũ Alexandrum, vt inspiciatur opus iustitię, id est, ius suum cuique tribuere, & fortitudinis, nẽpe resistere periculis & hostibus. hunc fortitudinis effectum etiam sine fortitudine possumus obtinere; putà cùm hostibus paciscendo; vel amicorum & sociorũ ope; vel quòd ab aliis vexati nostri inimici, vel hostes, cogantur à nobis abstinere. iustitiæ verò effectum sine iustitia consequi non possumus. iustitia igitur, quę id nobis tribuit, quod non possumus aliunde accipere, præferẽda est fortitudini, à qua id habemus, quòd aliis rationibus consequi possumus.

23 *Et si hoc sine illo.* Trigesimus quartus locus, huius capitis dec m' nonus, ex eo sumitur, quod alterum sine altero est eligẽdum. Axioma vt sit perspicuum, ita cõcipi potest: Si primum sine secundo est eligẽdũ, secũdum autem sine primo non est eligendum: certe primum est magis eligendum, quàm secundum. vide exẽplũ in contextu.

24 *Et si duorum.* Trigesimus quintus locus, huius capitis vigesimus, est à dissimulatione. Habes axioma, & exẽplũ in cõtextu.

25 *Præterea cuius.* Trigesimus sextus locus, huius capit's vigesimus primus, ab increpatione, bipertit' est. Aut enim sumitur à minori, aut à maiori increpatione. Duo igitur hìc sũt axiomata. Primũ est, Illud est optabilius, quo se carere ægre ferentes, in minorem reprehensionem incurrunt. Exẽpli gratiâ, minùs reprehẽdimus eos qui ęgre ferũt amissionẽ liberorum, quàm pecunię: liberi igitur sũt anteponẽdi pecuniæ.

26 *Et cuius absentiam.* Alterum axioma est, Illud est optabilius, quo se carere qui ęquo animo ferũt, maiori reprehẽsione sũt digni. Vt puta magis reprehẽdũtur, qui negligunt sanitatem, quàm qui cõtẽnunt pecuniam: ergo sanitas est præstabilius bo-

num,quàm pecunia.

IN CAPVT III. CONTINENS VARIOS LOCOS.

SVbnectuntur pertinentes ad idem problema loci decem singillatim explicādi.

1 *Praeterea earum.* Trigesimus septimus locus,huius capitis primus,sumitur à propria virtute. Hic comparantur duo eiusdē speciei;vt duo homines,duo equi, duo vasa:& quæritur,vtrum sit optabilius. Axiomata hic duo sunt.Primū est,Quod habet propriam virtutem,magis est eligendum, quàm id quod non habet.Hac ratione præferendus est homo prudens imprudenti:iudex iuris peritus, iudici imperito:tabellarius sanus, tabellario podagrico.

2 *Cùm autem ambo.* Alterum axioma est: Quod magis habet propriā virtutē, optabiliùs est eo quod minùs habet.Sic vir prudentior est anteponēdus viro prudēti:cursor velocior,cursori minùs veloci: & professor doctior,minùs docto.

3 *Praeterea si alterū.* Trigesimus octauus locus,huius capitis secūdus,à subiecto,cōtinet tria axiomata. Primū est: Quod efficit rē cui inest bonā,optabili° est eo quod nō facit bonā.veluti si virt° facit hominē bonū,pulchritudo aūt nō facit bonū,certè virt° est prǽferēda pulchritudini.Hoc axioma cōfirmat Aristot.à simili: quia calidius est, quod calefacit,quā quod nō calefacit.Ergo similiter melius & optabilius est,quod facit bonū & optabile, quàm quod nō facit.

4 *Si verò ambo.* Secundum axioma est: Quod magis reddit subiectū bonum,optabilius est eo quod minùs facit bonum. hac ratione iustitia est præferenda fortitudini. Ait, *Aut quod rem.* Tertiū axioma est:Quod eam rē quæ est præstantior,bonam efficit, optabilius est eo,quod rem deteriorē, bonam reddit.vt prudentia est optabilior pulchritudine:quia prudentia perficit animū, pulchritudo autem perficit corpus,animus verò corpore est præstantior.

5 *Praeterea si singula.* Trigesimus nonus locus,huius capitis tertius, duabus partibus quadrimembribus constat.arguimus enim à casibus,vsibus,actionib°,operibus,ad rē; & cōtrà à re ad casus,vsus, actiones, opera. Aristoteles hūc locū declarat propositā notā seu præcepto,&duobus exēplis,in quorū altero arguitur à casu ad nomē, in altero à nomine ad casū.Nos plenius hunc locū explicemus.Sunt hic octo axiomata.Primum est:Cuius casus est magis eligendus, id quoque est magis eligendum. exēplum est in contextu.nam si iustè,est optabilius, quàm fortiter: etiam iustitia est optabilior fortitudine. Secundum, Si res est magis eligenda, etiam casus est magis eligendus. huius quoque axiomatis exemplum est in contextu. nam si iustitia est optabilior fortitudine:etiam iustè,est optabilius, quàm fortiter. Tertium, Cuius vsus est optabilior, id quoque est optabilius. hac ratione ædes commodiores eligi potiùs debent,quàm ædes minùs commodæ. Quartum,Si quid est optabilius, etiā vsus eius est optabilior.veluti si leges armis sūt præferendæ,etiam vsus legum debet armorum vsui præferri. Quintum, Cuius actio est optabilior, ipsum quoque optabilius est.vtputà si contemplatio praxi præstat, etiam intellectus contemplatiuus practico est præstantior. Sextum, Si quid optabilius est,etiā eius actio est optabilior. veluti si intellectus cōtēplatiuus practico præfertur,etiam contemplatio praxi est præferenda. Septimum,Cuius opus est optabilius,ipsum quoque est optabilius.veluti si domus est præferenda calceo, etiam ædificator est præferendus sutori. Octauum,Si quid est optabilius, opus quoque eius est optabilius.exēpli gratiā,si in republica habendus est potiùs orator quàm poëta:certè oratio poëmati est præferenda.

6 *Praeterea si eodem.* Quadragesimus locus,huius capitis quartus,à comparatione bonorum,continet tria axiomata. Primum est, Si primum tertio est melius, secundum autem tertio est deterius: certè primū est optabilius secūdo. veluti si sanitati virtus præstat, & eidē sanitati diuitiæ cedunt: certe virtus est optabilior diuitiis. Ait,*eodē*,id est,tertio.Ait,*alterum sit*,id est, primum. Ait,*alterum minus*,id est, secundum. Ait,*id*,id est,primum. Ait,*quod est maius*,id est,maius bonum quàm tertium.

7 *Aut si alterum.* Secundum axioma est:Si tertium quarto,& primū tertio, secundum autē quarto melius est: certè primum est optabilius secundo.Exempli causā,si honor diuitiis,virtus honori, amicitia diuitiis præstat:certè virtus est optabilior, quàm amicitia.Ait,*alterum*,id est primum. Ait,*maius*,i.tertio,quod est maius bonū, quàm quartum.Ait,*maius*,subaudi bonum.

8 *Sed & si duo.* Tertium axioma est: Si primum & secundū tertio meliora sunt, magis tamen tertium superetur à primo, quàm à secundo : primum est optabilius secundo. Vtputà si & virtus & honor diuitiis præstant,magis tamen virtus, quàm honor diuitiis præstat:certè virtus, est honore optabilior. Ait, *duo quaedam*, i. e.

7 *Praeterea ducendum.* Trigesimus quartus locus, huius capitis tertius, à comparatione similium, est tripertitus.

8 *Cùm enim vnum.* In prima parte considератur vnum accidens in duobus subiectis. Hic proponuntur duo axiomata. Ait, *si alteri.* Proponit primum axioma: cuius exemplum sit: Si non sunt multæ grammaticæ, non sunt multæ logicæ. Ait, *quòd si alteri.* Proponit secundum axioma: cuius exemplum sit: Si diuitiæ sunt in bonis externis, etiam honor est bonum externum.

9 *Cùmque duo.* In secunda parte considerantur duo accidentia in eodem subiecto. Hic quoque ponuntur duo axiomata. Ait, *si alterum.* Ponit primum axioma: cuius exemplum esto: Si voluptas non est expetenda, non est bona. Ait, *si verò insit.* Proponit alterum axioma: cuius exemplum est: Si voluptas est expetenda, est bona.

10 *Eodem modo.* In tertia parte considerantur duo accidentia in duobus subiectis. Hic quoque ponuntur duo axiomata, Ait, *si enim alterum.* Ponit primum axioma: cuius exemplum sit: Si res immobiles non subiiciuntur physicæ, res mobiles non subiiciuntur metaphysicæ. Ait, *si verò insit.* Ponit alterum axioma: cuius exemplum esto: Si iustus aliis prodest, iniustus aliis nocet.

11 *Ex eo igitur.* Epilogo concludit tractatum de locis à comparatione. De quibus generaliter notandum est, ab eo quod magis inest, argui negatiuè: veluti, Cicero magis est poeta quàm philosophus: sed non est poeta: ergo multò minus est philosophus. Ab eo autem quod minus inest, affirmatiuè arguitur: veluti, Cicero minùs est philosophus quàm poeta: sed est philosophus: ergo multò magis est poëta. Ab eo verò quod æque inest, vel non inest, tam affirmatiuè arguitur: veluti, Æque Empedocles & Lucretius sunt philosophi, atqui Empedocles reuera est philosophus, ergo & Lucretius: quàm negatiuè; vt, Æquè Empedocles & Lucretius videntur poetæ, atqui Empedocles (si Aristoteli credimus) non est poeta, ergo nec Lucretius.

IN CAP. XI. DE LOCIS AB ADIECTIONE, ET ab eo quod est quoquo modo, ad id quod est simpliciter.

HOc caput tres locos continet, quos singillatim declarabo.

1 *Praeterea sumpto.* Trigesimus quintus locus, huius capitis primus, ab obiectione, cótinet duo axiomata, quæ mox cũ Aristotele explicabo. In hac particula declarat primum axioma, Quod rei adiectum, facit eam talem, qualis antea non erat; id quoque tale est. veluti si cibus, cum non esset dulcis, adiuncto saccaró fit dulcis, fatendum est etiam saccarum esse dulce. Hoc axioma in quantitatibus locum non habet. Etenim quadratum appositione quadrati fit ἑτερόμηκες: non tamen quadratum, quod fuit appositum, est ἑτερόμηκες. Item angulus acutus recto adiunctus, obtusum facit: nec propterea ipse est obtusus. Item vncia deunci adiecta, facit assem: non tamen vncia est as.

2 *Praeterea si ad id.* Transgreditur ad alteram partem huius loci, quæ in comparatione cernitur. Ac primò proponit axioma, Quod tali rei adiectũ, facit eam magis talem: ipsum quoque tale est. Vt puta si virtus est optabilis, & honor ei adiectus reddit eam optabiliorem: certe etiam honor est optabilis. Secundò cùm ait, *Similiter etiam*, quia suprà vsus fuit exemplo albi & boni, nũc generaliter docet. eandẽ esse rationem omnium aliarum quantitatũ. Tertiò cùm ait, *Non [est] autem*, docet, quibus in rebus possimus hoc loco vti, nempe in iis quæ possunt intẽdi & remitti. Quintò cùm ait, *Hic verò locus*, ostendit hunc locum non valere ad refellendum, sed tantùm ad confirmandum.

3 *Rursus si quid magis.* Trigesimus sextus locus huius capitis secundus, à comparatiuo ad positiuum, habet vnum axioma, Quod dicitur magis vel minus tale, etiam simpliciter est tale. veluti, si sanitas est optabilior diuitiis; etiam sanitas rectè dicetur optabilis, & diuitiæ rectè dicentur optabiles. Cóiunge cap. 8. Categor. part. 28. Hunc locum declarans Aristoteles, Primò ostendit eum valere ad confirmandum. Secundò cùm ait, *Sed neque hic locus*, ostendit eum non valere ad refellendum. Ait, *nam homo non dicitur*, Coniunge cap. 5. Categor. part. 20.

4 *Eodem modo considerandum.* Trigesimus septimus locus, huius capitis tertius, à determinato seu limitato ad simplex, continet axioma tripertitũ; Quod ex parte, aut aliquando, aut alicubi accidit, etiã simpliciter accidit. veluti si homo oculis videt, simpliciter videt. Rursus si quis æstate est languidus, simpliciter est languidus. Item si quis

si quis in Germania est diues, simpliciter est diues. Hic locus non est generaliter verus, sed admodum infirmus: immo videtur incidere in fallaciam, de qua dicetur Elench. cap. 5. Aristoteles de hoc loco tractans, primò eum confirmat per deductionem ad incommodū: quia quod quadamtenus est, si simpliciter esset impossibile, nō posset vllo modo fieri: atqui potest aliquo modo fieri, nempe ex parte, vel aliquo tēpore, vel aliquo loco: non est igitur simpliciter impossibile. Obserua hoc argumētum fallax esse. nā ex eo quòd non est simpliciter & omnino impossibile, nihil aliud sequitur, quàm esse aliquo modo possibile: non sequitur autem, quod erat probandum, id esse simpliciter. Secundò cum ait, *Obiectio [est,]* vt ostendat infirmitatem huius loci, contra eum vult afferre aliquot obiectiones, quibus ipsum euertat. Hic affert primam obiectionem pertinentē ad id quod dicitur secundum quid. Tertiò cùm ait, *similiter aliquando*, addit secundam obiectionem pertinentem ad id quod dicitur aliquando. Quartò cùm ait, *eodem modo etiam alicubi prodest*, subiicit tertiam obiectionem pertinentem ad id quod dicitur alicubi. Quintò cùm ait, *insuper vt alicubi*, addit quartam obiectionem similiter pertinentem ad id quod est alicubi. Sextò cùm ait, *eodem modo etiam alicubi honestum*, affert quintam obiectionem, quæ videtur similiter pertinere ad limitationem localem, cùm reuera ad id pertineat, quod ad certum personarum genus coangustatur. Septimò cùm ait, *Rursum aliquando prodest*, affert sextam obiectionem quæ videtur itidem pertinere ad id quod est aliquando, cùm reuera ad id pertineat, quod est certo modo affectum. Atque hactenus obiectiones. Octauò cùm ait, *Id autem simpliciter*, definitione & exemplis declarat, quid dicatur esse simpliciter, nempe quod sine vlla limitatione dicitur.

IVLII PACII A BERIGA IN LIBRVM II. TOPICVM COMMENTARIVS ANALYTICVS.

PERGIT Aristoteles in explicandis locis pertinentibus ad problema Accidētis. Cùm enim superiori libro egerit de problemate vniuersali absoluto, cōsequenter nunc agit de problemate vniuersali comparato, & de problemate particulari. Huius igitur libri quatuor sunt partes. Prima est de problemate seu quæstione, vtrum ex duobus propositis, vel quodnam ex pluribus propositis sit melius & optabilius. Hæc pars tribus capitibus varios locos continentibus consumitur. In altera parte, id est, in quarto capite iidē loci producuntur ad quæstionem absolutam, qua quæritur, an proposita res sit eligenda vel fugienda. In tertia, id est, in quinto capite generaliter tractatur de accidentium comparatione. Quarta libri pars sexto capite comprehensa pertinet ad problema particulare. nam omnia problemata particularia, de accidentibus proponūtur: nulla sunt de proprio, vel de genere, vel de definitione, propterea quod hæc semper vniuersaliter attribuuntur. Porrò notandum est, Aristotelem hoc libro paulò aliter locos tradere, quàm in præcedenti. in eo namque plerumque tradidit præcepta: in hoc autē plerumq; proponet axiomata. Præceptorū verò & axiomatū discrimen suprà exposui.

IN CAP. I. DE LOCIS EX QVIBVS PROBATVR esse melius vel optabilius.

HOc capite explicantur quinque & viginti loci pertinentes ad quæstionem vtrum sit melius, vel optabilius.

1 *Duorum autem.* Proponit quæstionem seu problema, ad quod sequentes loci pertinent.

2 *Sed [illud] primùm.* Explicat propositi problematis subiectum. Ac primò docet hanc quæstionē, vtrum sit melius & opta-

bilius in iis rebus esse discutiendam, quarum differentia parua est, atque obscura. Secundò cùm ait, *Patet igitur*, ex dicta explicatione colligit vim sequentium locorum, quę vis nulla esset in rebus plurimùm distantibus. Exempli gratiâ, quia dubium est, vtrùm gloria diuitiis præstet, an contrà: recte præferes gloriam hoc argumento, quod est diuturnior. hic enim est primus locus mox declarandus. Sed quia perspicue virtus diuitiis longo interuallo antecellit: ideò non sunt diuitiæ diuturnæ præferendæ virtuti exiguo tempore duraturæ. Immo Aristoteles contrarium docet lib.9.Ethic.cap.8.

3 *Primùm quidem igitur*. Sequuntur loci, per quos probatur aliquid esse melius siue optabilius. Primus locus sumitur à diuturnitate seu duratione. Exemplum paulò ante attuli. nam gloria est diuitiis præferenda, vtpote quæ post mortem permanet, cùm diuitiæ morte amittantur.

4 *Et quod potius*. Secundus locus ducitur ab auctoritate, id est, à qualitate vel numero personarum eligentium. quod enim meliores vel præstantiores, vel quod plures omnésve eligunt, id magis eligendum videtur, quàm quod deteriores, vel pauci, vel nulli eligunt. Exempli gratiâ, virtus est præferenda diuitiis: quia vir prudens & bonus potiùs illam quàm has eligit. Rursus pax est bello præferenda: quia plerique pacem malunt, quàm bellum. Aristoteles hunc locum exponens, primò proponit axioma multipertitum, nempe illud est magis eligendum, quòd eligeret vir prudens, aut bonus, &c. Secundò cùm ait, *oportet autem*, docet, argumentum ex ea huius loci parte sumendum esse, ex qua commodissime sumi potest. Exempli gratiâ, si velis præferre virtutem voluptati, veteris auctoritate virorum bonorum. Contrà vt voluptatem virtuti præferas, vtéris auctoritate multorũ: quia pleriq; magis eligant voluptatem. Ait, *quod dictum erit*. Hęc verba possunt accipi de eo quod dictũ erit in thesi: sed commodiùs accipietur de eo quod dicetur in argumento contra thesim, nẽpe vt in id dirigatur, ad quod valet. atque ita accipiatur prout vtilissimũ erit opponenti. Ait, *vtile sit*. subaudi, ei qui contra thesim opponit. Tertio cùm ait, *Est autem simpliciter*, declarat discrimen inter ea quæ simpliciter sunt eligenda, & ea quæ alicui sunt magis eligenda. Nam (exempli gratiâ) libri, quibus philosophia cõtinetur, sine dubio præstãt malleo; faber tamen potius malleum, quàm libros eliget.

5 *Præterea optabilius*. Tertius locus est à genere: cuius axioma, & exemplum sunt in contextu.

6 *Et quod propter se*. Quartus locus est ab eligendo propter se. vide axioma, & exemplum in contextu.

7 *Et quod [est] per se*. Quintus locus est ab eligendo per se. Primò Aristoteles hũc locum absolute declarat, proponens axioma & exemplum. Secundo cùm ait, *Hæc autem est*, confert hunc locum cum præcedente: ac docet eos re idem esse, sed modo & ratione loquendi tantùm differre: quia quod est per se, est propter se: & quod est per accidens, est propter aliud.

8 *Et quod per se*. Sextus locus est à causa per se. Aristoteles primò hunc locum declarat in proposito problemate vtrum sit melius & optabilius. & hic quoque vt supra tradit axioma & exemplum. Secundò cùm ait, *similiter etiam*, ostendit similiter dici posse de cõtrario problemate. i. de problemate vtrũ sit deterius seu magis fugiendum. Vt enim est magis eligendum quod per se est boni causa, quàm quod per accidens: ita magis est fugiendum, quod per se est mali causa, quàm quod per accidens.

9 *Et quod [est] simpliciter*. Septimus locus est à bono simpliciter.

10 *Et quod natura*. Octauus locus est à naturali bono.

11 *Et quod rei*. Sequuntur tres loci à subiecto, nonus, decimus, & vndecimus. Nonus locus est à meliori & præstantiori subiecto.

12 *Et quod [est] melioris*. Decimus locus est à proprio melioris subiecti.

13 *Et quod [est] in melioribus*. Vndecimus locus à melioribus vel prioribus, vel præstantioribus subiectis. Hic locus numero subiectorum differt à loco nono. nam ibi accidens inerat vni subiecto, vt Deo, vel homini: hic autem pluribus simul, vt iis ex quibus primis animal constat. Vide exempla in contextu.

14 *Et finis*. Duodecimus locus à fine, continet tria axiomata. Primum axioma est: Finis est præstãtior & optabilior, quàm ea quę ad illum finem referuntur: vt sanitas, quàm pharmacum, vel deambulatio.

15 *Ex duobus*. Alterum axioma est. Cùm duo ad eundem finem referuntur: id, quod fini est propinquius, est etiam optabilius. vt lectio est melior, quàm emptio librorum: quia propiùs ad finem accedit, id est, ad scientiæ comparationem.


16 *Et omnino*. Tertiũ axioma est. Quod ad finem vitę humanæ refertur, optabilius est

est eo quod in alium finem dirigitur.

17 *Et possibile.* Decimus tertius locus est à possibili. Nam possibile est potiùs eligendum, quàm impossibile. Obiiciet aliquis, id, quod est impossibile, nullo modo est eligendum: quod autem nullo modo est eligendum, id non cadere in hãc comparationem vtrum magis sit eligendũ, vt constat ex iis quæ dicta fuerunt super. lib. cap. vlt. part. 6. Respondeo, Aristotelem in præsentia sumere hoc verbum *impossibile*, in significatione quadam vulgari, & minùs propria: vt sumitur, cùm dicitur, Armis Italiam vinci nõ posse, nec Græciã disciplinis: ergo impossibile hîc dicitur, quod vix fieri potest.

18 *Præterea cùm sint duo.* Decimus quartus locus à comparatione finium & efficientium, continet duo axiomata. Primũ est: Ex duobus efficientibus, quod meliorem finem propositum habet, melius est. Hac ratione melior est ethica, quàm medicina: quoniã ethicæ finis est sanitas animi: medicinæ autem finis est sanitas corporis.

19 [*Cùm*] *autem alterum.* Alterum axioma est: Si duo ex diuersis classibus comparentur, quorum alterum sit efficiens, alterum finis: tunc efficiens fini præstat, cùm finis illius efficientis magis huic fini præstat, quàm hic finis suo efficienti. vt in exemplo, quod est in contextu. Sunt enim duo fines, beatitudo & sanitas. rursùs sint duo efficientia i. beatificans, quod efficit priorẽ finem, & salubre, quod efficit posteriorem finem. iam pone beatitudinem esse quadruplo meliorem sanitate, sanitatem autem esse duplo meliorem re salubri, & beatitudinem similiter duplo meliorem re beatificante. hinc sequitur, rem beatificantem esse duplo meliorem, quàm sanitatem, vt sequens typus ostendit. Ex hoc enim typo apparet, quia β est quadruplo melius quam δ, ipsum autẽ δ est tantùm duplo melius quàm γ, idcirco ipsum α esse melius quàm δ.



20 *Præterea* [*optabilius.*] Decimus quintus locus est tripertitus, ab eo scilicet quod per se est pulchrius, vel honoratius, vel laudabilius. Hic locus est similis quarto, quinto, & octauo: ab illis tamen differt. Nam quarti loci axioma est, Quod est propter se eligendum, est optabilius, quàm quod propter alterum eligitur. Quinti axioma est, Quod per se eligitur, optabilius est, quàm quod per accidens eligitur. Octaui axioma est, Quod est naturã bonum, præstat bono acquisito. Huius autem quintidecimi loci axioma est, Quod est per se pulchrius vel honoratius vel laudabilius, id magis est eligendũ. Hæc verò axiomata inter se differunt: quoniam habent diuersa subiecta quæ quidẽ in argumentando accipiuntur pro mediis terminis. Nam si quarto loco vtaris, medius terminus erit, eligendũ propter se. si quinto, eligendum per se si octauo, naturã bonum. si decimo quinto, pulchrius, aut honoratius, aut laudabilius.

IN CAP. II. QVO CONTINENTVR VARIJ loci.

SVbiicit ad idem problema pertinentes locos vnum & viginti, quos singillatim explicabo.

6 *Et qu od omni tempore.* Alterum axioma est: Quod semper vel sæpius vsui est, præferri debet ei, cuius rarior est vsus. Huius quoque axiomatis habes exempla in cótextu.

7 *Et [id] quod si omnes.* Vigesimus primus locus, huius capitis sextus, à sufficientia, quā Græci αὐτάρκειαν appellāt. In cótextu est axioma, & exemplum sumptū ex apophthegmate Agesilai, quod extat apud Plutarchum inter apophthegmata Lacedęmoniorum, id est inter apophthegmata Agesilai, ordine 55.

8 *Preterea [ducenda.]* Vigesimus secundus locus, huius capitis septimus, quinque pertitus est; ab interitu, amissione, ortu, sumptione, & contrario. Inter interitū & amissionem hoc interest: quòd interitu res extinguitur & omnino perit; post amissionē verò manet, veluti cùm pecunia nobis surripitur. Simile discrimē est ortus, & acceptionis, siue sumptionis, siue acquisitionis. quod enim oritur, nūc esse incipit, cùm antea nō esset: quod verò accipitur, antea quidem erat, sed in nostra potestate non erat; veluti si ab aliquo pecuniam accipiamus. Hunc locum enarrans Philosophus, Primò præcipit, vt hinc sumamus argumenta Secundo cùm ait, *quorum enim acceptiones*, tradit axioma de corruptione siue interitu, & de abiectione siue amissione, & de cōtrario. Omittit autē exempla, quæ addere operęprętium erit. Primum ergo axioma est: Quorum corruptiones sunt magis fugiendæ, ea sunt magis eligenda. vt si honore priuari est grauius, quàm mori: certe honor est vitæ præferendus. Secundum axioma est: Cuius amissio est deterior, illud est melius. veluti si peior est amissio fūdi, quàm ędiū: fundus est ædibus præferendus. Tertium axioma est: Cuius contrarium est deterius, illud est melius. veluti si infamia est magis fugiēda, quàm morbus: certe honor est maius bonum, quàm sanitas. Tertiò cùm ait, *Contrà [si,]* tradit axioma de ortu, & de acceptione. Hic quoque adiungemus exépla. Cuius igitur melior est ortus, id quoq; melius est: veluti si nasci est melius, quàm honoré acquirere: vita est maius bonū, quàm honor. Rursus, cuius sumptio est melior, id quoque est melius. veluti si melius est discere, quàm mercaturam exercere: etiam sciétia est melior, quàm diuitiæ.

9 *Alius locus* Vigesimus tertius locus, huius capitis octauus, sumitur à propinquitate boni: Axioma est in contextu. Exéplū hoc esto: Sumere pharmacum est melius, quàm parare pharmacum: quia propiùs ad sanitatem accedit.

10 *Et quod [est] similius.* Vigesimus quartus locus, huius capitis nonus, à similitudine boni, continet tria axiomata. Primū est: Id quod est bono similius, præstat ei quod est minus simile. Exemplum est in contextu.

11 *Et quod vtroque.* Alterum axioma est: Id alteri pręstat, quod est meliori similius. Primò Aristoteles ponit hoc axioma. Ait, *vtroque*: quod in comparationē venit. Vtputa comparatio fit inter Aiacem & Vlyssem: vtroque autē præstātior est Achilles. ergo vter illorū est Achilli similior, est prę stantior. si igitur Aiax, est similior Achilli, quàm Vlysses, Aiax Vlyssi præstat. Secūdò cùm ait, *quemadmodum aiunt*, adiungit exemplum, quod modò proposui. Tertiò cùm ait, *obiicitur hoc*, affert *instantiam* siue obiectionem contra axioma modò expositū: quod enim meliori est similius, non est melius, nisi ea ratione simile sit, qua illud est meli⁹. Vide exemplum in cótextu. Quartò cùm ait, *Considerare etiam*, auget obiectionem prędictam, si tātùm abest vt sit aliquid meliori simile quà illud est melius, vt potiùs sit simile ratione vitiorum. nam & bonis vitia quædam sunt adiuncta. Verbi gratiā, Aiax non est propterea præstantior Vlysse, quòd sit iræ impatiens, vt Achilles. Vide aliud exemplum in contextu.

12 *Rursus cùm duo.* Tertium axioma est: Si duorum alterum præstantiori, alterum deteriori similius est, illud huic pręstat. Pôtest & axioma ita concipi: Si primū secundo præstat, similius autem est tertiū primo, quartum secundo: certe tertiū quarto est præferēdum. veluti si Homerus Pindaro pręstat, & Virgilius est similior Homero, Horatius autē Pindaro: certe Virgilius Horatio præstat. Primò Aristoteles tradit hoc axioma. Secundò cùm ait, *Sed & aduersus*, contra hoc axioma affert obiectionem siue exceptionem, nisi alterum meliori parum simile sit, alterum verò deteriori sit valde simile. Exempli gratiā, Virgilius est melior poeta Horatio. si quis tamen valde similis sit Horatio, præstantior poeta erit, quàm ille, qui parū est similis Virgilio. Simile exemplum est in contextu. Tertiò cùm ait, *Et si quod est*, addit alterā exceptionem, nisi alterum præstātioris vitia, alterū deterioris virtutes referat. Exemplū habes in contextu.

13 *Alius [locus.]* Vigesimus quintus locus, huius capitis decimus, sumitur ab eo quod est magis insigne. Axioma est in contextu. ex quo (vt addam exēpla) cócludi potest gloriam esse præferendam diuitiis, &

iurisprudentiam medicinæ.

14 *Et [quod est] difficilius.* Vigesimus sextus locus, huius capitis vndecimus, est à difficultate. Axioma ponitur, & ratione cõfirmatur in contextu. Hac ratione ars demonstrandi præfertur dialecticæ.

15 *Et magis proprium.* Vigesimus septimus locus, huius capitis duodecimus, ducitur à proprietate. Axioma est in contextu. Exẽplum illustre est apud M. Tull. in orat. pro Marcello, vbi ostendit clemẽtię laudẽ, quam Cæsar Marcello ignoscẽs adeptus erat, anteponendam esse gloriæ bellicæ: quoniam hæc est communis cum multis, illa verò est Cæsaris propria.

16 *Et [quod] magis.* Vigesimus octauus locus, huius capitis decimustertius, sumitur à malorũ absentia. Axioma ponitur, & confirmatur in cõtextu. Hinc ostẽdi potest virtutem esse optabiliorẽ diuitiis: quia diuitiæ non possidentur sine multis molestiis, & periculis.

17 *Præterea si hoc.* Vigesimus nonus locus, huius capitis decimusquartus, sumitur à positiuis ad superlatiua. Axioma & exemplum sunt in contextu.

18 *Et si optimum.* Trigesimus locus, huius capitis decimus quintus, est à superlatiuo ad positiuum. Axioma & exẽplum ponuntur ab Aristotele in contextu.

19 *Præterea qua licet.* Trigesimus primus locus, hui⁹ capitis decimus sextus, ab amicis, duo continet axiomata. Primum axioma est: Id est optabilius, quod potest cõmunicari cũ amicis, quàm quod nõ potest cõmunicari. Hinc præferes sanitati se etiã, nobilitati diuitias, tẽperantię liberalitatẽ.

20 *Et qua erga.* Alterum axioma est: Id est optabilius, quod erga amicum agere volumus, quàm quod erga quemuis hominẽ. vide exemplum in contextu.

21 *Et quæ [sunt] ex abundanti.* Trigesimus secundus locus, huius capitis decimus septimus, sumitur ab abundanti, vel necessario. Hunc locum explicans Philosophus, Primò ponit axioma bipertitũ: cuius prior pars est vniuersalis, posterior autem particularis. Sic enim habet: Quod est ex abundanti, semper est melius necessario, interdum est etiam optabilius. Secundò cum ait, *Melius enim*, probat exemplo perspicuo priorem partem dicti axiomatis. Tertiò enim ait, *interdum verò*, probat exemplo manifesto posteriorem partem eiusdem axiomatis. Quartò cùm ait, *Ex abundanti verò*, definit quod est ex abundanti. Omittit definitionem necessarij, tamquàm rei manifestæ. In summa, necessarium pertinet ad esse, quod verò est ex abũdanti, ad bene esse. Quintò cùm ait, *Ac ferè est*, vt corrigat posteriorem partem axiomatis suprà traditi, (quia non solum nõ est semper vera, sed etiam rarò vera) & confirmet priorem eiusdem axiomatis partem, duo proponit axiomata: quorum primum est: Necessarium ferè est optabilius eo quod est ex abundanti. Dixit, *ferè*: quia non semper optabilius est viuere, quàm honestè viuere: immo interdũ præstat mori, vt docet Arist. lib. 3. Eth. cap. 9. & lib. 4. cap. 3. & lib. 9. cap. 8. Alterum axioma est: Quod est ex abundanti, melius est, quàm id quod est necessarium.

22 *Et quod ab alio.* Trigesimus tertius locus, huius capitis decimus octauus, ab eo sumitur, quod non potest aliunde haberi. Axioma & exemplũ habentur in cõtextu. sed exemplum non caret obscuritate. Sic autem debet accipi secundũ Alexandrum, vt inspiciatur opus iustitię, id est, ius suum cuique tribuere, & fortitudinis, nẽpe resistere periculis & hostibus. hunc fortitudinis effectum etiam sine fortitudine possumus obtinere; putà cùm hostibus paciscendo; vel amicorum & sociorũ ope; vel quòd ab aliis vexati nostri inimici, vel hostes, coguntur à nobis abstinere. iustitiæ verò effectum sine iustitia consequi non possumus. iustitia igitur, quę id nobis tribuit, quod non possumus aliunde accipere, præferẽda est fortitudini, à qua id habemus, quòd aliis rationibus consequi possumus.

23 *Et si hoc sine illo.* Trigesimus quartus locus, huius capitis decim⁹nonus, ex eo sumitur, quòd alterum sine altero est eligẽdum. Axioma vt sit perspicuum, ita cõcipi potest: Si primum sine secundo est eligẽdũ, secũdum autem sine primo non est eligendum: certe primum est magis eligendum, quàm secundum. vide exẽplũ in contextu.

24 *Et si duorum.* Trigesimus quintus locus, huius capitis vigesimus, est à dissimulatione. Habes axioma, & exẽplũ in cõtextu.

25 *Præterea cuius.* Trigesimus sextus locus, huius capitis vigesimus primus, ab increpatione, bipertit⁹ est. Aut enim sumitur à minori, aut à maiori increpatione. Duo igitur hîc sũt axiomata. Primũ est, Illud est optabilius, quo se carere ægre ferentes, in minorem reprehensionem incurrunt. Exẽpli gratiã, minùs reprehẽdimus eos qui ęgre ferũt amissionẽ liberorum, quàm pecunię: liberi igitur sũt anteponẽdi pecuniæ.

26 *Et cuius absentiam.* Alterum axioma est, Illud est optabilius, quo se carere qui ę quo animo ferũt, maiori reprehẽsione sũt digni. Verè enim magis reprehẽdũtur, qui negligunt sanitatem, quàm qui cõtẽnunt pecuniam: ergo sanitas est præstabilius bo-

num,quàm pecunia.

IN CAPVT III. CONTINENS VARIOS LOCOS.

SVbnectuntur pertinentes ad idem problema loci decem singillatim explicâdi.

1 *Præterea eorum.* Trigesimus septimus locus,huius capitis primus,sumitur à propria virtute. Hic comparantur duo eiusdê speciei;vt duo homines,duo equi, duo vasa:& quæritur,vtrum sit optabilius. Axiomata hic duo sunt.Primû est,Quod habet propriam virtutem,magis est eligendum, quàm id quod non habet.Hac ratione præferendus est homo prudens imprudenti:iudex iuris peritus, iudici imperito:tabellarius sanus, tabellario podagrico.

2 *Cùm autem ambo.* Alterum axioma est: Quod magis habet propriâ virtutê, optabiliùs est eo quod minùs habet.Sic vir prudentior est anteponêdus viro prudêti:cursor velocior,cursori minùs veloci : & professor doctior,minùs docto.

3 *Præterea si alterû.* Trigesimus octauus locus,huius capitis secûdus,à subiecto,côtinet tria axiomata. Primû est : Quod efficit rê cui inest bonâ,optabili⁹ est eo quod nô facit bonâ.veluti si virt⁹ facit hominê bonû,pulchritudo aût nô facit bonû,certè virt⁹ est prçferêda pulchritudini.Hoc axioma côfirmat Aristot.à simili: quia calidius est, quod calefacit,quâ quod nô calefacit.Ergo similiter melius & optabilius est,quod facit bonû & optabile , quàm quod nô facit.

4 *Si verò ambo.* Secundum axioma est: Quod magis reddit subiectû bonum,optabilius est eo quod minùs facit bonum. hac ratione iustitia est præferenda fortitudini. Ait, *Aut quod rem.* Tertiû axioma est: Quod eam rê quæ est præstantior,bonam efficit, optabilius est eo,quod rem deteriorê, bonam reddit.vt prudentia est optabilior pulchritudine:quia prudentia perficit animû, pulchritudo autem perficit corpus,animus verò corpore est præstantior.

5 *Præterea si singula.* Trigesimus nonus locus,huius capitis tertius, duabus partibus quadrimembribus constat.arguimus enim à casibus,vsibus,actionib⁹,operibus,ad rê; & côtrà à re ad casus,vsus, actiones, opera. Aristoteles hûc locû declarat propositâ nota seu præcepto,&duobus exêplis,in quorû altero arguitur à casu ad nomê, in altero à nomine ad casû. Nos plenius hunc locû explicemus. Sunt hic octo axiomata. Primum est:Cuius casus est magis eligendus, id quoque est magis eligendum. exêplum est in contextu.nam si iustè,est optabilius, quàm fortiter: etiam iustitia est optabilior fortitudine. Secundum, Si res est magis eligenda , etiam casus est magis eligendus. huius quoque axiomatis exemplum est in contextu. nam si iustitia est optabilior fortitudine:etiam iustè,est optabilius , quàm fortiter. Tertium, Cuius vsus est optabilior, id quoque est optabilius. hac ratione ædes commodiores eligi potiùs debent,quàm ædes minùs commodæ.
Quartum,Si quid est optabilius, etiâ vsus eius est optabilior.veluti si leges armis sût præferendæ,etiam vsus legum debet armorum vsui præferri. Quintum, Cuius actio est optabilior, ipsum quoque optabilius est.vtputà si contemplatio praxi praestat, etiam intellectus contemplatiuus practico est præstantior. Sextum, Si quid optabilius est,etiâ eius actio est optabilior. veluti si intellectus côtêplatiuus practico præfertur,etiam contemplatio praxi est præferenda. Septimum,Cuius opus est optabilius,ipsum quoque est optabilius.veluti si domus est præferenda calceo , etiam ædificator est præferendus sutori. Octauum,Si quid est optabilius , opus quoque eius est optabilius.exêpli gratiâ,si in republica habendus est potiùs orator quàm poeta:certè oratio poëmati est præferenda.

6 *Præterea si eodem.* Quadragesimus locus,huius capitis quartus,à comparatione bonorum,continet tria axiomata. Primum est, Si primum tertio est melius, secundum autem tertio est deterius: certè primû est optabilius secûdo. veluti si sanitati virtus præstat, & eidê sanitati diuitiæ cedunt: certe virtus est optabilior diuitiis. Ait, *eodê*, id est,tertio. Ait, *alterum sit*, id est, primum. Ait, *alterum minùs*, id est, secundum. Ait, *id*, id est,primum. Ait, *quod est maius*, id est,maius bonum quàm tertium.

7 *Aut si alterum.* Secundum axioma est:Si tertium quarto,& primû tertio , secundum autê quarto melius est: certè primum est optabilius secundo.Exempli causâ,si honor diuitiis,virtus honori, amicitia diuitiis præstat:certè virtus est optabilior, quàm amicitia.Ait, *alterum*, id est primum. Ait, *maioris*, i.tertio,quod est maius bonû, quàm quartum. Ait, *maius*, subaudi bonum.

8 *Sed & si duo.* Tertium axioma est: Si primum & secundû tertio meliora sunt, magis tamen tertium superetur à primo, quàm à secundo : primum est optabilius secundo. Vtputà si & virtus & honor diuitiis præstant;magis tamen virtus, quàm honor diuitiis præstat:certè virtus, est honore optabilior. Ait , *duo quadam*, vt

virtus, & honor. Ait, *aliqua re*, vt diuitiis. Ait, [*ea re*] *optabilius*, vt virtus. Ait *eo*, id est honore.

9 *Praeterea eius*. Quadragesimus primus locus, huius capitis quintus, sumitur ab exuperantia. Axioma & exemplum sunt in contextu.

10 *Et quod sibi*. Quadragesimus secundus locus, huius capitis sextus, sumitur à causa. Vide axioma, & exemplum in contextu.

11 *Praeterea ex adiunctione*. Quadragesimus tertius locus, huius capitis septimus, ab adiectione, est bipertitus, & continet duo axiomata. Primum est. Quod rei adiūctum, facit, vt totum sit optabilius, id est magis eligendum, quàm illud, quod rei adiunctum, facit minùs optabile. Potest etiam ita clariùs concipi: Si tertium est optabilius cum primo, quàm cum secūdo: certè primum est optabilius secundo. veluti si diuitiae sunt optabiliores cum nobilitate, quàm cum mercatura: certè nobilitas est mercaturae anteponenda. Explicans Aristoteles priorem huius loci partem, Primò ponit praeceptum. Secundò cùm ait, *sed cauere*, exposito axiomati exceptionē adiungit, Nisi eidem rei duo sdiū gācur, quorum alterū illi rei sit vsui vel adiumēto, alterū minime. vt fabrica est optabilior, cum ferra, quàm cùm falce: nec propterea ferra per se est optabilior falce. & miles est optabilior cum gladio, quàm cum libro: non tamen gladius per se est optabilior libro. nam & e contrario philosophus est optabilior cum libro, quàm cum gladio. Ait, *ne proponantur* [*ea*,] vt fabrica, falx, & ferra. Ait, *altero*, id est, ferra. Ait, *vtatur* [*id*,] id est, fabrica. Ait, *quod commune est*, subaudi, ferrae & falci. Cōmune intellige, non quòd fabrica vtatur & ferra & falce: sed quia horum vtrumque illi adiungimus, id est, fabricam consideramus & cum ferra, & cum falce. Ait, *reliquo*, id est, falce. Ait, *simpliciter*. i. per se spectetur absque fabrica.

12 *Praeterea si minori*. Declarat posteriorē huius loci partem. Hinc habetur alterum axioma: Id est optabilius quod minori bono adiunctum, facit illud melius. Potest & ita concipi: Si tertium quarto est maius bonum; primum autem cum quarto est maius bonum, quàm secundum cū tertio: certè primum secundo est optabilius. Exēpli gratiâ, si paruae opes cū virtute sint magis eligendae, quàm magnae opes cū nobilitate: certè virtus est anteponenda nobilitati. Ait, *minori*: subaudi bono, vt minoribus opibus. Ait, *adiunctum quidpiam*: vt virtus. Ait, *totum*, id est, compositum illud ex virtute cum minoribus opibus. Ait, *sit maius*, id est, maius bonum, quàm totum illud compositum ex nobilitate cum magnis opibus.

13 *Similiter etiam*. Quadragesimus quartus locus, huius capitis octauus, sumitur à detractione. Nota & axioma habentur in cōtextu. Exemplum hoc esto: Sit aliquis diues, sanus, & prudens: is sola sanitate ademptâ, erit prudens & diues: solis autem diuitiis priuatus, erit prudens & sanus. Si igitur prudentia cū diuitiis est minus bonum, quàm prudentia cum sanitate: sanè sanitas est optabilior diuitiis. Ait, *quo*, vt sanitate. Ait, *ab eâdem re*, vt à prudente, sano, diuite. Ait, *quod relinquitur*, id est, prudētia cum diuitiis. Ait, *est minus*, id est min⁹ bonū, quàm prudentia cum sanitate. Ait, *illud*, id est, sanitas. Ait, *erit maius*, id est, maius bonum, quàm diuitiae.

14 *Et si alterum*. Quadragesimus quintus locus, huius capitis nonus, sumitur à fine. Hic sunt septem axiomata. Primum est: Quod per se expetitur, vt sanitas, optabilius est eo, quod propter gloriam tantùm expetitur, vt diuitiis. Addit Philosophus in contextu definitionem eius quod gloriae tantùm causâ expetitur.

15 *Et si alterum*. Secundum axioma est: Quod & propter se & propter gloriam est eligendum, id optabilius est eo, quod propter se tantùm vel propter gloriam tātùm expetitur. Sic patrię defēsio, quę & propter se & gloriae causâ expetitur, triumpho gloriae tantùm causâ expetendo antecellit.

16 *Et quod* [*est*] *magis*. Tertium axioma est: Quò quidque magis propter se est honorabile, eò est optabilius. Hac ratione sanitas praeferenda est pulchritudini, & diuitiis. Addit Aristoteles in cōtexu definitionem eius, quod propter se est honorabile.

17 *Praeterea distinguere*. Quartum axioma est: Quod ad plures fines consequendos conducit, optabilius est eo, quod ad pauciores. Vtputà medicina, cùm sit iucunda & vtilis, praeferenda est mercaturae, quae est solùm vtilis.

18 *Cùm autem eadem*. Quintum axioma est: Quod magis ad optatum finem consequēdum cōfert, illud est optabilius. Hinc vtilius prefertur minùs vtili, & iucundius minùs iucūdo, & honestius minùs honesto.

19 *Rursus quod*. Sextum axioma est: Quod ad meliorem finē dirigitur, est optabilius. Hinc Iurisprudentia, cuius finis est iustitia, praestat arti medicae, cuius finis est sanitas. Huic axiomati Aristoteles cùm ait,

Similis

Similis [est] ratio, subiicit simile axioma de rebus fugiendis, nempe, Quod magis impedit, quò minùs res eligendas consequamur, id est magis fugiendum. Vide exemplum in contextu.

10 *Præterea potest*. Quadragesimus sextus locus, huius capitis decimus, ducitur ab eo quod tantùm est eligendũ. Nota & axioma sunt in contextu. Exemplum hoc esto: Melius est philosophari, quàm peregrinari: quia illud est tãtùm eligendum: hoc autem probari potest & eligendum, & fugiendum esse.

DE ABSOLVTE ELIGENDIS AVT FVGIENDIS.

Tractatus II.

IN CAP. IV. DE HIS QVÆ ABSOLVTE SVNT ELIGENDA, aut fugienda.

POstquàm exposuit locos, qui valent ad probandum alterum altero esse optabilius: nũc declarat eorundem locorum vsum, vt simpliciter & sine vlla comparatione probetur aliquid esse optabile.

1 *Iidem loci*. Non omnes loci suprà adhibiti ad problema comparatum vtrum sit optabilius, eodem modo transferuntur ad simplex problema an sit optabile: sed huius translationis duo sunt modi. Primus modus est per detractionem excellentiæ: qui obtinet in locis sumptis à cõparatiuo. vt putà sicut possumus probare pacem esse optabiliorem bello, quia est vtilior: ita possumus simpliciter probare pacem esse optabilem, quia est vtilis. Sic non minùs ex loco, quàm ex problemate detrahitur cõparatio. Ait, *quæ ita comparantur*, id est, sumpto argumento à gradu comparatiuo. vt in allatis exemplis, est honorabilius vel vtilius, ergo est optabilius.

2 *In quorundam*. Alter modus transferendi est sine vlla detractione: quia scilicet in examinando problemate comparato argumentum sumebatur à positiuo, non à comparatiuo. Exempli gratiâ, iustitia suprà fuit prælara homini iusto: quia illa est naturâ bonum, hic verò est ex accidenti bonus. sed & simpliciter eodem argumento probatur iustitiam esse optabilem, quia suapte naturâ est in bonis. Ait, *comparatione*, id est, problemate comparato. Ait, *alterum*, quod in problemate comparatur. Ait, *dicimus esse eligendum*. Non dicimus autem esse magis eligendum, vt suprà dicebamus.

DE QVORVMCVMQVE ACCIDENTIVM COMPARAtione loci generales.

Tractatus III.

IN CAP. V. DE LOCIS COMPARATIONIS GENERALIBVS.

POstquàm exposuit locos problematis, quo quæritur vtrum sit magis eligendum; ac docuit, quomodo iidem loci parua mutatione factâ possint aptari problemati absoluto, quo quæritur an sit eligendum: nunc generaliter considerat quamcumque accidentium comparationem: quia non solùm quæri solet vtrum sit optabilius, sed etiam vtrum iustius, vtrum candidius, & id genus alia multa.

1 *Sumendi autem*. Huius capitis quatuor sunt partes. Primò Aristoteles monet sumendos esse locos generales, id est, pertinentes ad quamcumque accidentium comparationem.

2 *Licet etiam*. Secundò monet locos suprà expositos, dum quærebatur vtrũ sit optabilius, posse modica mutatione adhibitâ fieri generales. Sicut enim suprà dicebatur, Quod est naturâ bonum, optabilius est, quàm quod non naturâ est bonum: ita generaliter dicere possumus, Quod naturâ est tale, id est magis tale. Quin & ad aliam speciem transferemus: veluti, Quod naturâ est calidum, id est calidius.

3 *Veluti [quod est.]* Tertiò proponit exempla locorum, qui ex suprà dictis colliguntur, & ex specialibus fiunt generales. Primum exemplum seu primus locus est à natura. Hic fuit locus octauus expositus cap. 1. partic. 10.

4 *Et si alterum efficit*. Secundus locus à subiecto, suprà erat trigesimus octauus, expositus cap. 3. Huius loci duo sunt axiomata. Primũ est, Quod rem subiectam, talem facit: magis tale est, quàm quod non facit talem. veluti si iustitia facit hominem laudabilem, diuitiæ verò non faciunt laudabilem: certè iustitia est laudabilior diuitiis. Confer cum axiomate exposito part. 3. dicti c. 3.

5 *Si verò ambo*. Posterius axioma est:

Quod magis rem subiectam, talem facit, id est magis tale. veluti si iustitia facit hominẽ laudabiliorem, quàm fortitudo: certe iustitia est laudabilior fortitudine. vide part. 4. dicti capitis 3.

6 *Praeterea si eâdem re.* Tertius locus à comparatione suprà fuit locus quadragesimus, expositus cap. 3. Hic sunt duo axiomata. Prius axioma est: Si primum est magis tale quàm secundum, & secundũ quàm tertium: primũ quoq; est magis tale quàm tertium. veluti si Achilles est pulchrior Nireo, & Nireus Agamemnone, etiam Achilles est pulchrior Agamemnone. vide part. 7. dicti capitis 3. Posterius axioma est: Hoc supposito, quòd tertium sit magis tale quàm quartum: Si primum est magis tale, quàm tertium, secundum verò est magis tale quàm quartum: profectò primum est magis tale quàm secũdum. veluti si Achilles est fortior Aiace, & Agamemnon Menelao: certè Achilles est fortior Agamemnone, sicut Aiax est fortior Menelao. Ait, *& si alterum*: vt Achilles. Ait, *tali* [*re*,] vt Aiace viro forti. Ait, *magis tale*, id est, fortior. Ait, *alterum*: vt Agamemnon. Ait, *non* [*sit*] *tali re*, id est, Menelao, qui non est ita fortis, vt Aiax. Ait, *primum*, id est, Achillem. Ait, *esse magis tale*, subaudi, quàm secũdum, id est, fortiorem esse Agamemnone.

7 *Praeterea* [*ducendum.*] Quartus locus ab adiectione suprà erat locus quadragesimus, expositus cap. 3. Hic quoque traduntur duo axiomata. Prius axioma est: Quod alicui rei adiunctum, facit eam magis talem, id est magis tale. vt putà condimentũ efficiens cibũ dulcem, eo est dulcius, quod non facit dulcem. Vide part. 11. dicti cap. 3.

8 *Aut si minùs.* Posterius axioma est: Quod rei minùs tali adiunctum, facit eam magis talem, id est magis tale. Vide par. 12. dicti cap. 3.

9 *Similiter ex detractione:* Quintus locus à detractione, suprà erat locus quadragesimus quartus, expositus cap. 3. part. 13.

10 *Et quae sunt contraria.* Sextus locus à segregatione contrarij, suprà fuit locus vigesimus octauus, expositus cap. 2. part. 16.

11 *Insuper.* Haec est quarta pars capitis, in qua proponit Aristoteles locũ vniuersalem non sumptum ex praecedẽtibus locis: quod indicat his verbis, *praeter suprà dicta.* quapropter haec vltima particula respõdet primae particulae huius capitis sicut praecedentes respondebant secundae partic. Hic locus est à definitione, conferendus cum loco tertio problematis de accidẽte absoluti, quẽ exposuit Philosophus lib. 2. cap. 2. part. 3. Axioma verò & exemplum dilucidè proponuntur in contextu.

DE PROBLEMATE ACCIDENTIS Particulari.

Tractatus IV.

IN CAP. VI. DE LOCIS PERTINENTIBVS ad problema accidentis particulare.

A Problemate accidẽtis vniuersali transit ad particulare considerandum: & tã generaliter, quàm specialiter docet, quomodo loci problematis vniuersalis possint aptari ad problema particulare. Specialiter enim hos locos considerat, ab oppositis, à coniugatis, ab eo quod interimendi vim habet, necnon ab ortu & interitu, item ab eo quod vel magis vel minùs vel aequè est tale, ex hypothesi, à diuisione subiecti, & à diuisione accidentis.

1 *Si verò problema.* Generaliter docet, locos problematum vniuersalium de accidente pertinere etiã ad problemata particularia: quia sub vniuersali cõtinetur etiã particulare: adeò vt quae ratio probat vniuersale, eadẽ probet etiã particulare sub illo vniuersali contentum. Vide li. 2. Prior. cap. 1. Ait, *quos diximus*, libro praeced.

2 *Maximè autem.* Specialiter quosdam locos considerat, atque à problemate vniuersali ad particulare transfert: ita vt ex locis vniuersalibus iam faciat particulares. Primus locus est ab oppositis. Secundus à coniugatis & casibus. Hos locos Aristoteles cõmendat, tanquàm maximè idoneos, & communes: exemplisque illustrat Confer hanc partic. cũ cap. 8. & 9. lib. praeced. & hic obserua duo axiomata: quorum alterũ est, Opposita oppositis attribuũtur, tã vniuersaliter, quàm particulariter. veluti si iustitia est virtus, iniustitia est vitium. alterũ, Coniugatorum eadẽ est ratio, siue vniuersaliter, siue in parte accipiantur. Coniugatorum appellatione intelligo etiã casus. nã suprà

ſuprà monui caſum eſſe ſpeciem cõiugati. Primò Ariſtoteles hos locos commendat. Ait, *communes*. Communes intellige problemati vniuerſali, & particulari Secundò cùm ait, æque *enim*, affert exemplum loci à contrariis, id eſt, à voluptate ad dolorem. Hic proponit Philoſophus argumẽtationé vniuerſalem, & particularem: vt appareat, quomodo idem locus vtrique problemati accommodetur. Tertiò cùm ait, *Praterea ſi quis ſenſus*, affert exemplum loci ab habitu ad priuationé, id eſt, à ſenſu ad inſenſibilita tẽ, vt ita loquar, id eſt, ad ſenſus priuationem. Hic Ariſtoteles ſtudio breuitatis pro ponit ſolùm argumẽtationem particularẽ, de qua nunc ex profeſſo agit: idémque fere obſeruabit in ſequentibus exemplis. Facilè enim cuiuis eſt ſupplere argumẽtationem vniuerſalem. Quartò cum ait, *Et ſi quid eſt iſtimabile*, dat exemplum loci à relatis, id eſt, ab exiſtimabili ad exiſtimationẽ. Quintò cùm ait, *Rurſus ſi quid iniuſtum*, adiungit varia exempla locorum à caſibus cõtrariis. Sextò cùm ait, *Et ſi quid iniuſtè*, ſubiungit exempla à coniugatis. Ait *ἐστί τι ἀγαθόν, etiam voluptas quadam eſt in bonis*. Hîc ἀγαθόν, *bonum* accipitur pro vtili: quæ ſignificatio non eſt noua: & ita etiã Alexãder interpretatur. In duobus manu exaratis codicibus pro ἀγαθόν, reperi ὠφέλιμον: quæ lectio mihi magis placet.

3 *Etenim*. Tertius locus tripertitus proponitur ab eo quod interimẽdi vim habet, ab ortu, & interitu. Confer cum lib. 2. cap. 9. Hunc locum Ariſtoteles declarãs, primò proponit notam, quam vulgò differentiam maximæ appellant. Secundò cùm ait, *Nam ſi quid*, proponit exempla ex quib⁹ colligatur axioma de interimẽtibus: Si quoddam interimens, eſt bonũ; quędam res quæ interimitur, eſt mala. Tertiò cùm ait, *Similiterque ſi corruptio*, dat exempla, ex quibus colliguntur axiomata de ortu & interitu: Si quidã interitus eſt bonus: quędã res interempta, eſt mala. Rurſus ſi quidam ortus eſt malus; quędam res, quę oritur, eſt mala. Poſſunt etiam hæc axiomata magis generaliter concipi, vt notani ad dictũ cap. 9. lib. præcedentis. Quarto cùm ait, *Eadem[eſt] ratio*, ea quæ in ſuperioribus exemplis dixit de ſcientia & voluptate, producit ad alias res ſimiles; vt intelligamus axioma ea ſuprà tradita generaliter eſſe accipiẽda, & exempli tantum cauſá fuiſſe factã mentionem voluptatis, & ſcientiæ.

4 *Praterea ex eo*. Quartus locus tripertit⁹ eſt ab eo quod eſt magis, vel minùs, vel æque. Coniunge cap. 10. Lib. præced. In pręſentia, Philoſophus hunc locũ conſiderat in hac partic. quatenus hinc cõparantur res diuerſorum generum, vt ſcientia & voluptas, in ſequenti autem partic. loquetur de comparatione rerum eiuſdem generis. In hac particula primo proponit notam illam tripertitam. Secundo cùm ait, *Nam ſi quid*, proponit & exemplo declarat axioma de eo quod magis eſt. Hoc autem axioma eſt abnutiuum, & valet ad refellendum. Nam ſi quid eorum quę videntur magis talia, nõ eſt tale: ne id quidem tale erit, quod eſt in eorum numero, quæ minùs talia vidẽtur. Ait, [ſit] *magis tale*, id eſt, videatur magis tale. Ait, *quod dictum eſt*. ſubaudi, in problemate de quo diſſeritur. Tertiò cùm ait, *atque ex eo*, diſcrimẽ ponit inter id quod æquẽ eſt tale, & id quod minùs eſt tale. nam ab illo ſumũtur duo axiomata: alterum affirmatiuum, quod valet ad confirmãdum: alterum negatiuum, quod valet ad refellẽdum. ab hoc ſumitur vnum axioma affirmatiuum, quod valet ad confirmãdum. Hîc igitur ſunt tria axiomata. Primum eſt: Si duorum ſimilium vnum ſit tale, etiam, alterum eſt tale. Secundum eſt: Si duorum ſimilium vnum non ſit tale, ne alterum quidem eſt tale. Potes hæc duo axiomata referre ad vnum generale, Similiũ ſimilis eſt ratio. Tertium eſt: Si id quod minùs tale videtur, tale ſit; etiã id, quod magis tale videtur, tale eſt. Habes horum axiomatum exempla in contextu. Ait, *ambo [facere,*] id eſt, confirmare, & infirmare problema.

5 *Non ſolùm autem*. Declarat eiuſdem loci vſum, quando comparantur res eiuſdẽ generis: veluti cùm arguitur à prudẽtia ad alias ſcientias. Obſerua tamen, niſi vocabulum ſcientiæ accipiatur latiùs, prudẽtiã non eſſe ſpeciem ſcientiæ: nam ab ea feiungitur lib. 6. Ethic. cap. 8. Ait, *ſi poſitum ſit*, ſubaudi, in theſi, de qua diſputatur.

6 *Praterea ex hypotheſi*. Quintus locus eſt ex hypotheſi: quẽ Ariſtoteles declarãs, primò proponit notam, & duo axiomata: alterum affirmãs, Si vni ineſt, omnibus ineſt: alterum negans, Si vni nõ ineſt, nulli ineſt. Vtrumque autem axioma exẽplo declarat. Secundò cùm ait, *Si igitur cuidam*, eorundem axiomatũ vſum aperit, monens theſi affirmatiuæ eſſe opponendum axioma negatiuum, & negatiuæ affirmatiuum. Tertiò cùm ait, *Manifeſtum autem*, declarat effectum huius loci: & oſtendit, per eum reddi problema vniuerſale, quod erat particulare.

7 *Cùm igitur problema*. Vt intelligatur quomodo ſequens pars iis cohæreat, quæ

proximè dicta fuerunt: notandum est, Aristotelem exposuisse proprietatem quandā quinti loci, videlicet quòd facit problema ex particulari vniuersale; & prolato particulari euincit vniuersale, propter hypothesim. Vnde apparet, probato per hunc locū particulari euerti problema particulare oppositum. veluti si problema sit, aliquam animam esse immortalem; & supponatur, si anima humana sit mortalis, omnē animā esse mortalē; certè qui probabit aliquā animā.i.humanā esse mortalē, is euertet problema; atq; ita ex particulari, euertet particulare oppositum. Sed hoc nō semper contingit, vt probatio particularis euertat thesim particularem. Scimus enim ex lib. de interpretatione, particularia opposita simul vera esse posse. Vt igitur sciamus, quando thesis euertatur, & quando secus accidat: Aristoteles diuidit problema particulare in quatuor genera: & singula docet quomodo confirmari vel euerti debeant. Primum est problema indefinitum: quia nō constat, vtrùm vera ponatur tam affirmatio quā negatio particularis, an altera tātùm. Indefinitum igitur problema hîc appellat, tam quod habet notā particularem, vt aliqua voluptas est bona; quàm quod notā caret, vt voluptas est bona. Eodem modo accepit propositionem indefinitā lib.1.cap.4.part.21. & alibi. De hoc indefinito problemate duo docet. Primò ostendit infirmari vno modo, id est, si probetur vniuersalis contradictio, non item si probetur particularis, quia particulares enūciationes subcontrariæ possunt esse simul veræ. Parco exemplis: quia sunt perspicua in contextu. Secundò cùm ait, *Confirmari autem bifariam*, docet idem problema indefinitum confirmari duobus modis, id est, vel probato particulari, vel probato vniuersali, sub quo vniuersale continetur. nam subalterna simul vera sunt: vt omnis homo est animal, & quidam homo est animal: item nullus homo est lapis, & quidam homo non est lapis.

8 *Cùm autem thesis.* Secundum problema est definitum, id est, cùm definite ponimus ambas particulares esse veras, & vniuersales esse falsas: veluti non omnem voluptatem esse honestā, id est, aliquas tantùm esse honestas, aliquas minimè. Hoc problema bifariam infirmatur, id est, probata alterutra vniuersali. pone enim thesim esse aliquas tantùm voluptates esse honestas: siue quis probet omnes esse honestas, siue nullas esse honestas, infirmabit thesim.

9 *At si vnam.* Tertium problema est magis definitum: quia vnam aliquam speciē à ceteris separat: veluti si quis ponat vnam voluptatem esse bonam, nec tamen explicet, quænam illa sit. Hoc problema infirmatur tribus modis, id est, probata alterutra vniuersali, vel pluribus particularibus. siue enim omnis voluptas sit bona, siue nulla sit bona, siue duæ, vel tres sint bonæ: falsum est, vnam tantùm esse bonam.

10 *Cùm autem thesis.* Quartum problema est maximè definitū: quia sumit vnum particulare signatū, (vt scholastici loquuntur) non vagum. Exempli causā, non ponit indeterminate aliquam, vel vnā virtutem, esse scientiam; sed nominatim vnam ex virtutibus, puta prudentiam, esse scientiam. Hoc problema Aristoteles perspicuè ostendit infirmari quatuor modis. Ex dictis apparet, quò magis problema est definitum, eò faciliùs infirmari. nam primum problematum genus infirmabatur vno modo, secundum duobus modis, tertiū tribus, quartum quatuor.

11 *Prodest etiam.* Redit ad locos explicandos, qui nō solùm vniuersalibus, sed etiam particularibus problematis inseruiunt. Sextus igitur locus, (nam quinque suprà exposuit) sumitur ab iis, in quę diuidītur subiectum problematis. Confer cum lib.2.cap.2.part.2. Vsus huius loci, quod ad particulare problema, talis est: Sit problema, (exempli gratiā) Non omnem voluptatem esse bonam. si vis id confirmare, respice ad singulas voluptates. nam si quasdam ostenderis esse malas, probatum erit problema. Sed si vis infirmare, ostende aliquot esse bonas. aduersarius enim, nisi possit exceptionem proferre, cogetur fateri vniuersaliter voluptates esse bonas. atque ita euersum erit problema. Est autem hic locus bipertitus. Aut enim subiectum problematis est species specialissima, aut est genus. Priori casu argumentum sumitur ab indiuiduis sub ea contentis. vna enim est diuisio speciei in indiuidua. Ait, *dictum fuit*. subaudi, in problemate. Ait, *quemadmodum in vniuersalibus*. vide dictam part.2. cap 2.lib.2.

12 *Præterea generis.* Posteriori casu sunt multæ diuisiones: quia diuiditur genus in species, & hæ subdiuiduntur, donec perueniamus ab indiuidua, vel ad membra aliqua, vnde suppetāt argumenta, quēadmodum fuit explicatum dicto loco libri 2. Ait, *antea dictum fuit*, prææallegato loco libri 2. Ait, *obijciatur*. subaudi, ab eo qui thesim defendit.

13 Pr-ær

13 *Praeterea in quibus.* Septimus locus est à diuisione accidentis, quod in problemate est attributum. Hic etiam locus est bipertitus, vt præcedens. Aut enim accidens est genus, quod diuiditur in species: aut est species specialissima, quæ diuiditur tantùm in indiuidua. Aristoteles hunc locũ declarat, tradito præcepto, & duobus exemplis, ex quibus colligitur axioma negans: Cui nulla subiectiua accidentis pars inest, ei accidens non inest. Subiectiuam partem intellige speciem, vel indiuiduum. Adde axioma affirmans: Cui aliqua species, vel indiuiduum (subaudi, accidenti subiectum) inest, ei accidens verè inesse dicitur. veluti si alicui animali inest albor, rectè dicitur aliquod animal esse coloratum.

14 *Ad confirmandum.* Epilogo concludit vniuersum tractatum de problemate accidentis, qui duobus libris continetur.

IVLII PACII A BERIGA IN LIBRVM IV. TOPICVM COMMENTARIVS ANALYTICVS.

IN CAP. I. DE LOCIS PERTINENTIBVS AD problema generis.



Expositio problemate accidentis, transit ad problema generis, ad quod varios locos pertinentes declarat: & primùm in hoc primo capite nouem locos proponit.

1 *Post hæc.* Differendum proponit hoc quidem libro de problemate generis, sequẽti autem libro de problemate proprij. Rationem ordinis duplicem affert. Primùm enim ostendit, cur hæc problemata præponantur problemati definitionis: mox cur sequãtur problema accidentis. Præponuntur (inquit Philosophus) problemati definitionis, tamquàm eius elementa, seu principia quædã: quia scilicet definitio debet in se habere genus rei definitæ, & esse eius rei propria. Subiiciuntur autem problemati de accidenti hæc omnia, quę ad genus, vel proprium, vel definitionem pertinent, quia de his rarò à dialecticis quęritur; cum sint subtiliora, & in ipsis scientiis examinanda. de accidentibus autem dialectici quærere solent: cùm quia non ita sub certam scientiam cadunt, tum etiam quia de his in vtramque partem faciliùs disputari potest: quod quidem est munus dialectici.

2 *Si igitur positum.* Sequuntur loci pertinentes ad problema generis. Primus locus est à syngeneis: cuius axioma negatiuum est, Quod non attribuitur omnibus syngeneis, non est genus. Aristoteles huius loci præceptum & exemplum tradit. Ait, *quemadmodum in accidente.* vide locum 2. lib. 2.

3 *Deinde [videndum.]* Secundus locus est à modo attributionis. Axioma ita concipitur, Quod non attribuitur in quæstione quid est, non est genus. vel, Quod attribuitur in quæstione quale est, non est genus. vel, Quod rei qualitatem significat, non est eius genus. vel, Quod rei accidit, non est eius genus. Præceptum & exempla habes in contextu.

4 *Maxima autem.* Tertius locus est à definitione accidentis. Axioma est, Quod potest adesse & abesse, nõ est gen⁹: vel, Cui conuenit accidentis definitio, id non est genus. Ait, *vocabamus*, lib. 1. cap. 5. part. 8.

5 *Praeterea videndum.* Quartus locus est à diuersitate categoriarum. Axioma est, Nõ potest in alia categoria esse genus, in a-

Ddd. j.

lia species.vel, Quod non est in ea categoria,in qua est species,nõ est illius speciei genus. Vide huius loci præceptũ & exẽpla in contextu. Ait, *Rursus scientia.* Scientia dicitur non esse qualitas, sed ad aliquid, quatenus ad scibile refertur. Si verò per se spectetur,reducitur ad categoriam qualitatis. Vide Categor.cap.8.partic.31.& 32. & quæ ibi notaui.

6 *Item [considerandum.]* Quintus locus sumitur à speciei participatione. Axioma est, Quod est speciei particeps, non est eius genus. Hunc locum Aristoteles declarans, primò præcipit, vt videamus, an id, quod in thesi positum est tamquàm genus, sit particeps speciei. Secundò cùm ait, *Definitio autem*,definit quid sit particeps, siue esse particeps; nempe recipere definitionem eius quod participatur. Genus autem non recipit definitionem speciei: sed e contrario species recipit definitionem generis. Tertiò cùm ait, *Patet igitur*, proponit axioma.Genus non est particeps speciei:sed species est particeps generis. Quartò cùm ait, *Considerandum igitur*,repetit præceptum,illúdque adiuncto exemplo illustrat.

7 *Præterea [videndum.]* Sextus locus ducitur à subiectis speciei. Axioma est, De quocumque dicitur species,de eo dicitur etiã genus.vel,Quod non dicitur de iis omnibus,quibus attribuitur species,nõ est eius genus. Hunc locum Philosophus explicat definitione & exemplo.

8 *Item videndum.*Septimus locus,coangustatus ad problema generis remoti, sumitur à nullius speciei participatione. Axioma est,Quod nec vllius speciei est particeps,nec est proxima generi species, falsò in eo genere ponitur. Ratio huius axiomatis est: quia species sub genere collocatur vel immediatè,vt sub animali auis; vel mediatè, vt sub animali coruus.si immediatè collocatur sub genere,est particepstantùm generis.si verò mediatè, tunc est particeps etiã illius speciei subalternæ & interiectę. vt coruus est particeps auis; & auis est particeps animalis: consequenter coruus est particeps animalis. Hunc locum Aristoteles declarans, primò tradit præceptum. Secundò cùm ait, *Sic igitur positum*, adiungit exemplum.

9 *Præterea videndum.* Octauus locus, à numero subiectorum,est bipertitus.refellitur enim genus:vel quia species latiùs patet,ac de pluribus dicitur:vel quia æque late patet, ac de totidem dicitur. Explicans Philosophus primam huius loci partem, Primò præcipit,vt videamus, an genus(id est,quod pro genere sumptũm est in thesi) de paucioribus dicatur, quàm species. Secundo cùm ait, *vt opinabile*, addit exemplum. Tertiò cùm ait, *quia genus*, adiungit fundamentum huius loci; quia verum genus latiùs patet, quàm species. Hinc sumitur axioma, Quod de paucioribus dicitur, non est genus.

10 *Rursus an de totidem.* Declarat secũdam eiusdem loci partem. Ac primò dat præceptum:ex quo colligitur hoc axioma, Quod de totidem dicitur,non est genus.Secundò cum ait,*veluti si ens, vnum*, illustrat hũc locum exemplo entis & vnius.Tertiò cùm ait,*Similiter [sit,]* addit alterum exemplum primi & principij. Quartò cùm ait, *Elementum autem*, ponit fundamentum huius loci,id est,generale axioma,Genus dicitur de pluribus,quàm species vel differentia. Ait,*omnium eiusmodi*,id est,vtriusque partis loci octaui; sed & aliorum similium locorum,vt loci sexti.

11 *Videre etiam.* Nonus locus,ab iis quę non differunt specie, continet duo axiomata:alterum affirmatiuũ, Quod vnius ex iis quæ specie non differunt, genus est, etiam reliquorum est genus: alterũ abnutiuum, Quod vnius ex iis quę specie non differũt, non est genus, id nec reliquorũ est genus. Hunc locum declarãs Philosophus,primò ponit cõmune præceptum,vt videamus an id quod in thesi positũ est alicuius rei esse genus,etiam *Alijs quod ...*,id est,eorum quæ specie non differunt, sit genus necne. Ait, *aut non videatur.* Idcircò addit hæc verba: quia dialecticus non solùm veris,sed etiam probabilibus propositionibus vtitur. Secundò cùm ait, *Sed is qui confirmat*, affert pręceptum & axioma affirmatiuum.Exempli gratiã, Quantitas est genus linearum secabilium: ergo etiam insecabilium; quia secabiles & insecabiles lineæ non differũt specie. Tertiò cùm ait, *& si vnius non [esse,]*proponit axioma negatiuum. Quartò cùm ait, *vt si quis indiuiduas*, adiungit exemplum.Si quis enim dicat insecabile,esse genus linearum quæ diuidi non possunt: ex hoc loco refelli poterit; quia insecabile sine dubio non est genus linearum quę diuidi possunt,quandoquidem eis non attribuitur; consequenter non est genus linearum indiuiduarum, licet his attribuatur. Ait,*id quod dictum est*, nimirum insecabile. Ait,*cum specie non differant*, subaud. lineæ secabiles & insecabiles.

IN CAPVT II. DE VARIIS LOCIS.

Subiiciuntur hoc capite septem loci ad idem problema pertinétes,quos singillatim declarabo.

1 *Considerare etiam.* Decimus locus,huius capitis primus,sumitur à diuerso genere. Axioma est: Si sint duo heterogenea, species vnius non potest esse species alterius. Aristoteles hunc locum declarans,primò proponit pręceptum,vt respiciamus ad genus diuersum,id est,nõ subalternũ: quia non potest eadem species collocari sub diuersis generibus non subalternis, vt Philosophus in cõtextu declarat exéplo iustitię: Secundò cùm ait, *Hoc autem in quibusdam,* obiicit exemplum prudentię,quæ videtur collocari sub duobus generibus non subalternis, id est, sub virtute, & sub scientia. Tertiò cùm ait, *Sed non ab omnibus*, soluit dictam obiectioné,negans prudentiam collocari sub duobus generibus: quia veriùs est species tantùm virtutis, non scientiæ. Quartò cùm ait, *quod si quis concedat*, adiungit alteram responsionem secundum eos qui concedunt prudétiam esse speciem nõ solùm virtutis, sed etiam scientiæ:& vt obiectioné vitet, corrigit axioma suprà datũ, atque illud ita concipit : Si duo sint genera nec subalterna,nec sub alio communi genere contenta; tunc species vnius,nõ est species alterius. Huic axiomati dictum exemplum non obstat:quia & virtus & sciétia continentur sub habitu,tamquàm species sub genere. inde fit,vt prudentia & sub virtute & sub sciétia cõtineri possit. Si quis ergo nolit admittere prudentiã esse specié scientiæ,vtetur priori responsione. Si verò existimet prudentiam esse speciem sciétię, amplectatur posteriorem responsionem. Quæret aliquis,cur Aristoteles nõ declaret vtra responsio sit melior. Respondeo rationem hanc esse:quia dialecticus(vt suprà didicimus) non tam ex veris disputat, quàm ex probabilibus,& iis quæ videntur probabilia:videri autem potest prudentia esse sciétia,quatenus vir prudés nouit quæ eligenda,quæve fugienda sunt: contrà non esse scientia:quia(vt lib.1. Posterior.cap.8. dictum fuit) scientia est rerum æternarum, quæ semper eodem modo se habent ; prudétia verò in actionibus humanis versatur, quæ sunt contingentes,& possunt aliter atque aliter se habere.

2 *Considerare etiam.* Vndecimus locus, huius capitis secũdus,à superiori genere.i. à dati generis genere,(datum genus intellige,quod est positum in problemate)cõtinet duo axiomata: alterum affirmatiuũ, Superiora omnia genera attribuuntur speciei in quæstione quid est: alterum negatiuum, Nullum ex superioribus generibus est speciei particeps. Prius axioma valet ad cõfirmandum,posterius tantùm ad infirmãdum. Hunc igitur locum enarrans Philosophus, Primò proponit præceptum & axioma affirmatiuum:ac docet hoc valere ad problema cõfirmandum. veluti si albũ est genus niuis;color, quod est genus albi,attribuetur niui in quęstione quid est: atqui hoc est falsum:ergo & illud. Secundò cùm ait, *Rursus [videndum,]* tradit pręceptum pertinens ad secundum axioma,necnon ipsum axioma,quod tantùm ad refellendum valet. Ait, *siue ipsum*, id est, illud ipsum,quod pro genere positũ est in thesi. Huius generis obiter métionem hîc facit, vt doceat,quod ad hoc, eandem esse rationem proximi & remoti generis. nullum enim genus est speciei particeps,sed contrà species est particeps generis. Ceterũ à proximo genere sumptus est locus quintus. Tertiò cùm ait, *Et verò qui confirmat*, docet vsum primi axiomatis ad probandũ genus, quandò scilicet aduersarius fatetur id inesse speciei , sed negat inesse tamquàm genus. tunc enim probandum est,aliquod ex superioribus generibus attribui in quæstione quid est,& vtendum hoc axiomate, Si superiorũ generum aliquod attribuitur speciei in quæstione quid est,cetera quoque supra illud,aut sub illo constituta, quæ speciei attribuuntur,eodem modo attribuuntur, & sunt eius speciei genera. veluti si viuens attribuitur homini in quæstione quid est; ét substantia, & animal attribuuntur homini in quęstione quid est,& sunt hominis genera. Quartò cùm ait, *Quod autẽ si vnum*, probat idem axioma per inductionem. Quintò cùm ait, *at si simpliciter*, declarat vsũ eiusdem primi axiomatis ad probãdum genus, de quo non solùm dubitatur an sit genus, sed etiã an vllo modo attribuatur speciei. Hic non sufficit probare aliquod ex superioribus generibus attribui speciei in quæstione quid est:sed præterea probãdum est, speciem non esse alius generis sub eo remoto genere contenti participem, quàm eius quod in problemate positum est. Rem Philosophus explicat exemplo,cùm ait, *ve luti si quis tradiderit.* Sit hoc problema, Latio est genus incessus. volo vti argumento à genere lationis , id est, à motione. Si igitur dicam , Incessus est species mo-

tionis, ergo est species lationis, malè argumentabor à genere ad speciem affirmatiue: ac si dicerem, est animal, ergò est homo. Oportet igitur sic argumentari: Incessus est species motionis, nempe species remota: atqui species proximæ sunt, generatio, corruptio, auctio, deminutio, variatio, & latio: incessus autem nec est species generationis, nec corruptionis, nec auctionis, nec deminutionis, neq; variationis: ergo à sufficiēti (vt vulgò loquūtur) specierū enumeratione, est species lationis. Axioma hîc est, Quod alicuius generis est species remota, etiam alicuius proximæ eiusdem generis speciei species erit.

3 *Rursus in quibus.* Duodecimus locus, huius capitis tertius, sumitur à superiori genere & inferioribus speciebus. Superiora genera intellige, quorū species est attributum problematis. inferiores autem species intellige, quæ collocātur sub subiecto problematis. Quoniā autē genus & in quæstione quid est & synonymως attribui debet: idcirco duo sunt hîc axiomata. Primum axioma est: Si primum est genus secundi: necesse est, vt ipsum primum, & omnia eius genera attribuantur speciebus secundi in quæstione quid est. veluti si viuēs est genus animalis: necesse est, corpus & substātiam attribui homini, equo, leoni, in quęstione quid est. Hunc locum Aristoteles explicans, Primò tradit commune pręceptū, vt ad hunc locum respiciamus, siue confirmare, siue refellere velimus. Secundò cùm ait, *si cubi enim discrepat*, docet huius loci vsum ad genus euertendum. veluti si sciētia est genus virtutis: nō solùm scientia, sed etiā eius genus, id est habitus intellectiuus, fortitudini & tēperantiæ, quæ sunt species virtutis, attribuitur in quæstione quid est: atqui hoc est falsum: ergo & illud. Tertiò cùm ait *confirmantis autem*, docet, quatenus idem locus valeat ad genus confirmandum, adiectâ scilicet aliquâ aliâ probatione. nam ex eo, quòd primum & secundum attribuuntur speciebus secundi in quęstione quid est, non probatur præcise primum esse genus secundi: sed tantùm colligi potest primum & secundum esse subalterna: adeo vt vel primum sit genus secundi, vel secundū primi. ergo probandum est, secundum non esse genus primi: tunc rectè colligetur, primum esse genus secundi. ad hoc commodè sunt duo syllogismi hypothetici, alter conditionalis, alter disiunctus: quorum hic est syllogismus principalis, ille est prosyllogismus. Exempli gratiâ, vt probem viuēs esse genus animalis, sic arguo: Aut viuēs est genus animalis, aut animal est genus viuētis: sed animal non est genus viuentis: ergo viuens est genus animalis. Minor patet. Maiorem probo: quia viuēs & animal sunt genera subalterna: necesse igitur est, vt alterū sit genus, alterum species. Quòd autē sint subalterna, sic ostēdo: Si viuens & corpus & alia superiora genera attribuuntur homini, equo, leoni, & ceteris animalis speciebus, in quæstione quid est: certe viuēs & animal sūt genera subalterna: (hoc enim est huius loci axioma) atqui verum prius: ergo & posterius. Ait, *vt & genus*, id est, attributum problematis, quod positum est tāquàm genus: vt viuens in exēplo suprà dato, in quo hæc erat thesis, viuens esse genus animalis. Ait, *& species*, id est, subiectū problematis, quod scilicet in problemate positum est, vt in eodem exemplo animal. Ait *eidem*, id est, speciei contentę sub sub. ecto problematis: vt homini, equo, leoni. Ait, *idē*; vt homo, aut equus, aut leo. Ait, *sub duobus generibus*, id est, sub viuente, & sub animali. Ait, *genera sint subalterna*: videlicet viuens, & animal. Ait [*id*] hoc est, viuens. Ait, *volumus genus constituere*. subaudi animalis, vt maneamus in eodem exemplo. Ait, *non esse sub specie*, id est, non esse speciem animalis. Animal voco speciem: quia positum fuit in problemate vt species viuentis. Ait, *speciem*, id est, animal. Ait, *sub ipso esse*, id est, esse sub viuente, quasi dicat, esse speciem viuentis. Ait, *hoc esse genus*, id est, viuens esse genus animalis.

4 *Considerare etiam.* Hactenus exposuit prius axioma: sequitur posterius, Si primum est genus secundi; omnes superiorum generum definitiones attribuēntur secūdo, & secundi speciebus, in quęstione quid est. Potest & ita concipi: Si primum est genus secundi; nō solum primum, sed etiā omnia primi genera, secundo & secundi speciebus attribuūtur in quæstione quid est. Aristoteles docet hoc axioma valere ad refellendum. veluti, Si scientia est genus virtutis: tā scientia, quàm habitus intellectiuus, attribuuntur virtuti, & fortitudini, & tēperantiæ, in quæstione quid est: atqui falsum est posterius: ergo & prius. Porrò hoc axioma non valet ad probandum genus: quia non quicquid synonymως attribuitur, est gen⁹, cùm etiam differentia & species infima synonymως attribuantur, vt didicimus ex cap. 5. Categor. part. 15.

5 *Rursus animaduertendum.* Decimus tertius locus, huius capitis quartus, ducitur à genere, differentia, & specie; cùm scilicet vnum ex his pro alio accipitur. Hîc sunt

sunt sex axiomata; per quæ refelluntur totidem contraria problemata. Primum axioma est, Differentia non est genus. Hoc axioma, & eius vsus ab Aristotele declaratur exemplo, & probatur ratione. Sit problema, (exempli gratiâ) Immortale est genus angeli. Refelli potest hoc modo: Nulla differentia est genus: immortale autem est differentia: ergo immortale non est genus angeli. Minor probatur: quia diuiditur animal per has differentias, mortale & immortale. Maior, id est, huius loci axioma, distinguens inter genus & differentiam, ex eo probatur, quòd genus attribuitur in quæstione quid est, differentia verò in quæstione quale quid est. Sed intellige qualitatem essentialem, vt differentia secernatur ab accidentibus. nam differentia rationem habet formæ, vt genus habet rationem materiæ; quemadmodum Porphyrius docuit cap. 3. partic. 17.

6 [*Sed*] & [*illud.*] Sequitur secundum axioma, Differentia non est in genere. vel, Differentia non est particeps generis. Aristoteles proponit exẽplum imparis, quod est differentia, non species numeri. Adiungit etiam rationem, qua axioma confirmatur. quicquid enim est generis particeps, id vel est species, vel indiuiduũ: sed differentia nec est species, nec indiuiduũ: ergo differentia non est generis particeps. Hinc est, quòd Aristot. in lib. Categoriar. nõ collocauit differentiam in categoria substantiæ. Coniunge lib. 6. cap. 6. part. 14.

7 *Præterea* [*videndum*] Tertium axioma est, Genus nõ est in specie, id est, nõ subiicitur speciei quasi illius species. Aristoteles in contextu ponit præceptum, & tria problematum exempla, quæ per hunc locum refelluntur. Horum secundum sumitur ex Platone, ne quis putet adeo crassum esse errorem, vt nemo vnquam sit collocaturus genus sub specie.

8 *Rursus* [*videndum.*] Quartum axioma est, Differentia non est sub specie. vel, Differentia non est particeps speciei, quam constituit. Habes in cõtextu præceptum: & ibi, *velut immortale*, exemplum problematis, quod hinc refellitur. Deinde ibi, *accidet enim*, rationem axioma confirmantem. quod enim est sub specie, angustiùs patet, quàm species: differentia verò non est angustior, quàm species: ergò non collocatur sub specie.

9 *Præterea an genus.* Quintum axioma est. Genus non est sub differẽtia. Habes in contextu præceptum, & duo problema tum per hoc axioma refutãdorũ exempla.

10 *Et an genus.* Sextum axioma est, Genus non est differentia. Primò Aristoteles dat præceptum. Secundò cum ait, *fieri enim potest*, adiungit duo exempla. Tertiò cùm ait, *Considerandæ*, ostẽdit, axiomã quintum & sextum niti duobus communibus fundamentis: quorum alterum est, genus dici de pluribus quàm differentiam: alterum est, genus non esse partic[illegible]m differentiæ. hæc enim duo fundam[illegible] euertũtur: siue genus collocetur sub differentia, veluti si quis dicat animal esse rationale: siue genus accipiatur pro differentia, veluti si quis dicat animal & Deum esse differentias rationalis. Ait, *quæcunque sunt eiusmodi*, id est, quæ pertinẽt ad quintum & sextum axioma. Ait, [*in superioribus exemplis*] traditis in duabus proximis particulis. Ait, *de paucioribus dicetur*. subaudi, genus quàm differentia.

11 *Item si nulla.* Decimus quartus locus, huius capitis quintus, sumitur à negatione differentiarum. Aristoteles in contextu ponit axioma & exemplum.

12 *Præterea si species.* Decimus quintus locus, huius capitis sextus, sumitur à naturæ ordine. Axioma est in cõtextu. Quod est natura posterius, nõ potest esse genus ei⁹ quod est naturâ prius: quoniã sublato genere tollitur species, nõ contrà. vt putà nõ potest esse homo, quin sit animal: sed potest esse animal absque homine: homo igitur animalis genus esse nequit.

13 *Præterea si accidit.* Decimus sextus locus, huiuscapitis septimus, à separatione ducitur. Axioma est. Quod potest à re separari & abesse, nõ potest esse eius rei genus, aut constitutiua differentia. Habes axioma, & exemplum in contextu.

IN CAP. III. DE VARIIS LOCIS.

HOc caput cõtinet quinque locos, quos sigillatim cum Aristotele enarrabo.

1 *Considerare etiam.* Decimus septimus locus, huius capitis primus, ab eo quod species participat, est bipertit⁹. Prima pars est, cùm species participat aliquid generi contrarium. Huius partis axioma est, Si duo sint contraria: quod vnius contrarij particeps est, aut particeps esse potest, alterius species esse non potest. Hoc axioma probatur: quia species generis est particeps: idem autem contrariorum particeps esse

nequit. Sic (exempli gratiâ) probari potest τὸ αὐτοκίνητον non esse genus animæ: quoniam anima potest ab alio moueri.

2 *Præterea* [*videndum.*] Secunda huius loci pars est, cùm species aliquid participat, quod nulli propositi generis speciei cõmunicari potest. Axioma hîc est. Quod participat rẽ nulli generis speciei cõmunicabilem, non est illius generis species. Exemplum habes in contextu. nam vita communicatur animæ: non communicatur autem vlli speciei numeri, quia anima non est species numeri.

3 *Considerandum etiam.* Decimus octauus locus, huius capitis secũdus, ducitur ab homonymia. Aristoteles in contextu, primò ponit præceptum, vt videamus, an ea sint homonyma, quæ in problemate sunt posita. Secundò cùm ait, *vtendo elementis,* declarat vnde possimus cognoscere an sint homonyma, nempe ex locis expositis lib. 1. cap. 15. Tertiò cùm ait, *quoniam genus*, adiungit huius loci axioma, Genus & species sunt synonyma, nõ homonyma: quæ igitur sunt homonyma, nõ sunt genus & species, licet vt genus & species ponantur in thesi.

4 *Cum autem omnis.* Decimus nonus locus, huius capitis tertius, est ab vnitate speciei. Axioma est, Cuiusuis generis sunt plures species. vel, Quod non continet plures species, non est genus. Veritas huius axiomatis patet ex ipsa generis definitione, & ex eo quòd omne genus diuiditur per oppositas differentias specificas. Hinc probari potest, animal rationale non esse genus hominis: nisi quis ponat etiam aliam eius speciem, vt Deum, vel angelum.

5 *Considerare etiam.* Vigesimus locus. huius capitis quartus, à metaphora seu trãslatione sumitur. In contextu habes præceptum. Deinde ibi, *quale* [*est,*] exemplum, in quo continetur axioma. nam (exempli gratiâ) proponitur problema, & aduersus id syllogismus in secunda figura extructus, cuius maior propositio est huius loci axioma. Problema est, temperantiam esse speciem concentus. Ἀντικείμενα seu opposita argumẽtatio est, Omne genus speciebus propriè attribuitur: atqui concentus temperãtiæ non propriè, sed metaphoricè attribuitur. supple conclusionem, ergo concentus non est temperantiæ genus. Minor propositio probatur ab Aristotele: quia omnis cõcentus propriè dictus, in sonis cernitur; tẽperantia autem in sonis non spectatur.

6 *Primùm considerandum.* Vigesimus primus locus, hui⁹ capitis quintus, à cõtrariis, & contrariorũ mediis, in multas partes tribuitur: & partim ad infirmandum, partim ad confirmandum valet, vt in sequentibus particulis explicabitur.

7 *Primùm* [*videndum.*] Problema generis per hunc locum infirmatur septem modis. Primò si generi nihil sit contrarium, & contraria species non sit in eodem genere. Verbi gratiâ, animali nihil est contrarium: album autem & nigrum sunt contraria: quoniam igitur nigrum non est species animalis, certe nec album est species animalis. Secundò si sit aliquid generi contrarium, & contraria species nõ sit in contrario generi. Exempli causâ, quoniam tẽperantia non est species scientiæ, intemperantia non est species inscitiæ. Quod attinet ad seriem contextus, Primo Aristoteles dat præceptum pertinẽs ad genus cui nihil est contrarium. Secundò cùm ait, *oportet enim*, præceptum illud confirmat hôc axiomate, Contraria sunt in eodem genere, si nihil generi sit contrarium. sic albor, & nigror sunt species coloris. Tertiò cùm ait, *At si aliquid*, affert alterũ præceptũ, quod spectat ad genus, cui aliquid est contrariũ. Quartò cùm ait, *necesse* [*est*] *enim*, præceptum confirmat hôc axiomate, Contrariæ species sunt in cõtrariis generibus. vt iustitia est species virtutis, & iniustitia est species vitij. Quintò cùm ait, *Horum autem*, dicta axiomata probat inductione.

8 *Rursus* [*videndum.*] Tertiò refellitur genus, si speciei cõtrarium in nullo genere sit. Axioma hîc est, id non est species, cuius contrarium nullo genere cõtinetur. Veluti quia malum non est species, sed tantùm genus: etiam bonum est tãtum genus, non species. Hoc & superioris particulæ axioma ita cõiunguntur Categ. cap. 11. part. vlt. Contraria vel sunt in eodẽ genere, vel sunt in contrariis generibus, vel sunt contraria genera.

9 *Præterea* [*videndum.*] Quartò refellitur genus, si contrariis generibus sit aliquid interiectum, non item cõtrariis speciebus: vel contrà, sit aliquid contrariis speciebus interiectum, non etiam contrariis generibus. Primò Aristoteles tradit præceptum bipertitum. Secundò cùm ait, *nam si generibus*, rationem præcepti affert, id confirmans duplici axiomate, id est, Si quid est contrariis generibus interiectum, est etiam aliquid speciebus quę sub illis generibus continẽtur, interiectum, & contrà, Si quid speciebus est interiectum, etiam generibus est aliquid interiectum. Tertiò cùm ait, *quemadmodũ in virtute*, dicta axiomata declarat exemplo: quia virtus & vitiũ sunt

contraria

contraria genera. iustitia verò & iniustitia sunt contrariæ species sub illis generibus contentæ: & tam his speciebus, quàm illis generibus est aliquid interiectum; nempe medium per negationẽ extremorum, quod reperitur in infantibus, qui nec sunt iusti nec iniusti, & nec virtute nec vitio prędit. Quartò cùm ait, *Huic obiicitur*, ostendit axioma proxime expositum nõ carere exceptione, afferens *exem* in sanitate & morbo, quæ medio caret, cũ eorũ generibus, id est, bono & malo sit aliquid interiectum, quod scilicet nec bonum est, nec malum: Medici tamẽ cum Galeno inter sanitatem & morbum, seu inter sanũ & ęgrotum constituunt statum quendam medium, quem neutrum appellant, vt & ad parti. 8. cap. 10. Categor. notaui. Ergo secundum horum sententiam *exem* locum non habet.

10 *Præterea [videndum.]* Quintò genus refellitur si aliter sit medium generibus, aliter speciebus interiectum, id est, alteris secundum affirmationem, alteris secundum negationem. De his duobus mediorum generibus quæ sunt contrariis interiecta, vide cap. 8. Categoriar. Quod ad seriem contextus spectat, Primò Aristoteles præceptum tradit. Secundò cùm ait, *probabile enim*, datum præceptum cõfirmat hoc axiomate. Generibus contrariis, & eorum generum speciebus cõtrariis, medium similiter est interiectum, si quod est medium, id est, vtrobique secundum affirmationem, vel vtrobique secundum negationem. Tertiò cùm ait, *quemadmodum in virtute*, dictum axioma declarat exemplo boni &c. quod exemplum exposui ad partic. præcedentem.

11. *Præterea quando*. Sextò genus refellitur, si cùm generi nihil cõtrarium sit, medium speciei & eius cõtrario interiectum, non sit in eodem genere. veluti cùm animali nihil sit contrarium, albo autẽ & nigro rubrum sit interiectum: certè si rubrũ non est species animalis, fatendum est etiã album non esse speciem animalis. Primò Aristoteles præcipit, vt, cùm nihil est generi cõtrarium, videamus, an non solùm contrarium speciei, sed etiam medium contrariis speciebus interiectum, in eodẽ genere sit. Secundò cùm ait, *in quo enim*, dicti præcepti rationem affert allato axiomate: In quo genere sunt extrema, in eodem sunt etiam media. Tertiò cùm ait, *vt in albo*, illud axioma declarat exemplo coloris, quod est genus non solùm alboris & nigroris, sed etiam mediorum colorum. Quartò cùm ait, *obiectio [est,]* aduersus idem axioma affert obiectionẽ seu exceptionem: quia nimium & parum sunt in genere mali: medium autem, id est, mediocritas, non in mali sed in boni genere ponitur. Hæc exceptio tantùm est probabilis, revera nõ pertinet ad nostrum axioma, in quo supponimus nihil generi esse cõtrarium, cum huic generi, id est, malo, sit aliquid contrarium, nempe bonum.

12 *Considerare etiam*. Septimò refellitur genus, si generi aliquid, speciei verò nihil sit contrariũ, vt albo contrarium est nigrũ, animali autem nihil est cõtrarium. ergo animal non est species albi. Primò Aristoteles præcipit, vt videamus, an genus sit alicui rei contrarium, species verò nulli rei sit contraria. Secundò cùm ait, *nam si genus*, dicti præcepti rationem affert, allato axiomate, Si genus habet cõtrarium, etiam species contrarium habet. Tertiò cùm ait, *quemadmodum virtus*, inductione dictũ axioma cõfirmat. Quartò cùm ait, *obiectio [est,]* cõtra idem axioma obiicit exemplum morbi, cui contraria est sanitas, cùm specialibus morbis nihil sit contrarium. morbus igitur à dicta regula excipitur.

13 *At et quidem*. Epilogo concludit præcepta pertinentia ad refellendum genus; præcepta inquam loci vigesimi primi, in quo nunc versamur.

14 *Et verò*. Transit ad explicandum quomodo idẽ locus vigesimus primus valeat ad cõfirmandũ genus: & ait tribus modis hoc cõtingere, qui deinceps exponẽtur.

15 *Primùm quidem*. Primò genus confirmatur; si nihil sit generi contrarium; id autem quod est speciei contrarium, sit in eodem genere. Exẽpli gratiã, colori nihil est contrarium, & albor est species coloris, ergo etiã nigror est coloris species. Primò Philosophus dat præceptum. Secũdò cùm ait, *si enim contrarium*, adiungit axioma.

16 *Præterea an medium*. Secundò confirmatur genus, si mediũ speciebus interiectũ, in eo genere sit. veluti si viride est species coloris, etiam album & nigrum est species coloris. Primò in contextu est pręceptum. Secũdò ibi, *in quo enim*, subnectitur axioma, Cùm medium est in aliquo genere, etiã extrema sunt in eodẽ genere. Intellige hoc axioma in iis generibus, quę contrariũ non habẽt: alioquin medium potest esse in vno genere, & contraria in contrario genere: vt mediocritas est bonũ, nimiũ verò & parũ sunt mala. Ait, *mediũ*, id est, quod speciei in problemate propositæ & speciei contrarię est interiectũ. Ait, *in dicto genere*, i. in quo speciem collocauit aduersarius, qui thesim

proposuit: in genere (inquam) quod cōtrario vacat, vt antea vocauit.


17 *Rursus si quid.* Tertiò cōfirmatur genus, si sit aliquid generi contrariū, & in eo cōtrario genere sit species cōtraria. vt putà virtus & vitiū sunt cōtraria genera, iustitia verò & iniustitia sunt cōtrariæ species. quoniam igitur iustitia est species virtutis, necesse est iniustitiam esse speciem vitij. Ait, *an etiam contrariū*, id est, quod speciei est contrariū. Ait, *in contrario*, subaudi genere. i. in eo quod cōtrariū est generi in thesi posito.

IN CAP. IV. QVO SVBIICIVNTVR ALII DIVERSI LOCI.

HOc capite traduntur quinque loci; nēpe à coniugatis & casibus, à proportione, à priuātibus, à negātibus, & à relatis.

1 *Item in casibus.* Vigesimus secūdus locus, huius capitis primus, à cōiugatis & casibus, explicatur precepto, axiomate, & exēplo. Primò in contextu ponitur præceptū cōmune confirmanti & refellenti, vt respiciamus ad coniugata & casus. Deinde ibi, *si mul enim*, adiungitur axioma, nempe Coniugatorum genera sunt coniugata. Coniugatorū autē appellatione cōtinētur etiam casus, vt suprà notaui. Tandē ibi, *veluti si iustitia*, subijcitur exemplum perspicuum.

2 *Itē[cōsiderādū.]* Vigesimus tertius locus, huius capitis secūdus, à proportione sumitur, cui⁹ axioma ita cōcipi potest. Cum in quatuor terminis est proportio (.i. cū eadē est ratio primi ad secundum, & tertij ad quartū) si cōstet primū esse genus tertij, fatendum est etiā secūdum esse genus quarti. Hęc aūt vocatur cōmutata proportio, vt exposui ad lib. 1. Poster. c. 5. part. 4. Hunc locū Aristoteles declarās, Primò proponit pręceptū, vt respiciamus ad ea quæ sūt inter se similiter affecta. i. quorū ratio similis est. nā proportio est rationis similitudo. Secūdò cū ait, *veluti iucundū*, hunc locū illustrat exēplo efficientiū & effectorum: quia si efficiēs est genus efficientis, etiā effectū est gen⁹ effecti, veluti si bonū est genus voluptatis, etiā iucundum est genus vtilis. vt. n. iucundum est causa voluptatis, ita vtile est causa boni. Proportio apparet in sequenti diagrāmate.



Sicut primum est causa secundi, ita tertiū est causa quarti: & sicut primum est genus tertij, ita secundum est genus quarti. Ait, *vtrumque vtrumque[est]effectiuū*, id est, iucūdum efficit voluptatē, & vtile efficit bonū. Ait, *est id quod bonū*, id est, species boni. Ait, *id quod vtile*, id est, species ipsius vtilis. Ait: *esse boni efficiens*, id est, iucundum esse causam efficientem boni. Ait, *voluptas*, subaudi, quæ à iucundo efficitur.


3 *Itidem [fit.]* Idem argumentum, quo vsus est in efficientibus & effectis, nunc accommodat generationibus & corruptionibus. Hic igitur sunt quatuor exempla. Primum: Eadem ratio est inter ædificare & ædificasse, quæ est inter agere & egisse. quare si τὸ ædificare, est species τοῦ agere: etiam τὸ ædificasse, est species τοῦ egisse. Secundū exemplum. Eadem ratio est inter discere & didicisse, quæ est inter recordari & recordatum esse. si igitur τὸ dicere, est species τοῦ recordari: etiam τὸ didicisse, erit species τοῦ recordatum esse. Tertium: Eadem est ratio inter dissolui & dissolutum esse, quæ inter corrūpi & corruptum esse. ergo si dissolui, est species τοῦ corrūpi: etiam dissolutum esse, erit species τοῦ corruptū esse. Quartum. Eadem est ratio inter dissolui & dissolutionem, quæ inter corrūpi & corruptionem. si igitur dissolui, est species τοῦ corrumpi, dissolutio quoque est species corruptionis.

4 *Itidem etiam.* Ostendit eundē locum similiter obtinere in iis quæ gignendi vel corrumpēdi vim habent, in facultatibus, & generaliter in iis omnibus, in quibus est aliqua analogia seu proportio. Addit etiam, hunc locum tam ad confirmandum, quām ad refellendum valere: quia cùm vtrobique sit eadem ratio, (alioqui non esset proportio) certe vtrobique est vel nō est genus & species. Ait, *similitudinem*, id est, proportionē. nam proportio definitur rationum similitudo. ratio autē est relatio inter duos terminos.


5 *Si verò id.* Vigesimus quartus locus, huius capitis tertius, à priuantibus, & ad refellendum & ad confirmandū valet. Primò Aristoteles inquit hunc locum bifariam valere ad problema infirmandū. Secūdo cùm ait, *primū quidem*, affert primū axioma, quod valet ad infirmandū, & ita cōcipitur: Si duorū, quę vt habitus & priuatio opponūtur, alterū sit in aliquo vt in genere proximo: alterum in eodē genere nō erit. vel ita, Habitus & priuatio non sunt in eodem genere proximo. Tertiò cùm ait, *vt putà si aspectus*, illustrat hunc locum exemplo.

Sit

Sit enim (exempli causâ) hæc thesis, cæcitatem esse sensum. eâ infirmare possumus ex eo quòd sensus est genus proximum affectus: ergo non potest esse genus cæcitatis, quæ est priuatio aspectus. Quarto cum ait, *deinde si & generi*, adiungit alterum axioma: Cùm quatuor sunt termini, quorum secundum primo, & quartũ tertio opponitur vt priuatio: si quartũ non est species secundi, nec tertium erit species primi. Hinc probari potest scientiam non esse sensum, quia ignorantia non est priuatio sensus. Aspice sequens diagramma.



Quintò cùm ait, *ac is quidem*, concludit, ad refellendum genus ita esse vtendum hoc loco, vt expositum fuit, id est, adhiberi posse duo illa exposita axiomata, vel eorum alterutrum. Sextò cùm ait, *qui verò confirmat*, docet huius loci vsum in problemate confirmando: ac tradit axioma: Cùm sunt quatuor termini, quorum secundum primo, quartum tertio opponitur vt priuatio habitui: si quartum est species secundi, etiam tertium est species primi. Septimò cùm ait, *veluti si cæcitas*, adiungit exemplũ. Nam si cæcitas est species ἀναισθησίας, aspectus est species sensus. Vide sequens diagramma.



9 *Rursus negationes*. Vigesimus quintus locus, huius capitis quartus, à negantibus, continet duo axiomata: quorum altero genus refellitur, altero confirmatur. Hunc locum Aristoteles explicans, primò proponit generale præceptum, vt respiciamus ad negationes. Ait, *dicebatur*, lib. 2. cap. 8. Secundò cùm ait, *vt si quod est*, tradit exemplum axiomatis, quo genus refellitur, arguendo ab affirmatione ad negationem inuersam. Axioma est: Si primum est species secundi, negatio secundi non est species primi. veluti si iucundũ est species boni: certe quod non est bonum, non est species iucundi: quia si esset species iucundi, esset species boni: hoc autem est impossibile, vt non bonum sit species boni. Tertiò cùm ait, *Et si quis confirmet*, ponit præceptũ pertinẽs ad genus confirmandũ. Quartò cùm ait, *si enim quod non est bonum*, declarat idem præceptum exemplo axiomatis, quo genus confirmatur, arguendo à negatione ad affirmationem inuersam. Axioma est: Si negatio primi non subiicitur secundo, secundum est species primi. veluti si quod non est bonum, non est iucundum: certè iucundum est species boni. Aliud exemplum: Si id quod non est animal, non est homo: certè homo est species animalis.

7 *Quòd si species*. Vigesimus sextus locus, huius capitis quintus, à relatis, multis partibus constat, quia continet multa axiomata, quæ omnia ad refellẽdum genus valent, siue affirmatiue siue negatiue sint concepta. nam affirmantium vsus est in Cãestres, vel syllogismo hypothetico arguente ab euersione consequentis ad euersionẽ antecedẽtis. ex negantibus autem axiomatis arguendum est in Celarent, aut syllogismo hypothetico à positione antecedentis ad positionem consequentis negati. In prima huius loci parte explicanda, Aristoteles primò proponit præceptum. Secundò cùm ait, *nam si species*, adiũgit axioma, quo arguitur à specie ad genus: Si species est ad aliquid, etiam genus, est ad aliquid. Tertiò cùm ait, *vt in duplo*, datum præceptum & axioma illustrat exemplo. Quartò cùm ait, *si verò genus*, ostendit vicissim non valere argumẽtum à genere ad speciem. Hic axioma est: Si genus refertur ad aliquid, etiã species refertur ad aliquid. quod quidem axioma verissimum est in relatis secundum esse, quę sunt verè relata, vt ostensum fuit cap. 7. Categor. Sed quia hic dialectice & probabiliter singula considerantur, Aristoteles relata latiùs accipiens, vt complectatur etiam relata secundum dici, reprobat hoc axioma, obiiciens exemplum

ſcientiæ & grammaticæ. nam ſcientia refertur ad ſcibile; grammatica verò ad aliud non refertur. Intellige ſcientiam referri verbotenus, & (vt loquimur in ſcholis) ſecundum dici, non ſecundum eſſe. Vide cap. 8. Categor. part. pen. Quintò cùm ait, *An nec id*, obiicit contra primum axioma: quia ſpecies, id eſt, virtus refertur ad aliquid, id eſt, ad eum qui virtute præditus eſt: genus autem virtutis, id eſt, bonum & honeſtum, non refertur ad aliud, ſed eſt in categoria qualitatis. Hic quoque intellige virtute referri ſecundum dici. nam reuera eſt in categoria qualitatis, nõ relationis. Ait, *id quod bonum* id eſt, ſpecies boni.

8 *Rurſus [videndum.]* Sequitur ſecunda pars eiuſdem loci. Primò Ariſtoteles dat præceptum, ex quo colligitur hoc axioma: Species ad idẽ refertur & per ſe, & ratione generis. Secundò cùm ait, *veluti ſi duplum*, explicat dictum præceptum exemplo. Nam multiplum eſt genus dupli. itaque duplum dicitur & dimidii duplum, & eiuſdem dimidii multiplum.

9 *Præterea an non idem.* Sequitur tertia pars. Primò dat præceptum, ex quo colligitur hoc axioma, Species ad idem refertur & per ſe, & ratione ſuperiorum generum. Differt hoc axioma à præcedenti; quoniam in eo tantùm fiebat mentio proximi generis. Secundò cùm ait, *nam ſi duplum*, declarat dictũ præceptum exemplo. Tertiò cùm ait, *Obiicitur quod*, enſtaſi allatá oſtendit duo proximè expoſita axiomata nõ carere exceptione. nã ſciẽtia quæ eſt ſpecies habitus, per ſe refertur ad ſcibile, quia ſcientia dicitur eſſe rei ſcibilis: ratione autẽ generis nõ refertur ad ſcibile, ſed ad ſcientẽ, quia ſcientia non dicitur eſſe habitus rei ſcibilis, ſed habitus animi ſcientis.

10 *Item an eodem.* Sequitur quarta pars. Primò dat præceptum. Secundò cùm ait, *vt enim ſpecies*, adiungit axioma, Genus & ſpecies in eodem caſu referuntur. Poteſt etiam ita concipi, Quæ non referuntur in eodem caſu, non poſſunt inter ſe eſſe affecta vt genus & ſpecies. Tertiò cùm ait, *vt [fit] in duplo*, datum præceptum & axioma illuſtrat exemplis. Quartò cùm ait, *obiicitur quòd*, allatá inſtantiá oſtendit dictum axioma non carere exceptione. Nam diuerſum eſt genus Præſtantis & Contrarii: ac Diuerſum apud Græcos in patrio caſu, apud Latinos in auferendi caſu refertur: Præſtans autem & Cõtrarium in dandi caſu referuntur. dicimus enim diuerſum ab illo, præſtantẽ illi, contrariũ illi. ergo in alio caſu genus, in alio ſpecies refertur.

11 *Item [videndum.]* Sequitur quinta pars. Primò dat præceptum. Secundò cùm ait, *vt [fit] in duplo*, id declarat exemplis. Tertiò cùm ait, *ſi igitur*, colligit axioma, Quæ non ſimiliter reciprocantur, non ſunt genus & ſpecies. Similiter reciprocari intellige, cùm non ſolum genus & ſpecies, ſed etiã ea, ad quæ genus & ſpecies referuntur, in eodẽ caſu reciprocantur. Exẽpli gratiá, duplũ eſt ſpecies multipli, & vtrumque refertur in genitiuo caſu. Sed & ea, ad quæ hæc referuntur, ſimiliter referũtur in genitiuo. dicimus enim duplũ eſſe dimidii duplum, & dimidium eſſe dupli dimidium. item multiplum eſſe ſubmultipli multiplum, & ſubmultiplum eſſe multipli ſubmultiplum.

12 *Item [videndum.]* Sequitur ſexta pars. Primò affert præceptum. Secundò adnectit axioma, Quæ non ad totidem referuntur, nõ ſunt genus & ſpecies. Obſerua quędam referri ad vnum, vt duplum refertur tantùm ad dimidiũ; quædam verò ad plura, vt excellens ad id quod excellitur, & ad id quod excellit. Vult igitur Ariſtoteles genus & ſpeciem ad totidem ſimiliter referri. Veluti ſi ſpecies ad duo refertur, etiam genus ad duo referri debet. & ſi ſpecies ad alterum refertur in genitiuo, ad alterum in datiuo caſu: etiam genus in iiſdem caſibus referri debet. Tertiò cùm ait, *vt [fit] in donatione*, adiungit exemplum, quo dictum præceptum & axioma illuſtrat. Quartò cùm ait, *quædam autem*, contra axioma obiicit exemplum, quo oſtendit axioma illud non carere omni exceptione. Ait, *quocirca*. Vtitur Ariſtoteles ſyllogiſmo disiuncto, cuius ſolam maiorem propoſitionem exprimit. Aut enim exuperans ſiue excellens, non eſt genus dupli; aut ſeptimum axioma non vacat exceptione, quia ſcilicet in hoc exemplo non obtinet. ſupple, atqui excellens & exuperans eſt genus dupli: ergo ſeptimum axioma patitur exceptionem.

13 *Videre etiam.* Sequitur ſeptima pars. Primò dat præceptum. Secundò cùm ait, *vt ſi multiplum*, affert exemplum. Tertiò cùm ait, *oportet enim*, addit axioma: Oppoſitorum oppoſita ſunt genera. Intellige oppoſita relate. Quartò cùm ait, *ſi quis igitur*, proponit theſim, & contra eam argumentum. Theſis eſt, ſenſum eſſe genus ſcientiæ. Contra hanc theſim ſic argumentatur: Si ſenſus eſt genus ſcientiæ, ſenſibile eſt genus ſcibilis. ſed falſum eſt poſterius: ergo & prius. Conſequentia eſt manifeſta. Falſitas poſterioris ſic probatur.

Non omne scibile est sensibile, quandoquidem etiam intelligibilia sciũtur: ergo scibile non est species sensibilis. Ait, [*ipse*] *id quod sensum*, id est, esse speciem sensus.

14 *Quoniam autem*. Sequitur octaua pars, cuius axioma est, In eodem relatorum genere sunt & genus & species. Primò Aristoteles præmunit, tria esse relatorum genera. aut enim necessariò insunt in iis ad quæ referuntur: vt compositio refertur ad compositum, & necessariò est in ipso composito, nec reperitur extra res compositas. aut non necessariò inest: vt scientia refertur ad scibile, & potest tam esse quàm non esse in re scibili. nam si res scibilis est anima; scientia est in re scibili. si verò sit alia res, vt lapis; scientia non est in re scibili. aut inesse nequeunt in iis ad quæ referuntur: vt contrarium contrario contrarium est; sed nõ potest contrario inesse. cum ergo sint hæc tria relatorũ genera, dicimus & genus & speciẽ reduci debere ad idẽ relatorũ genus. Secundò cùm ait, *considerare igitur*, dat præceptum. Tertiò cùm ait, *cuiusmodi* [*est*,] rem illustrat exemplo, proposita thesi, & contra eam argumentatione. Thesis est, memoriam esse mansionem scientiæ. Argumentatio ducit ab absurdum, quòd memoria sit in scientia: quia genus .i. mansio, est in eo ad quod refertur, nempe in eo quod manet: ergo etiam species mansionis, id est, memoria, debet esse in eo ad quod refertur, nimirum in scientia. Quartò cùm ait, *hic autem locus*, producit hoc axioma ad problema accidentis, in quo similiter vsum habet.

IN CAP. V. QVO EXPLICANTVR ALII diuersi loci.

1 PRaeterea si habitũ. Vigesimus septimus locus, huius capitis primus, à differẽtia habitus & actus. Hic sunt duo axiomata. Primùm, Actus non est genus ipsius habitus. Secundum, Habitus non est genus ipsius actus. Primò Aristoteles ostendit eos peccare, qui contra alterutrum axioma thesim ponunt. Secundò cùm ait, *veluti si*, dat exemplum theseos, quæ impugnatur per primum axioma. Tertiò cùm ait, *item si dixeris*, dat exemplum theseos, quæ impugnatur per alterum axioma.

2 *Peccant etiam*. Vigesimus octauus locus, huius capitis primus, à consequentibus sumitur. Habet autem duo axiomata: quorum alterum explicatur in hac partie. alterum in part. seq. Primum axioma est, Potentia quæ consequitur habitũ, non est genus ipsius habitus. Primò Aristoteles docet eos peccare, qui contra hoc axioma thesim ponunt. Secundò cùm ait, *vt* [*qui dicunt*] dat tria exempla eiusmodi theseon. Primum est, Mansuetudo est continentia iræ. Secundum, Fortitudo est continentia metus. Tertium, Iustitia est continentia lucri. Tertiò cùm ait, *fortis enim*, refutat eiusmodi theses, primam scilicet, & secundam: nã breuitatis causâ omittit tertiam, quæ simili planè modo refutatur. sunt autem hæc exempla ethica, & ex 6. lib. Ethic. debet eorum interpretatio sumi. Sciendũ igitur est, mãsuetudinem, fortitudinem, & iustitiam, esse species virtutis: à virtute autem seiungi continentiam: quoniã vbi virtus est, appetitus non pugnat cum ratione, id est, vir præditus virtute, nihil præter rationem appetit: vbi autem est continentia, ibi appetitus pugnat cum ratione, sed ab ea superatur; quemadmodum in incontinẽte appetitus superat rationẽ: in viro autẽ vitioso & improbo omnino ratio cedit appetitui, & nullo modo cum eo pugnat. Ex his ergo apparet, virũ mansuetũ, nõ esse continentẽ, quia non habet in se pugnã appetitus cũ ratione: habet tamen hanc potẽtiã, vt, si appetit⁹ vellet rationi repugnare, eũ cohiberet: sed nõ propterea est dicendus cõtinens, nec propterea mãsuetudo est cõtinentia: quoniã genus actu debet attribui suis speciebus, non potestate. Eadem est ratio fortitudinis & iustitiæ.

3 *Interdum verò*. Hæc particula pertinet ad alterũ axioma, quod ita concipi potest: Cõsequens quod nõ est semper cũ antecedente, nõ est eius antecedentis genus. Veritas huius axiomatis manifesta est: quoniam species nũquàm reperitur separata à genere. Primò Arist. inquit eos errare, qui aduersus hoc axioma quoduis consequens accipiunt pro genere. Secundò cùm ait, *vt dolorem*, exẽpli causâ proponit duas theses, in quib⁹ dictũ vitiũ reperitur. Vna est, dolorẽ esse genus iræ. Altera, existimationem esse genus fidei. Tertiò cùm ait, *ambo enim*, vtrãq; simul improbat: quia cõsequẽs, quod nõ est genus, sumitur pro genere. Hoc autẽ verum esse, deinceps probat. & Quartò cum ait, *nã qui irascitur*, impugnat primam thesim: quia dolor præcedit, & est causa sequentis irę; genus autem ita speciẽ nõ præcedit. Quintò cùm ait, *secundum hæc*, impugnat secundã thesim, vtens dilemmate: inquit enim: Aut existimatio manet eadẽ, fide sublata: aut non manet eadem, quia necesse est vt existimans habeat fidem. Primum membrum dilemmatis tractatur his verbis, *secundũ hæc*, &c. atque hoc membrũ ab Aristot. magis probatur, tãquàm verũ.

Poteſt enim aliquis,exempli gratiâ,exiſtimare(ſeu ſuſpicari) animam eſſe immortalem,atque etiam hoc ipſum credere.deinde auditis rationibus contrariis,fieri poteſt,vt non ampliùs id firmiter credat vt antea, ſed nihilominùs eandem exiſtimationem habeat. Si igitur hoc membrum dilemmatis accipiamus, id eſt, dicamus exiſtimationem eandem manere fide ſublatâ, exiſtimatio non eſt genus fidei: quoniam exiſtimatio eadem manet ſublatâ fide.genus autem idem non manet ſublatâ ſpecie.vt putà ſi aliquod animal eſt homo, ſi deſinat eſſe homo,non manet idem animal. Sextò cùm ait, *quod ſi quis dixerit*, accedit ad alteram partem dilematis. Si quis ergò poſterius membrum dilemmatis accipiat.i. exiſtimantem neceſſariò credere; atque hæc duo nunquàm ſeparari, exiſtimationem & fidem: adhuc exiſtimatio nō erit genus fidei:quia extra fidem non reperitur:genus autem extra vnám ſpeciem reperitur in alijs ſpeciebus.

4 *Videre etiam.* Vigeſimus nonus locus, huius capitis tertius, à ſubiecto ſumitur. Hunc locum Ariſtoteles declarans, primò proponit præceptū,vt videamus, an in eodem ſubiecto ſint genus & ſpecies. Hic locus pertinet ad ea problemata, in quibus vterque terminus eſt accidens: veluti, albor eſt ſpecies coloris.nã quæ in ſubiecto ſunt, accidentia ſunt. Secundo cùm ait, *in quo enim*, proponit axioma, In eodem ſubiecto ſunt genus & ſpecies accidentis. Tertiò cùm ait, *vt in quo albor*, dictum axioma exemplo illuſtrat. Quartò cùm ait, *ſi quis igitur*,proponit exempli gratiâ duas theſes, quæ ex hoc loco impugnantur. Prima eſt, Verecundiam eſſe ſpeciem metus. quidam enim verecundiam definiunt metum infamię.hęc theſis eſt falſa:quia verecūdia eſt in facultate animæ ratiocinatiua,metus autē eſt in facultatē iraſcibili. Secūda theſis eſt, Iram eſſe ſpeciem doloris hęc etiam theſis eſſe falſa: quia ira eſt in facultate iraſcibili, dolor autem in cōcupiſcibili.Tertiò cùm ait, *ſimiliterque ſi amicitia*, addit tertium exemplum theſis quæ per hunc locum refellitur.Theſis eſt, Amicitiam eſſe ſpeciem voluntatis: quia ſcilicèt bonum amici volumus.hæc theſis eſt falſa:quoniam amicitia eſt in facultate concupiſcibili, voluntas autē eſt in facultate rationali. Quintò cùm ait, *vtilis autē*, producitur hunc locū ad ꝓblema accidentis: quia neceſſe eſt in eodē eſſe accidens,& id cui accidit, vt putā ſi ira accidit facultati iraſcibili, neceſſe eſt & irā & facultatē iraſcibilē eſſe in eadē anima.

5 *Prætereà* [*videndum.*] Trigeſimus locus, huius capitis quartus,ſumitur à cōmunicatione generis:quia ſcilicet genus nō cómunicatur ſpeciei ex parte: ſeu (quod idem valet)ſpecies non eſt particeps generis ex parte.vt homo non eſt ex parte animal,ſed omnino eſt animal.Hunc locū Ariſtot. declarans,primò ponit præceptum. Secundò cùm ait, *quia non videtur*, ſubiicit axioma. Tertiò cùm ait, *non enim homo*.probat hoc axioma per inductionē. Quartò cùm ait, *conſiderare igitur*,repetit præceptū, vt ad iungat exempla theſeon, quæ hinc reprobantur. Sunt autem exempla duo perſpicua: vnum,animal eſſe ſpeciem ſenſibilis: alterum, animal eſſe ſpeciem viſibilis.

6 *Interdū etiam.* Trigeſimus primus locus,huius capitis quintus, à toto & per ſe, cōtinet hoc axioma:Pars non eſt genus totius.Ariſtot.hunc locum declarans,primò inquit eos errare, qui ita genus accipiunt. Secūdò cùm ait, *vt* [*qui dicunt*,] dat exemplū theſeos,quæ hoc vitio laborat. Tertiò cùm ait, *atqui nullo*, ex hoc loco theſim illā impugnat:& probat corpus non eſſe genus animalis:quoniam cũ pars animalis,quęnō poteſt attribui animæ; cùm animal nó iniꝰ vs ex anima,quā ex corpore cōſtet.Quod igitur Porphyrius cap.2.part.24.dixit,corpus eſſe genus animalis, verum non eſt,niſi corpus aliter accipiatur ibi à Porphyrio, quā hic ab Ariſtotele. Nā hîc ſumitur pro parte animalis: ibi verò latius ſumi debet, vt poſſit attribui toti animali, tamquàm genus.

7 *Videre etiam.* Trigeſimus ſecundus locus,huius capitis ſextus,ab eligendis & fugiendis,continet hoc axioma: Id quod fugiendū ſeu vituperandum eſt, non eſt ſpecies facultatis, nec eius quod eſt facultate præditū.Hoc axioma ex eo probatur,quòd omnis facultas eſt laudabilis: quod autē eſt fugiendū vel vituperandum,non poteſt eſſe ſpecies rei laudabilis. Ariſtoteles hunc locū declarans, primò proponit præceptū, vt videamus,an aduerſarius hoc vitiū commiſerit in ponenda theſi. Secundò cùm ait, *quale* [*eſt ſi dixerit*:] ſubiicit tria exempla problematum,in quibus hic error admittitur. Tertiò cùm ait, *nullus enim eorum*, impugnat has theſes ex eo, quòd facultas faciendi hæc attribuitur non tantùm ſophiſtæ,vel calumniatori, vel furi, ſed etiam Deo,& viris bonis. nā & hi poſſunt malè agere,ſed nolunt.Itaque improbi dicūtur, non ex eo quod malè agere poſſunt, ſed ex eo quòd malè agēdi conſilium capiūt. Quod Ariſto.ait de Deo,eū poſſe peccare,ſed nol

le, tantùm dictum est secundū vulgarē opinionem: quoniam hæc opinio apud vulgus est probabilis: dialecticus autem non ta ex veris, quàm ex probabilibus differit. Nec dubito, quin ipse quoque Aristot. aliter senserit. 1. Deum nō posse peccare. Nā &5. Eth. sententiam aliorū Philosoph rū impugnat existimantiū bonos viros posse facile peccare, modò velint. Quartò cùm ait, *præterea omnes*, impugnat easdem theses aliō argumento, in quo apertiùs adhibetur locus qui in præsentia explicatur: quoniā omnis facultas est laudabilis, ideo non potest esse genus rerum vituperabiliū. Quòd autē omnis facultas sit laudabilis, ex eo probat, quod tribuitur etiā Deo, & viro bono. nihil enim Deo tribui potest, quod non sit laudabile: item nihil viro bono, quā bonus est, tribui potest, quod non sit laudabile.

8 [*Videndum*] *etiam*. Trigesimus tertius locus, huius capitis septimus, ab eligendis per se vel propter aliud, cōtinet hoc axioma: Quod est per se honorabile siue eligendum, nō est species facultatis, vel eiusquod facultate præditum est, vel eius quod efficiendi vim habet: quoniā hæc tria .i. facultas &c. non sunt eligenda per se, sed propter aliud. Exēpli gratiā, beatitudo nō est facultas bene viuendi: quia beatitudo expetitur per se; facultas autem propter aliud.

9 *Vel an aliqua*. Trigesimus quartus locus, huius capitis octauus, à numero generū, continet hoc axioma: Quod duobus generibus continetur, nō rectè sub vno genere ponitur. Aristoteles hunc locum declarans, primò proponit præceptū. Secundò cum ait, *quædam enim*, occupat quandā obiectionē, & propositis duobus exemplis ostendit quædā non posse referri ad vnū genus. Tertiò cùm ait, *quamobrem ea*, subiungit axioma, Notādum porrò est, reuera fieri non posse, vt res aliqua contineatur sub duobus generib⁹ nō subalternis. Sed quòd Aristot. hic inquit, sic debet accipi, vt dicamus quędā referri ad duo genera, quatenus referuntur ad vnū quoddā genus nomine vacans, quod ex illis duobus generibus nō subalternis est cōpositū. Quapropter non sufficit vnū ex illis generibus ponere, sed oportet ambo ponere, vt ita circumscribamus illud genus innominatū. Atque ita oportet accipere Aristotelis exempla.

10 *Præterea interdum*. Trigesimus quintus locus, huius capitis nonus, sumitur à genere & differētia. Axioma potest ita concipi; Falsam esse thesim, in qua genus & differētia transponuntur, ita vt differentia sumatur pro genere, & genus pro differentia. Aristoteles hunc locum declarans, primò ponit errorem eorum, qui ita thesim cōcipiunt. Secundò cùm ait, *vt [qui aiunt,]* dat duo exempla .i. duas theses proponit, in quibus hic error cōmittitur. Tertiò cum ait, *nam neque exsuperantia*, impugnat has theses, ostendens id sumi pro genere, quod est differentia: & id sumi pro differentia, quod est genus. Quartò cùm ait, *Præterea si quis*, impugnat easdem theses nouo argumento ducente ab absurditatem. Quintò cùm ait, *præterea accidit*, impugnat easdem theses alio argumento ducente ad eandem absurditatem.

11 *Interdum etiam*. Trigesimus sextus locus, huius capitis decimus, est ab affectione &eo quod affectum est. Axioma ita concipitur: Subiectum nō est genus suę affectionis. Primo Aristoteles proponit errorem eorum, qui subiectum pro genere affectionis sumunt. Secundò cùm ait, *vt quicumque*, dat exemplum theseos, quæ hoc vitio laborat. Tertiò cùm ait, *quoniam in mortalitas*, eandē thesim ex hoc loco impugnat.

12 [*Errant*] *etiam*. In hac particula non affertur nouus locus, sed idem repetitur, vt adiungat noua exempla. Primò igitur repetit, quod dixerat, eos errare qui subiectū accipiunt pro genere suæ affectionis. Secundò cùm ait, *vt ventum*, proponit exempli gratiā hanc thesim, Ventus est aer motus. Tertiò cùm ait, *nam ventus*, impugnat hanc thesim: quia ventus est motio aeris, proinde affectio, non species aëris. Affectionem esse aëris inde probat: quòd aer idem manet, siue moueatur, siue quiescat: quod dici non posset, si ventus esset species aeris: nā species inter se differunt. Sicut enim aliud animal est homo, aliud est equ⁹: ita alius aer esset ventus siue aër motus, alius verò esset aer quiescens. Quartò cùm ait, *similiter [dicendum,]* inquit idem dicendū esse de similibus thesibus, in quibus scilicet subiectum sumitur pro genere affectionis. Quintò cùm ait, *Sed & si concedere*, reuocat in dubium eam thesim de vento: quia non est hic proprius locus quærendi quid sit ventus: & inquit, si quis putet reuera ventū esse aerem motū, eum negaturū ventum esse affectionem aeris: proinde negaturum hoc esse exemplū huic loco accōmodatum: nō propterea tamen negari posse nostrum axioma, quod nihilominus in aliis exemplis locum habebit. Sextò cùm ait, *vt in niue*, adiungit alia duo exēpla: quorū vnum est: Niuem esse aquā cōcretam: alterū, Lutū esse terram humore temperatā. & inquit has theses sine dubio esse falsas;

quia nix non est aqua, & lutum non est terra. Septimo cùm ait, *similiter nec vinum*, adiungit aliud exemplum ex Empedocle, qui dixit vinum esse aquam in ligno putrefacti, male enim accipit aquam pro genere vini, cùm aqua nō sit vinum, quemadmodum lutum non est terra, & nix non est aqua. Ait, σαπὲν ἐν ξύλῳ ὕδωρ. Hæc sunt ipsa verba Empedoclis: ideóque in aliis editionibus male cum præcedentibus & sequentibus verbis iungebantur, quasi essent verba Aristotelis. Ceterùm verba Empedoclis pleniùs referuntur à Plutarcho de causis naturalibus cap. 2.

οἶνος ἀπὸ φλοιοῦ πέλεται σαπὲν ἐν ξύλῳ ὕδωρ.

id est, vinum ex cortice est putrefacta in ligno aqua.

IN CAP. VI. DE ALIIS DIVERSIS LOCIS.


1 PRæterea [*videndum*.] Trigesimus septimus locus, huius capitis primus, ab eo quod communicatur tantùm rebus specie non differentibus. Hic locus probat nullius rei esse genus. quem Aristoteles declarans, primò docet id quod nullius rei est genus, falsò poni in thesi tamquàm certæ rei genus. veluti si ēs nullius rei est genus, falsa erit thesis affirmans substantiam esse speciem entis. Secundò cùm ait, *videndum autem*, proponit præceptum huius loci proprium, ex quo probatur nullius rei esse genus. Axioma ita potest concipi: Quod non communicatur rebus specie differentibus, non est genus. Tertiò cum ait, *vt alba*, confirmat præceptum siue axioma exemplo.

2 *Rursus* [*videndum*.] Proponit locum à transcendente, qui cum superiori coniungi potest: nam transcendentia nullius rei possunt esse genus. Transcendentia dicuntur, quæ decem summis generibus attribuuntur, vt Ens, Vnum, Bonum, & alia eiusmodi. Hic axioma est, Quod omnibus rebus attribuitur, nō est gen⁹. potest & ita cōcipi: Quod est transcendens, nō est genus. Quod attinet ad seriē cōtextus, primò Aristot. proponit præceptū, vt videamus, an aduersarius hūc errorē cōmiserit, id est, acceperit transcēdens pro genere vel differentia. Secundò cùm ait, *multa enim*, proponit duo exempla transcendentium, Ens, & Vnum. Tertiò cùm ait, *si igitur ens*, impugnat thesim, in qua Ens accipitur pro genere: sic enim erit genus etiam Vnius; quia cùm omnibus rebus attribuatur, et á Vni attribuitur. atqui etiam Vnum omnibus rebus attribuitur: ergo tam latè patebit species, id est, Vnum, quàm genus, id est, Ens: quod est absurdum. Quartò cùm ait, *si vero id*, simili argumento probat Ens non esse differentiam, sicut suprà probauit Ens non esse genus.

3 *Praeterea* [*videndum*.] Trigesimus octauus locus, huius capitis tertius, à subiecto, continet hoc axioma: Quod est in subiecto, nō est eius subiecti genus. Primò Aristoteles dat præceptum. Secundò cùm ait, *vt album*, id declarat exēplo albi, quod est in niue, tanquàm in subiecto, nec est genus niuis. Tertiò cum ait, *de subiecto enim*, id probat, quia species respectu generis est subiectum de quo, non in quo.

4 *Considerare*. Trigesimus nonus locus, huius capitis quartus, à non synonymo, continet hoc axioma: Quod non attribuitur synonymꝰs, non est genus. Similis fuit locus decimus octauus suprà, angustior tamen quàm hic. nam ibi dicebamus, Quod est homonymum, non est genus: hic verò dicimus, Quod non est synonymum, non est genus. atqui non synonymum, latiùs patet quàm homonymum: quia continet etiam paronyma, & si quæ sunt aliæ attributiones nec synonymæ, nec homonymæ.

5 *Praeterea* [*peccatur*.] Quadragesimus locus, huius capitis quintus, sumitur à trāsumptione contrariorum. Hic supponimus duo esse genera contraria, vt α & β: item duas species contrarias, vt γ & δ: & supponimus α esse melius quàm β, & γ esse melius quàm δ ideo dicendum esse γ esse speciem τῶ α, & δ esse speciem τῶ β. Proinde peccat, qui in thesi ponit γ esse speciem τῶ β. Hic axioma est, Species melior est collocanda sub meliori genere. Vide sequens diagramma.



6 [*Peccat*] *etiam*. Quadragesimus primus lo-

mus locus, huius capitis sextus, sumitur à comparatione melioris, & deterioris generis. Axioma est: Quod ad duo genera videtur æque referri posse, debet potiùs referri ad melius genus, quàm ad deterius. Primò Aristoteles dat præcept. m. Secundò cùm ait, *vt si [dixeris,]* id declarat exemplo.

7 [*Praeterea*] *ab* [*eo.*] Quadragesimus secundus locus, huius capitis septimus, à comparatione eius quod est magis vel minùs vel æque, prolixe ab Aristot. explicatur. Primùm vsque ad part. 11. quatenus valet ad refellendũ problema: deinde à part. 11. vsque ad 14. quatenus valet ad confirmandũ problema. Huius autem considerationis tres sũt partes. quare in vtraq; parte sunt tres particulæ, quas singillatim exponam. Quod igitur ad refellendum attinet, prima pars continet hoc axioma: Si genus recipit intentionem, necesse est etiam speciem, & quod à specie denominatur, recipere intentionem: alioquin non erit genus. Primò Aristoteles inquit eos peccare, qui contra hoc axioma, thesim ponunt. Secundò cùm ait, *vtputà si virtus*, hunc locum declarat exemplo virtutis. Supponamus enim virtutem dici magis & minùs inesse: cõsequens est, vt etiam iustitia quæ est species virtutis, & iustus qui denominatur à iustitia, dicatur magis & minùs: alij enim sunt iustiores, alij minùs iusti. Tertiò cùm ait, *si igitur*, ponit axioma.

8 *Rursus si is* In secunda parte continetur axioma bipertitũ: Si duorũ alterũ, quod magis vel æque videtur esse genus, non est genus: certe nec alterum est genus. Primò Aristot. ponit hoc axioma. Secundò cùm ait, *vtiles autem*, ostendit in quibus terminis sit locus huic axiomati, nẽpe vbi duo sunt, quæ dicuntur de specie in quæstione quid est, vt non constet vtrum eorum sit genus. Tertio cùm ait, *vtputa ira*, illustrat hunc locum exemplo.

9 *Eadem consideratio.* Tertia pars huius loci arguit à specie ad genus, vt secunda arguebat à genere ad speciem. Ergo hic quoque est axioma bipertitum, nẽpe, Si duorũ alterũ, quod magis, vel quod æque videtur esse species, non est species: certe nec alterum est species.

10 *Qui igitur refellit.* Hæc particula continet breuem epilogum, quo ostenditur hactenus esse consideratũ locũ quadragesimũ tertium, quatenus valet ad refellendum.

11 *Confirmanti autem.* Deinceps vult docere, quatenus hic locus valet ad confirmãdum. & hic quoque considerat easdem tres partes. Sed quod ad primam partem attinet, ostendit eam non valere ad confirmandum. hoc enim axioma est falsum, Si & attributum & subiectum problematis recipiunt intentionem, attributum est genus subiecti: quia (exempli gratiâ) album & pulchrum recipiunt intentionem, neutrum tamen est genus alterius. ergo axioma affirmatiue conceptum ad probandum genus non valet. negatiue autem cõceptum ad refellendum valebat: quia nisi & subiectum & attributũ problematis recipiant magis & minùs, sed alterum recipiat, alterum minime, fieri nequit, vt attributum sit genus subiecti.

12 *Generũ autem.* Transit ad sequentes partes, quæ valent ad confirmandum. & primo generaliter ait, hic nos posse vti mutuà comparatione generum & specierum, id est, posse argumẽtari à genere ad speciẽ, vt fit in secunda parte; vel à specie ad genus, vt fit in tertia parte. Secundo cùm ait, *veluti si æquè*, proponit axioma pertinens ad secundam partem, Si ex duobus quæ æquè videntur genera, vnum est genus, etiã alterum est genus. Tertiò cùm ait, *Item si id*, ponit alterũ axioma eiusdem secundę partis: nempe, Si id quod minùs videtur esse genus, est genus: illud quoque quod magis videtur esse, genus erit. Quartò cùm ait, *veluti si continentia*, dat exemplum secundi axiomatis.

13 *Eadem de specie.* Transgreditur ad tertiam partem, in qua duo sunt similia axiomata, quæ perspicuè proponuntur in contextu.

14 *Praeterea vt cõfirmetur.* Quadragesimus quartus locus, hui' capitis octauus, sumitur ab attributione multis de differẽtibus specie in quæstione quid est. Hinc cõfirmatur genus: quia quod ita attribuitur, genus est. Potest autem hęc confirmatio fieri duobus modis. Primus est ex terminis ipsius problematis, quando problema continet plura subiecta, quæ talia sunt, vt specie differãt, & de ipsis attributum dicatur in quæstione quid est: veluti si quis dicat hominem & equum esse animalia. Alter modus probandi ponitur ibi, *at si vno*: nempe cùm in thesi vnum est subiectum, proinde vna species, ideóque necesse est extrinsecùs assumere aliam speciem, de qua similiter idem genus dicatur; quia genus esse non potest, nisi sint multæ species.

15 *Quoniam autem.* Locus proximè expositus non videtur sufficiẽter probare genus: quia quod dicitur de multis differen-

tibus specie, potest esse vel genus, vel differentia, secundum eos qui censent differentiam attribui in quæstione quid est. nam alii putant attribui in quæstione quale quid est. Vtraque autem sententia est vera, & vtraque Aristotelica, si recte intelligatur. nam differentia significat qualitatem essentialem; proinde quidditatem; quatenus quidditas significat formam rei. nihil enim magis significat quid res sit, quàm propria forma. sed quatenus quæstione quid est, quæritur materia, iam in quæstione quid est, attribuitur genus nõ differentia: quia (vt Porphyrius nos docuit) genus habet ratioñe materiæ; differẽtia verò, formæ. Sed hæc sunt subtiliora, quàm vt debeant à dialectico definiri: & magis declarantur in Methaphysicis. Hic autẽ Aristot. docet, etiãsi quis ponat differentiã attribui in quæstione quid est, quomodo possit separari genus à differentia: & tradit tria discrimina, ex quibus præcedenti loco adiectis ostendemus esse genus, nõ differentiã. Primum discrimẽ ponitur ibi, *primùm quia*: videlicet quòd gen⁹ latiùs patet, quàm differentia, & plures species sub se continet: vt animal continet plures species, quàm rationale. Secundum discrimen ponitur ibi, *deinde quia*: nempe quòd attributio in quæstione quid est, quamuis dicatur conuenire generi & differentiæ, tamen magis conuenit generi, quàm differentiæ. Tertium discrimen ponitur ibi, *& quia differentia*: nempe quia differentia significat qualitatẽ generis, nõ contrà: vt rationale significat quale sit animal; animal autem non significat quale sit rationale.

16 *Quia verò*. Quadragesimus quintus locus, huius capitis decimus, à denominatis, siue (vt scholastici loquũtur) à cõcretis ad abstracta, continet hoc axioma: Abstracti & cõcreti par est ratio. veluti si musicus est sciens, musica est scientia. Hoc loco Aristot. sæpissime vtitur: quia progrediẽdũ est à notioribus; cõcreta autẽ, quia patent sensibus, sunt notiora quàm abstracta. Vt puta videmus res albas, non videmus autẽ alborem per se, sed tantùm mente concipimus.

17 *Præterea quoniam*. Quadragesimus sextus locus, huius capitis vndecimus, sumitur à consequentia non reciproca. Axioma ita cõcipitur: Quod alicui semper consequens est, nec reciprocatur, sed latius patet, est genus. Primò Aristot. docet nos posse vti hoc loco ad cõfirmandum genus: quia difficile est, huiusinodi attributũ distinguere à genere: idque exemplo confirmat. Ac sane nullum est genus, quod non sit eiusmodi, vt semper consequatur speciem, & latiùs pateat, quàm species. Item quod tale est, plerumque est genus.

18 *Alio verò*. Secũdò docet, si alius hoc loco contra nos vtatur, quomodo possimus respondere: & ait nos posse negare id esse verum generaliter. nobisque sug gerit hanc exceptionem siue instãtiam, quòd nõ ens semper est consequẽs ei quod fit: quod enim fit, nondum est: nõ propterea tamen dicendũ est non-ens esse genus eius quod fit; quia quod nõ est, non potest esse genus.

19 *De genere*. Breui epilogo imponit finem huic libro, atque adeo tractatui de problemate generis.

IVLII PACII A BERIGA IN LIBRVM V. TOPICVM COMMENTARIVS ANALYTICVS.

DE PROPRIO ET PROBLEMATE PROPRIJ.

TRACTATVS I.

IN CAP. I. IN QVO AGITVR DE PROBLEMATE PROPRII.



Expositis problemate Accidẽtis, & problemate Generis, tertio loco agit Aristoteles de problemate Proprij, & de

& de locis ad hoc problema pertinentibus. Ac primùm in 1. cap. agit de ipso problemate; postea in sequentibus capitibus tractabit de locis quibus hoc problema confirmatur, vel infirmatur.

1 *Vtrum autem.* Proponit agendum de problemate proprij, & locis ad id pertinentibus.

2 *Proponitur autem.* Affert duplicem proprij diuisionem. aut enim proprium est per se, aut per comparationem cum altero: & rursus aut est proprium semper, aut aliquando. singula autem hæc membra perspicuis exemplis declarat. Coniunge lib. 1. c. 5. partic. 5. & 11.

3 *Proprium autem.* Ostendit, quando sumitur proprium per comparationem cum altero, fieri plura problemata: ita vt facillime thesis impugnari possit. modò namque sunt duo problemata, modo quatuor. ac perspicue declarat, quando sint duo, vel quatuor. Aut enim vnum proprium de altero subiecto affirmatur, de altero negatur: veluti si quis dicat proprium hominis esse per comparationem cum equo, esse bipedem, quia homo est bipes, equus autem non est bipes. Aut sumuntur duo propria, quorum vtrumque de altero subiecto affirmatur, de altero negatur: veluti si quis dicat proprium hominis per comparationem cum equo esse quod homo est bipes, equus autem est quadrupes. Priori casu duo sunt problemata: vnum, homo est bipes: alterum, equus non est bipes: quorũ vtrumuis refellatur, thesis infirmatur. Posteriori casu sunt quatuor problemata. primum, homo est bipes: alterum, equus non est bipes: tertium, equus est quadrupes: quartum, homo non est quadrupes. quare thesis quatuor modis impugnari poterit.

4 *Est autem per se.* Deinceps singula proprij genera declarat definitione & exemplo. & Primò in hac particula declarat proprium per se. Secundò cùm ait, *Alterius comparatione*, explicat proprium per comparationem cum altero. Tertiò cùm ait, *Semper[proprium]*, exponit proprium, quod semper est proprium.

5 *Iam verò alterius.* Subdiuidit proprium per comparationem cum altero acceptum. & Primò ponit diuisioné bimembrem, quòd huiusmodi proprium vel semper & in omnibus obtinet, vel plerumque & in pluribus. Secundò cùm ait, *Exempli gratiâ in omnibus*, dat perspicuum exemplum prioris membri. Tertiò cùm ait, *Plerumque autem*, subiicit exemplum posterioris membri.

6 *Propriorum autem.* Cùm exposuerit quatuor propriorum genera, quæ scilicet ex duabus diuisionibus colliguntur, id est, per se, per comparationem, semper, aliquãdo: nam vult docere, quænam horum sint maximè logica, id est, dialectica & disputabilia, & quæ minime sint dialectica. Et Primò ostendit tria priora esse maxime dialectica; quia de his possunt esse multæ argumentationes. Vltimum autem quod est proprium aliquando, excludit tanquàm minime dialecticum.

7 *Quod igitur.* Cum docuerit tria esse problemata proprij dialectica: nunc ostendit non esse in præsentia quærendos locos problematis comparati: quia Proprium, quod per comparationem sumitur, non est verè proprium, sed potius accidens, propterea quod cum re non reciprocatur Vide lib. 1. cap. 5. partic. vlt. Ergo de huiusce modi proprio disputandum est ex locis accidentis. Exempli gratiâ, si in thesi dicatur proprium hominis, esse bipedem, per comparationem eum equo: videndum est, an ex locis accidentis probari possit hominem non esse bipedem, vel equum esse bipedem. Ista enim thesis perinde valet, ac si essent duæ theses de accidente: altera, equus est bipes: altera, homo non est bipes. superest igitur considerandum, quod est proprium semper & per se.

DE LOCIS PERTINENTIBVS AD QVÆSTIONEM, vtrùm bene an malè proprium expositum sit.

TRACTATVS II.

IN CAP. II. QVO PROPONVNTVR LOCI PERTINENTES ad quæstionem An proprium sit rectè expositum.

VNiuersi loci, quibus disputatur de proprio, reducũtur ad duo summa capita: aut enim quæritur, an propriũ sit bene expositum: aut quæritur, an sit proprium. nam fieri potest, vt id quod nõ est propriũ,

ponatur quasi proprium. item fieri potest, vt propriũ male explicetur, put per ignotiora. Primò igitur Aristoteles tradet locos, quibus probatur proprium recte vel se cus expositum esse: deinde eos, quibus probatur esse, vel non esse proprium.

1 *At primum.* Proponit priorem quæstionem, ad quã sequentes loci pertinent, id est, vtrùm proprium sit recte, an male expositum in thesi.

2 *Huius autem.* Proponit primum locum à notioribus vel ignotioribus. Hic sunt duo axiomata: alterum, quo problema refellitur, nempe, Ex ignotioribus male exponitur proprium: alterum, quo proprium confirmatur, nempe, Ex notioribus recte exponitur proprium.

3 [*Sunt autem duo.*] In præcedente particula generaliter hunc locum considerauit: deinceps autẽ distinctius explicat, Primò quatenus valet ad refellendum, Secundò quatenus valet ad confirmandum, quod se re etiam in sequentibus locis obseruabit. Quod ad problema refellẽdum attinet, Aristoteles subdiuidit hunc locum in duos: ac tradit duos modos, quibus proprium sumi dicitur ex ignotioribus. Primus modus est, si proprium simpliciter sit incognitum. Alter modus explicabitur in seq. partic. Primò igitur Aristoteles proponit primum modum constituendi proprium per ignota. Secundò cùm ait, *non recte enim*, ostendit hac ratione impugnari thesim: quia cum proprium explicandi causã proponatur, sumi debet ex notioribus. Omnis enim expositio fieri debet ex notioribus. Tertiò cùm ait, *Exempli gratiã quoniam*, dat exemplum theseos, in qua hic error committitur, id est, in qua proprium est simpliciter ignotius, quàm subiectum, cuius dicitur esse proprium.

4 *Alius* [*modus.*] Proponit alterum modum explicandi proprij per ignotiora, quando scilicet non est ignotius ipsum proprium per se, sed proprij existentia in subiecto. Ac primò proponit huoc modum. Secundò cùm ait, *non solùm enim*, ostendit huiusmodi theses esse vitiosas: quia cùm volumus explicare subiectum per aliquod proprium, opus est vt non solùm ipsum proprium per se sit nobis notius quàm subiectũ; sed etiam notius sit, illud proprium in eo subiecto inesse. quia non possumus scire hoc eius propriũ esse, id est, illi soli inesse, nisi sciamus illi inesse. Tertiò cùm ait, *veluti quoniam is qui proprium*, subiicit exemplum theseos, in qua hoc vitium reperitur. Hactenus docuit quatenus primus locus valeat ad problema refutandum. Quartò cum ait, *confirmatur autem*, incipit docere, quatenus idem locus valeat ad confirmandum: & ostendit, ad confirmandum problema opus esse vt proprium demonstretur esse notius, quam subiectum, vtroque modo, id est, per se, & quatenus in subiecto inest. Quintò cum ait, [*Verùm*], declarat, quatenus hac rat one proprium confirmetur: & ait confirmari, non simpliciter, quia fortasse aliquo vitio laborat; sed quatenus ad hoc, id est, quoniam habet hanc conditionem in proprijs explicandis requisitam, vt constet ex notioribus; adeo vt proprium sit recte traditum, nisi fortè alia ratione impugnetur. vnde subiicit quosdam locos problema confirmare simpliciter, alios verò non simpliciter, sed quantum ad hoc, id est, respectu alicuius requisitæ conditionis. Sexto cum ait, *veluti quoniam is qui dixit*, dat exemplum problematis quod per hunc locum confirmatur.

5 *Deinde refellitur.* Sequitur secundus locus à simplicitate vel multiplicitate. Multiplicitate intellige, cum est homonymia, vel amphibologia. Est autem homonymia in dictione, veluti, canis: Amphibologia in oratione, veluti, Aio te Æacida Romanos vincere posse. A multiplicitate proprium refellitur: à simplicitate confirmatur: quia opus est, vt tam in dictionibus, quàm in orationibus vitetur omnis ambiguitas. Rursus simplicitas vel multiplicitas consideratur vel in subiecto, vel in proprio quod ei subiecto attribuitur. Aristoteles ergo incipit à multiplicitate proprij: & primò ponit axioma, Si dictio sit homonymia, vel oratio ambigua. proprium male expositum est. Secundò cum ait *veluti quia sentire*, dat exemplum proprij malè expositi: quia dictio est homonyma.

Tertiò cùm ait, *Idcirco nomine*, probat dictum axioma, id est, non recte poni proprium, siue in dictione, siue in oratione sit multiplicitas: propterea quòd (vt & suprà dictum fuit) proprium traditur docendi causã; multiplicitas autem parit obscuritatem, proinde impedit doctrinam & disciplinam. Quartò cùm ait *Præter a necesse*, adiungit alteram rationem ad idem probandum: quia si proprium multa significet, & in vna significatione refellatur, videbitur thesis infirmata. Quintò cum ait, *Confirmatur autem*, transgreditur ad propriũ confirmãdũ ab ipsius simplicitate: & ponit axioma: Si nec dictio nec oratio plura significet, proprium, quodad hoc, est recte expositum. Sextò cum ait, *veluti quia*, subiicit

exemplum

exemplum perspicuum.

8 *Praeterea refellitur.* Hactenus de simplicitate, vel multiplicitate proprij: deinceps agit Philosoph⁹ de multiplicitate, vel simplicitate subiecti. Quod ad multiplicitatem attinet, Primò ponit axioma: Si subiectū est multiplex, male est expositū propriū. Secundò cum ait, *quas autem ob causas*, ostēdit hoc axioma cōfirmari rationibus suprà expositis, videlicet in 1. partic. quod enim ad hoc, eadem est ratio subiecti & proprij. Tertiò cùm ait, *veluti quoniam sitire*, subijcit exemplum theseos, quæ ex hoc loco refellitur. Quartò cùm ait, *Confirmatur autem*, transgreditur ad proprium confirmandum à simplicitate subiecti, & ponit axioma: Si subiectum est vnum & simplex, non homonymum, nec ambiguum: rectè, quod ad hoc, est expositum proprium. Quintò cùm ait, *veluti quoniam homo*, subijcit perspicuum exemplum.

7 *Praeterea refellitur.* Tertius locus sumitur à tautologia: quæ commissa reddit proprium vitiosum; vitata autem efficit vt proprium, quod ad hoc, sit rectè expositū. Ergo & hic locus valet tam ad refellendū, quàm ad confirmandum. Incipit Aristoteles à refutatione problematis: & Primò ponit axioma, Proprium est male expositum, in quo idem sæpius repetitur. Secundò cùm ait, *sæpe enim*, ostendit hoc vitium sæpe latere eos qui theses ponunt: idque tam in proprijs, quàm in definitionibus explicandis. sæpe enim non animaduertunt se idem sæpius repetere: quia scilicet vtuntur diuersis nominibus, cùm res sit eadem, vt paulò pòst Philosophus docebit. Tertiò cùm ait, *sed eiusmodi*, probat male tradi proprium, cùm idem sæpe repetitur. Hoc autem probat duplici argumēto. Primum est: quia eiusmodi repetitio turbat auditorem, & parit obscuritatem, quæ à proprijs abesse debet. existimat enim auditor nihil otiosū dici, & aliquid noui proponi: cúmque non possit distinguere ab eo quod iam dictum est, manet animo suspenso, ac dubitat, vtrùm idem repetatur, an diuersum dicatur: & si repetitur, cur repetatur. Quartò cùm ait, *& praeterea*, addit alterum argumentum: quoniam ille qui sæpe idem repetit, nugatur: nugatio autem est orationis vitium: vnde recensetur inter metas sophistarum. putant enim sophistæ se de nobis triumphare, si possint suis captionibus efficere vt cogamur nugari, & idē sæpius dicere, vt in Elenchis sophisticis explicabitur. Quintò cùm ait, *Duobus autem*, diuidit tautologiā in duos modos. Sextò cùm ait, *vno modo*, declarat primum modū committēdæ tautologiæ, qui minime latet cùm scilicet idem verbum expreßè repetitur, quamuis in diuerso casu: vt in hoc exēplo, Ignis est corpus leuissimum omnium corporum. Septimò cùm ait, *altero si quis*, declarat alterum modum committendæ tautologiæ, qui est obscurior, & facile latet, propterea quod nō repetitur idē vocabulū, sed alia vocabula æquiualentia, vt in exemplo, quod Aristoteles proponit, Terræ proprium est substantia quę secundū naturam maxime inter omnia corpora deorsum fertur. hic enim nihil videtur repeti: reuera tamē repetitur. quod ostēdit Aristoteles cùm ait, *deinde pro[verbo.]* Intelliges (enim) inquit repetitionem, si loco illorum verborum, *inter omnia corpora*, dicas *inter omnes tales substantias*. nam corpus est talis substantia, si quidem est species substātiæ. ergo idē est dicere *corpus*, & dicere *substantiam talem*, id est, corpoream. atqui si dicatur *inter substantias tales*, manifesta est repetitio: quia verbum substantiæ iam erat positum. ergo similiter si dicatur *inter cetera corpora*, repetitio erit. Octauò cùm ait, *Quare neutrum*, concludit his duob⁹ modis peccari, & malè exponi proprium, id est, siue repetatur idē vocabulum, siue eadem res diuerso vocabulo. Dico repeti eandem rem, quamuis initiò ponatur generaliter postea specialiter, vt substātia & corpus: quia qui dicit corpus, dicit substantiam: idcóque bis ponit substātiam, vt in exemplo suprà dato. Hactenus ex tertio loco reprobauit proprium. Nonò cùm ait, *Confirmatur autem*, transit ad cōfirmādum proprium ex eodem loco: ac ponit axioma: Si nihil in proprio explicādo est repetitum, proprium rectè expositū est. Decimò cum ait, *veluti quoniam is*, subijcit perspicuum exemplum.

8 *Praeterea refellitur.* Quartus locus ab eo sumitur quod omnibus rebus est, vel nō est commune: vel (vt breuiùs hunc locum proponam) à transcendente. Hic locus refellit proprium, quatenus sumitur commune: cōfirmat autem, quatenus sumitur non commune. Incipit à refutatione problematis: & primò ponit axioma: Quod omnibus inest, male ponitur in explicando proprio. Secundò cùm ait, *inutile enim*, probat hoc axioma: quia singulæ proprij partes debent subiectum ab aliqua re separare: quod autē omnibus inest, à nulla re separat. Tertiò cùm ait, *veluti quoniam is qui scientia*, dat exemplum, in quo ad proprium explicādū sumitur ens, qui terminus est transcendens, & omnibus rebus inest. Quartò cum

ait, *Confirmatur autem*, transgreditur ad confirmandum problema: & ponit axioma: Si in explicando proprio nihil commune seu transcendens positum est proprium, quod ad hoc, est recte expositum. Posset etiam ita concipi: Quod non est transcendens, seu quod non inest omnibus, recte ponitur in proprio explicando. Secundò cum ait, *veluti quoniam quis dixit*, subiicit exemplum perspicuum.

9 *Praeterea refellitur.* Quintus locus, à numero propriorum, tam ad confirmandū, quàm ad refutandum valet. Incipiens Philosophus à refutatione problematis, primò ponit axioma: Si plura propria ponantur quasi vnum, thesis male concepta est. Secundò cùm ait, *vt enim in definitionibus*, confirmat hoc axioma exēplo definitionum: quia sicut in definitione nihil addendū est orationi significanti rei essentiā, ita in propriis explicandis nihil addēdum est orationi, quæ cum subiecto reciprocatur. Tertio cùm ait, *veluti quemam is qui dixit proprium*, adiungit exemplum theseos, quę ex hoc loco impugnatur. Quarto cùm ait, *Confirmatur autem*, transit ad problema confirmandum: ac ponit axioma: Si vnaproprietas tradita est: recte, quantùm ad hoc, proprium est expositum. Quinto cùm ait, *veluti quoniam is qui dixit humoris*, subiungit exemplum theseos, quæ per hunc locum confirmatur.

IN CAP. III. QVO EXPLICANTVR VArij loci.

1 PRaeterea *reprehenditur.* Sextus locus, huius capitis primus, sumitur ab eo quod facit, vel non facit tē notiorem. Hic locus est tripertitus. In prima parte explicanda incipit Aristoteles à refutatione problematis. & primo ponit axioma: Si in proprio explicando adhibeatur subiectum, vel pars, id est, species subiecti, propriū recte expositum non est. Secundò cùm ait, *quia discendi causâ*, probat hoc axioma: quia proprium affertur discendi causâ, id est, vt explicetur & notius reddatur subiectū. quare subiectū non potest explicari, nec per se ipsum, nec per suam speciem: quia ipsum est sibi æquè ignotum, species autem est posterior & ignotior genere: omnis autē ex positio sumi debet ex notioribus. Tertiò cum ait, *veluti quemam is qui dixit*, dat exemplum theseos, quę per hunc locum infirmatur. Quarto cum ait, *Confirmatur autem*, transgreditur ad docēdum, quatenus eadē prima pars sexti loci valeat ad confirmandum proprium: & ponit axioma: Si in explicando proprio nec adhibitum sit subiectum, nec aliquid sub eo subiecto contentum: recte, quantum ad hoc, expositum est proprium. Quintò cùm ait, *veluti quoniam is qui posuit*, illustrat hunc locum exemplo theseos, quæ hinc confirmatur.

2 *Eodem modo.* Simul explicat secundam & tertiam partem sexti loci. & primò refellit problema, postea confirmabit. Ad refellendum problema, primò proponit duplex axioma. Primum est: Quod est simul naturâ cum subiecto, nō rectè ponitur tāquàm proprium subiecti. Huius axiomatis species est, Contrarium male traditur quasi proprium contrarij: quia contraria sunt simul naturâ: vt album, & nigrum. Alterum axioma est: Quod est subiecto posterius, male ponitur quasi eius proprium. Secundò cùm ait, *nam oppositum*, probat hoc axioma: quia propriū debet esse notius subiecto: siquidem adhibetur explicandi subiecti causâ: quod verò est simul naturâ, veluti quod est contrarium, non est notius, sed ęque notum, vel ignotum: quod verò est posterius, est ignotius. Tertiò cùm ait, *veluti quoniam is qui dixit*, subiicit exemplum, in quo contrarium sumitur in explicādo proprio sui contrarij. Quartò cùm ait, *Confirmatur autem*, docet vsum huius loci in proprio confirmando: ac ponit axioma: si proprium nec sit simul naturâ, nec posterius subiecto, recte expositum est. Possumus & ita breuius concipere: Proprium est natura prius subiecto. Intellige prius cognitione, vt ex eo, tamquàm notiori & præcognito, progrediamur ad notionē subiecti. Quinto cum ait, *veluti quemam is qui scientia*, dat exemplum theseos quæ hinc confirmatur.

3 *Praeterea refellitur.* Septimus locus, huius capitis secundus, sumitur ab eo quod semper vel non semper inest. Huius loci duę sunt partes; quarum vtraque spectatur tam in refellendo, quàm in cōfirmādo proprio. In hac autem particula explicatur prior pars. Primò igitur Aristoteles proponit axioma pertinens ad thesim reprehendendam: Quod non semper inest, nō est verum proprium, seu simpliciter propriū, de quo nunc loquimur. Secundò cùm ait, *quia neque*, confirmat hoc axioma. Cùm autem

in his verbis sit aliqua obscuritas: vis ratio nis, si quis eã perspicue proponere velit, in hoc consistit: quòd verum proprium reciprocatur cum subiecto: hoc autē, quod nō semper inest, non reciprocatur cum subiecto: ergo non est verum propriũ. Sed Aristoteles pro hac oratione, quia nō reciprocatur cum subiecto, alia obscuriore vsus est. pro cuius expositione in primis notare oportet, cùm Aristoteles dicit nomen, eũ intelligere subiectum; quemadmodum, cùm dicit orationem, intelligit proprium illius subiecti. Ait igitur, nec de eo de quo dicitur proprium, necessario dici nomen, id est, subiectum; nec de eo de quo negatur proprium, necessario negari subiectum. Ratio est: quia diximus proprium non semper inesse huic subiecto. Hoc non potest explicari clariùs, quàm exemplo. Si quis dicat hominis proprium esse ambulare, non est verum proprium, quamuis fortasse aliquãdo sit proprium, quãdo scilicet solus homo ambulat. Nam ambulare dicitur etiam de equo, de quo homo non dicitur. rursus ambulare non dicitur (exempli gratiã) de Æthiope, de quo homo dicitur. quapropter ambulare non est proprium hominis. Tertiò cùm ait, *Praterea nec quando*, altero argumento confirmat idem axioma, sumpto ab obscuritate. ait enim huiuscemodi proprium esse obscurum: quia cùm possit adesse & abesse, fortasse abest etiam eo ipso tẽpore quo dicitur esse proprium. Quartò cùm ait, *veluti quoniam qui animalis*, subucit exemplum theseos ex hoc loco refellendę. Quintò cùm ait, *Confirmatur autem*, transit ad problema ex eodem loco cõfirmandũ: & ponit axioma: Quod necessario semper inest subiecto recte, quantum ad hoc, dicitur esse proprium. Sexto cùm ait, *veluti qui viuitur*, illustrat hunc locum exemplo.

4 *Praterea reprehenditur*. Transit ad posteriorem partem septimi loci. & primò ad impugnãdum problema, ponit axioma: Quod est proprium nũc, male ponitur tam quàm proprium simpliciter & sine tempo ris circumscriptione. Hoc axioma à superiori differt: quia suprà dicebamus, Quod non semper inest: hic verò dicimus, Quod nunc inest, seu, Quod nunc est proprium. Secundò cùm ait, *Primum enim*, confirmat datum axioma à cõmuni vsu loquẽdi: quia loquẽdum est vt multi, sentiẽdũ vt pauci; vt dictũ fuit lib. 2. cap. 2. part. vlt vnde cùm omnes appellatione proprij soleãt intelligere illud quod semper inest: male facit, qui hoc vocabulo abutitur, & appellatione proprij significat quod nunc inest, nisi id expresse explicet, & declaret se accipere proprium pro eo quod nunc inest. Tertiò cum ait, *Praterea incertum*, altero argumento confirmat idem axioma sumptum ab obscuritate: quia huiuscemodi locutio, vtpote inusitata, est obscura, & reprehensioni causam seu prætextum præbet. aduersarius enim dicere poterit respondentem, quia nō potest soluere argumentum, nunc ad id cõfugere, vt dicat se accepisse proprium pro eo quod nũc inest, non in significatione recepta. Quartò cum ait, *veluti qui cuiusdam*, subdit exemplum theseos, quæ hinc reprobatur. Quintò cùm ait, *Confirmatur autem*, transit ad confirmãdum proprium ex eodē loco: & proponit axioma. Quod nunc est proprium, recte ponitur tamquàm propriũ nunc, cum hac definitione seu circumscriptione temporis. Secundò cùm ait, *veluti quoniam*, illustrat hunc locum exemplo.

5 *Praterea refellitur*. Octauus locus, huius capitis tertius, sumitur à sensibili. Hic quoque valet ad confirmandum, & ad infirmandum problema. Quod ad refutationē attinet, Aristoteles primò ponit axioma: Quòd tãtùm sensu cognoscitur, non rectē asseritur quasi proprium. Secundò cùm ait, *omne enim sensibile*, confirmat hoc axioma ex eo quòd ea quæ tantùm sensu percipiuntur, quando non sentiuntur, non cognoscũtur: vt in excẽplo, quod posteriùs proponetur, propriũ Solis dicitur esse astrũ quod super terram fertur. sed postquàm Sol occidit, non possumus id cernere: proinde non possumus cognoscere, an hoc semper insit Soli. Tertiò cùm ait, *Hoc autem verum*, coãgustat hoc axioma ad ea quæ non necessariò consequuntur: quia si quid necessariò est subiecto consequens, quãuis sensu percipiatur, nihilominùs rectē dici potest propriũ, vt mox explicabitur. Quartò cùm ait, *veluti qui solu*, illustrat hunc locũ exemplo. Quintò cùm ait, *Confirmatur autem*, trãsit ad confirmãdũ problema: & proponit duplex axioma. Vnũ est, Quod non sensu sed intellectu percipitur: recte, quantũ ad hoc, dicitur esse propriũ. Alterũ est, Quod sensu percipitur, & necessariò inest subiecto: rectē, quantum ad hoc, dicitur esse proprium. Sexto cùm ait, *veluti quoniam*, dat exemplũ posterioris axiomatis.

6 *Praterea reprehenditur*. Nonus locus, hui⁹ capitis quart⁹, sumitur à definitione. Primò Aristot. proponit axioma aptum ad refellẽdũ, nẽpe Definitio nō est propriũ. Secũdo cùm ait, *quia propriũ*, id ratione confirmat. quãuis enim sit aliqua similitudo inter definitionē & propriũ: quoniã vtrúque

est oratio, quæ cum re reciprocatur: tamen eo differunt, quòd definitio significat essentiam rei, proprium verò essentiam non significat. Tertiò cùm ait, *veluti qui hominis*, illustrat hunc locum exemplo. Quartò cùm ait, *Confirmatur autem*, proponit axioma confirmans, Quod reciprocatur cum subiecto, nec significat essentiam subiecti: rectè, quantum ad hoc, dicitur esse proprium. Quintò cùm ait, *veluti quoniam*, illustrat hunc locum exemplo.

7 *Praeterea reprehenditur*. Decimus locus, huius capitis quintus, sumitur à genere & differentiis. Primò Aristoteles proponit axioma refellens: Quod non constat ex genere & differentiis, non est proprium. Intellige differétias non essentiales: alioquin oratio has differentias continens, esset definitio, non proprium. Proprij verò appellatione significat rei descriptionem. Secundò cùm ait *oportet enim*, confirmat hoc axioma exemplo definitionis. in hoc enim proprium est definitioni simile. Tertiò cùm ait, *veluti qui dixit*, illustrat datum axioma exemplo. Quartò cùm ait, *Confirmatur autem*, proponit axioma confirmans: Oratio constans ex genere & differentiis nó essentialibus, nisi aliud vitium obstet, est verum proprium. Quintò cùm ait, *veluti qui posuit*, subiicit perspicuum exemplum.

8 *Vtrùm igitur*. Breui epilogo imponit finem priori quæstioni de proprio; quæ secundo, & tertio capite tractata est; nempe vtrùm rectè an male propriú sit expositú. Fieri enim potest, vt aliquid sit proprium, non tamen rectè traditum sit, quia laboret aliquo ex vitiis suprà expositis.

DE LOCIS PERTINENTIBVS AD QVÆSTIONEM, an sit proprium nécne.

TRACTATVS III.

IN CAP. IV. DE VARIIS LOCIS.

TRásit ad alteram quæstionem, An sit propriú, nécne: ac declarat varios locos ad hanc quæstionépertinentes, quibus proprium impugnatur vel defenditur.

1 *Vtrùm autem*. Primo proponit quærendum, An omnino sit proprium, nécne. Secundò cùm ait, *nam qui simpliciter*, ostédit eandem esse quæstionem an sit proprium simpliciter. Nam omnino, & simpliciter, idé valent. Quare in seq. parte nó ponemus verba illa, quátú ad hoc, quibus vtebamur in locis præcedentibus: sed simpliciter affirmabimus, vel negabimus esse propriú. Vide part. 1. cap. 2. vbi dictum fuit alios locos cófirmare proprium simpliciter, alios quátum ad hoc Ait, *in illis dicentur*, id est, dum explicabimus locos quibus quæritur an omnino sit proprium, simul explicabimus locos quibus quæritur an sit proprium: iidem enim loci sunt.

2 *Primum igitur*. Incipit locos ad posteriorem de proprio quæstioné pertinentes explicare. Primus locus sumitur à speciebus subiecti. Primò Aristoteles proponit præceptum, vt respiciamus ad singula sub subiecto contenta. Secundò cùm ait, *veluti an nulli*, diuidit dictum præceptum in tria: vnde colligitur tria axiomata ad refellédú apta. Primú axioma est: Quod nulli rei sub subiecto contentæ inest, eius subiecti proprium non est. vt quadrupes rationale non est propriú hominis: quia nullus homo est quadrupes. Secundú axioma est: Quod rebus sub subiecto contentis non attribuitur ratione ipsius subiecti, nó est proprium illius subiecti. veluti si loco moueri, non attribuitur animalibus quatenus sunt animalia: dicendum est, loco moueri, nó esse proprium animalis. Tertiú axioma est: Quod vnius cuiusque rei sub subiecto contentæ nó est ratione illius subiecti proprium, nó debet illius subiecti proprium dici. Hoc axioma fere est idem cum secundo, & verbis tantùm differre videtur. nisi dicamus alterum intelligi de omnibus sub subiecto cótentis, alterum de quibusdam. Siue enim proprium nulli rei sub subiecto contentæ insit ratione subiecti, siue quibusdam non insit ratione subiecti: certe non est propriú illius subiecti. Tertiò cùm ait, *veluti quia de geometra*, dat exemplum secundi, siue tertij axiomatis: nam vtriusque eadem est sententia. Quartò cùm ait, *Confirmatur autem*, proponit axioma confirmans, Quod omnibus sub subiecto contentis proprium est ratione subiecti, id rectè subiecti propriú dicitur. Quintò cùm ait, *veluti quoniá animal*, illustrat hunc locum exemplo. Sequitur in contextu, *Est autem hic locus*, &c. Hæc verba puto omnino esse delenda, vtpote quæ temere irrepserint in contextum, cum nihil aliud hic contineatur, quàm diuersa sectio sequentis particulæ, quæ eandé sententiá longé meliùs & perfectiùs exposita continebit. Quòd si velimus hæc verba retinere, dicendum erit, Aristotelé locum proximé expositum referre ad locum mox exponédum, & ostendere priorem sub posteriori contineri quæ sententia si vera esset, nihil prohibe-

prohiberet quo minùs hâc particulam retineremus. Sed mihi videtur sententia esse talis. falsum enim est, vim loci expositi in eo consistere, vt quæratur an propriũ reciprocetur cum subiecto. cum enim Aristoteles hanc reciprocationẽ ita declaret, vt de quo dicitur nomen, id est, subiectum, de eo dicatur etiam oratio, id est, proprium; & contrà de quo dicitur oratio, de eo dicitur etiam nomen: hoc non potest accommodari loco iam exposito: quia cum dicebamus, Si nulli rei sub subiecto cõtentæ inest, non est proprium; hoc quidẽ requirebamus, vt de quo dicitur nomen, de eo dicatur etiam oratio; sed contrà nõ requirebamus, vt de quo dicitur oratio, de eo dicatur etiam nomen: in quò reciprocatio cõsistit. Similis est ratio aliorum axiomatum suprà expositorũ. non fuit enim considerata vlla reciprocatio, sed tantum attributio ab vno latere, id est, orationis seu proprii de subiecto & contentis sub subiecto.

3 *Præterea refellitur.* Secundus locus sumitur à reciprocatione. Primò Aristoteles proponit axioma aptum ad refellendum, Quod non reciprocatur cum subiecto, non est proprium. Hanc reciprocationem pluribus verbis Aristoteles significauit, cum dixit, *de quo oratio*, &c. nam oratio significat proprium; nomẽ verò significat subiectũ. Secũdo cùm ait, *veluti quoniam animal*, dat exẽplum problematis, quod per illud axioma refellitur. Tertiò cùm ait, *Confirmatur autem*, ponit axioma confirmãs proprium, ideóque euertẽs thesim, quæ negat esse proprium. Axioma est, Quod cum subiecto reciprocatur, eius propriũ est. Intellige cũ limitatione antea exposita, vt nõ significet essentiam subiecti: alioqui esset definitio, non proprium. Quartò cùm ait, *veluti quia de quo*, dat exemplum proprij, quod ex hoc loco confirmatur.

4 *Præterea reprehenditur.* Tertius locus sumitur à subiecto, & eo q^d est in subiecto. Primò Arist. proponit axioma refellẽs: Subiectũ nõ potest dici propriũ eius quod in ipso inest. Secundò cùm ait, *veluti qui tradidit*, dat exẽplũ theseos, quæ hinc refellitur: quia subiectũ ponitur tamquàm propriũ, & id quod est in subiecto, ponitur quasi subiectum. Tertiò cùm ait, *Idcirco a ... m*, probat dictum axioma per deductionem ad absurditatẽ: quia si subiectum posset dici proprium, hinc sequeretur propriũ inesse multis specie differentibus: proinde proprium non esse proprium: siquidem proprium dicitur, quod soli inest. Cõsequẽtia probatur: quia vni subiecto insũt multæ proprietates specie differẽtes: vtputà homo est disciplinæ capax, apt^9 ad ridẽdũ, capax beatitudinis, &c. si igitur horũ singulorũ accidentiũ homo dicatur esse proprium, iam propriũ multis cõueniet, non vni tantùm. Quartò cùm ait, *Confirmatur autẽ*, proponit axioma confirmans: Quod est in subiecto, & cũ eo reciprocatur; rectè dicitur esse ei^9 propriũ. Quintò cùm ait, *veluti qui dixi*, illustrat dictum axioma exemplo.

5 *Præterea reprehenditur.* Quartus locus sumitur à participatione. Primũ Aristoteles proponit axioma, quo propriũ refellitur: Quod per participationẽ inest, non est propriũ. seu, Id cui^9 particeps est subiectũ, non est proprium. subiectum enim dicitur esse particeps generis, & differentiæ, ex quibus rei essentia cõstat, non proprij, vel accidentis. Secundò cùm ait, *Quod enim per participationẽ*, cõfirmat illud axioma: quia quod per participationem inest. i. quod cõmunicatur ei cui inest vel est genus vel differẽtia, vt modò exposui. Tertio cùm ait, *veluti quoniam is qui dixit*, illustrat hũc lo ... exemplo. Quartò cùm ait, *Confirmatur autem*, ponit axioma, quo propriũ cõfirmatur: Quod non inest per participationẽ, nec declarat quid res sit, & cũ re attribuitur, id est eius rei propriũ. Quintò cùm ait, *veluti quoniam is qui posuit*, adiungit exẽplum manifestum.

6 *Deinde refutatur.* Quintus locus ducitur à tẽpore. Primò Aristoteles ponit axioma refellẽs: Quod nõ est simul cum re, sed prius, vel posterius, id non est eius rei proprium. Secundò cùm ait, *vt uti quoniam accidit*, illustrat hoc axioma exemplo. Tertiò cùm ait, *Confirmatur autẽ*, ponit axioma cõfirmãs: Quod simul cum re est, & neque est eius rei definitio, neque differẽtia: id ei^9 rei est proprium. Notandũ est, Aristotelem nõ facere mentionem generis, sed tãtùm definitionis & differẽtiæ (subaudi essentialis) quia in explicãdo proprio ponũtur genus & differentiæ accidentales, vt dictum fuit suprà cap. 3. part. 7. Quartò cùm ait, *veluti quoniam animal*, illustrat hũc locũ exemplo.

7 *Deinde refellitur.* Sextus locus sumitur ab iisdem numero. Primò Aristoteles ponit axioma refellens: Si duo sint eadẽ numero: quod nõ est vnius rei proprium, nec alterius potest esse proprium. Secũdo cùm ait, *vt quia cum*, subiicit manifestũ exemplũ. Tertiò cùm ait, *Confirmatur autẽ*, adiungit axioma confirmans: Si sint duo eadem numero: quod est vnius proprium, est etiam alterius propriũ. Quartò cùm ait, *veluti quoniam hominis*, subiicit perspicuum exemplũ. Quintò cũ ait, *[Est] autẽ vtilis*, producit hũc

locū ad problema accidentis.nam & in accidente possum concipere duo simul axiomata: alter um confirmans,Si duo sunt numero eadem:quod vni non accidit, nec alteri accidet:alterū refellens; Si duo sint numero eadem,quod vni accidit,etiam alteri accidit.Quæ vero dicātur numero eadem, expositum fuit lib.1.cap 7.

8 *Deinde refellitur.* Septimus locus sumitur ab iis quæ specie vel genere eadem sunt. Primò Aristoteles ponit axioma refellens:Si duo sint subiecta eadem specie,& duo sint propria similiter eadē specie, vnū autem ex his propriis non semper sit vnius ex illis subiectis proprium: neque alterum erit proprium alterius.Cùm dicit eadē specie,speciei vocabulum latiùs accipit,vt appellatione speciei complectatur etiam genus,vt apparet ex subiecto exēplo, in quo ponet hominē & equum esse eiusdem speciei: necesse est enim accipere speciem pro genere.Potest etiam hoc axioma ita explicari:Sint quatuor termini, id est, sint duo subiecta,&duo attributa;ita vt tertium attribuatur primo,& secundum quarto.primum autem & secundum sint eadem specie,vel genere; vt homo & equus.similiter tertium &quartum sint eadem genere,vel specie;vt à se stare,&à se moueri. his positis,axioma erit:Si tertiū non est proprium primi,quartum non erit proprium secūdi. Secundò cùm ait,*veluti quia eiusdem*,subiicit exemplum. Tertiò cùm ait, *Confirmatur autem*,proponit axioma confirmās,quod rectētis terminis suprà expositis sic potest cōcipi : Si tertium est proprium primi,etiam quartum erit proprium secundi. Quartò cùm ait,*veluti quia hominis*, subiicit exemplum manifestum. Quintò cùm ait, *Hic autem locus*, proponit instantiam contra hunc locum confirmantem, excipiens,nisi tertium insit soli primo,quartum autē insit secundo & aliis.tunc enim tertium potest esse proprium primi, sed nihilo magis quartum erit proprium secundi. Exēmpli gratiâ,homo & equus sunt iidem specie,id est,genere: item pedestre bipes,& pedestre quadrupes, sunt eadem specie:ac pedestre bipes est proprium hominis,quia inest soli homini: pedestre autē quadrupedes nō est propriū equi:quia non inest soli equo , sed etiam leoni,boui,& aliis animalibus.

9 *Quoniam autem.* Octauus locus sumitur ab iis quæ re sunt eadem,ratione differūt.Hic locus est bipertitus. dicuntur enim re esse eadem, ratione differre, Primò subiectum per se consideratum , vt homo; & subiectum cum accidente, vt homo albus.Secundò abstractum,vt albor ; & concretum, vt album. Vtraque pars spectatur partim in refellendo,partim in confirmando. Incipit Aristoteles à refutatione problematis sumpta à subiecto vel solo,vel cum accidente :& primò docet difficile esse proprium defendere , propter hanc argumentationem sophisticam, quæ pro rebus diuersis sumit subiectum per se , & subiectum cum accidente : quia quod vni attribuitur,etiam alteri attribuitur.quare non videtur esse proprium. Hic concipi possunt duo axiomata. Vnum est,Quod attribuitur subiecto per se considerato, non est proprium subiecti cum accidente considerati. Alterum, Quod attribuitur subiecto accidente affecto, non est proprium solius subiecti. Secundò cùm ait , *veluti quod inest homini*, subiicit exempla problematum, quæ hinc refelluntur.Vt puta si statuas aliquid esse proprium hominis, opponēs probabit conuenire etiam homini albo. vel si statuas esse proprium hominis albi, opponens probabit etiam conuenire homini soli. Tertiò cùm ait, *calumniari autem*, declarat fundamentum huius loci, quem tamen ait esse calumniosum & sophisticum. fundamentum est : quia supponitur aliud esse subiectum per se , aliud verò subiectū cum accidente.vnde cùm hæc diuersa supponantur: quod vtrique conuenit, non est alterutrius proprium. Quartò cùm ait, *Præterea si constituas*,transit ad alteram partem loci refellentis : vbi similiter ostendit refelli proprium, quia conuenit habitui & ei quod habet habitum,id est, (vt scholastici loquuntur)tam abstracto,quàm concreto; proinde neutrius proprium est. Sunt hîc quoque duo axiomata. Vnū est , Quod conuenit etiam abstracto , non est propriū concreti. Alterum est, Quod conuenit cōcreto,non est proprium abstracti. Quintò cùm ait,*veluti quia sciens*,adiungit exemplū, in quo reprehenditur proprium tributum habitui,quia conuenit etiā ei quod habitu præditum est. Sextò cùm ait,*In confirmatione autem*,transgreditur ad explicādum quatenùs idē octauus locus valet ad confirmandum.Cùm autem hîc quoque sint duę partes:incipit Aristoteles à priori, in qua cōsideratur subiectum solum, & cum accidēte. Hic Philosophus ponit axioma quodāmodò cōtrarium fundamēto posito in tertio membro huius particulæ. Axioma enim est,Subiectum per se, & subiectū cum accidente, sunt idem re,licet ratione differant. Hoc axioma non tam est locus,quàm fundamentum huius loci.ex eo nāque colligūtur duo axioma-

axiomata, quibus proprium confirmatur. Primum axioma est: Quod est propriũ subiecti, est etiam proprium subiecti cum accidente. veluti si proprium hominis est, esse animal disciplinæ capax: etiam proprium hominis albi erit, esse animal disciplinæ capax. Alterũ axioma est: Quod est proprium subiecti accidente affecti, recte dicitur proprium etiam subiecti simpliciter. Sextò cùm ait, *Præterea spectandi*, transit ad alterã loci partem, id est, ad cõcreta & abstracta, quæ appellat casus: & hic affert duos modos defendendi proprij. Vnus est, vt dicamus abstractũ & concretũ re idẽ esse, licet ratione differãt, vt suprà dicebam' de subiecto solo & de subiecto cũ accidẽte. Itaque hîc similiter cõcipiemus duo axiomata. Vnum est: Quod est propriũ abstracti, est etiã propriũ cõcreti. Alterũ est: Quod est proprium cõcreti, est etiam proprium abstracti. Alter modus est, vt quemadmodum aduersarius ad impugnandum proprium accipit pro rebus diuersis concretum & abstractum, seu subiectum consideratum in concreto & in abstracto: ita etiam nos separemus propriũ à proprio. inueniamus qualecũque discrimen, quo separemus proprium abstracti à proprio cõcreti. Exempli gratiã, inquit aduersarius non esse proprium scientiæ, ratione mutari non posse: quia conuenit etiam scienti; scientia verò & sciens differunt. Qui verò proprium defendet, aliter concipiet proprium scientiæ, aliter proprium scientis: ita vt scientiæ proprium sit, quę ratione mutari nequit, scientis verò propriũ sit, qui ratione mutari nequit. Sic ponitur differentia inter hęc propria: quia in illo dicebatur *quæ*; in hoc, *qui*. Nam si dicamus, quod ratione mutari nequit, ęque cõuenit sciẽtiæ & scienti: proinde neutrius erit proprium. Atqui dicet aliquis hanc proprij defensionem esse ineptam, quę tãtùm in leui discrimine verborum consistit, id est, in differentia generis masculini & feminini. Respondet Aristoteles talem quidem esse hãc defensionem, sed tamen conuenire pręsenti disputationi; quia qualis est impugnatio, talis potest esse defensio: & ei qui quoquo modo vult opponere, atque adeo subtiliter distinguere inter scientem & scientiã, licet quocunque modo occurrere, ideóque distinguere inter *qui* & *quæ*.

IN CAP. V. DE VARIIS LOCIS.

1 D*Eind[e] re[ct]ius*. Nonus locus, huius capitis primus, sumitur ab eo quod est naturã. Primo Aristoteles ponit axioma refellens: Quod naturã inest, male proponitur simpliciter, quasi semper insit. Secũdò cum ait, *vt quoniam is qui dixit*, ponit exemplum theseos, quæ ex hoc loco infirmatur. Tertiò cum ait, *Confirmat [au]tem*, ponit axioma confirmans: Quod est naturâ proprium, rectè ponitur tamquàm naturã proprium. Quartò cùm ait, *veluti quoniam is qui proprium*, subiicit exemplum.

2 *Præterea quæ di[cun]tur*. Decimus locus, huius capitis secũdus, sumitur ab eo quod est per se, vel per aliud. Primo Aristoteles ostendit difficultatem defendendi proprij, cũ aliquid inest alicui primo, & aliis ratione illius primi. quoniam hic sunt duo axiomata proprium euertentia. Vnũ est: Quod & aliis conuenit, non est primi proprium. Alterum est: Quod etiam primo competit, non est aliorum proprium. Secundò cùm ait, *veluti si quis*, declarat hunc locũ exẽplo.

3 *Accidit autem* Vndecimus locus, hui' capitis tertius, sumitur àb eo quòd modus proprij nõ est expositus. Primo Aristoteles generaliter proponit hoc vitium: & ait eos peccare, qui ponunt proprium, nec declarant quomodo sit proprium.

4 *Omnes enim*. Secundò declarat varios modos, quibus proprium accipitur.

5 *Qui igitur non a[dd]unt*. Tertiò singillarim explicit causãm, propter quã dicitur peccare, qui simpliciter ponit propriũ, nec declarat quomodo sit proprium. In hac igitur particula ostẽdit vitium eius, quod nõ explicatur esse proprium naturâ: veluti si quis dicat proprium esse hominis habere duos pedes: quia interdum præter naturã fit vt nõ habeat duos pedes. quare peccat, cùm dicat id esse proprium, quod nõ inest. quòd si exposuisset se ad naturam hominis respicere, non peccasset: quia semper natura hominis est talis vt habeat duos pedes, licet interdum præter naturã secus accidat.

6 *Qui ve[r]ò non exp[o]sunt*. Ostendit errorem seu vitiũ, cùm traditur propriũ quod inest, & id nõ exprimitur: quia scilicet proprium debet semper inesse subiecto: hoc autem, quod dicitur proprium quia inest, fortasse non semper inerit: vt aliquem hominem habere quatuor digitos. nã fortasse aliquando continget, vt nemo habeat quatuor digitos.

7 [*Peccat etiam*.] Declarat vitium in eo consistens, quod non est expositum, vtrùm insit tamquàm primo & per se, an per aliud: quia scilicet hoc proprium non soli inest. Exempli gratiã, si dicas, Superficiei proprium est colorari: reprehenderis,

quia etiam corpus coloratur. Sed si dicas proprium esse superficiei, primum colorari: non reprehenderis;quia corpus nō coloratur primum, sed ratione superficiei.Similiter si dicas proprium esse corporis, colorari:reprehenderis: quia etiam superficies coloratur. sed si proprium esse dicas, colorari per aliud:non poteris reprehendi: quia superficies nō coloratur per aliud,sed per se.

8 *Qui verò non prædixit.* Declarat vitium in eo consistens,quòd non est e positum,vtrùm insit quia res habet,an quia habetur. Dicitur habere id quod est concretum,vt sciens:dicitur autem haberi habitus, siue abstractum, vt scientia. Sensus igitur est,non esse expositum, vtrùm insit tanquàm abstracto an tanquàm concreto. ideóque erit occasio reprehendendi: quia si ponas proprium abstract. ostendetur conuenire concreto. quòd si ponas proprium concreti,probabitur conuenire etiam abstracto.quam reprehēsionem vitabis,si definias,quomodo proprium accipias.

9 *Qui verò ante.* Declarat vitium in eo consistens,quod nō est expositū, vtrum proprium sit, quia res participet, an quia communicetur. Dicitur participare species,quia est particeps generis, & differentiæ.dicitur autem communicari genus suis speciebus. peccat igitur,qui ponit propriū (exempli gratiâ)animalis;nec explicat, vtrùm intelligat proprium omnis, an alicuius animalis.

10 [*Peccat etiam*]*qui non distinctè.* Declarat vitium in eo consistens, quòd nō est expositum, vtrum sit proprium traditum speciei,an vnius sub specie contenti.Exempli gratiâ,qui dicit propriū ignis esse corpus leuissimum,nō rectè exposuit propriū: quia in igne sunt varij gradus, & alij ignes sunt aliis leuiores.quapropter nō omnis ignis est corpus leuissimum:vt pruna nō est corpus leuissimum,quia flamma est leuior prunâ;item lux est leuior,quàm flāma, vel pruna.Aristoteles enim in se partim lucē numerabit inter species ignis;non quia re vera sit ignis;sed quia,exempli gratiâ,loquitur secundum eorum sententiam, qui existimarunt lucem esse ignem.Vt igitur vitemus hoc vitium,debemus explicare quomodo accipiamus proprium nēpe nos tradere proprium speciei, id est, speciei ignis tribuere hoc proprium,vt sit res leuissima præ aliis rebus,& aliis speciebus,quæ non sint ignes.

11 *Tertium autem.* Dixit eos peccare, qui non declarāt se accipere proprium speciei:nunc ostendit eos quoque interdū peccare,qui accipiunt proprium speciei, nempe cum subiectum diuiditur in species diuersas. Cum enim traditur proprium speciei,opus est vt sit vna species.Quid ita?Aristoteles duobus argumentis hoc cōfirmat. Prius argumentum ponitur ibi,*idcirco autem*: quia si plures species sint,propriū nō æque illis cōpetet.Verbi gratiâ, ignis diuiditur in tres diuersas species,prunam,flammam,& lucem:& iis omnibus æque attribuitur:eque enim vocantur ignes.si igitur dicas proprium ignis secūdum speciem esse, constare partibus subtilissimis, peccas: quia ignis æque attribuitur prunæ,flāmæ, & luci. proprium autem non æque his tribus attribuitur,sed magis luci,quàm flammæ,& magis flammæ, quàm prunæ. Posterior ratio ponitur ibi, *Præterea a videt*: quoniam hac ratione fiet , vt proprium nō vni tantum conueniat, sed tam ei quod est simpliciter tale, vt igni, quàm ei quod est maxime tale,vt luci. Nā constare ex partibus subtilissimis(exempli causâ)conuenit & igni simpliciter siue vniuersaliter,& cuidā ignis speciei,id est,luci.non est igitur proprium ignis,quia est propriū lucis: nec est proprium lucis,quia conuenit etiam igni.

12 *Si igitur aliis.* Concludit,si aduersarius committat aliquod ex dictis vitiis; eum posse a nobis reprehendi: nos autem debere hæc vitia vitare, ne incidamus in reprehensionem,

13 *Destruit refellitur.* Duodecimus locus,huius capitis quintus,sumitur ab eodē vel diuerso.Primo Aristoteles ponit axioma refellens,Idem non est proprium sui ipsius vel,Quod est idem nō est proprium. Secundò cùm ait,*qui quia enim*,probat hoc axioma:quia proprium non significat esse idem :quod autem est idem, significat esse etiam:ergo quod est idem,non est propriū. Tertio cùm ait,*velut quo tam is qui dixit*,illustrat hunc locum exemplo.Quartò cùm ait,*Construens autem*, affert axioma confirmans,Quod non est idem , & cum re reciprocatur, proprium est. Quintò cùm ait, *veluti quoniam is qui posuit*,subiicit exemplū.

14 *Deinde in iis.* Decimus tertius locus,huius capitis sext',sumitur a similaribus. Dicuntur autem res constare ex partibus similaribus, cùm eadem ratio est totius & partiū.talis est aqua,caro,& similia. nā pars aquæ est aqua:& pars carnis est caro. Primo Aristot. proponit generale preceptum,vt inspiciamus & argumentū quæramus in iis quæ constant ex partibus similaribus.Secundo cùm ait,*Refellentis videtur*,

propo-

proponit axioma refellens; quod est biperti tū,ita vt diuidatur in duo axiomata. Cum enim res constat ex partibus similaribus: quod non est proprium totius,non est proprium partis:& retrò quod nō est propriū partis,non est proprium totius:quia (vt supra diximus)totius & partis eadem est ratio. Tertiò cum ait, *Hoc autem in quibusdam*, ostendit interdū hic peccari ab iis qui theses conscribunt.quandoque enim respiciūt ad totum, id est tradunt proprium totius, quod non conuenit parti: quādoque è contrario respiciunt ad partē,& tradunt proprium partis,quod non conuenit toti. Ita committūtur duo errores: quia proprium cōuenit vel soli toti,vel soli parti. Quartò cùm ait, *Exemplum totius*, dat exemplum prioris erroris. Quintò cùm ait, [*Exemplum*] *autem partis*, adiungit exemplum secūdi erroris. Sextò cùm ait, *Confirmandi autem*, proponit axioma confirmās:quod similiter est bipertitū.Quod enim est proprium totius, est etiam proprium partis:& quod est proprium partis, est etiam proprium totius. Septimò cùm ait, *veluti quia verè*, adiūgit exemplum perspicuum.

IN CAP. VI. QVO PROPONVNTVR LOCI AB oppositis.

1 PRaeterea ex oppositis. Decimus quartus locus,huius capitis primus,sumitur à contrariis. Primò Aristoteles proponit cōmune præceptum.Secundò cùm ait, *& reprehendentis*, proponit axioma refellēs. Quod vt clare intelligatur,constituātur quatuor termini,ita vt secūdum sit contrarium primo,& quartum sit contrarium tertio. His positis,axioma est:Si tertium non est proprium primi,quartum non erit proprium secundi. Hoc est,quod Aristoteles ait,vidédum esse *an cōtrarium*(id est,tertium,quod est contrarium quarto) *non sit contrary*(id est, primi, quod est contrarium secundo) proprium:*quia nisi hoc sit*[*nec alterius*] *contrarij*,(id est,secundi,quod est contrarium primo) *erit proprium,contrarium* [*alterum*,] id est quartum,quod est cōtrarium secundo. Similis interpretatio erit sequentium axiomatum huius capitis.Tertiò cùm ait, *veluti quia contrarium est*, illustrat hūc locū exēplo.

2 *Confirmantis autem.* Quartò proponit axioma confirmās. Cùm enim sint quatuor termini,vt suprà:axioma affirmatiuum est: Si tertium est proprium primi,etiam quartum erit proprium secundi. Quintò cùm ait, *veluti quia contrarium bono*, adiungit perspicuum exemplum.

3 *Secūdus* [*locus*.] Decimus quintus locus,huius capitis secūdus,sumitur à relatis. Primò Aristoteles proponit præceptum cōmune. Secundo cùm ait, [*Sic enim*] *refellitur*, proponit axioma refutans. Hic quoque sunt quatuor termini,ita vt secundus referatur ad primum,& quartus ad tertium. Axioma verò est: Si tertium non est proprium primi,quartum non erit proprium secundi. Tertiò cùm ait, *veluti quia*, adiungit manifestum exemplum.

4 [*Sic*] *autem confirmatur.* Quartò proponit axioma confirmans, videlicet,Si tertium est proprium primi, etiam quartum est proprium secundi.Quintò cùm ait, *veluti quia*, adiungit exemplum perspicuum.

5 *Tertius locus.* Decimussextus locus, huius capitis tertius,sumitur à priuātibus, siue ab habitu & priuatione. Primò Aristoteles ponit axioma refutans. Hic quoque sunt quatuor termini:primus & secundus significant habitus: tertius & quartus priuationes. Axioma est:Si secundum non est proprium primi, quartum non est proprium secundi. Secundò cùm ait, *& si id quod*, adiungit alterum axioma refutans; nempe, Si quartum non est propriū tertij, neque secūdum erit proprium primi. Hæc enim ita reciprocantur. Tertiò cùm ait, *veluti quia non dicitur*, dat exemplum posterioris axiomatis in quo primus terminus est auditus; secundus est sensus;tertius est surditas; quartus,vacuitas sensus.

6 *Confirmatur autem.* Quartò ponit axioma confirmans: Si secundum est proprium primi,etiam quartum est proprium tertij. Quintò cùm ait, *& si id quod*, proponit alterum axioma cōfirmans; nempe, Si quartum est proprium tertij,etiam secundum est proprium primi. Sextò cùm ait, *veluti quia proprium*, proponit exéplum prioris axiomatis confirmantis, in quo arguitur ab habitu ad priuationem.

7 *Deinde ex affirmationibus.* Decimus septimus locus,huius capitis quartus, à contradicentibus sumitur. Hic locus diuiditur in tres partes. In prima conferuntur duo attributa cum vno subiecto: in secunda duo attributa cum duobus subiectis: in tertia vnum attributum cum duobus subiectis. Primò Aristoteles generaliter proponit locum à contradicentibus. Secundò cùm ait, *a primum*, proponit primam partem huius loci à pluribus attributis collatis cum vno subiecto. Tertiò cùm ait, *est autem hic locus*, docet hunc locum valere tantùm ad refutandum, non ad confirmandum. Quartò cùm ait, *veluti si affirmatio*, proponit axioma refellēs, in quo arguitur

ab affirmatione ad negationem, videlicet, Si affirmatio, seu quod affirmatur, subiecti proprium est: negatio, seu quod negatur, eius subiecti proprium non erit. id est, si proprium concipitur affirmatiue, nō potest etiam concipi negatiue. veluti si hominis proprium est, esse aptum ad ridendum: certe hominis proprium esse nequit, non esse aptum ad ridendum. Quintò cùm ait, *& si negatio*, adiungit alterum axioma refellens, quo arguitur à negatione ad affirmationem; videlicet, Si negatio, seu quod negatur, est proprium: affirmatio, seu quod affirmatur, non est proprium. Veluti si proprium intellectus est, non esse mortalem: certe proprium eius non est, esse mortalem. Sextò cùm ait, *veluti quoniam*, dat exemplum prioris axiomatis, quod tamen secundum Aristotelis sententiam verum non est. nam fingit proprium animalis esse animatum, cùm hoc etiam plantis licet obscuriùs conueniat.

8 *Secundus* [*locus.*] Transit ad secundam partem huius loci. & Primò proponit communē notam à duobus attributis collatis cum duobus subiectis. Communem appello; quia æque pertinet ad axiomata confirmantia, & refutantia. Secundo cùm ait, [*& sic*] *quidem refellitur*, proponit axioma refutans. Quod vt intelligatur, statuendi sunt quatuor termini: ita vt primus sit subiectum affirmatiue conceptum, vt homo: secundus, idem subiectum negatiuè conceptum, vt non-homo: tertius, attributum affirmatiuum, vt animal: quartus, idem attributum negatiue conceptum, vt non-animal. His positis, axioma est: Si tertium non est proprium primi, nec quartū erit proprium secūdi. Tertiò cùm ait, *& si negatio*, addit alterum axioma refutans: Si quartum non est proprium secūdi, nec tertium erit proprium primi. Quartò cùm ait, *veluti quoniam animal*, dat exemplum prioris axiomatis. Quintò cùm ait, *& si eius quod non est*, adiūgit exemplum posterioris axiomatis.

9 [*Sic*] *autem confirmatur.* Sextò proponit axioma confirmans: Si tertium est proprium primi, etiam quartum erit propriū secūdi. Septimò cùm ait, *Si verò negationis*, ponit alterum axioma confirmans: Si quartum est proprium tertij, etiam secūdum erit proprium primi. Octauò cùm ait, *veluti quia*, dat exemplum posterioris axiomatis confirmantis. Nonò cùm ait *quòd si rursus*, dat exēplum prioris axiomatis cōfirmantis.

10 *Tertius* [*locus.*] Transit ad tertiam partem loci decimiseptimi. Ac primò proponit notam communem, id est, ab attributo collato cū duobus subiectis. Intellige duo subiecta: quia est eadem res modo affirmatiue, modo negatiue accepta vt animal, & non animal. quomodo etiā supra accipiebātur tā duo subiecta, quàm duo attributa. Secūdo cum ait, [*et*] *refellitur*, proponit axioma refutans: Si attributum est propriū subiecti affirmatiue concepti, non erit proprium eiusdem subiecti negatiue cōcepti. Tertiò cùm ait, *sin autē quod*, addit alterū axioma refutans. Si attributum est propriū subiecti negatiue concepti, non erit proprium eiusdem subiecti affirmatiue concepti. Quartò cùm ait, *veluti quoniam*, dat exemplum prioris axiomatis.

11 [*Sic*] *autem confirmatur.* Quintò proponit axioma confirmans, nempe, Si attributum non est proprium subiecti affirmatiue concepti, erit proprium eiusdem subiecti negatiue concepti. Potuisset hîc quoque addere alterum axioma: Si attributum non est proprium subiecti negatiue concepti, erit proprium eiusdem subiecti affirmatiue concepti. Sed hoc breuitatis causâ neglexit: quia (vt mox docebit) hic locus ad confirmandum non valet: hæc enim axiomata sunt falsā. Nam cùm subiicit, *Sed hic locus*, ostendit hunc locum esse falsum qui sumitur ad confirmandum: quoniam affirmatio non potest esse propria negationis, neque negatio potest esse propria affirmationis. Exempli gratiā, esse corpus, nō potest dici proprium nō-hominis. item non esse lapidem, nō potest dici proprium hominis. Hinc apparet falsitas illorum axiomatum: aut enim attributum sumitur affirmatiuè, aut negatiuè. Si sumatur affirmatiue: necesse est illud axioma esse falsum, quo dicebatur, si non est proprium affirmationis, esse proprium negationis: iam enim diximus affirmationem non posse esse propriam negationis. quòd si accipiatur attributum negatiuum, nullo modo potest esse proprium affirmationis: ergo non potest inde inferri, quòd sit proprium negationis: alioqui quæuis negatio probaretur esse propria negationis, quia non potest esse propria affirmationis oppositæ. Exempli gratiā, non esse lapidem, non est proprium hominis. ergo si axioma illud esset verum, hoc esset proprium non hominis. Rursus non est proprium equi: ergo erit proprium non equi. Item non est proprium bouis: ergo est proprium non bouis. Insuper non est proprium plantæ: ergo

ergo est proprium non plantæ. Possent alia infinita exempla adiungi. Ita fieret, vt proprium conueniret infinitis subiectis, cùm tantum vni inesse debeat. Quòd autem nec affirmatio possit esse propria negationis, nec negatio affirmationis, Aristoteles probat, cum ait, *etenim affirmatio.* Probatio talis est: Affirmatio negationi nõ attribuitur; ergo negationis propria non est. Consequentia est manifesta. Antecedens potest confirmari exemplis, seu per inductionem. Exempli gratiâ, hæc propositio, non-homo est corpus, falsa est: quia non-homo est nomen infinitum, vt didicimus ex lib. de interpretatione; ita vt significet & ea quæ sunt, & ea quæ non sunt. quapropter si omnis non-homo esset corpus, etiam res incorporeæ, vt angeli, essent corpora: item ea quæ non sunt, essent corpora. Et quoniam corpus estens: ea quæ non sunt, essent species entis: quod est absurdum. Quod verò attinet ad negationem, ait Aristoteles negationem posse quidem attribui affirmationi, non tamen vt sit eius propria, id est, nõ ita vt ei soli cõueniat. Hoc quoq; potest confirmari exẽplis seu per inductionem. Exempli gratiâ, non esse lapidẽ, attribuitur homini, sed & multis aliis rebus. Eidem ratio est omnium aliorum attributorum negantium, siue infinitorum.

12 *Deinde ex condiuidentibus.* Decimus octauus locus, huius capitis quintus, sumitur à condiuidentibus, id est, ab iis quæ in eadem diuisione ponuntur, & sibi inuicem opponuntur tamquàm membra diuidẽtia: cuiusmodi sunt rationale & irrationale, quibus diuiditur animal. Primò Aristoteles proponit communem notam à condiuidentibus. Secundò cùm ait, *refellitur si condiuidentium,* ponit axioma refutans. Quod vt intelligatur, statuantur quatuor termini; ita vt primus & secundus ponantur in eadem diuisione alicuius rei, tertius autem & quartus ponãtur in alia diuisione, vt puta alia est diuisio animalis in mortale & immortale alia in sensibile & intelligibile. His positis, axioma est: Si tertium non est proprium primi, etiam quartum non erit proprium secundi. Idem erit axioma, si dicas: Si quartum non est proprium secundi, etiam tertium non erit proprium primi. Tertiò cùm ait, *veluti quoniam,* illustrat hũc locum exemplo.

13 *Confirmatur autem.* Quartò ponit axioma confirmans: Si tertium est proprium primi, etiam quartum est proprium secundi. Quintò cùm ait, *veluti quia,* illustrat hoc axioma exemplo.

IN CAP. VII. QVO CONTINENTVR ALII DIVERSI loci.

1 Deinde ex casibus. Decimus nonus locus, huius capitis primus, sumitur à casibus seu coniugatis. Primò Aristoteles ponit communem notam à casibus. Secundò cùm ait, *refellitur si* [*ille,*]ponit axioma refellens. Quod vt intelligatur, statuendi sunt quatuor termini: ita vt duo priores sint inter se coniugati, veluti iuste & iusti: item duo posteriores sint inter se coniugati, veluti honestè & honesti. His ita positis, axioma est: Si tertium non est proprium primi, etiam quartum non est proprium secundi. Tertiò cùm ait, *veluti quoniam,* illustrat hunc locum exemplo.

2 *Confirmanti autem.* Quartò proponit axioma confirmans: Si tertium est proprium primi: etiam quartum est proprium secundi. Quintò cùm ait, *veluti quia,* declarat hoc axioma exemplo.

3 *Non solùm autem.* A casibus simpliciter consideratis transit ad argumentum à casibus oppositis: & Primò ponit hoc præceptum, quòd non solùm oportet considerare casus seu coniugata rei propositæ, sed etiam casus oppositos.

4 *Et refellitur quidem.* Secundò proponit axioma refutans. Quod vt intelligatur, statuantur quatuor termini: quorum duo priores sunt inter se oppositi, vt iuste & iniuste: item duo posteriores sunt inter se oppositi, vt benè & malè: ita vt tertius terminus attribuatur primo, & quartus secundo. veluti, quod est iustè, est bene: & quod est iniuste, est malè. His ita positis, axioma est. Si tertium non est proprium primi, nec quartum erit proprium secundi. Tertiò cùm ait: *veluti quia,* subiicit exemplum huius loci.

5 *Confirmatur autem.* Quartò proponit axioma confirmans: Si tertium est proprium primi, etiam quartum erit propriũ secundi. Quintò cum ait, *veluti quia,* declarat hoc axioma exemplo.

6 *Deinde ex iis,* Vigesimus locus, huius capitis secũd⁹, sumitur à proportione. Primò

Aristoteles ponit communem notam, quã vocat ab iis quæ similiter se habẽt, id est, à proportione. proportio enim in iis spectatur, quæ similiter se habent. Secundò cùm ait, *refellitur quidem*, proponit axioma refutans. Quod vt intelligatur, statuantur quatuor termini: ita vt primò ponatur subiectũ, veluti ædificator; secundo attributũ illius subiecti, vt facere ædẽ; tertiò aliud subiectũ, vt medicus; quartò attributum secũdo subiecto, vt efficere sanitatem. His ita positis, axioma est. Si secũdum non est proprium primi, etiam quartum non erit proprium tertij. Tertiò cùm ait, *veluti quia*, apponit huius loci exemplum.

7 *Confirmatur autem.* Quartò proponit axioma confirmans: Si secundum est proprium primi, etiam quartum erit propriũ tertij. Quinto cum ait, *veluti quia*, dat exemplum axiomatis confirmantis.

8 *Deinde ex iis.* Vigesimus primus locus, huius capitis tertius, sumitur ab iis quę eodem modo se habent. Hic locus differt à præcedenti, qui sumebatur ab iis quæ similiter se habent: quoniam ibi considerabantur quatuor termini, hîc tãtùm tres. cõfertur enim vnũ attributum cum duobus subiectis, ergo quæ similiter se habet. Sint igitur tres termini: primò subiectũ, vt prudentia: secundo alterum subiectum, vt iustitia: tertiò attributũ, quod æquè dici potest de vtroque subiecto, vt efficere hominem beatum. Primò Aristoteles ponit communem notam. Secundò cùm ait, *refellitur si [id]*, ponit axioma refutans: Si tertium non est proprium primi, similiter non erit proprium secundi. videlicet quia supponebamus eodem modo referri tertium ad primum, & ad secundum. Tertiò cùm ait *si verò [illius,]* proponit alterum axioma refutans, nempe, Si tertium est proprium secũdi, non erit proprium tertij. Quarto cum ait, *veluti quoniam*, vult illustrare hunc locũ exemplo: Sed exemplum huic loco nõ conuenit. cõferebamus enim vnũ attributum cum duobus subiectis: in hoc autem exemplo conferuntur duo attributa, id est, scientia honesti & scientia inhonesti, cum vno subiecto, id est, cum prudentia. Itaque hic locus manifeste mendosus est: & vel est falsum glossema, quod perperam irrepsit in contextum; vel multa verba desiderantur, quibus hoc exemplum cohærebat, quod pertinet (vt dixi) ad collationem duorum attributorum cum vno subiecto. Ceterum quia sequentia verba non cohærent huic exẽplo, videtur [illegible] ex illis verbis colligit mendum in hoc contextu) dempto autem hoc exemplo, commode cohærent verbis præcedentibus: idcirco puto hoc exemplum esse delendũ, quod videtur ex falsa interpretatione irrepsisse. At, *si verò est prudentiæ*, &c. Sententia horum verborum est falsa: quia possunt esse multa propria vnius subiecti, vt dictum fuit ca. 4. part. 4. & dicetur etiam infrà cap. 8. par. 10. & 15. Vnde hinc etiam apparet verba non esse Aristotelis. Quinto cum ait, *fieri enim nequit*, probat posterius axioma: quia non potest idem proprium tribui multis subiectis, quandoquidem debet cum vno subiecto reciprocari. recte igitur dictum est, si tertium est proprium primi, non esse proprium secundi.

9 *Confirmanti autem.* Sextò docet hunc locum non valere ad confirmandum: quia (vt dictum est) non potest vnum propriũ dici de multis subiectis. Ex eo igitur, quod est proprium vnius, nõ potest probari proprium alterius. Rurius ex eo quòd non est proprium vnius, nó potest probari esse proprium alterius: quia supponimus attributum eodem modo se habere ad vtrúmq; subiectum: non eodem autem modo se haberet, si vnius esset proprium, alterius non proprium.

10 *Deinde refellitur.* Vigesimus secundus locus, huius capitis quartus, sumitur ab esse, vel fieri, vel corrumpi. Hic sunt sex axiomata, prout sũt tres termini, esse, fieri, corrumpi; & à singulis sumuntur duo axiomata. Aut enim arguimus ab esse ad fieri, aut ab esse ad corrumpi. rursus à fieri ad esse, aut à fieri ad corrumpi. tandem à corrũpi ad esse, aut à corrumpi ad fieri. Ita sunt sex axiomata, quibus vtimur ad refellendũ: & alia totidem, quibus vtimur ad confirmãdum. Nos concipiemus quædam axiomata: quiuis enim potest per se alia supplere. Primo Aristoteles cõsiderat in hac particula axiomata refellentia: deinde in seq. part. axiomata confirmantia. Quod ad refellendum attinet: primò arguit ab esse ad fieri, & ad corrumpi. Hic igitur sunt duo axiomata. quæ vt intelligantur, sumãtur sex termini, id est, tria subiecta, & tria attributa: ita vt in primo subiecto & in primo attributo ponatur verbum esse: in secũdo autem subiecto & in secũdo attributo ponatur verbũ fieri: in tertio autem subiecto & in tertio attributo ponatur verbũ corrumpi. sed eadẽ res sumatur pro subiecto in tribus primis terminis, & eadem res pro attributo in tribus posterioribus terminis. Verbi gratia, sint hi sex termini; hominem esse, hominẽ fieri, hominẽ corrumpi; animal esse, animal fieri

fieri, animal corrumpi. His positis, primum axioma est: Si primum attributum non est proprium primi subiecti, nec secundum at tributum erit proprium secundi subiecti. Alterum axioma est: Si primū attributum nō est proprium primi subiecti, nec tertiū attributum erit proprium tertij subiecti. Secundo cum ait, *veluti quia non est*, declarat hoc axioma exemplo. Tertio cum ait, *eodem modo sumendum*, docet eodem modo posse sumi argumenta à fieri, & à corrumpi, quo modo sumpsimus argumēta ab esse. Nam à fieri similiter sumuntur duo axiomata, quę ve clare proponantur, retineātur sex illi termini, quos suprà poneuamus, vt etiam in se iectibus axiomatis huius loci. Vnum ergo axioma est: Si secundum attributum non est proprium secundi subiecti, nec primum attributum erit proprium primi subiecti. Alterum axioma est: Si secundum attributum nō est proprium secundi subiecti, nec tertium attributum erit proprium tertij subiecti. Itidem à corrumpi sumuntur duo axiomata. Primum axioma est: Si tertium attributum non est proprium tertij subiecti, nec primum attributum erit proprium primi subiecti. Alterum axioma est: Si tertium attributum non est proprium tertij subiecti, nec secundum attributum erit proprium secundi subiecti.

11 *Confirmatiua autem.* Transit ad axiomata confirmantia: & primo proponit duo axiomata ab esse ad fieri, & ad corrumpi, id est, Si primum attributum est propriū primi subiecti, etiā secundum attributum est proprium secundi subiecti. Item, Si primum attributum est proprium primi subiecti, etiā tertium attributum est propriū tertij subiecti. Secundo cùm ait, *veluti quia*, illustrat hæc axiomata exemplis. Tertiò cùm ait, *eodem modo sumendum*, docet eodem modo sumenda esse reliqua quatuor axiomata affirmantia, id est duo sumpta à fieri, & duo sumpta à corrumpi.

12 *Deinde ex ipsis re.* Vigesimustertius locus, huius capitis quintus, ab idea, cōtra eos valet, à nobisq; adhiberi potest qui ponunt ideas, vel etiam cōtra Platonicos. Primò Aristoteles ponit cōmune præceptum, vt respiciat ur ad ideā; siue confirmare propriū vel mus, siue confirmare. Secundo cum ait, [*a*]*refellitur*, proponit axioma refellens, bipertitum: ita vt hinc efficiantur duo axiomata. Primum est. Quod ideæ non conuenit, id non est proprium eius rei, cuius est idea: vt quod non conuenit ideæ homi nis, non est proprium hominis. Alterum axioma est: Quod ideæ alicuius rei conue-

nit, nō quatenus est illius rei idea, sed quatenus est idea simpliciter; id non est eius rei proprium. Secundò cum ait, *ut quia ipsi*, dat exemplum posterioris axiomatis.

13 *Confirmatur autem.* Tertiò proponit axioma confirmans: Quod ideæ conuenit, quatenus est huius rei idea: id huius rei proprium est. Quartò cùm ait, *veluti quia*, illustrat hoc axioma exemplo.

IN CAP. VIII. DE LOCIS A COMPARATIONE.

1 Deinde [*argumendū.*] Vigesimus quartus locus, huius capitis primus, sumitur ab eo quod est magis, vel minùs, vel simpliciter. Hic loc⁹ diuiditur in quatuor partes. In prima confertur vnum attributū cum vno subiecto: in secunda conferuntur duo attributa cum duobus subiectis: in tertia vnum attributum cū duobus subiectis: in quarta duo attributa cum vno subiecto. Initio igitur Aristoteles proponit notionem ab eo quod est magis, vel minus: supple, vel simpliciter: nā ex huius mentionem faciet. Deinde incipit explicare singulas partes & cum ait, [*a*] *primum*, proponit quatuor axiomata refellentia, quæ sumuntur ab eo quod est magis. Vt hæc axiomata intelligantur, sumendi sunt duo termini, id est, vnum subiectum, vt corpus; & vnum attributum, vt colorari. Vterque autē terminus considerandus est quinq; modis, id est, magis, minus, maximè, minimè, simpliciter. Ita faciemus quinque subiecta, & quinque attributa: ita vt ab attributione vnius attributi de vno subiecto argumentemur ad reliquas attributiones. Dispo natur autem (exempli gratiâ) hoc ordine: primò subiectum magis, vt magis corpus: secundo subiectū minus, vt minùs corpus: tertiò subiectum minimè, vt minimè corpus: quartò subiectum maximè, vt maximè corpus: quinto subiectū simpliciter, vt corpus. Similiter disponātur attributa: primò attributum magis, vt magis colorari: secundò attributum minùs, vt minùs colorari: & ita deinceps. His positis, concipiuntur quatuor axiomata hypothetica negātia, in quibus omnibus eadē sumitur hypothesis, Si primum attributum nō est proprium primi subiecti: veluti si magis colorari, nō est proprium eius quod est magis corpus. Huic autē hypothesi in primo axiomate adiun-

g tur; secundum attributum non erit proprium secundi subiecti in secundo axiomate tertium attributum non erit proprium tertij subiecti in tertio axiomate, quartum attributum nõ erit proprium quarti subiecti in quarto axiomate, quintum attributum non erit propriũ quinti subiecti. Deinde cùm ait, *veluti quia*, illustrat hæc axiomata exemplis.

2 *Confirmatur autem.* Ab axiomatis refellentibus transit ad axiomata confirmantia, quæ similiter sunt quatuor similia præcedentibus. Nam si ex præcedentibus demas negationem, & ex negantibus facias affirmantia, habebis quatuor axiomata confirmantia. Deinde cùm ait, *veluti quia*, illustrat hæc axiomata exemplis.

3 *Ex eo quoque.* Hactenus argumentatus est ab eo quod est magis: nunc argumentatur ab eo quod est simpliciter, & primò proponit præceptum, & axiomata refellentia quæ sunt quatuor similia superioribus. Secundò cùm ait, *veluti quia*, illustrat hæc axiomata exemplis.

4 *Confirmantis autem.* Quartò proponit quatuor axiomata confirmantia, quæ sumuntur ab eo quod est simpliciter, & sunt præcedentibus similia. Quintò cùm ait, *veluti quia*, illustrat hæc axiomata exemplis.

5 *Eodem modo.* Cùm tradiderit octo axiomata ab eo quod est magis, id est, quatuor refellẽtia, & quatuor confirmantia, & totidẽ ab eo quod est simpliciter: breuitatis causâ reliqua axiomata nõ proponit: sed ait similiter esse concipienda: nimirum vt sumãtur octo axiomata ab eo quod est maxime, & totidem ab eo quod est minime.

6 *Secundo* [*loco*.] Exposita est prima pars loci vigesimi quarti: sequitur secunda, in qua conferũtur duo attributa cũ duobus subiectis. Sumantur igitur quatuor termini: primò primum subiectum, vt anima: secundò secundum subiectum, vt homo: tertiò primum attributum, vt sentire: quartò secundũ attributũ, vt scire: ita vt primum attributum attribuatur primo subiecto, & secundum attributum attribuatur secundo subiecto. His positis, explicemus contextum. Primo proponit Philosophus axioma refutans, quod vulgo vocatur a maiori ad minus. Supponit enim primum attributum magis dicendum esse proprium primi subiecti quàm secundum attributũ secundi subiecti. Hoc posito, axioma ita concipitur: Si primum attributum non est proprium primi subiecti, multo minus secundum attributum erit proprium secũdi subiecti. Secundò cùm ait, *veluti quia*, declarat hunc locum exemplo.

7 *Confirmatur autem.* Tertiò proponit axioma confirmans, quod vulgo vocat à minori ad maius. Sic autem concipitur, suppositis terminis antea positis: Si secundum attributum est proprium secundi subiecti, etiam primum attributum erit proprium primi subiecti. Quarto cum ait, *veluti quia*, declarat hunc locum exemplo.

8 *Tertio* [*loco*.] Sequitur tertia pars loci vigesimi quarti, in qua confertur vnũ attributum cum duobus subiectis. Primò proponit Aristoteles axioma refellẽs, quod vt planius intelligatur, supponamus attributum magis esse proprium primi quam secundi subiecti. Axioma igitur (vt vulgò loquuntur) à maiori ad minus, ita cõcipitur. Si attributum non est proprium primi subiecti, multò minus erit proprium secundi subiecti. Secundò cùm ait, *quod si illius*, adiungit aliud axioma refellens: Si attributum est proprium primi subiecti, certè non erit proprium secundi subiecti. Ratio est: quia (vt supra notauimus) propriũ cõuenit vni tantum subiecto, cum quo debet reciprocari. Tertiò cum ait, *veluti quia coloratum*, dat exẽplum prioris axiomatis. Quarto cùm ait, *si verò est*, accommodat hoc exemplum posteriori axiomati.

9 *Confirmantis autem.* Ostendit hunc locum non valere ad confirmandum.

10 *Quarto* [*loco*.] Transit ad quartam partem loci quadragesimi secundi, in quo conferuntur duo attributa cum vno subiecto. Vt autem clariùs hic locus explicetur, supponamus primum attributum magis esse proprium subiecti, quàm secundum attributum. Primo Aristoteles proponit axioma refellens, quod vulgò appellatur à maiori ad minus: Si primum non est propriũ subiecti, multo minùs secundum erit proprium eiusdem subiecti. Secundo cum ait, *veluti quia magis*, declarat hunc locum exemplo.

11 *Confirmatur autem.* Tertio proponit axioma confirmans, quod vulgò appellatur à minori ad maius: nempe, Si secundum est proprium, multo magis primum erit proprium. Atqui contrarium dictum est cap. præced. part. 8. membro 4. Sed dico totum membrum esse deleendum, supra monui. Quartò cùm ait, *veluti quia minus*, illustrat hoc axioma exemplo.

12 *Deinde* [*argumentum*.] Vigesimus quintus locus, huius capitis sec dus, sumitur ab iis quæ æquè insunt. Hic locus diuiditur

uidetur in tres partes. In prima confirmantur duo attributa cum duobus subiectis: in secũda duo attributa cum vno subiecto: in tertia vnum attributum cũ duobus subiectis. Initiò Aristoteles generaliter proponit locum ab iis quę similiter insunt. Deinde cùm ait, [*&*] *primum quidem*, incipit explicare primam partem: ac ponit axioma refellens. Quod vt intelligatur, sumẽdi sunt quatuor termini, id est, duo subiecta, & duo attributa: ita vt æquè primũ attributũ insit primo subiecto, & secundum attributum secundo subiecto. His positis, axioma ita concipitur: Si primum attributum non est proprium primi subiecti, etiam secundum attributum non est proprium secũdi subiecti. Deinde cùm ait, *veluti quoniam æquè*, declarat hunc locum exemplo.

13 *Confirmatur autem.* Tertiò proponit axioma confirmans: Si primum attributum est proprium primi subiecti, etiam secundum attributum erit proprium secundi subiecti. Quartò cùm ait, *veluti quia æquè*, illustrat hunc locum exemplo.

14 *Secundo* [*loco.*] Transit ad secundam partem huius loci, in qua considerantur duo attributa, quæ æque insũt in eodẽ subiecto. Primò proponit Aristoteles axioma refutans: Si primũ attributum non est proprium, etiam secundum non erit proprium. Secundo cùm ait, *veluti quia*, illustrat hunc locum exemplo.

15 *Confirmatur autem.* Tertiò proponit axioma confirmans: Si primum attributum est proprium, etiam secundum erit proprium. Quartò cùm ait, *veluti quia*, declarat hoc axioma exemplo.

16 *Tertio* [*loco.*] Transgreditur ad tertiam partem eiusdem loci, in qua cõfert vnum attributũ cum duobus subiectis, quibus æque inest, & primò proponit axioma refellens: Si attributum non est proprium primi subiecti etiam non erit proprium secundi subiecti. Secundò cùm ait, *si verò illius*, addit alterum axioma refellens: Si attributum est proprium primi subiecti, non erit proprium secundi: quia scilicet idẽ proprium non conuenit pluribus subiectis, vt antea notauimus. Tertiò cùm ait, *veluti quia incendere*, dat exemplum prioris axiomatis. Quartò cùm ait, *at si sit*, accommodat exemplum posteriori axiomati.

17 *Confirmanti autem.* Quintò docet hunc locum non valere ad confirmandum: nempe quia proprium non potest attribui multis subiectis.

18 *Differt autem.* Declarat discrimen huius loci vigesimiquinti ab iis quæ similiter insunt, & loci vigesimi ab iis quę similiter se habẽt quoniã in vigesimoquinto loco cõsideram' inesse, & vis loci in eo est posita, quòd attributũ inest in subiecto; Vnde quod similiter inest, debet similiter esse proprium, vel similiter non esse proprium: Sed in loco vigesimo nõ habebatur ratio & inesse, sed tantùm proportionis; vt quia æque se habet secundum ad primum, & quartum ad tertium: aliud autem est, eodem modo se habere ad primum; aliud verò, eodẽ modo inesse in primo. potest enim aliquid ad alterum referri, nec tamen in eo inesse. Exempli gratiâ, quomodo se habet album ad nigrum, ita se habet iustum ad iniustum: quia vtrobique est contrarietas: sed nec album inest in nigro, nec iustum in iniusto. Non fuit autem opus, vt Aristoteles distingueret vel hunc locum vigesimumquintum, vel dictum locum vigesimum à loco vigesimoprimo: quia distinctio per se patet: cùm in loco vigesimo & vigesimoquinto sumantur interdum quatuor termini, interdum duo termini, in loco autem vigesimoprimo semper tres termini. Vt tamen apertiùs intelligatur etiam horum locorum distinctio: sciendum est eodem modo distingui vigesimumquintum à vigesimoprimo, quo modo distinguitur à vigesimo: nempe in vigesimo quinto consideramus inesse in subiecto: in vigesimo autem & vigesimoprimo consideramus analogiã absque eo quòd insit in subiecto, ideóq; tã in vigesimo, quàm in vigesimoprimo vtebatur Aristoteles verbo ἔχειν, id est, se habere, siue affectũ esse: in loco autem vigesimo quinto vtitur verbo ὑπάρχειν. vigesimũ primum autem à vigesimo antea distinximus: quia in vigesimo sunt quatuor termini, in vigesimoprimo verò tres.

IN CAP. IX. DE LOCIS A POTESTATE ET hyperbole.

1 *Deinde refellitur.* Vigesimussextus locus, huius capitis primus, sumitur à potestate. Primò Aristoteles proponit axioma refellens: Si proprium in potestate consistat, male accommodatur ei quod nõ est, nisi ei quoque possit inesse. Hoc axioma eget declaratione. Dicitur proprium cõsistere in potestate, siue sumi à potestate: veluti cùm dicitur homo esse risibilis. Vt

enim Porphyrius docuit, homo dicitur risibilis, non quia semper actu rideat, sed quia habet potestatem ridendi. Similiter à potestate proprium sumitur, si homo dicatur esse disciplinæ capax. Huiusce modi igitur propria non debent accommodari non-enti, nisi etiam conueniant non-enti. Quomodo autem conueniāt non-enti, explicabo ad seq. particulam. Secundo cùm ait, *veluti quoniam is qui dixit*, illustrat hunc locũ exemplo. Finge (inquit) proprium aeris poni, esse respirabile. hoc proprium sumitur à potestate. nam respirabile est, quod respirari potest. accommodatur autem etiam ad non-ens. cui non potest conuenire: malè igitur traditum est. Accommodari ad non ens, Aristoteles ita probat: Supponamus nō esse animal, & esse aërem quod possumus supponere: quia animal est posterius aëre; sicut etiam initio mūdi fuit aër, antequàm essent animalia. tunc igitur aër dicetur respirabilis; quia verum proprium de quo loquimur, conuenit omni & semper. quòd si aer est respirabilis, oportet esse aliquid quod respiret. hoc autē nō potest esse nisi animal. qui igitur dicit proprium aëris esse respirabile, ille dicit animal respirare, etiā quando non est: quia nisi animal posset respirare, aer non posset respirari. atqui antequàm esset animal, aer poterat respirari, si hoc est verum propriũ aeris. ergo animal, antequàm esset, poterat respirare. atq; ita non-enti, id est, animali quod nondũ est, attribuitur respiratio: quod est impossibile.

2 *Confirmatur autem.* Tertiò proponit axioma confirmans: quod est bipertitũ. rectè enim traditur proprium, siue referatur tantùm ad ens, siue referatur ad non ens, dummodò illi non enti conueniat. Sic igitur sunt duo axiomata. Vnum est, Proprium enti rectè tribuitur. Alterum est, Proprium rectè tribuitur non enti, cui cōuenit: veluti materiæ primæ, quæ dicitur non ens, vt explicatur primo Physico, tribuitur proprium potestate, nempe vt possit recipere omnes formas. Quartò cum ait, *veluti quoniam*, dat exemplum prioris axiomatis confirmantis.

3 *Deinde reprehensum.* Vigesimusseptimus locus, huius capitis secundus, sumitur ab hyperbole seu superlatione. Primò Aristoteles ponit axioma refellens. Quod in superlatione consistit, non est verum proprium. Dicitur autem in superlatione sic e hyperbole consistere, quod exprimitur nomine superlatiui gradus veluti, esse leuissimũ, aut constare ex partibus subtilissimis. Secundò cùm ait, *accidit enim*, probat hoc axioma ex eo, quòd huiusce modi propriũ non reciprocatur cum subiecto: sublato namque subiecto, proprium manet, utpote cum attribuatur sequenti subiecto. Nam si ignis est corpus leuissimum: sublato igne, aer erit corpus leuissimum: ergo corpus leuissimum non est proprium ignis: quia manet etiam sublato igni. Hoc exemplum Aristoteles proponit in contextu, cùm tertio loco ait, *veluti si quis prop ium.*

4 *Confirmatur autem.* Quartò ponit axioma confirmans: Proprium quod non est in superlatione, quantùm ad hoc, rectè ponitur. Sed hic dubitatio occurrit: quoniam Aristoteles in præsentia non declarat locos confirmantes proprium quantùm ad hoc, sed confirmantes simpliciter, vt dictũ fuit cap. 4. part. 1. Et sane Alexander hanc partĭculā nō agnoscit, nec interpretatur. Quòd si eam retinere velimus, quia continet veram & vtilem sententiam: dicendum erit, hinc obiter in præsentia proponi quemadmodum passim, vt adiungatur locus confirmans loco refellenti, vt & in superioribus factum fuit. Quintò cùm ait, *veluti quia* declarat hoc axioma exemplo.



IVLII PACII A BERIGA IN LIBRVM VI. TOPICVM COMMENTARIVS ANALYTICVS.

DE LOCIS DEFINITIONIS GENERALIBUS.

TRACTATVS I. IN CAP. I. DE LOCIS GENERALIBVS.



X problematis dialecticis uperest definitio, de qua impugnanda agitur hoc sexto libro: de ea verò cõfirmanda tractabitur lib. seq. cap. 3. Loci, quibus reprehenditur definitio, referuntur ad certa capita, siue certos locos generales, qui hoc primo capite declarantur.

1 *Eius tractationis.* Proponit quinque generales locos ad reprehendendam definitionem idoneos. Ac primò inquit hos locos esse quinque. Secundò cùm ait, *vel enim*, declarat primum locum, nempe si definitio non dicatur de omni definito, veluti si hominis definitio non conueniat omni homini. Tertiò cùm ait, *vel quia cùm sit*, tradit alterum locũ, si in definitione omissum sit genus, aut saltem omissum sit proprium genus. Omittitur genus, vt in ea definitione, Ius naturale est quod natura omnia animalia docuit. hinc quidam reprehenderunt definitiones officij traditas à M. Tullio lib. 1. de officiis: quia carent genere. Omittitur autem proprium genus, quando res definita refertur ad illud gen⁹, ad quod minùs referri debet: vt cùm actus refertur ad potentiam &c. eiusmodi, quæ superiori lib. sunt exposita. Quartò cùm ait, *vel quia oratio*, adiungit tertium locum, Si definitio non conueniat soli definito. Ait, *supra dictum fuit*: lib. 1. cap. 6. part. 1. & cap. 8. part. 2. Quintò cum ait, *vel quia cùm omnia*, adiicit quartum locum, Si definitio non explicet essentiam rei definitæ. Sextò cùm ait, *reliquum [est,]* subiicit quintum locum, Si definitio non sit rectè concepta: veluti si sumpta sit ab ignotiorib⁹, aut cõtineat aliquid superfluum, vt postea declarabitur. His igitur quinque modis potest differi de definitionibus: vt videam⁹ primò, an definitio dicatur de omni: secundò an contineat propriũ genus: tertiò an attribuatur soli: quartò an contineat essentiam rei: quintò an sit rectè concepta.

2 *An igitur.* Ostendit primum de definitione disputandi modũ sumendũ esse ex locis accidentis, ibi namq. traditi sunt loci, quibus nõ solùm quæritur an attributũ accidat subiecto, sed etiã simpliciter an insit subiecto. Itaque cũ quæris (exẽpli gratiã) an definitio hominis cõueniat omni homini, cõsules locos accidẽtis. Obserua in verbis appellatione nominis significari definitum: appellatione autem orationis significari definitionem.

3 *An autem.* Ostendit secundum disputandi modum pertinere ad locos generis: & tertium referri ad locos proprij.

4 *Reliquum [est.]* Ostendit superesse, vt explicentur duo postremi modi, qui sunt definitionis proprij.

5 *Primum igitur.* Declarat ordinem duorum illorum modorũ seu locorum: & ostendit, primò videndum esse, vtrùm rectè an secus definitũ sit, deinde an omnino definitũ sit. i. an rei essentia sit exposita. Ratione ordinis hanc affert: quia in omnibus rebus ita naturã cõparatũ est, vt difficilius sit rectè facere, quàm facere. quare difficilius est rectè definire, quàm definire. proinde facilius est impugnare definitionẽ quasi non rectè factã, quàm quasi nullo modo sit definitio. quod. n. est factu difficilius, impugnatur faciliùs. Ergo hinc initium sumemus.

6 *Huius autem.* Locum generalem, id est, definitionem male conceptam esse, subdiuidit in duos locos speciales. duo nãque sunt vitia, quæ possunt obiicere definitioni, ita vt nihilominus definitio dici possit. Vnum est obscuritas: alterum, superfluitas. Obscuritatẽ esse vitium, probat Aristoteles: quia definitio affertur rei definitæ explicandæ causa: quod autem obscurum & ignotum est, minimè est aptum ad rem explicandã.

7 *Rursus vtrumque.* Breuiter ait vtrumque locum, id est, ab obscuritate & à superfluitate, subdiuidi in multas partes, id est, in multos locos magis speciales, quos deinceps explanabit.

DE LOCIS PERTINENTIBVS AD QVÆSTIONEM, an rectè definitum sit necne.

TRACTATVS II. IN CAP. II. DE OBSCVRITATE DEFInitionis.

1 P*Rimus igitur.* Primus locus ad probandam obscuritatem definitionis sumitur ab homonymia. Axioma ita concipitur: Quod est homonymum, est obscurum. Homonymia verò inest vel in definitione, vel in definito. Primò igitur Aristoteles proponit locum ab homonymia definitionis. Secundò cum ait, *vt [si qui] generationem*, illustrat hunc locum duobus exemplis. Tertiò cùm ait, *itaque dubium*, affert rationem huius loci: quia cùm vocabulum multa significat, non apparet quænam significatio sumatur ab eo qui definit; proinde est definitio obscura.

2 *Idem contingit.* Postquàm egit de homonymia definitionis, consequenter loquitur de homonymia definiti. & Primò proponit hunc locũ. Hic axioma est: Homonyma sunt priùs distinguẽda, quàm definiantur. Secundò cùm ait, *quia dubium*, affert rationem huius axiomatis nõ absimilem rationi superioris axiomatis. Tertiò cùm ait, *Fieri etiam potest*, adiũgit alteram rationem: quia definiens vocabulum homonymum, præbet occasionẽ aduersario cauillandi & calumniandi, vt scilicet videatur refellere definitionem, quasi non conueniat omnibus contentis sub definito. veluti si canem definias animal aptum ad latrãdum; aduersarius videtur impugnare tuã definitionẽ, quia non conuenit omni cani, vt quia non conuenit pisci.

3 *Maximè autem.* Declarat duos modos, quib⁹ definitiua thesis impugnatur propter homonymiã. Vnus est, si probemus nõ omni inesse. Alter est si probemus nullam significationẽ conuenire. Primo modo locus est, cùm homonymia latet. nã homonymiarum aliæ sunt manifestæ, aliæ latent, vt probaui disputatione Logica 2. thesi 17. argumentũ autem vitari potest per distinctionẽ homonymi. Altero modo locus est, etiamsi homonymia non lateat. nam argumentum per distinctionẽ dissolui nequit.

4 *Alius [locus.]* Secundus locus, ex quo probatur obscuritas definitionis, sumitur à trãslatione seu metaphora. Axioma hic est: Quod per trãslationem dicitur, obscurum est. Primò Aristot. proponit locum, id est, notam, quam vulgò vocãt differentiam maximæ. Secundò cùm ait, *vt si [dixerit,]* illustrat hũc locum exemplis. Tertiò cùm ait, *quicquid enim*, proponit axioma. Quartò cùm ait, *thes etiam*, confirmat hunc locum; quia definiens per translationẽ, præbet aduersario occasionem calumniandi, & probandi definitionẽ non conuenire definito. quod declarat exemplo perspicuo. Quintò cùm ait, *Præterea si concentus*, alio argumẽto idem confirmat, ducente ad absurditatem, quòd eadem res cõtineatur sub diuersis generibus non subalternis. veluti si prudẽtia est cõcẽtus, certè erit species tam virtutis, quàm concentus quæ sunt genera non subalterna.

5 *Præterea obscurè.* Tertius locus sumitur à verbis inusitatis. Primò Aristoteles ostẽdit, ex hoc loco reprehẽdi definitionẽ. Secundò cùm ait, *vt Plato*, adiungit exẽpla. Tertiò cùm ait, *omne enim*, addit axioma, Omne verbum inusitatum est obscurum.

6 *Quædam autem.* Quartus locus sumitur ab improprietate. Axioma hic est. Omne verbũ improprium, est obscurum. Primò Aristot. docet hoc vitiũ interdũ committi, vt quidam vtãtur verbis nec homonymis, nec trãslatis, nec propriis. Secũdò cùm ait, *vt [si] lex*, subiicit exemplum perspicuũ definitionis, in quo hoc vitium cõmittitur. Tertio cùm ait, *sed e usmodi*, ostendit hoc vitium esse maius præcedentibus, id est, deteriorem esse eam definitionem, in qua sunt verba impropria, quàm ea in qua sũt verba translata. Hoc autẽ ex eo probat: quòd verba trãslata, aliquo modo rem declarãt, quia omnis trãslatio sumitur à simili: verba aũt impropria nullo modo declarant. Quartò cùm ait, *Quod si non propriè*, colligit axioma huius loci: Quicquid impropriè dicitur, obscurum est, & verbo translato deterius.

7 *Præterea rectè.* Quintus locus sumitur à

tur à definitione cōtrarij. Axioma est; Definitio rei recte tradita, patefacit etiam definitionem rei contrariæ. nam contrariorum contrariæ debent esse definitiones. Veluti si albor est color dissipās aspectum, nigror erit color congregans aspectum. Potest etiam axioma ita concipi: Definitio ex qua non colligitur definitio contrarij, obscura est. Patet autem hunc locum in iis valere, quæ contrarium habent.

8 *Aut si per se.* Sextus locus sumitur à definiti ignoratione. Axioma est: Quæcunque definitio non præ se fert, seu nō per se ostēdit, cuius rei essentiam declaret, obscura est. Hanc obscuritatem declarat Philosophus exemplo perspicuo sumpto ab antiquis pictoribus, qui suis picturis adscribebāt, quid essent singulæ res pictæ: vtputà cū picturā non possent distinguere equum ab asino, subscribebant vni *equus*, alteri *asinus*. Sicut igitur illę picturę vitiosæ erant, quia per se non apparebat quam rem repræsentarent: ita definitio vitiosa est, nisi ex eā seorsum acceptā appareat cuius rei definitio sit. Intellige apparere viris doctis, & in ea re quæ definitur, versatis. ceteroqui definitio medica nō ideo praua erit quòd aliquis medicinæ imperitus nesciat cui rei sit accommodanda. Sed si ij qui in arte medica versati sunt, no possint ex ipsa definitione elicere ad quam rem pertineat, certè definitio erit obscura & vitiosa.

9 *An igitur.* Epilogo concludit hoc caput.

IN CAP. III. DE SVPERFLVITATE.

Expositis locis, quibus probatur obscuritas definitionis, transit ad eos, quibus probatur superfluitas.

1 *Quòd si plures.* Primus locus sumitur à verbo communi. Primò Aristoteles proponit axioma, quod est bipertitum, nēpe, Omne verbum quod vel est commune omnibus rebus, vel est commune iis omnibus quæ cōtinētur sub eodem genere, sub quo res dēfinita, omne (inquā) eiusmodi verbū in definitione superfluit. Secundò cùm ait, *quandoquidem opus est*, probat hoc axioma hac ratione: Omnis pars definitionis debet separare rem definitam ab alia: sed verbum commune non separat rem definitam ab alia: ergo verbum commune nō est pars definitionis, proinde in ea superuacuò ponitur. Maior propositio ita declaratur: quia genus separat definitum ab omnibus reb⁹, quæ non continentur sub eo genere: differentię verò separant rem definitam ab aliis rebus contentis sub eo genere. Aristoteles ergo in contextu primò ponit maiorē ita explicatam, aut (si mauis) expositionē maioris. Deinde ibi, *quod igitur omnibus*, adiungit minorem sine expositionem minoris. Tandem ibi, *quare inane*, infert cōclusionē. Quod si requiris exempla primi erroris exemplum erit, si quis dicat hominem esse ens animā, sensū, & ratione præditum; nam dictio *ens*, superfluit. secundi erroris exemplum erit, si quis hominē definiat animal sensitiuum rationale: nam particula *sensitiuum*, superuacanea est, cùm nulla species animalis sit sensus expers.

2 *Vel an si.* Secundus locus sumitur à detractione partis. Axioma hic est, Id quo detracto reliqua definitio est propria & perfecta, superuacuum est. Primò Aristoteles proponit notam. Secundò cùm ait, *vt in definitione hominis*, declarat hunc locum exemplo. Tertiò cùm ait, *Et vno verbo*, adiungit axioma, quod proponere anteuerti. Quartò cùm ait, *Talis est etiam*, adiūgit alterum exemplum, id est, definitionem animę traditam à Xenocrate, contra quam pluribus disputat lib. 1. de anima, cap. 6. nempe Anima est numerus seipsum mouens. Contra hanc definitionem nunc arguit, quasi verbum *numerus* superfluat: quia & quod seipsum mouet, (secundum Platonem, Xenocratis præceptorem) declarat quid sit anima. Quintò cùm ait, *An quod dictum*, ad dictum argumentum respondet, nōn declarari perfectè essentiam animæ omisso illo verbo *numerus*: nimirum quia numerus secundum Platonem & Xenocratem est genus. Sextò cùm ait, *Vtro autem*, docet difficile esse definire hanc quæstionem, vtrùm rectè ſedicet anima sit definienda numerus seipsum mouēs, an quod se ipsum mouet, omisso verbo *numerus*. nam disputari potest in vtràque partem, sicut modò in vtràque partē disputatum est. hinc autem quilibet accipere debet, quod pro se facit. Septimò cùm ait, *vt cùm pituita*, proponit alterū exēplū i. definitionē pituitę. Pituita est humor primus ex cibo nō cōcoctus. Cōtra hāc definitionē arguitur, quasi verbū *nō concoctus*, siue *incoctus*, superfluat: quia vn⁹ est humor primus ex cibo. proinde verbū, *incoctus*, non separat pituitā ab alio humore primo: sed est superuacuū. Octauò cùm ait, *An non simpliciter*, respōdet dicto argumēto, pituitā nō esse quemcūque humorē primum ex cibo, sed primū inter ea quæ non sunt concocta: proindē hoc verbū esse necessariū, vt pituita separetur ab aliis humoribus primis.

3 *Præterea [videndum.]* Tertius locus sumitur à parte definitionis non conueniente omnibus sub definito contentis. Axioma

hîc est: Quod non omnibus sub definito contentis conuenit, in definitione superuacuum est. Primò Aristoteles proponit hunc locum. Secundò cùm ait, *non huiusmodi definitio*, ostendit hoc vitium maius esse, quàm si ponatur in definitione verbum commune: quia verbum commune simpliciter superfluit, nec obstat quò minus reliqua definitio recta sit, nec tollit reciprocationem definitionis cum definito: vt hîc videtur quasi obtinere illa regula Iurecon-sultorum, Vtile per inutile nō vitiatur: sed quod non omnibus conuenit, nimis angustat definitionem, ac tollit reciprocationē definitionis cum definito. Tertiò cùm ait, *vt* [*hæc oratio*,] illustrat hunc locum exemplo.

4 *Rursus* [*videndum*.] Quartus locus, sumitur à tautologia; quæ interdum est manifesta, interdum latet, vt mox docebimus. Primò Aristoteles proponit communem notam, à tautologia. Secundò cùm ait, *vt qui dixit cupiditatē*, proponit thesim, contra quam ex hoc loco disputat. disputatio tamen est captiosa, vt ex sequentibus liquebit. Pro thesi sumitur hæc definitio, Cupiditas seu concupiscentia est appetitio iucundi. Contra hanc definitionem sic arguitur, quasi in verbo *iucundi* sit tautologia. quod ita captiosè probatur: Cupiditas & appetitio iucundi idem sunt: quoniā definitio & definitum idem sunt: atqui dicens appetitionem iucundi iucundi, committit tautologiam, cùm bis dicat iucundi: ergo & qui dicit cupiditatem iucundi, committit tautologiam: siquidem est idem dicere cupiditatem & appetitionem iucundi. quoniam igitur in ea definitione dicitur cupiditas esse iucundi: apparet in ea definitione committi tautologiam. Tertiò cùm ait, *An hoc non* [*est*,] soluit dictum argumentum: quia tum demum est tautologia, cùm idem bis attribuitur, vt si quis dicat, cupiditas est appetitio iucundi iucundi. bis enim attribuit iucundum cupiditati. sed in dicta definitione hoc non fit: id est, non attribuitur bis iucundum. definitio namque attribuitur definito: & in definitione iucundum semel ponitur. itaque non attribuitur iucundum iucundum cupiditati, sed iucundum semel attribuitur cupiditati siue appetitioni iucūdi. Quartò cùm ait, *vt cùm Xenocrates*, adiungit alterum exemplum, in quo committitur tautologia aliquo modo latens: quia in eādem definitione nō repetitur quidem idem vocabulum, repetitur tamen eadē res quatenus vocabulo speciali subiicitur vocabulum generale, sub quo illud speciale continetur. Quod enim est definitiuum, est species contemplatiui: ergo qui definitiuum dicit, contemplatiuum dicit. cùm igitur Xenocrates prudentiam definiuit esse definitiuam & contemplatiuā eorum quæ sunt, bis dixit contemplatiuam, non quidem vocabulo, sed reipsa; perinde ac si quis diceret, est homo animal. Quintò cùm ait, *Similiter* [*faciunt*,] adiungit alterum simile exemplum.

5 *Item* [*videndum*.] Adiungit alterum tautologię genus latens quodam modo oppositum ei quod commisit Xenocrates. Nā Xenocrates subiecit verbum generale speciali, hîc è contrario subiicitur generali speciale. Sed ob eandē rationem est tautologia. Ait igitur Aristoteles hoc etiam esse inspiciendum. Deinde cùm ait, *vt si quis æquitatem*, dat exēplum huius tautologiæ, qua verbum speciale subiicitur generali. Deinde cùm ait, [*Idem fit*] *etiam*, adiungit alterum exemplum eiusdem tautologiæ. Deinde cùm ait, *aut legem*, subiicit & tertiū exemplum.

6 *Vtrum igitur*. Breui epilogo concludit hoc caput.

IN CAP. IV. QVO PROPONVNTVR LOCI PERTINENTES AD quæstionem, An sit definitum ex prioribus, & notioribus.

ABsoluta est prior quæstio, An rectè definitio exposita sit: sequitur posterior, An definitum sit, id est, an oratio explicet quid res sit.

1 *Vtrùm autem*. Proponit quæstionem, cui sequentes loci accommodabuntur.

2 [*Ac*] *primùm*. Primus locus ad euertendam definitionem sumitur ex eo, quod definitum non est ex prioribus & notioribus. Axioma est, Omnis definitio, quæ non sumitur ex prioribus, & notioribus, praua est. Hic locus est generalis: ideóque multos speciales, & multa specialia axiomata complectitur, quæ omnia hoc capite declarabuntur. Primò Aristoteles proponit generale præceptum, vt videamus, an definitio non sit sumpta ex prioribus & notioribus. Secundò cùm ait, *cùm enim definitio*, affert rationē huius præcepti, quæ in se includit axioma: quia definitio traditur notificādi causâ: notificatur autē ex prioribus & no-

& notioribus. quare definitio ex talibus cõstare debet: & quæ non est ex talibus, non est definitio. Potest igitur axioma bifariam concipi: nimirum vel, Omnis definitio ex prioribus & notioribus constat: vel, Oratio quæ nõ declarat ex prioribus & notioribus, non est definitio. Tertiò cùm ait, *nam si definiuit*, probat idem axioma nouo argumẽto ducente ad absurditatem, id est, syllogismo hypothetico, quo arguit à destructione consequentis ad destructionem antecedentis, hunc in modum: Si oratio declarans ex iis quę non sunt prioravel notiora, est definitio; multæ sunt eiusdem rei definitiones: atqui posterius est falsum: ergo & prius. Maior probatur: quia sine dubio oratio rei essentiam declarans ex notioribus & prioribus, est definitio. quare si etiam altera, quæ est ex non prioribus & non notioribus, definitio est; iam plures erunt definitiones. Minor probatur: quia vna est cuiusque rei essentia: ergo vna definitio. cùm enim definitio explicet essentiam rei: si plures essent definitiones, necessariò essent etiam plures essentiæ. Huius syllogismi maiorem ponit his verbis, *nam si definiuit*. Deinde eam maiorem probat ibi, *contra enim*. Postea subiicit minorem ibi, *quod ita* [ ]. Deinde probat eam minorem ibi, *quandoquidem vna*. Tandem infert conclusionem ibi, *Patet igitur*.

3 *Ergo non notioribus*. Hactenus hunc primum locum generaliter considerauit: deinceps vult singillatim explicare eius partes. Prima pars cernitur in hac diuisione: quòd alia sunt notiora vel ignotiora secundum naturam, alia secundum nos, vt Arist. hîc declarat, & lib. 1. Poster. cap. 2. & lib. 1. Phys. cap. 1. Hîc igitur concipiuntur tria axiomata. Primùm, Definitio sumẽda est ex notioribus secundum naturam. Vel, Oratio quæ non sumitur ex naturâ prioribus, non est definitio. Alterum, Definitio sumẽda est ex his quæ sunt nobis notiora. Vel, oratio non declarans ex notioribus secundum nos, non est definitio. Tertium, Oratio ex iis rẽ explicans quæ nec naturâ nec secũdum nos sunt notiora, non est definitio. Hæc sunt axiomata probabilia, quibus dialecticus vti potest: & (vt Aristoteles posteriùs monebit) quilibet vtidebet eo axiomate, quod magis pro se facit. quo circa modò arguemus ab ignotioribus secundum naturam, ac dicemus non esse veram definitionem; quia definitio, cùm naturâ rei declaret, ex naturâ prioribus sumi debet: modò arguemus ex notioribus secundum nos, & refutabimus definitionẽ; quia definitio affertur vt res definita nobis manifesta fiat, non naturæ: debet igitur sumi ex notioribus secundum nos, non secundum naturam. Rei autem veritas ita habet, vt definitio sumi debeat ex notioribus vtroque modo simul. i. tam secundum naturam; quia declarat rei essentiam; quàm secundum nos, qui i nobis rem declarat. Quòd si cõtingat ea esse nobis ignota, quę sunt secundum naturam notiora, & ex quibus res definienda est: tunc oportet priùs ea demonstrare, & notificare, quàm definitio extruatur: interim autem possumus vti aliqua descriptione, non definitione, quæ adhuc est ignota. Sed iam accedamus ad contextum enarrãdum. Primò Aristoteles proponit eam diuisionem notiorũ & ignotiorum. Secundò cùm ait, *Quod igitur prius*, definitione seu descriptione & exẽplo declarat, quænam dicantur simpliciter, id est, secundum naturã priora: & ait priora (subaudi, secundum naturam) esse notiora posterioribus. Proponit autem exempla, cùm ait, *vt punctum*. Tertiò cùm ait, *Nobis verò*, docet interdum ea nobis esse notiora, quæ sunt secundum naturam ignotiora: vt ferè accidit hominibus imperitis. nam ea cognoscere quæ secundum naturam sunt notiora, non est cuiusuis, sed eorum qui in scientiis versati sunt, & ingenij acumine excellunt.

4 *Simpliciter igitur*. Declarat discrimẽ inter priora & posteriora, id est, inter notiora secũdum naturam & notiora secundum nos: quoniã ex illis conficitur melior definitio: interdum tamen cogimur vti his quę nobis notiora sunt; nimirum cùm propter nostram vel auditorum imperitiam, nõ possumus rẽ explicare ex notioribus secundum naturam: túncque rectiùs dicitur descriptio, quàm definitio, vt Arist. in seq. part. docebit. Deinde cùm ait, *Tales sunt definitiones*, proponit, exẽpli gratiâ, definitiones quasdam mathematicas à posterioribus sumptas.

5 *Sed non est ignorandum*. Ostendit has non esse veras definitiones quæ sumuntur ex notioribus nobis, nisi sint simul etiam notiora secundum naturam. Hoc autem ex eo probat, quòd omnis bona definitio constat ex genere & differentiis, & tam genus quàm differentiæ sunt priora specie; quandoquidem sublato genere vel sublatis differentiis tollitur species, non contrà, vt etiã docebat Porphyrius cap. 8. par. 6. & 7. & cap. 12. part. 5.

6 *Præterea qui reuera*. Alio argumento probat non esse veras definitiones, quæ su-

mutur à notioribus nobis, Est autem argumentum ducens ad absurditatem. Primò igitur ducit ad hanc absurditatē, quod totidem pene erunt definitiones alicuius rei, quot sunt homines: aliis namque alia notiora sunt: ergo alter apud alios oportebit eā dem rem definire, si quidem volumus definire ex his quæ sunt hominibus notiora. Secundò cùm ait, *Præterea iisdem*, adiungit alteram absurditatem, quòd apud eundem hominem aliter atque aliter diuersis temporibus oportebit definire eandē rem: quia non semper eidem homini sunt eadē notiora: sed initiò, dum adhuc est rudis, ea magis cognoscit, quæ sub sensum cadunt: cùm autem doctus euasit, ea sunt ipsi notiora, quæ intellectu percipiuntur. Tertiò cùm ait, *Patet igitur*, concludit, vt vitentur dictæ absurditates, non esse definiēdū ex notioribus secundū nos, sed ex notioribus simpliciter, id est, secūdū naturā.

7 *Fortassis autem.* Docet id quod simpliciter, id est, secundum naturam est notius, non quibuscunque hominibus esse notius, sed iis tantùm qui mentem habēt præclarè constitutam, id est, eruditis, & rerum cognitione imbutis. quod confirmat exemplo salubris. quēadmodū enim quod naturā salubre est, non omnibus hominibus est salubre, sed iis quorū corpus est bene affectum; ita & quod simpliciter est notius, nō est omnibus hominibus notius, sed iis quorum intellectus est bene affectus.

8 *Oportet igitur.* Monet, vt singuli vtātur iis quæ exposuim⁹, quaten⁹ pro ipsis faciūt.

9 *Maximè autem.* Ostendit tunc procul dubio definitionem euerti, cùm nec ex notioribus secundum naturam, nec ex notioribus secundū nos sumpta est. nam talis definitio nullo modo sustineri potest. sed quæ sumūtur ex aliquo modo notioribus, & aliquo modo ignotioribus; possunt aliquo modo defēdi, aliquo modo impugnari.

10 *Primi igitur.* Concludit se exposuisse primam partem primi loci, vt cōmodiùs trāsgrediatur ad reliquas partes enarrādas.

11 *Alius autem.* Explicat primi loci partem secundam, quæ sumitur à quiete & motu, nec non à finito & infinito. Primò proponit notam seu differentiam maximæ. Secundò cùm ait, *quod enim manet*, subiicit rationē eius notæ; siue axiomati, quæ huc referuntur. Sunt enim hic duo axiomata; Primū, Quod permanet, est prius & notius eo quod in motu cōsistit. alterū, Quod est definitū, est prius & notius indefinito. Possumus etiam hæc axiomata ita concipere, vt ea magis accommodemus definitionibus.

Primū, Si id quod permanet, definiatur per id quod est in motu, definitur ex posteriori & ignotiori. Secundum, Si definitū definiatur per indefinitum, definitur ex posteriori & ignotiori. Exeplum prioris vitij est, si quis scientiam definiat habitum longo studio acquisitum. Exemplū alterius vitij est, si quis hominē definiat id quod opponitur non homini, aut sanitatem definiat absentiam morbi.

12 [*Ad probandum*] *autem.* Tertia primi loci pars sumitur ab iis quę sunt simul, nam duæ priores sumebantur à posterioribus. Hæc tertia pars rursus est tripertita: ideóque Aristoteles ait huius loci cùm sumitur argumentum ex non prioribus, esse tres modos, siue hui⁹ partis esse tres locos. nam duplex est hic lectio, & vtraque habet æque cōmodum sēsum. in aliis enim libris est τρόπος, in aliis τόπος. Cum ait, *non ex prioribus*, intelligit ea quę sunt simul: hęc enim distinguit à posterioribus, de quibus hactenus est locutus. Quinam verò sint hi tres modi, siue hi tres loci speciales, in sequentibus cum Philosopho explicabo.

13 *Primus*[*est*.] Tertiæ partis locus primus sumitur ab oppositis. Primò Aristoteles proponit notā. Secūdò cùm ait, *vt bonū*, declarat hunc locū exemplo: veluti si quis bonum definiat id quod est cōtrariū malo. Tertiò cùm ait, *quoniā opposita*, proponit axioma, Opposita sūt simul natura. Possum⁹ etiam axioma ita concipere, vt magis proposito quæstioni accommodetur, Quod definitur per oppositū, nō definitur ex priori & notiori. Quartò cùm ait, *Sed non est ignorandū*, excipit relata, in quibus speciale est, vt opposita per se inuicem definiātur: propterea quòd eorum essentia in mutua relatione posita est. Hinc Porph. c. 2. part. 10. defēdebat suas definitiones generis & speciei. Quintò cùm ait, *Oportet igitur*, monet hæc omnia esse cognoscenda, & quemlibet in disputando vti debere iis præceptis, quę ducit esse sibi vtilia, & conducere ad aduersarium superandum.

14 *Alius*[*locus*.] Secundus locus tertię partis sumitur ab eodē. Axioma est: Idē per seipsum definiri nō debet. Vel, Idem seipso non est prius. Primò Aristoteles proponit notam. Secundò cùm ait, [*Hoc*] *autem latet*, ostēdit hoc vitium interdum latere in definitionib⁹, ne quis putet frustra proponi hūc locum, quasi nemo sit adeo fatuus, vt idem per idē definiat. Ait igitur Aristoteles tūc falli definientes, & hoc vitium eos latere, quando non vtuntur nomine rei definitæ; quod declarat exēplo perspicuo: simúlque docet,

docet, vnde possit hoc vitium dignosci & argui, nempe cùm in definitione alicuius particulæ in definitione positę ipsũ definitum ponitur:vt in exemplo quod est in cõtextu,in definitione Solis ponitur dies: atqui necesse est definire diem per Solem: qui igitur Solẽ definiuit per diem, vi ipsa definiuit Solem per Solem,quamuis verbis id non expresserit.

15 *Rursus si definiuit.* Tertius locus tertiæ partis,sumptus ab iis quæ in diuisione ponuntur,est bipertitus.aut enim sumitur à condiuidentibus,id est,,ab iis quæ in eadem diuisione sibi inuicem opponuntur; qualia sunt rationale &irrationale,itẽ mortale & immortale:aut sumitur ab inferioribus.De cõdiuidentibus agitur in hac particula.Axioma hic est:Quæ in eadem diuisione ponuntur,sunt simul natura, vt dictum etiam fuit cap.13.Categor.part.3.Potest etiam axioma ita concipi:Ex iis quę in eadem diuisione ponuntur,alterum per alterũ definiri non debet.Vel,Si horũ alterũ per alterum definiatur,non ex priori definitur.Primò Aristoteles proponit notam. Secundò cùm ait *vt[si] impar*,illustrat hunc locum exemplo; in quo exemplo confirmando proponit huius loci axioma.

16 *Similiter si superius.* Sequitur locus ab inferioribus.Axioma hîc est:Quod in categoria est superius,nõ debet per inferius definiri.Hic locus poterat superiùs proponi, vbi agebatur de locis à posterioribus: nam qui ab inferiori definit;is à posteriori definit:cõmode tamen & hic proponitur;quia maximam habet affinitatem cum duobus locis proximè expositis.Similis est præcedenti loco à cõdiuidẽtibus, quia inferiora diuidũt superius,sicut species animalis diuidunt animal.itaque vt in loco pręcedẽti; ita etiam in hoc ea con[s]iderãtur,quæ in diuisione ponuntur.Coniunctionem autem huius loci cum loco ab eodem paulò antè exposito,ipse Aristoteles declarabit in seq. partic.In hac autem particula.Primò proponit notam.Secundò cùm ait, *vt si parem*, adiungit exemplum perspicuum.

17 *Necesse autem.* Connectit hunc locum cum loco ab eodem:quia definiẽs per id quod est definito inferius, ipso dẽfinito in definitione vtitur.& Primò hanc sentẽtiam proponit.Secundò cùm ait, *nam & qui vtitur*, eam confirmat exemplo. Tertiò cùm ait, *& similiter*, eandem confirmat altero exemplo. Horum autem exemplorũ expositio pendet à particula præcedẽti,in qua positæ fuerunt definitiones, quæ hic quoque expenduntur.

18 *Vt igitur vniuersaliter.* Concludit se exposuisse primum locum, quo probatur definitionẽ non cõstare ex prioribus & notioribus,nec non eius loci partes,quò magis huic capiti sequentia cohæreant. Hic autem locus generalis complectitur sex locos speciales:quia diuisus est in tres partes, quarum tertia itidem in tres subdiuisa est, & harum tertia complectitur duos locos. Expositi sunt igitur sex loci,qui vno generali continentur.quare sequens dici vel secundus,vel septimus potest.

IN CAP. V. DE LOCIS A GENERE, ET AB IIS AD QVAE DEFINITUM REFERTUR.

1 *Secundus[locus.]* Huius capitis locus primus,est ex ordine secundus, vel septimus,prout capitis præcedentis loci vel sub vna generali ratione considerantur, vel specialiter considerantur, vt in calce superioris capitis notaui. Nos maioris locorum distinctionis causâ, pro septimo eũ habebimus:&ita deinceps sequentes locos recensebimus,octauum,nonum,&c. Sumitur autem hic locus ab omissione generis.Axioma hîc est: Nulla definitio genere caret.Primò Aristoteles proponit notam. Secũdò cùm ait,*in [vno]autem*, docet quãdo committatur hoc vitium,nempe cùm non explicatur quid res sit.nam genus attribuitur in quæstione quid est:differẽtia verò in quæstione quale quid est. Tertiò cùm ait, *cuiusmodi [est]*,illustrat hunc locum duobus exemplis.

2 *Præterea[alius.]* Octauus locus,huius capitis secũdus, sumitur ab omissione eius ad quod res definita refertur. Axioma hîc est:Si definitũ ad plura referatur,ea omnia sunt ponenda in definitione.Primò Aristoteles proponit notam.Secundò cùm ait, *vt si[quis,]* declarat hunc locum exẽplo. Tertiò cùm ait, *In nonnullis*,excipit ea,quæ ad vnum referuntur per se, & ad aliud per accidens.in horum namque definitione id solum poni debet,ad quod per se referuntur. Vide exemplum in contextu.

3 *Præterea si non ad melius.* Nonus locus, huius capitis tertius, sumitur à relatione ad deterius.Axioma est:Si definitũ ad plura reduci possit,nõ debet ad deterius referri.veluti si medicina potest efficere morbũ & sanitatem,non debet definiri ars efficiẽdi morbi,sed efficiendæ sanitatis.

4 *Rursus an id.* Decimus locus, huius capitis quartus,sumitur ab omissione proprij generis.Axioma hîc est: Omnis bona

definitio contineat proprium genus rei definitæ. An autem hoc genus in definitione proposita contineatur, necne, monet Aristoteles quærendum esse ex locis generis. Ait, *antea dictum fuit*, id est, cap. 1. part. 3.

5 *Præterea [pecca*.] Vndecimus locus, huius capitis quintus, sumitur ab omissione proximi generis. Axioma hic est: Omnis bona definitio continet proximum genus rei definitæ. Intellige cõtinere proximum genus, siue nomine exprimatur, veluti homo est animal rationale; siue definitione circumscribatur, veluti homo est corpus animatum, sentiens, rationale, mortale. nã corpus animatum sentiens, idẽ valet, quod animal. sed si diceres, homo est corpus rationale, definitio praua esset; quia omissum esset proximum genus. Primò Aristoteles proponit notam. Ait, *transiliens*. Transilire dicitur, qui ponit genus remotum, & differentias proximas, & omittit genus mediũ. Secundò cùm ait, *vt [qui] iustitiam*, illustrat hunc locum exemplo. Tertiò cùm ait, *quandoquidem cuiusque*, affert rationẽ huius loci: quia proximum genus est necessarium ad essentiam rei declarãdam. Quartò cùm ait, *Hoc autem idem*, magis declarat hunc locum. & quia suprà hunc locum ita proposuerat, *qui transiliens dicit genera*: nunc ait ea verba idem valere, ac si dicamus rem definitam non collocari sub suo proximo genere. nam qui proximũ genus dicit, omnia superiora cõplectitur; vt qui dicit animal, dicit corpus animatum sentiens: sed non contrà, qui dicit superius, dicit etiam inferiora; vt qui dicit corpus, non dicit animal. Quintò cùm ait, *Quocirca vel*, declarat quomodo possit vitari hoc vitiũ: & inquit, vel statim nominandũ esse proximum genus, vel, si rem definitam referamus ad genus remotum, ei generi adiungendas esse ordine omnes differentias: quoniam hac ratione ponitur etiam genus proximum, non quidem proprio nomine, sed sua definitione expressum. nam idem est (exempli gratiâ) animal, (vt suprà dicebam) & corpus animatum sentiens.

IN CAP. VI. DE LOCIS A DIFFERENTIIS.

1 Rursus *in differentiis*. Duodecimus locus, à differentiis, latissimè patet. cõtinet enim duo & viginti præcepta, siue axiomata, quæ hoc capite explicantur. Primũ axioma est: Oratio, quæ nõ cõtinet generis differentias, nõ est definitio. Duobus aũt modis fieri potest, vt in oratione nõ ponantur differẽtiæ generis. Vnus modus est, si non sint differentiæ propriæ & accommodatæ illi definitioni: veluti si quis dicat sciẽtiam esse habitum bipedem: nam bipes nõ est differentia scientiæ, sed animalis. Alter mod^9 est, si pro differẽtia sumatur id quod nullo modo est differentia: veluti animal, aut substãtia. nam hæc sunt genera, non differentiæ. Primò Aristoteles proponit præceptum. Secũdò cùm ait, *nisi enim*, adiungit axioma bipertitum, (duas autẽ illas partes modò exposui) & interiicit duo exempla, cum ait, *vt animal aut substantiam*.

2 *Videre etiam*. Secundum axioma est: Omnis differentia habet aliquid in eadem diuisione sibi oppositum. Potest etiam ita concipi: Id cui nihil est in eadem diuisione oppositum, non est differentia. Primò Aristoteles proponit præceptum. Secũdò cùm ait, *nisi enim sit*, adiũgit axioma. Tertiò cùm ait, *omne enim*, probat illud axioma.

3 *Aut si sit*. Tertiũ Axioma est: Omnis differentia habet differentiam oppositam, quæ de genere dicitur. Intellige dici de genere vtramque differentiam sub disiunctione: veluti, omne animal aut est rationale aut irrationale. Potest etiam axioma ita cõcipi: Si differentia huic opposita non verè dicitur de genere, certè neque hæc erit differentia generis. veluti si immortale non dicitur de animali, certè mortale non est differẽtia animalis. & nisi aliquod animal sit immortale, malè homo definietur, animal rationale mortale.

4 *Item si verè*. Quartum axioma est: Si ex duabus differentiis oppositis vna generi adiecta non constituit speciem, certè neutra est generis differentia. vel sic. Si opposita differentia generi adiuncta nõ facit speciem, certè neque hæc erit differentia eius generis. Primò Aristoteles proponit præceptum. Secundò cùm ait, *constat enim*, affert eius præcepti rationem, ex qua colligitur axioma. Tertiò cùm ait, *quandoquidem omnis*, subiicit rationem axiomatis.

5 *Præterea [peccauit*.] Quintum axioma est: Negatio non est differentia. Primò Aristoteles ponit præceptum. Secũdò cùm ait, *vt [q̃] qui lineam*, illustrat præceptum exemplo. Tertiò cùm ait, *accidit igitur*, confirmat hunc locũ argumẽto ducente ad absurditatẽ: quia si negatio sit differentia, genus erit particeps speciei: atqui cõsequẽs est falsum: (vt enim sæpe dictum fuit, species est particeps generis, nõ genus speciei) ergo falsum est & id ex quo sequitur. Hanc absurditatẽ sequi, Aristoteles ex eo probat, quòd de quolibet vera est affirmatio vel negatio.

negatio. si igitur vna differẽtia est negatio alterius, vt rationale & irrationale, certè etiã de genere dici poterit. veluti si latitudinem habens, & latitudine carens, sunt differentiæ longitudinis: cùm latitudinem habere, sit affirmatio; & latitudine carere, sit eius affirmationis negatio: necesse est vt alterutra dicatur de genere, id est, vt longitudo vel latitudinẽ habeat, vel latitudine careat. vtrumuis autem dicatur, est manifestè absurdũ, & inde fiet vt genus sit particeps speciei. nam linea definitur longitudo latitudine carens: & superficies definitur longitudo habens latitudinẽ. differentię igitur, quæ ponũtur in definitionibus specierum attribuuntur generi: consequenter genus erit particeps specierum, & subiicietur suis differentiis, quibus diuiditur: quod est absurdum. Notandum est, in hoc argumento, quando attribuimus differẽtias generi, non esse accipiendas vtrasque differentias simul sub disiunctione sed alterutra sola. nihil enim absurdi accidet, si dicas longitudinem vel habere latitudinem vel latitudine vacare. nam ipse quoque Aristoteles lib. 1. Poster. dicebat numerũ esse parem vel imparem. Sed absurditas est, si vnam differentiam attribuas generi, id est, siue dicas longitudinem habere latitudinem, siue dicas longitudinem vacare latitudine. ita Aristoteles in præsentia sumit: nititur enim hoc principio, quòd vera est vel affirmatio, vel negatio: ideóque de lõgitudine aut vera est affirmatio, id est, eã habere latitudinẽ; aut vera est negatio, id est, eam non habere latitudinem.

6 *Est autem dictus.* Quartò ostẽdit hoc argumentũ non valere, & dictum axioma non obtinere, nisi aduersus eos qui ponunt ideas. Nam hi, cùm dicat genera esse ideas, consequenter dicunt genus esse quiddã vnum numero. ita enim ab iis ponũtur ideę. vt ipsum-animal est genus, id est, idea, hoc est, animal quoddã intellectuale, quod est in mũdo intelligibili, cuius participatione hæc vocantur animalia, quæ sunt in mũdo sensibili. Si igitur genus est idea, & vnum numero: certè de eo necesse est vt sit vera affirmatio, vel negatio, nec potest vtraque simul esse vera. sed secundum Peripateticos, qui negant ideas, & negant genus esse vnum numero, dictum axioma non habet locum: quia affirmatio & negatio simul sub disiunctione tãtùm verę sunt de genere. vt animal est rationale vel irrationale; quoniam animalia quædam rationalia sunt, & quædam irrationalia, quæ omnia cõtinẽtur generali appellatione animalis.

7 *Fortasse autem.* Quintò ostendit, interdum necesse esse, vt differentia per negationem significetur, & res per negationem tamquàm per differentiam definiatur. nempe cùm priuatio definitur. veluti cęcus est qui aspectu caret, quãdo secũdum naturã debet esse aspectu prędıtus. Itaque priuationis definitio excipitur à dicta regula.

8 *Nihil autem refert.* Sextum axioma est: Quod negationi in diuisione generis opponitur, nõ est differẽtia. Huius axiomatis eadem est ratio, quę pręcedentis. nã affirmatio & negatio sibi inuicem opponũtur. quare si negatio non est generis differẽtia, certè etiam affirmatio, quę est illi negationi opposita, nõ erit eiusdẽ generis differẽtia. Hic etiam locus non valet nisi cõtra eos qui ponũt ideas. Primò Aristoteles hũc locum ponit. Secundò cùm ait, *vt si [quis] longitudinem*, eum exemplo illustrat.

9 *Rursus [videndum.*] Septimum axioma est, Species non est differentia. Primò Aristoteles ponit pręceptum. Deinde cùm ait, *quemadmodum ij*, adiungit perspicuum exemplum.

10 *Præterea [videndum.*] Octauum axioma est: Genus non est differẽtia. Primò ponit præceptũ. Secũdò cùm ait, *vt virtutẽ*, adiũgit exẽplũ definitionis, in qua videtur hoc peccatũ admitti. i. accipi genus pro differẽtia: nẽpe si quis virtutẽ definiat habitũ bonũ. nã bonũ accipitur pro differẽtia, cùm sit genus. Tertiò cùm ait, *in bonũ*, defendit dictã definitionẽ, & probat bonũ nõ esse genus, ideóq; rectè sumi pro differẽtia. Probat autẽ argumẽto ducẽte ab absurditate: quia si bonũ sit genus virtutis, virtus collocabitur sub duobus generibus nõ subalternis: nẽpe sub bono, & sub habitu. hęc autẽ nõ esse genera subalterna, inde probat: quia non omnis habitus est bonus, nec omne bonũ est habitus: neuter igitur terminus alterũ sub se cõprehendit: proinde neuter est alterius genus. Quartò cùm ait, *Præterea habitus*, nouo argumento defendit eandẽ definitionẽ; & probat habitum esse genus; bonum autẽ esse differentiam, nõ genus: quia habitus attribuitur in quęstione quid est, bonũ autẽ in quęstione quale quid est: quarum attributionum illa conuenit generi, hęc differentiæ.

11 *Videre etiam.* Nonum axioma est: Quod significat quid res sit, non est differẽtia. Vt enim modò diximus, differentia attribuitur in quæstione quale quid est.

12 *Considerare etiam.* Decimum axioma est: Quod per accidens inest, non est differentia. Potest & ita concipi: Nulla diffe-

rentia inest per accidens. Primò Aristoteles ponit præceptum. Secundò cùm ait, *nulla enim*, adiungit axioma. Tertiò cùm ait, *quemadmodum nec genus*, declarat hunc locũ à simili. sicut enim genus non inest in specie per accidens: ita etiam differẽtia nõ inest in specie per accidẽs, sed per se. Quartò cùm ait, *quia fieri nequit*, probat axioma à definitione accidentis. Syllogismus ita extruitur: Quod per accidens inest, potest inesse & non inesse: differentia vero non potest inesse & non inesse: ergo differentia per accidens non inest. Huius syllogismi minor hîc proponitur: maior omittitur, tamquàm nota: conclusio paulò antepositã est, nempe ipsum axioma, quod hoc syllogismo probatur.

13 *Præterea si generi.* Vndecimum axioma non tantùm mentionem facit generis, sed etiam obiter speciei, & eorum quæ speciei sunt subiecta. Potest autem concipi duobus modis. Primò ab Aristotele concipitur hypothetice: Si differentia, vel species, vel aliquid speciei subiectum, attribuitur generi: non est bona definitio. Cùm dicimus differentiam, vel speciem attribui generi: intellige vocari differentiam, speciẽ, & genus; non quòd reuera talia sint; (aloqui fieri nõ posset, vt differentia, vel species attribueretur generi) sed quia ita sunt accepta ab aduersario. Dicimus ergo attribui generi, id est, ei quod aduersarius sumpsit pro genere. Item differentiam attribui, id est, quod ille sumpsit pro differentia. Postea eùm ait Philosophus, *quia nihil horum*, concipit axioma categorice, nẽpe, Differẽtia, vel species, vel quod speciei est subiectum, non attribuitur generi. Tertiò cùm ait, *quippe cùm genus*, probat hoc axioma: quia genus latiùs patet, quàm differentia, & species: proinde illis attribuitur, non subiicitur: oportet enim attribuere maiora minoribus, vel æqualia æqualibus, nõ minora maioribus, vt docuit Porphyrius cap. 2. partic. 37.

14 *Rursus si attribuatur.* Duodecimum axioma est: Genus non attribuitur differentiæ. vel, Id cui genus attribuitur, nõ est differentia. Primò Aristoteles ponit præceptum. Secundò cùm ait, *non enim*, addit axioma priori modo conceptum. Tertiò cùm ait, *vt animal*, declarat illud axioma exemplo. Quartò cùm ait, *nam si singulis*, probat idem axioma ratione ducente ad absurditatem. nam si genus attribueretur differẽtiæ, vt animal rationali: multa animalia dicerentur de homine, id est, tot animalia, quot sunt animalis differentiæ, quæ attribuuntur homini. etenim si rationale est animal, & mortale est animal: iam tria sunt animalia, quę dicuntur de homine; nempe animal, genus, & animal rationale, & animal mortale. Quintò cum ait, *Præterea omnes*, alio argumento probat idem axioma: quia si genus attribueretur differentiæ, differentia esset vel species, vel indiuiduum, quod est impossibile. veluti si rationale est animal: necesse est, vt rationale vel sit species animalis, vel indiuiduũ animal. nã sub genere nihil cõtinetur præter species & indiuidua. Hinc est, quòd Aristot. in categoriis tãtũ posuit genera, & species, & indiuidua, nõ differẽtias, vt expositũ est ad caput de substantia. Cõiunge lib. 4. cap. 2. part. 6.

15 *Similiter etiam.* Decimumtertium axioma est: Species non attribuitur differentiæ. Potest & ita concipi: Id cui species attribuitur, non est differentia. Primò Aristoteles ponit præceptum. Secundò cùm ait, [*hoc*]*enim fieri*, affert rationem & confirmationem eius præcepti; quia differẽtia latiùs patet, quàm species. Tertiò cùm ait, *Præterea accidet*, addit aliam rationem ducentem ad absurditatem: quia si species attribuatur differentiæ, differentia erit species. veluti si homo attribuitur pedestri, pedestre erit homo.

16 *Rursus* [*videndum.*] Decimumquartum est: Differentia est prior specie. Potest etiam ita concipi: Quod est specie posterius, vel, Quod non est specie prius, non est differentia. Primò Aristoteles ponit præceptum. Deinde cùm ait, *oportet enim*, addit axioma.

17 *Considerare etiam.* Decimumquintum axioma est: Eadem differentia non est duorum generum non subalternorũ. Coniunge cap. 3. Categor. partic. 2. Ita concipitur axioma Categorice. Potest etiam ita cõcipi hypothetice: Si est differentia alterius generis non subalterni, certe non est differentia huius generis, cui in definitione est adiuncta. Primò Aristot. proponit præceptum. Secundò cùm ait, *quia non videtur*, addit axioma categorice conceptum. Tertiò cùm ait, *alioquin accidet*, probat illud axioma per argumentum ducens ad absurditatem: quia si differẽtia ponatur in duobus generibus non subalternis, etiam species in iisdem ponetur: quod est impossibile. Consequentia probatur: quia positã differentiã ponitur genus: & positã specie ponitur differentia: positã igitur specie ponitur vtrumque genus.

18 *An non impossibile*: Quartò limitat dictum axioma, ei adiiciens aliquam partã

culam. Ait enim non esse impossibile vt differentia collocetur sub duobus generibus non subalternis, dummodo ea genera contineantur sub vno genere communi. quod confirmat exemplo. vnde cócludit axioma ita esse concipiendum: Eadem differentia nó est duorum generum, quæ nec sunt subalterna, nec ambo sub vno aliquo communi genere continentur.

19 *Patet etiam.* Quintò ex dictis colligit, non semper valere argumétum à differentia ad certū genus. cum enim possit esse in duobus generibus, nó magis potes arguere ad vnum, quàm ad alterū genus. Vtputà animal terrestre diuiditur in bipes & multipes. ité volucre diuiditur in bipes & multipes. nó valet igitur argumentū, Est bipes. ergo est animal terrestre; quia potest esse volucre. ité nó valet argumētū, Est bipes, ergo est volucre: quia potest esse terrestre.

20 *Videre etiam.* Decimumsextum axioma est: Quod significat vbi, nó est differentia substantiæ. Primò pōnit præceptum. Secundò cùm ait, *quia non videtur*, adiungit axioma. Tertiò cùm ait, *Idcirco & eos*, illustrat hunc locum exemplo, inquiens nónullos ex hoc loco impugnare diuisionem animalis in terrestre & aquatile. Quartò cùm ait, *An in his*, ostendit eos non rectè vti hoc loco, atque eā diuisionem defédit. Quintò cum ait, *Verum tamen si quando*, addit, quicquid de eo exemplo dicédum sit, tamen hoc constare, tunc male accipi differentiam substantiæ, cùm significat alicubi.

21 *Item [videndum.]* Decimumoctauum axioma duobus modis concipi potest. Primò sic: Affectio seu perturbatio non est differentia. Secundò sic: Id ratione cuius variari res dicitur, non est differentia. Hic locus perspicuus est: quia affectiones, secundum quas res variatur, sunt accidentia, non differentiæ. Primò Aristoteles proponit præceptum, ex quo colligitur prior conceptio axiomatis. Secundo cùm ait, *omnis enim affectio*, hunc locum ratione confirmat, quę talis est: Omnis affectio, si augeatur, ré de suo statu dimouet: atqui differentia non est talis: ergo differentia non est affectio. Maior potest probari per inductionem. vel uti si aqua fiat nimis calida, resoluetur in aërem: si nimis frigida, conuertetur in glaciem. differentia verò, cùm significet rei essentiam, non potest esse talis. Tertiò cùm ait, *& simpliciter*, addit alteram rationem: Sine perturbatione res esse potest; sine propria verò differentia res esse non potest: ergo differentia non est perturbatio.

22 *Et vt simpliciter.* Quartò concipit axioma, prout suprà secundo modo id concepi. Quintò cùm ait, *nam omnia*, confirmat hoc axioma dicto argumento: quoniā ea secundum quæ res variatur, si nimium augeātur, rem perimunt: quod de differentiis dici nequit.

23 *[Peccauit] etiam.* Decimumoctauū axioma ita concipitur. Relatorum differentiæ referuntur ad aliquid vel ita, Quod nó refertur ad aliquid, non est differétia generis relati. Primò Aristoteles monet eos peccare, qui ita differentiam tradunt. Deinde cùm ait, *nam eorum*, dat huius loci axioma. Tertiò cùm ait, *quemadmodum & in scientia*, illustrat hoc axioma exemplo.

24 *Considerare etiam.* Decimumnonum axioma est: Differentia petenda est ex eo, ad quod rés per se refertur; nó ex eo ad quod refertur per accidens. Potest & ita concipi: Id, ad quod res per se non refertur, non est differentia. Primò Aristoteles ponit præceptum. Secundò cùm ait, *quibusdam enim*, vt declaret hunc locum exemplo, docet alia referri ad vnum tātum; alia verò ad duo, id est, ad vnū per se, & ad alterum per accidens; ita vt male definiantur, si ad hoc referātur. Tertiò cùm ait, *eius autem ad quod*, docet vnde cognoscatur id, ad quod res per se refertur: & inquit ad id referri, ad quod eam ré adhiberet vir prudés & sciés.

25 *Præterea [videdū.]* Vigesimū axioma est: Differétia ex eo sumi debet, ad quod primum res refertur. Primò Aristoteles ponit præceptum. Secundò cùm ait, *vt [si quis prudentiam,]* illustrat hunc locum exemplo.

26 *Præterea peccauit.* Vigesimū primum axioma potest hypothetice, vel categoricé cócipi. Primò Aristoteles id proponit hypothetice, népe, Si id, cui affectio vel dispositio esse dicitur res quę definitur, nō recipiat eā affectioné seu dispositioné, definitio praua est. Potest ét clarius ita cócipi: Si affectio vel dispositio in definitione dicatur esse eius in quo inesse nó potest, definitio praua est. Secúdò cùm ait, *naturā enim*, proponit axioma categoricū, népe, Omnis dispositio & omnis affectio, secundum suam naturam inesse potest in eo, cuius est dispositio vel affectio. Tertiò cùm ait, *quemadmodū & scientia*, dat exemplū huius axiomatis. Quartò cùm ait, *Interdum autem*, subiicit exépla problematum, quę per hunc locum refutātur.

27 *Accidit præterea.* Quintò ostédit in his exéplis etiā aliud peccatū inesse: quia nó solùm affectio vel dispositio dicitur esse eius rei, in qua inesse non potest: sed etiā ita definitur, vt efficiens sumatur pro genere eius quod fit: vel id quod fit, accipiatur pro

genere efficientis.

28 *Praeterea secundum.* Vigesimum secundum axioma est: Quod certo tempore limitatur, non est differentia. vel, Nulla differentia certo tempore limitatur. Primò Aristoteles ponit praeceptum. Secundò cùm ait, *vt si [quis] immortale*, illustrat hûc locum exêplo, propositâ definitione, quę hinc refutatur. Tertiò cum ait, *An in hoc*, in contrarium disputat pro ea definitione, & ostêdit eam posse defendi, si modo recte intelligatur. Proponit enim tres modos, secundû quos illa definitio potest explicari. secûdû duos autem modos praua est, secundû aliû modû videtur posse admitti. Quartò cùm ait, *At men sicubi*, concludit, quicquid de ea thesi, id est, de immortalis definitione dicêdum sit; tamen hûc locum & hoc vigesimû secundû axioma valere, si non in hoc exêplo, saltem in aliis quae proponi possunt.

IN CAP. VII. DE LOCIS A COMPARATIONE, A disiunctione, & à definitione.

1 *Considerandum etiam.* Decimus tertius locus, huius capitis primus, à comparatione, côtinet quinque axiomata. Primû est: Si definitum magis dicitur ratione alterius cuiusdam, quàm ratione eius quod in data definitione positum est: certe non est bona definitio. Primò Aristoteles proponit praeceptum. Secundò cùm ait, *vt si iustitia*, declarat hoc pręceptum exêplo perspicuo.

2 [*Praeterea [videndum.]* Secundum axioma potest concipi hypothetice, & categoricè. Hypotheticè est bipertitû, & resoluitur in duo axiomata. Primò Aristoteles proponit praeceptum, ex quo colligitur primû axioma hypotheticû: Si res definita recipit intentionem, definitio verò non recipit: falsa est definitio. Secundò cùm ait, *vel contrà*, addit alterû praeceptum, ex quo colligitur alterû axioma hypotheticum: Si definitio recipit intentionem, definitum autem nô recipit: falsa est definitio. Haec axiomata in vnum ita redigûtur: Si ex definito & definitione alterum intêtionem recipiat, alterû minimè: definitio praua est. Tertiò cùm ait, *oportet enim*, côcipit axioma disiunctiuè. Aut vtrumque, id est, definitio & definitum, aut neutrum recipit intentionê. Omnia igitur haec axiomata sunt hypothetica. Possumus autê & c.tegoricè ita concipere: Quod intentionê recipit, nô est definitio eius quod intentionem nô recipit. item, Quod nô intenditur, non est definitio eius quod intentionem recipit. Exempli causâ malè anima definitur harmonia partium corporis: quoniâ harmonia potest intendi & remitti, anima vero non potest. Quartò cùm ait, *siquidem idem*, côfirmat dictum axioma: quia definit o & definitû res sunt idê: vnde quod de vno dicitur, etiam de altero dici debet.

3 *Praeterea an re ipsa.* Tertium axioma est: Si definitio & definitum intentionê nô simul recipiunt, definitio praua est. Primò Aristoteles ponit praeceptû. Deinde cùm ait, *vt si amor*, addit exemplû perspicuum.

4 *Praeterea an duobus.* Quartum axioma est: Si vni definitio, alterum definitum magis conueniat: definitio praua est. Primò ponit praeceptum. Secundò cùm ait, *vt si ignis*, addit exemplum.

5 *Rursus an alterum.* Quintum axioma vt intelligatur, statuêdi sût quatuor termini: primò definitum: secûdò definitio: deinde alij duo termini, quib^9 & definitio & definitum atribuuntur; sic tamen, vt magis attribuatur definitû quàm definitio, vel magis definitio quàm definitum. hincq; reprobatur definitio. Axioma ita concipiatur: Si duobus definitum aequè attribuitur, definitio verò inaequaliter attribuitur; vel côtrà, definitio aeque attribuitur, definitum autê inaequaliter: certe definitio praua est. Exempli gratiâ, vinû definiatur liquor inebriâs. vt impugnê hanc definitionem, sumo duo vini genera, Rhenanum, & Maluaticum. nâ vinû quidem vtrique aequè attribuitur: definitio autê vini non aequè attribuitur. Etenim tam Rhenanum, quàm Maluaticum ęquè est vinum: sed Maluaticum magis inebriat, quàm Rhenanû. quapropter ea definitio praua est.

6 *Praetereà an duo.* Decimus quartus locus, huius capitis secundus, sumitur à disiûctione. Axioma est: Definitum male in definitione ad duas res disiunctim accômodatur. Primò Aristoteles ponit praeceptum. Deinde cùm ait, *vt [si] pulchrum*, ponit thesim ex hoc loco impugnâdam. Tertiò cùm ait, *& ens*, addit alterum exemplû. i. alterâ thesim. Quartò cû ait, *idê enim*, impugnat priorem thesim ex hoc loco, probâs ex huiusmodi definitione sequi absurditatem. i. vtramque partê contradictionis esse simul veram, putâ idem esse pulchrû & non pulchrum. Quintò cùm ait, *similiter q;*, eâdê ratione impugnat posteriorem thesim. Sextò cùm ait, *nam autem*, probat consequentiam. i. contingere illam absurditatê, probat (in quâ) aduersus priorê thesim. Septimò cùm ait, *similiter autem*, ostendit eodêmodo posse probari côsequêtiâ côtra posteriorê thesim.

7 Prae-

7 *Praeterea generum.* Decimus quintus locus,huius capitis tertius,continet præce ptum,vt, si nobis non occurrat argumentum contra definitionem siue eius partes, tūc singulas definitionis partes de mniam*. ita enim cùm habeamus multas definitiones,faciliùs suppetent argumēta. quælibet enim partes definitionis, nécnon harū par tium definitiones debent vere attribui definito.

IN CAP. VIII. DE LOCIS AB OMISSIONE.

1 SI verò id. Decimus sextus locus, huius capitis primus, sumitur ab omissione eius ad quod res definita refertur. Axioma est:Omissio eius ad quod res defini ta refertur,vitiat definitionē.Primò Aristoteles proponit præceptum. Secundò cùm ait,*vt si[quis,]*addit exempla.

2 [*Videndum est*]*etiam.* Decimus septimus locus,huius capitis secūdus , sumitur ab omissione finis.Axioma est: Omissio finis vitiat definitionem rei quæ ad finē refertur. Primò Aristoteles ponit præceptū. Secundò cùm ait, *Finis autem*, explicat dictū præceptum. Ait, *quod est optimum, vel id cuius gratiâ*.vide Phys.lib.2.cap.12.partic.12. Tertiò cùm ait, *veluti cupiditatem*, adiungit exemplum.

3 *Considerare etiā.* Decimus octauus locus sub præcedenti contineri potest: continet enim hoc axioma, Generatio siue ἡ γένεσις non est finis: quod refertur ad locum præcedentem,quatenus ita definiens,omit tit verum finem. Primò Aristoteles ponit præceptum.Secundò cum ait,*quia nihil*, addit axioma. Tertiò cùm ait, *etenim potius*, confirmat præceptum & axioma. Quartò cùm ait, *An nō in omnibus*,adhibet exceptio nem ad illud axioma, & ostendit actionem siue operationem interdum esse finem.

4 *Item in quibusdam.* Decimus nonus locus,hui* capitis tertius,sumitur ab omissione quantitatis,vel qualitatis,vel ali* cir cumstantiæ.Axioma est:Ea definitio est im perfecta,in qua eiusmodi circūstantiæ sunt omissę.Primò Aristoteles ponit pręceptū. Secundò cùm ait, *vt ambitiosus*,subiicit mul ta exempla. Tertiò cùm ait, *nam qui differentiam*,confirmat hūc locum: quia cùm aliqua differētia omittitur,essentia rei perfecte non explicatur. Quartò cùm ait, *oportet autem semper*, monet,vt argumentum dirigamus ad id quod in definitione desideratur.i.de ea circūstātia disputem*, quę po ni debuit,& prætermissa est in definitione.

5 *Item in appetitionibus.* Vigesimus locus,hui* capitis quartus,ab omissione eius quod videtur,cōtinet hoc axioma:Omissio τοῦ φαινομένου,id est, eius quod videtur, vitiat definitionem.Hoc axioma coangustatur ad appetitionem,& ceteras res, in quibus spe ctatur τὸ φαινόμενον.cupimus enim, quod no bis videtur bonum:& syllogismus sophisti cus est syllogismus φαινόμενος,id est,videtur esse syllogismus. In huiuscemodi ergo rerum definitione poni debet *id quod videtur*: in aliis,vt in definitione animalis,non itē. Primò Aristoteles ponit præceptum. Secūdò cùm ait,*vt[si] voluntas*. illustrat hunc lo cum duobus exemplis,quę pertinēt ad species appetitionis,id est, ad voluntatē & cupiditatem. sunt enim appetitionis tres species;voluntas,quæ refertur ad intellectum; cupiditas seu concupiscentia,quæ refertur ad facultatem animę concupiscibilem;& ira;quæ refertur ad facultatem irascibilem. Volūtas.n.est appetitio boni:cupiditas est appetitus iucūdi.ira est appetitus vindictę.

6 *Quòd si id quoque.* Qui thesim concipit,vitare potest argumentum ex loco modò exposito sumptum, si in definitione po nit τὸ φαινόμενον. Verùm in hac partic. osten dit Aristoteles eos qui ponunt ideas, dū vi tant hunc locum quasi Scyllam,incidere in Charybdim:ita vt contra eos possimus arguere,etiamsi ponāt in definitione, *id quod videtur*:quia definitio debet cōuenire ideę: vt definitio hominis debet conuenire ipsi homini:ideis autem non conuenit τὸ φαινόμενον,id quod videtur.Primò Aristoteles dat hoc præceptum,vt,si aduersarius concedat ideas,& in rei definitione posuerit id quod videtur,ducatur ad ideas,id est, impugnetur eius definitio,eò quòd non conuenit ideæ.Secundò cùm ait, *vt ipsa cupiditas*, illustrat hoc præceptum exemplo.

IN CAP. IX. DE ABSTRACTIS,VEL CONCRETIS, & de oppositis.

1 PRaeterea si habitus. Vigesimus primus locus,huius capitis primus,sumitur à concretis & abstractis:quāquā obiter fit aliqua mētio contrariorū,de quibus aliquid obiter dicemus. Axioma est:Abstracti& cō creti par est ratio:ita vt ex definitione vni* facile cognoscatur definitio alterius. Primò Aristot.ponit præceptū.Secundò cùm ait, *Similis [est] ratio*, adducit hoc pręceptū ad omnia cōiugata : quoniā ōiū eadē est ratio. Tertiò cū ait, *vt si iucundū*, apponit exēplū. Quartò cū ait, *& vt vniuersaliter*, adiūgit a-

xioma. Quintò cùm ait, *nam qui scientiā*, declarat illud axioma exemplis. Sextò cū ait, *sane igitur*, monet huius loci fontes esse locos à cōtrariis, & à cōiugatis. Adiicit *à cōtrariys*. quia obiter in explicando axiomate mētionem etiam fecit cōtrariorum: propterea quòd sicut ex definitione vnius coniugati colligitur definitio alterius cōiugati, ita et iā ex definitione vnius contrarij colligitur definitio alterius. sed vt antea monui, obiter hic fit mentio contrariorum.

2 *Praeterea in iis*. Vigesimus secūdus locus, huius capitis secūdus, sumitur ab eo, ad quod genus vel species refertur. Vt hic loc⁹ intelligatur, statuēdi sūt quatuor termini; duo generales, & duo speciales sub illis generalib⁹ cōtēti: ita vt primò sit vnū genus, vt existimatio: secundò alterū genus, vt existimabile: tertiò prima species, id est, species primi generis, vt aliqua existimatio: quartò secunda species, id est, species secundi generis, vt aliquod existimabile. His ita positis, axioma est: Si primū genus refertur ad secundū genus, etiam prima species referri debet ad secundam speciem. Primò Aristoteles ponit praeceptum. Secundò cùm ait, *veluti si existimatio*, dat exempla axiomatis. Tertiò cùm ait, *nisi enim*, docet vitiosam esse definitionem, quae contra illud axioma peccat.

3 *Videre etiam*. Vigesimus tertius locus, huius capitis tertius, sumitur ab oppositis definitionib⁹. Hic est axioma generale, Oppositorum definitiones sunt oppositae: & axiomata specialia, prout spectantur species oppositorum: veluti, contrariorum contrariae sūt definitiones. Primò Aristoteles ponit generale praeceptum de oppositis. Secūdò cùm ait, *veluti an dimidiū*, declarat hoc praeceptum exemplo quorundam relatorum.

4 *Eadem[est]ratio*. Cùm in superiori particula dederit praeceptum generale de oppositis, idque exposuerit exēplo relatorum nūc specialiter loquitur de cōtrariis. Ac primo dat praeceptum. Secundò cùm ait, *nam contrariȳ*, adiungit axioma de contrariis, quod ad part. praeced. proposuī. Ait, *secundum vnam quandam contrariorum connexionem*. Hae contrariorum connexiones expositae fuerunt lib. 2. cap. 7. Tertiò cùm ait, *veluti si vtile*, illustrat hūc locum exemplis.

5 *Quoniam autem nonnulla*. Vigesimus quartus locus, huius capitis quartus, à definitione ex opposito sumpta, (id est, cùm aliquis in rei definitione ponit ei⁹ oppositū) continet tria axiomata: quorum duo pertinent ad habitum & priuationem: tertium ad contraria, quae non opponuntur vt habitus & priuatio. Primum axioma est: Priuatio definiri debet per habitum. Hinc refelles definitiones priuationum, in quibus non fit mentio habitus. Alterum axioma est: Habitus non definitur per priuationē. Hinc impugnabis definitiones habituū, in quibus fit mentio priuationis. De tertio axiomate dicemus ad partic. 7. Quod attinet ad priuationem & habitum, Primò Aristoteles praemunit esse quaedam cōtraria, quorum vnum significat priuationem alterius: vt inaequalitas significat priuationem aequalitatis. Secundò cum ait, *manifestum[est,]* ponit primum axioma. Tertiò cùm ait, *veli quum verò*, adiungit alterum axioma. Quartò cùm ait, *Notandum igitur*, subiicit praeceptum, vt videamus, an in thesi peccatū sit contra alterutrum axioma. Quintò cùm ait, *vt si quis definierit*, dat exemplum definitionis, in qua peccatur contra secundum axioma.

6 *Praeterea necesse*. Coniungit hunc locum cum loco exposito cap. 4. part. 14. & ostendit eum qui in definitione habitus ponit priuationem, definire idem per seipsū: quia perinde est ac si poneret definitionem priuationis, in qua definitione iam docuimus habitum poni.

7 *Quòd si neutrum*. Tertium axioma loci vigesimi quarti est: Contrarium non definitur per suum contrarium. Contraria nūc intelligimus, quęnō dicuntur vt priuantia, veluti aequale & inaequale; sed vt habitus contrarij, veluti bonum & malū. Aristoteles enim duo genera contrariorū hic facit. quandoque enim vnū significat priuationē alteri⁹, vt inaequalitas significat priuationē aequalitatis: interdū vero significatur contrarij habit⁹ absque vlla priuatione, vt dixi de bono & malo. Priori casu docuit Aristoteles contrarium illud quod significat priuationem, definiri per suum contrariū, sed non contrà. hic verò docet neutrum cōtrariū definiri per alterum: quoniam vtriusq; eadē est ratio. veluti si definias bonū, quod est contrarium malo. eadē ratione definies malum, quod est cōtrarium bono. ita fiet, vt idem ponatur in definitione sui ipsius: quia dū ponis malum in definitione boni, perinde erit, ac si poneres definitionē mali: atqui in definitione mali ponebatur bonū: ergo bonum quod est in definitione mali, ponitur in definitione boni: atque ita idem definitur per semetipsum.

8 *Praeterea[videndum]* Vigesim⁹ quintus locus, huius capitis quintus, est bipertitus.

sumitur

sumitur enim ab omissione eius cuius est priuatio, vel ab omissione subiecti quod priuatur. Est autem hic locus proprius eorum quæ secundum priuationem dicuntur. Axioma hic est: In definitione eius quod secundum priuationem dicitur, explicare oportet, cuius rei priuatio fit, & quodnam fit subiectum quod priuatur. Potest etiam ita concipi: Definitio rei secundum priuationem dictæ, praua est, nisi explicet, cuius sit priuatio, & quid priuetur. Cùm autem hic locus sit bipertitus, continet duo præcepta: primum de eo cuius est priuatio: alterum de eo quod priuatur. Primo igitur Aristoteles ponit primū præceptum; & explicans cuius dicatur esse priuatio, inquit, *veluti habitus[ne]an contrarij:* quibus verbis significat duo priuationum genera. Vnum est priuationis propriè dictæ, id est, quæ est omnino seiuncta à contrarietate: vt cùm cæcitas dicitur esse priuatio aspectus: hęc enim est mera priuatio. alterum est genus priuationis, quæ in cõtrariis cernitur, vt paulò ante notaui: vt inæqualitas significat priuationem ęqualitatis: sed hæc non est pura priuatio, verùm ita significat priuationem vnius contrarij, vt simul ponat alterum contrarium. Secundò cùm ait, *& an non adiunxit*, adiicit alterum præceptum de subiecto priuationis. Tertiò cùm ait, *vt[si quis] cùm dixerit*, illustrat vtramque loci partem exemplo. Quartò cùm ait, *similitérque*, adiungit alterum exemplum.

9 *Videre etiam.* Vigesimus sextus locus, huius capitis sextus, sumitur à priuatione. Axioma est: Quod non dicitur secundum priuationem, male definitur per priuationem. Primò Aristoteles ponit præceptum. Secundò cùm ait, *quod quidem vitium*, adiungit exemplum.

IN CAP. X. QVO DECLARANTVR LOCI A CASIbus, ab idea, & ab homonymia.

1 PRæterea [*videndum.*] Vigesimus septimus locus, huius capitis primus, à casibus, continet hoc axioma: Similibus definiti casibus, similes definitionis casus cõuenire debent. Primò Aristoteles ponit præceptum: Secundò cùm ait, *veluti si vtile*, addit perspicuum exemplum.

2 *Considerare etiam.* Vigesimus octauus locus, huius capitis secundus, ab ideis, habet hoc axioma: Definitio debet ideæ conuenire. Hoc loco vti non possumus, nisi aduersus eos qui ponunt ideas. Primò Aristoteles ponit præceptum. Secundò cùm ait, *quoniam in nonnullis*, ostendit huic præcepto locum esse posse aduersus ponentes ideas: quia interdum ita rem definiunt, vt definitio non conueniat ideæ. Tertiò cùm ait, *veluti[si quis,]* declarat, quænam sint illæ definitiones, quę non conueniunt ideis: & ostendit tales esse eas, in quibus ponitur aliqua ex his differentiis, id est, mortale, vel effectiuum, vel patibile. nam hæc non conueniunt ideis.

3 *Præterea in ijs.* Vigesimus nonus locus, huius capitis tertius, ab homonymia, diuiditur in quinque partes. In prima cõtinetur hoc axioma: Quorum vna est definitio, ea sunt synonyma, non homonyma. vel, Homonyma non continentur vna communi definitione. Hinc vulgò dicitur, homonyma priùs esse distinguenda, quàm definiantur. Ex hoc igitur loco refellitur definitio vocabuli homonymi, quę est omnibus significatis communis. Primò Aristoteles ponit præceptum. Secundò cùm ait, *nam ea quorum*, confirmat hoc præceptum à definitione synonymorum.

4 *Hoc vitio laborat.* Tertiò illustrat hunc locum exẽplo, de cuius exempli veritate disputare non est huius loci, sed pertinet ad physicum. Aristoteles enim sæpe vtitur exemplis fictis.

5 *Accidit igitur.* Quartò docet hoc vitium duobus modis committi, seu duabus de causis. quandoque enim affert aliquis definitionem communem rebus homonymis, propter ignorantiam homonymiæ, quia putat esse synonymas. quandoque verò intelligit aliquis homonymiam, & vult vnam ex rebus homonymis definire, sed nõ animaduertit, definitionem etiam aliis conuenire.

6 *Quia verò quadam.* Secunda pars huius loci continet duo præcepta respiciẽtia ad definitionem, quæ non conuenit omnibus significatis sub nomine definito comprehensis. Hic Aristoteles primò dat præceptum opponenti, vt accipiat vocabulum definitũ pro synonymo, & inde impugnet definitionem, quia non conuenit omnibus definiti speciebus. Secundò cùm ait, *at is qui respondet*, dat respondenti præceptũ contrariũ, vt nimirum dicat vocabulum definitũ esse synonymum, illúdque distinguat, ac dicat se, cùm definiuit, accepisse in ea significatione, in qua definitio conuenit omni definito. vtputà si canem definiuit animal quadrupes aptũ ad latrandũ, dicat canẽ esse vocabulum homonymũ; interdum

significare speciem animalis terrestrem, interdū piscem, interdum sydus; se verò accepisse in prima significatione.

7 *Quoniam autem.* Tertia pars continet hoc præceptum, vt is, qui vult definitionē impugnare, priusquàm argumēta sua proferat, respondentē interroget, vtrùm definitum sit homonymū, an synonymū: quia faciliùs poterit, quòd volet, à respondēte initiò extorquere, quàm post prolata argumenta: vtpote cùm respondens ab initio non intelligat exitum interrogationis.i.vtro modo respondens sit daturus copiam argumentorū aduersario: sed postquàm audiuerit argumenta, tergiuersabitur, ne victus videatur. vtputà si opponēs probauerit definitionem non conuenire omni definito, respondens dicet definitum esse homonymum, quia si fateretur esse synonymum, victus esset: argumento autem nondum audito facilè concessisset esse synonymum, deinde argumento prolato non haberet, quod responderet. Deinde ait Philosophus, *Quod si* [*inter.*] Quarta pars instruit opponentem, & dat ei locum impugnandæ definitionis, si ab initio non fuerit expresse dictum, vtrùm definitum sit synonymum, an homonymnm: Finge enim opponentem statim argumentū suum proposuisse, ac definitionem ex eo impugnasse, quòd non conuenit omnibus sub definito contentis, ideóque respondentem dicere definitum esse homonymum, & secludendum esse id cui definitio non conuenit vtputà sit animal rationale definitū, viuens sensu & ratione prǣditum, morti obnoxium. Opponens obiecit, quòd hæc definitio nō conuenit Deo, respondens ait animal rationale homonymos dici de Deo & homine: proinde se accepisse animal rationale pro homine, non pro Deo. Quid ergo faciet opponens, vt probet definitum esse synonymum: atque ita primum suum argumentum confirmet? Aristoteles monet, vt respiciat ad definitionem huius, cui non conuenit definitio, respondentis, veluti ad definitionem Dei, cui non conuenit definitio animalis rationalis data in thesi: opponens igitur dispiciat, an per hāc definitionem probetur Deū & hominem esse synonyma.i.an sit definitio aliqua, quę ita attribuatur Deo, & simul etiam synonymos attribuatur homini. nam per hanc definitionem probabit hæc esse synonyma. Et si respondens pergat esse morosus, & neget Deum & hominē esse synonyma respectu suæ definitionis, quamuis sint synonyma respectu alterius definitionis ab opponente allatæ: hæc enim responsio non inepta videtur, cum eadem respectu diuersorum possint esse synonyma, & homonyma: vt canis quadrupes, & canis piscis synonymos dicūtur corpora viuētia sensu prædita, sed homonymos vocantur canes) tunc opponens ducet respondentem ad absurditatem, quòd eadem res habet duas diuersas definitiones. certum est enim, has definitiones esse diuersas: eam quæ est posita in thesi, & eam quam opponens attulit: (alioqui dici non posset, Deum & hominem respectu vnius definitionis esse homonyma, & respectu alterius esse synonyma) atque hæ ambæ definitiones conueniunt homini: duę igitur definitiones homini competent.

8 *Rursus si quis.* Quinta pars eiusdē loci instruit opponentem, vt adimat respondenti effugium quoddam. Finge vocabulum definitum esse homonymum, vt canē: definitionem autem non conuenire omnibus significatis, putà quia definitio est animal quadrupes aptū ad latrandum: Contra hanc definitionem opponens argumētatus est obseruans pręceptum datum in 6. partic. id est, accepit canem pro synonymo; & obiecit quòd hæc definitio non cōuenit omni cani, quia non conuenit pisci: praua igitur est, cùm non reciprocetur cū suo definito. Iam finge respondentem non confugere ad homonymiam [illegible] canis, (nam de ea responsio [illegible] ctū fuit) sed negare piscem [illegible] canem, quia definitio canis ei non conuenit, ergo nec definitum tribui debet. Quid replicabit opponens contra hanc responsionem? Vtetur eo loco, quòd sequendum est, vt multi: sentiendum, vt pauci, qui traditus fuit lib. 2. cap. 2. partic. vltima. Nam quia omnes etiam piscem quendam appellant canem: peccauit respondens, si hoc vocabulo est vsus contra communē vsum.

IN CAP. XI. DE VERBORVM CONIVNCTORUM definitione.

HOc capite traduntur loci pertinentes ad definitiones rarum rerū, quę pluribus vocabulis significantur: veluti siquis definiat numerū parem, aut capitis deminùtionem, aut cetera eiusmodi.

9 *Sin autem,* Trigesimus locus, huius capitis primus, à detractione, continet hoc axioma: Sublata definitionis parte, quæ accōmodatur seu respōdet parti rei definitę: reliqua pars definitionis debet accommodari

dari reliquę parti definiti:alioqui nō esset bona definitio. Primò Aristoteles ponit præceptum. Secundò ibi, *si enim [enim]*, adiungit axioma. Tertiò ibi, *vt si [quis] linea*, illustrat hunc locum exemplo.

2 *Præterea [videndum.]* Trigesimus primus locus, huius capitis secundus, à commutatione nominū, continet hoc axioma: Definitio ἰσόκωλος, æquimembris.i.quę totidem membris constat, quot definitum, praua est. Talis est definitio Caii Iurisconsulti in l.1.D.de capite minutis, cùm ait, *capitis diminutio est status permutatio*, æquè enim sunt duo membra in definitione, vt in definito: proinde non est definitio, sed nominum cōmutatio? quia pro capite dicitur status, & pro deminutione dicitur permutatio. Primò Aristoteles ponit præceptū. Deinde cùm ait, *totidem membris constare*, explicat, quid sit definitio ἰσόκωλος. Tertiò cùm ait, *necesse [est enim]*, confirmat hunc locum ex natura definitionis. Vt enim dicitur lib.1.Phys.cap. 1. definitio est vnum quiddam totum & cōfusum, definitio verò id diuidit in singulas partes. Sicut igitur quando res diuiditur, plura sunt membra diuidentia, quàm id quod diuiditur: ita etiam plures debent esse partes in definitione, quàm in definito.

3 *Præterea grauius.* Postquàm refutauit Aristoteles definitionem æquimembrem, tamquam absurdā: nunc ostēdit augeri vitium huiusmodi definitionis, si non solùm sit simplex cōmutatio nominum, sedetiam pro nominibus apertioribus sumantur obscuriora. nam definitio cùm debeat explicare definitum, debet esse notior. Huius vitii exēplum est in contextu. Ceterùm hoc vitio non laborat ea Caii definitio. longè enim notiora sunt hæc vocabula, *status permutatio*, quàm *capitis deminutio*. Itaque defendi potest, non vt definitio, sed vt expositio per notiora vocabula.

4 *Videndum est etiam.* Ostendit vitium dictæ definitionis adhuc magis augeri, si nomina cōmutentur in alia nomina non idem significātia. tunc enim aut definiens abutitur vocabulis in significatione nō receptа, aut falsò definit. Exemplum est in contextu.

5 *Præterea [videndum.]* Opponit etiam huiuscemodi definitionibus quæ per commutationem nominū fiunt, quòd hæc cōmutatio debet potiùs fieri differētię, quàm generis. i. si definiēs rem (exempli gratiâ) duobus vocabulis significatam, vnū ex illis vocabulis in definitione retineat, alterum verò mutet: tunc debet potiùs mutare nomen differentiæ, quàm nomē generis. vel vti debet potius dicere, capitis deminutio est status deminutio; quàm, capitis deminutio est capitis permutatio. Hunc locum Aristot. ex eo probat: quia quod est minùs notū, magis debet explicari: atqui differentia est ignotior genere: ergo potiùs explicari debet, quàm genus: quod fiet, si mutetur nomen differentiæ, non nomen generis.

6 *An hæc.* Nam defendit thesim aduersus obiectionē vltimo loco propositā: & refutat quod dixit, potius mutari nomē differentiæ, quàm generis. quamuis enim genus sit notius differentiā, tamen fieri potest, vt nomen generis sit obscurius, quàm nomen differentię. quapropter illud vocabulum est potiùs mutandū quod est obscurius. nam ea sententia, quòd genus est notius differentiā, nō est intelligēda de vocabulis, sed de rebus ipsis. Deinde cùm ait, *si verò non nomen*, docet, quando si potius mutanda differentia, quàm genus. quamuis enim cōmutatio nominū non probetur: tamen probanda est mutatio nominis in oratione; id est, si loco nominis ponatur eius definitio: tunc enim respicimus potiùs ad res ipsas, quàm ad vocabula: quādoquidem definitio explicat quid res sit, nō vim vocabulorum. Quoniam igitur differentia est ignotior genere; idcirco potiùs est definienda, quàm genus. In summa, si vis explicare nomen per aliud nomen: ad id respicias, vt potissimùm mutes nomē obscurius: siue sit nomen generis, siue differentiæ. Quòd si velis pro nomine afferre definitionem, debes potiùs afferre definitionem differentiæ, quàm generis.

IN CAP. XII. QVO EXPLICANTVR VARII LOCI.

1 SI *verò differentia.* Hæc particula cohæret capiti præcedenti, & ei debet adiungi. cùm enim definitum constat duobus vocabulis, veluti capitis deminutio, quorum vnum habet rationē generis, alterum differentiæ: dixit Aristoteles esse potiùs retinendum nomen generis, & afferendam definitionem differentiæ, quàm è cōtrario retinendum nomen differentiæ, & afferendam definitionem generis. nunc igitur docet cauendum esse, ne ea definitio differentię sit communis multis rebus, nec reciprocetur cum differentia definita. nisi enim cautè agamus, facilè in hoc vitium incidemus: quia tota definitio simul sumpta reciprocabitur cū definito simul sum-

pto: dempto tamen eodem generis nomine tam ex definitione quàm ex definito, reliqua definitio non reciprocabitur cum reliqua parte definiti, atque ita peccabitur contra locum trigesimum. Hic primò Aristoteles ponit præceptum. Secundò cùm ait, *vt cùm imparem*, illud præceptum declarat exemplo perſpicuo.

2 *Rursus ſi id.* Trigeſimus ſecundus locus, huius capitis primus, ſumitur ab eo quod eſt, vel non eſt. Axioma ita concipitur: Quod eſt, malè definitur per id quod non eſt. Primò Ariſtoteles ponit præceptum. Secundò ibi, *vt ſi album*, adiungit exemplum.

3 *Præterea quicumque.* Trigeſimus tertius locus, huius capitis ſecundus, ſumitur à latitudine obiecti, ad quod res definita refertur. Primò Ariſtoteles ponit axioma: Definitio, in qua non ponitur proprium obiectum rei definitæ, ſed aliquid magis generale, praua eſt. Et declarans quomodo praua ſit, inquit eam eſſe vel in totum vel ſaltem ex parte falſam. Secundò cùm ait, *vt ſi quis dixerit*, declarat hoc axioma exemplo perſpicuo.

4 *Præterea ſi is qui.* Tertiò confirmat idem axioma: quia talis definitio non ſumitur ab obiecto per ſe, ſed per accidens: (eſt autem obiectum per ſe, vt medicinæ corpus ſanabile: per accidens autem, vt medicinæ ens, quia illud corpus ſanabile eſt ens) eſt igitur praua definitio. Probatur conſequentia per deductionem ad abſurditatem: quia ſi definiatur ex eo quod eſt per accidens, multæ erunt eiuſdem rei definitiones; quoniam eidem rei multa accidunt: veluti ſicut aduerſarius dicebat medicinam eſſe ſcientiam entis, ita poſſet dici ſcientia albi, aut boni; quatenus ei quod ſanatur, accidit vt ſit album, aut bonum.

5 *Præterea fieri nequit.* Quartò confirmat idem axioma, ſeu (quod idem valet) impugnat eandem definitionem nouo argumento, quia talis definitio non reciprocatur cum definito, cùm non ei ſoli conueniat. non enim ſola medicina eſt ſcientia entis, ſed & aliæ ſunt entis ſcientiæ.

6 *Interdum verò.* Trigeſimus quartus locus, huius capitis tertius, à diſcrimine rei ſimpliciter conſideratæ & rei perfectæ, continet hoc axioma: Definitio rei quatenus eſt res optima, non eſt definitio eius rei ſimpliciter conſideratæ. Primò Ariſtoteles proponit hunc locum, inquiens interdum eos qui definiunt, in hoc peccare. Secundò cùm ait, *talis autem*, eundem locũ illuſtrat duobus perſpicuis exemplis.

7 *Item [peccauit.]* Trigeſimus quintus locus, huius capitis quartus, ab eo quod eſt eligendum per ſe vel propter aliud, continet hoc axioma: Quod eſt per ſe eligendũ, male definitur per actiuum, vel effectiuũ, vel aliud quidpiam, quod alterius cauſâ eſt eligendum. Primò Ariſtot. ponit præceptum. Secundò cùm ait, *vt [ſi quis] dixerit*, addit exemplum.

8 *An nihil vetat.* Obiicit aduerſus dictũ axioma hanc ſolutionem, quòd idem eſt eligendum per ſe, & propter aliud, vt etiam perſpicue docet lib 1. Ethic. cap. 5. Exẽpli gratiâ, prudentia eſt eligenda per ſe, quia eſt perfectio intellectus practici; nec minùs propter aliud, quia moderatur & regit actiones humanas, & virtutes morales.

9 *Sed nihilominùs.* Impugnat dictam ſolutionem: quia etiam ſi idem poſſit eſſe eligendum per ſe, & propter aliud; tamen debet definiri per id quod eſt præſtantius, vt dictum eſt ſuprà cap. 5. par. 3. debet ergo definiri, quatenus eſt eligendum per ſe, non quatenus propter aliud.

IN CAP. XIII. DE DEFINITIONE, IN QVA DICITVR ESSE hæc, vel ex his, vel hoc cum illo.

1 *Conſiderare etiam.* Proponit tres locos generales deinceps explicandos, ſeu tria definitionum genera impugnanda.

2 *Nam [ſi dixerit.]* Incipit explicare primũ ex dictis locis qui eſt ex ordine trigeſimus ſextus, ab eo quod dicitur eſſe hoc & illud. Axioma eſt: Definitio quæ ait definitum eſſe plura, vel eſſe hoc & illud, praua eſt. Primò Ariſtoteles confirmat hoc axioma per deductionem ad abſurditatem: quia ſi talis definitio reciprocatur, continget vt ſumptis duobus ſubiectis, vtrique & neutri inſint duo illa quæ in definitione poſita ſunt. Secundò cùm ait, *vt ſi iuſtitiam*, eam conſequentiã declarat, & confirmat exemplo perſpicuo; in quo definitum eſt iuſtitia, definitio verò eſt temperantia & fortitudo. Dicit hanc definitionem eſſe malã; quia ponit definitũ. i. iuſtitiam eſſe plura. i. tẽperantiã & fortitudinem. Quòd ſi neges talẽ definitionem eſſe abſurdam, inde probat abſurdã eſſe: Sumit duos homines; quorũ primus eſt temperans, non fortis; ſecundus è contrario fortis, nõ temperans. & ducit ad hanc abſurditatem, quòd hi duo ſimul ſunt iuſti, & non ſunt iuſti: quod videtur abſurdũ. Nam ſi accipiantur ambo ſimul

mul,sūt iusti,quia in his simul acceptis est fortitudo & tēperantia. sed si accipiatur vterque per se,neuter est iustus,quia neuter habet fortitudinem & temperantiā,sed alter solam fortitudinem , alter solam temperantiam.

3 *Quod si hoc.* Expendens Aristot. argumentū modo propositum, inquit aduersarium.i.eum qui defendit thesim, posse negare id esse absurdū,ad quod est deductus. nō est enim absurdum duos aliquid habere,quod neuter per se habeat.veluti si quilibet habet dimidiatū talētū, neuter per se habet talentum,sed vterque simul talentū habet:ergo similiter dici potest vtrumq;simul habere iustitiā , neutrū verò per se eā habere. Quapropter Aristot.nouum argumentū affert contra eam definitionē:& inquit inde consequi aliud manifestè absurdū.i.duo contraria in iisdē subiectis inesse. Ad probandam consequentiā, retēto eodē exemplo,in quo iustitia definitur fortitudo & tēperantia,sumit hoc principium per argumētū à contrariis,quod habuimus supra cap.9.part.4.iniustitiā esse ignauiam & intemperantiā.cōtrariorū enim contrariæ sūt definitiones.Hoc pósito,sumit duos homines,quorū vnus est fortis & intēperans, alter verò ignauus & temperans : & considerat ambos simul,non vt part.præce. modò vtrumque simul,modò singulos separatim.certum est, in his duobus simul acceptis inesse iustitiam,quia inest fortitudo & temperantia:itē inesse iniustitiā, quia inest ignauia & intēperantia.ergo in iisdē simul acceptis contraria simul inerunt.

4 *Et omnino quæcumque.* Præter duo superiora argumenta monet Aristot. nos posse refutare eandem definitionem,seu cōfirmare idem axioma ex locis explicandis li. seq.quibus quæritur vtrùm sit idē an diuersum.Nam definitio & definitum, idē sunt. Qui igitur rem definit esse hoc & hoc:cùm definitionem ex partibus sumat(nam hoc & hoc,sunt partes cōstituentes rē definitā) certè asserit totū & partes,ex quibus cōponitur,idem esse.Si igitur probemus totū & partes non esse idem: probatū erit,eam definitionem esse prauam,quæ dicit,definitū esse hoc & hoc,putà iustitiam esse fortitudinem & temperantiā, vel domum esse tectum & parietes.

5 *Maximè autem* Docet, in quibus rebus cōmodissime possimus hoc loco vti:& inquit hunc locū esse aptissimum ad impugnandas definitiones eārū rerum , in quibus partiū compositio manifesta est. Quod declarat exemplo ædi si.nobis enim patet, quomodo ædes sint cōpositæ: & destructā illā cōpositionis formā cōstat non esse ampliùs ędes.nā si colloces lapides,ligna & tegulas in vno cumulo , aut si tectum solo imponas,& supra tectū parietes extruas,at q;hoc fortasse nō decenti ordine : certe nō erit domus. Vnde apparet(exempli gratiā) domū nō esse tectū & parietes:alioqui quocumque modo ea essent collocata, diceretur domus.

6 *Quòd si rem.* Trigesimus septimus locus,huius capitis secundus,ab eo quòd dicitur ex multis cōstare,continet hoc axioma : Definitio, quæ ait definitū ex multis constare,praua est. Hoc axioma non est generaliter verum , sed limitatur & coangustatur certis conditionibus, quarum si vna adsit, talis definitio praua erit.Prima conditio est,Si ex his quæ ponuntur in definitione,nō fiat vnum : quia si definitio vera est,oportet ex his fieri vnū, nempe definitum. Primò Aristoteles ponit pręceptum. Secūdò cū ait,*quædam enim*,affert rationem præcepti,& eam declarat exemplo.

7 *Deinde an naturâ.* Secunda conditio est,Si definitum sit in primo subiecto, partes autem illę,quæ sunt in definitione positæ,non sint in vno primo subiecto,sed in diuersis.tunc enim definitio praua est:quia vbi est totum.i.definitum, non erunt eius partes in definitione positæ. Exempli gratiā,iustitia est in vno primo subiecto, quoniam est vna virtus:fortitudo autem & tēperantia non sunt in vno primo subiecto; quia fortitudo est in facultate irascibili,tēperantia verò in concupiscibili. ergo hæc duo non possunt coniungi ad efficiendam vnam virtutem. Notandum est, Aristotelem non loqui de quocumque subiecto; sed tantum de primo subiecto. nam si sumas hominem, vel animam:reperies tam iustitiam , quàm fortitudinem & temperantiam esse in eodem subiecto:sed hæc nō sunt subiecta prima.

8 *Si verò & partes.* Tertia conditio est, Si partes.i.quæ ponuntur in definitione, sunt quidem in vno primo subiecto , non tamen in eodem , in quo est totum,id est, definitum.vt si quis definiat prudentiā esse temperantiā & liberalitatē.nā prudentia est in intellectu,tēperantia verò & liberalitas in appetitu.i.in facultate cōcupiscibili.

9 *Rursus an simul.* Quarta conditio est, Si vnà cum toto.i.cum definito partes intereant,id est,si sublato toto tollantur necessariò omnes & singulæ partes in definitione positæ. tunc quoque praua est definitio:quia sublatis quidem partibus tollitur totum. non tamen sublato toto tolluntur partes : sicuti fieri potest vt non sint

ædes,& fit paries.

10 *Vel an totum.* Quinta conditio est, Si totum vel est bonum, vel est malum; partes autem neutrum sunt, id est, nec bonæ, nec malæ: aut e contrario partes sunt bonæ, vel sunt malæ, & totum est neutrū: Memineris totum appellari ipsum definitum, partes autem dici, quæ ponuntur in definitione. Hæc igitur conditio est quadripertita. Aut enim totum est bonum, partes autem nec bonæ nec malæ, aut totum est malum, partes autem nec bonæ nec malæ: aut totum est neutrum, & partes bonæ: aut totum est neutrum, & partes malæ.

11 *Vel an alterum.* Sexta conditio est, Si altera pars sit bona, altera mala, ita vt magis illa sit bona, quàm hæc mala, totū autem non sit magis bonum quàm in ☐um. Primò Aristoteles ponit hanc cōditionem. Deinde cùm ait, *vt si impudentia*, adiungit exemplum. Similiter & è contrario dici posset, Si magis vna pars est mala, quàm altera bona, opus esse vt totum magis sit malum, quàm bonum: ita vt hæc sexta conditio sit bipertita.

12 *An hoc non est.* Refellit conditiones, quintam & sextam, obiiciens exempla, in quibus alia est ratio partium, alia totius: quoniam aliqua sunt per se bona, &, cùm miscentur, euadunt mala: vel sunt per se mala, &, cùm miscentur, euadunt bona: vt videre est in pharmacis.

13 *Rursus [videndum.]* Septima conditio est, Si altera pars sit melior, quàm altera, totum autem non sit melius parte deteriore, nec deterius parte meliore. id enim esse deberet. veluti si electrum fit ex auro & argento: certè est melius argento, & deterius auro.

14 *An ne hoc quidem.* Limitat septimū axioma, vt obtineat tantùm in bonis, vel malis per se. nam in ceteris possunt afferri eædem obiectiones, quæ sunt allatæ in partic. 12. Cùm enim pharmaca, & ea ex quib⁹ constant, non sint bona per se, non est necesse, vt pharmacum mixtum ex duabus rebus sit deteriore melius, & meliore deterius. Itaque septimum axioma limitandum est eodem modo, quo in part. 12. limitauimus quintum & sextum.

15 *Præterea [videndum.]* Octaua conditio est, Si totum sit cum altera parte synonymum. Non debere enim esse synonymū, Aristoteles ostēdit exemplo syllabarū, quæ constant ex literis, nec sunt synonymæ cū literis: Si igitur synonymum ponatur in definitione tamquam pars definiti, definitio praua erit.

16 *Præterea an non exposuerit.* Nona cōditio est, Si in definitione simpliciter dictū sit rē ex his esse cōpositā, nec expositū fuerit quomodo ex his cōposita sit. est enim talis definitio imperfecta vt declaret Aristot. exemplo ædium: quia non quocūque modo partes componantur, fient ædes, vt & antea diximus.

17 *Sin autem esse.* Trigesimus octauus locus, huius capitis tertius, sumitur ab eo quod dicitur esse hoc cū illo. Axioma est: Definitio, quæ ponit definitū esse hoc cū illo, praua est. Huius loci expositio est quadripertita, ideóque cōtinetur quatuor particulis, quas ordine declarabo. In hac part. confirmat Aristot. hunc locū, & hoc axioma, ex locis præcedentibus. nam si aduersarius neget huiusmodi definitiones prauas esse, poterimus cōtra eum sic argumentari: Hæc oratio, *Est hoc cum illo*, aut significat: est hoc & illud: aut hoc ex illis, vt Aristoteles exemplo declarat: Vtramuis autem interpretationem aduersarius accipiat, loci præcedētes suppeditabūt nobis argumenta. nam si dicat esse hoc & hoc: pertinet ad locū trigesimum. Si verò dicat esse hoc ex illis, spectat ad locū trigesimum septimū.

18 *Præterea distinguendum.* Nouo argumento confirmat idē axioma, siue eundem locū trigesimū octauū. i. opponentem instruit, quomodo argumentari debeat contra respondentē, qui negat eam definitionē esse prauam, in qua dicitur esse hoc cū illo. Iubet ergo Philosophus nos vti inductione. propositis. n. omnibus modis, quibus dici potest aliquid esse cū altero, ostendemus nullū modū conuenire. nam si hoc possimus ostēdere, definitio refutata erit. Primò Aristot. ponit hoc præceptum, vt videamus, an possimus hoc probare: non semper enim possumus, sed pro subiecta materia modò possumus, modò non possumus. Secundò hoc præceptū exemplis declarat. cùm ait, *vt puta si dicatur.*

19 *Quod si distinctione.* Hæc particula prę cedenti cohæret. nā in pręce. nos monuit, vt videamus, an possimus probare rē nullo modo esse hoc cū illo: nūc verò docet, quo modo possimus argumentari, si percurrentes omnes modos, quibus dicitur aliquid esse cū altero, deprehendamus hunc modū thesi conuenire, quod vtrumque simul est eodē tempore: sicuti dicitur Socrates esse cū Platone, quia vterque eodē tēpore est in eodē cubiculo. Monet igitur, vt videamus, an ambæ partes non ad idē referantur, sed ad duo diuersa: aut referantur quidem ad idem, quod tamē nō cōueniat definito. Ita

hoc

hoc præceptũ est bipertitum. Primò Arist.ponit priorē partem præcepti. Secundò cùm ait, *vt si[quis] fortitudinem*, declarat eam partē exemplo. Tertiò cùm ait, *Præterea[non est fortis,]* adiungit alterā præcepti partē,simulq; eā exemplo declarat. Quartò cùm ait,*Neque enim*,affert rationē vtriusque præcepti.i.vtriusque partis.

20 *Nonnulla verò*.Ostendit quādoq; cōtingere vt nullus modus, quo dicitur esse hoc cū illo,definitioni in thesi positæ cōueniat:vnde apparet thesim esse falsam.Primò hanc sententiam proponit. Deinde cùm ait,*veluti ira*,eam declarat exemplo.

IN CAP. XIV. DE RELIQVIS LOCIS.

1 R*Vrsus si totum*.Trigesimus nonus locus,huius capitis primus, à cōpositione,cōtinet hoc axioma: Definitio quæ ait totū essecompositionē partiū,praua est. Primò Arist. impugnat huiuscemodi definitionē seu cōfirmat dictū axioma, ex eo quòd omissus est mod⁹ cōpositionis: quia nō sufficit dicerē totum esse cōpositionem partium:vt domum esse compositionē lignorū & lapidum:quandoquidē non quocumque modo partes cōpositæ faciunt totum,vt dictum fuit cap.præc. part.16.Hoc igitur argumentū tum demū obtinet,cùm hic modus est prætermissus. Secundò cùm ait,*vt si[quis] artem*, adiungit exemplum. Tertiò cùm ait,*quamquàm neutrum*,ostendit definitiones illas in præcedenti membro positas non tantùm posse impugnari ex eo quòd nō est expositus modus compositionis,sed etiam ex eo quòd cōpositio nō rectè attribuitur cōposito.nam res composita non est compositio, sed est id quod per compositionem componitur. Quartò cum ait, *Præterea si æquè*, ostendit,quod modò dictū est de quibusdam definitionibus, generaliter dici posse de omnibus: atque ita generaliter confirmat hoc axioma, quòd definitio, quæ ponit totū esse cōpositionē partium,praua est,siue prætermittat, siue explicet modum compositionis.

2 *Præterea si naturā*. Quadragesimus locus,huius capitis secundus, à receptione contrariorū, continet hoc axioma:Subiectum quod suscipit duo cōtraria, male definitur per vnum ex illis contrariis.Primò Arist.ponit hunc locum.Secundò cùm ait, *aliquin accidet*,eum confirmat perdeductionē ad absurditatē:quia si potest subiectum definiri per vnū ex adiunctis contrariis, æquē poterit definiri etiā per alterū: atq; ita plures erunt eiusdem rei definitiones. Tertiò cùm ait,*Talis autem*, illustrat hunc locum exemplo.

3 *Quòd si cui*.Quadragesim⁹primus locus, huius capitis tertius, sumitur à parte definitionis ad totā definitionē. Primò Arist. præcipit,vt,si nō suppetāt nobis argumenta cōtra totā definitionē, argumentemur cōtra aliquā eius partē, putà contra genus ex locis generis.Secundò cùm ait, *euersā enim*,hoc præceptū confirmat ex eo, quod valet cōsequentia à parte ad totū:atque ita proponit huius loci axioma,nēpe, Euersā parte definitionis,euertitur tota definitio.

4 *Et quæcumque*. Quadragesimus secūdus locus,huius capitis quartus,nullum habet axioma:sed tantùm præceptū, vt, si definitio sitobscura,adeo vt propter eius obscuritatē nō possimus facile inuenire argumēta,eā reformemus,atq; interpretemur, atque adeo corrigamus quātùm ad hoc vt tollamus obscuritatē,quæ est vitiū definitionis,vt expositū fuit cap. 2. Primò Aristot. ponit hoc præceptū.Secūdò cùm ait,*necesse [est]enim*,occupat obiectionē quandam. Posset enim aliquis obiicere,quòd respondēs nolet accipere nostrā interpretationē, seu reformationē;proinde frustra argumētabimur cōtra definitionem ita reformatā. Respondet Aristot. cogi aduersariū vel accipere nostrā interpretationē,vel aliā afferre.ita siue nostrā accipiat, siue aliā afferat, id cōsequemur,quod volumus.i. vt definitio reddatur perspicua, adeo vt de ea possit disputari,& cōtra eā argumenta afferri.

5 *Præterea quemadmodum*. Quadragesim⁹ tertius locus,huius capitis quintus,ab alia definitione sumptus,duabus partibus constat.Prima cōtinet hoc axioma : Eiusdē rei nō sunt plures definitiones. Hinc allatā & probatā nouā definitione, euertimus definitionē aduersarij.nam alioqui essent duæ definitiones eiusdē rei. Potest etiā axioma ita concipi.Si alia est rei definitio:hæc quæ in thesi posita est,non est eiusdē rei definitio.Hunc locū Aristot.confirmat exemplo legū: quia sicut in concionibus nouā lege prolatā quę videtur melior, antiqua abrogatur,ita etiā in disputationibus nouā definitione allatā quæ videtur melior,necesse est priorem tolli.

6 *Ad omnes autem*. Secunda pars loci quadragesimi quarti continet tantùm pręceptū sine vllo axiomate. Præceptū est,vt, antequàm accedamus ad disputandū contra aliquā definitionē,habeamus veram aliquā eius rei definitionem. In primis igitur definitionem inquiramus, vel ab aliquo auctore rectè traditam accipiamus: deindè ad hāc quasi normā siuę exemplar, expēdamus definitionē in thesi propositā

cùm enim ſupponamus noſtrã definitionẽ eſſe bonam & perfectam: ſi qua in re altera definitio à noſtra diſcrepabit, ſine dubio praua erit.

7 [*De iis*]*igitur*. Breui epilogo concludit hunc locum.

IVLII PACII A BERIGA IN LIBRVM VII. TOPICVM COMMENTARIVS ANALYTICVS.

DE QVÆSTIONE VTRVM SIT IDEM AN diuerſum.

TRACTATVS I.

EXPOSITIS locis, quibus definitiones reprobantur, conſequenter exponit locos pertinentes ad quæſtionem vtrùm ſit idem an diuerſum. nam hęc quæſtio refertur ad problema definitionis, vt expoſitum fuit lib. 1. cap. 5. part. 4. Et quoniam hi loci valent ad euertendam, non ad confirmandam definitionem, vt 2. cap. explicabitur; idcirco hi loci proponuntur ante locos, quibus definitio confirmatur, qui traduntur cap. 3.

1 *Vtrùm autem*. Proponit quærendos locos pertinẽtes ad quæſtionem vtrùm ſit idem an diuerſum. Et quia idem accipitur multis modis, qui fuerunt expoſiti lib. 1. cap. 7. idcirco ait Ariſtoteles ſe in præſentia loqui de eodem in ſignificatione maxime propria, videlicet cùm eſt idem numero.

2 *Conſiderare autem*. Primus locus ſumitur à caſibus & coniugatis: ſecundus ab oppoſitis. qui duo loci coniunguntur in hac particula. Vt intelligatur & perſpicuũ fiat axioma ſumptum à coniugatis, conſtituendi ſunt quatuor termini: ita vt primus & ſecundus ſint inter ſe coniugati, vt iuſtitia & iuſtè, item tertius & quartus ſint inter ſe cõiugati, vt fortitudo & fortiter. His poſitis, axioma eſt: Si primum & tertium ſunt eadem, etiam ſecundũ & quartum eadẽ erunt. Axioma autem oppoſitorum hoc eſt: Si duo termini idem ſunt, etiam duo his oppoſiti idem erunt. Poſſumus etiam hoc axioma explicare eodem modo, quo axioma à coniugatis, id eſt, acceptis quatuor terminis, quorum tertius opponatur primo, & quartus ſecundo, tunc axioma ita concipere: Si primum & ſecundum ſunt idem, etiam tertium & quartum erunt idem. Quod ad ſeriem contextus attinet, Primò Ariſtoteles ponit commune præceptum de vtroque loco. Secundò cum ait, *nam ſi iuſtitia*, dat exemplum loci à coniugatis. Tertiò cùm ait, *ſimilis ratio*, tranſit ad locum ab oppoſitis. Quartò cùm ait, *nam ſi hæc*, ponit axioma loci ab oppoſitis, quod ait obtinere in quocumque genere oppoſitorum, id eſt, ſiue ſint contraria, ſiue alio modo oppoſita. Quintò cum ait, *nihil enim interest*, ſoluit tacitam dubitationem. Vereri enim aliquis poterat, ne fortè peccaret argumentando ab oppoſitis. ideo deſiderare poſſet diligentiorem huius loci expoſitionem. vt videlicet cùm ſint duo ſibi inuicem oppoſita, Ariſtoteles explicaret ab vtro oppoſito ſit argumentandum. Reſpondet Ariſtoteles, in hoc nullum eſſe periculum, quia ſemper eadem eſt ratio, & quantum ad hoc ſemper erit bonum argumentum.

3 *Rurſus ex iis*. Tertius locus eſt quadripertitus. ſumitur enim ab efficientibus & interimentibus, & ortu atque interitu. Primò Ariſtoteles ponit præceptum. Secundò cum ait, *quæcumque enim*, adiungit axioma quadripertitum, nẽpe, Quæ ſunt ſimpliciter eadem, (id eſt, numero eadem) eorum ſunt iidem ortus, & idẽ interitus, & eadem efficientia, & eadem interimẽtia.

4 *Conſiderare etiam*. Quartus locus ab attributo in gradu ſuperlatiuo, cõtinet hoc axioma: E a quibus idem ſuperlatiuum attribuitur, ſunt idem. Primò Ariſtoteles ponit præceptum. Secundò cùm ait, *Quemadmodum Xenocrates*, adiungit exemplum

plum sumptum ex Xenocrate. Tertiò cùm ait, *Similiter contingit*, eandem inquit esse rationem aliarum rerum similium.

5 *Oportet autem.* Limitat quartum locum. excipit enim ea, quorum vnum sub altero continetur. quod declarat, & cõfirmat exemplo. Recte enim dices Peloponēsios esse fortissimos Græcorum, item Lacedæmonios esse fortissimos Græcorum: quia Lacedæmonij non sunt diuersi à Peloponēsiis, sed in iis continētur, quasi pars in toto. Itaque si Peloponnesij sunt Græcorū fortissimi, & Lacedæmonij sunt Peloponnesiū fortissimi, certe Lacedæmonij sunt etiam Græcorum fortissimi. Deinde cum ait, *Proinde ne Xenocrates*, refutat exemplum datum in præced. partic. & ostēdit hoc loco abusum esse Xenocratē, dū ita est argumētatus: Vita proba est maxime expetenda; item vita beata est maxime expetenda: ergò vita proba & vita beata idem sunt. Ait Aristoteles non valere hanc consequentiam: quia vita beata continetur sub vita proba. etenim (ex Aristotelis sententiā, quæ habetur lib. 1. Ethic.) omnis vir beatus est probus, sed non contra omnis probus est beatus. nam Aristoteles inter beatum & miserum ponit medium: ac tantùm tribuit probitati, vt impediat quo minùs sit miser. propterea quod solos improbos Aristoteles cēset esse miseros. Itaque vita proba secundum Aristotelem diuiditur in vitam beatam, & vitam nec beatam nec miseram.

6 *Item considerare.* Quintus locus sumitur à collatione rerū propositarum cum alia re. Duobus propositis primo & secundo, de quibus quæritur an sint idem, axioma ita concipitur; Si primum est idem cū tertio, secundum autem non est idem cum tertio: certè primum & secundum non sūt idem.

7 *Præterea considerare.* Sextus locus, sumptus à subiectis, & adiunctis siue accidentibus, continet duo axiomata: quorum alterum sumitur à subiectis, alterum ab accidentibus. Primum axioma est: Quæ non recipiūt eadem accidentia, non sunt idem. Alterum axioma est: Quæ non accidunt eidem subiecto, non sunt idē. Primò Aristoteles ponit commune præceptū. Secundò cùm ait, *nam quæ alteri*, id præceptū cõfirmat: quia si duo sint idem; quæ vni accidunt, necessariò etiam alteri accidunt. Item si duo sint idem, & horum vnum alicui accidat; etiam alterū debet eidem accidere. Tertiò cùm ait, *Si quid autem*, innuit axiomata, quæ antea tradidi.

8 *Videre etiam.* Septimus locus, à categoria, continet hoc axioma: Quæ sunt in diuersis categoriis non sunt idem.

9 *Rursus an generis.* Octauus locus, sumptus à genere habet hoc axioma: Quæ genere differunt, non sunt idem.

10 *Vel an idem.* Nonus locus, à differentiis, habet hoc axioma: Quæ non cõstituuntur iisdem differentiis non sunt idem.

11 *Præterea ex eo.* Decimus locus, ab eo quod est magis, cõtinet duo axiomata: quorum primum est: Si alterū intenditur, alterum intendi non potest: non sunt idem. Secundum axioma est: Quę non simul intenduntur, non sunt idem. Primò Aristoteles proponit communē notam ab eo quod est magis. Secūdò cùm ait, *si alterum recipiat*, ponit præceptum bipertitum: vnde colligūtur duo illa axiomata. Tertiò cùm ait, *quēadmodum qui magis*, illustrat hunc locum exemplo.

12 *Præterea ex adiectione.* Vndecimus locus, ab adiectione, continet hoc axioma: Si duo eidem rei adiecta, non faciunt idem totum: certe illa duo differunt, non sunt idem. Veluti si voluptas virtuti adiuncta, facit hominem beatum; amicitia verò virtuti adiuncta, non facit beatum: certe voluptas & amicitia non sunt idem.

13 *Vel si eadem.* Duodecimus locus, à detractione, est quodammodo præcedenti oppositus, continet autem hoc axioma: Si à duobus eadē re, detractā, id quod superest, non manet idem: certe etiam totum nō erat idē. Ratio axiomatis est perspicua: quia si ab iisdem eadē detrahantur; quæ reliqua erunt, eadem sine dubio erunt. Primò Aristoteles ponit præceptū. Secundò cùm ait, *vt si [quis]* adiungit exemplum perspicuum.

14 *Considerare autem.* Decimus tertius locus, ab hypothesi, cõtinet hoc axioma: Si ex hypothesi quamuis falsā, non tamen impossibili, colligatur duo quædam nō esse idem: simpliciter fatēdum est ea non esse idem. Ratio huius axiomatis nititur iis quę dicta sunt lib. 1. Prior. cap. 15. partic. 9. ibi nāque diximus, supposito falso quod non est impossibile, posse quidem cõsequi aliquid falsum, non tamen impossibile. Vnde si id quod consequitur est impossibile: eque per falsam hypothesim ducentem ad impossibile, probamus quod volum⁹, ac probarem⁹ ex vera hypothesi. atqui est omnino impossibile, vt ea, quæ sunt idem, non sint idem, ergo si ex falsa nō impossibili hypothesi ducam aduersarium ad hoc, quòd duo illa nō sunt idem, cogetur simpliciter fateri nō esse idem. nā si defendat esse idem: deductus erit ad impossibile, quòd ea quæ sunt idē,

non sunt idem. Quòd si ductus est ad impossibile, certe est victus: neque potest eo se tueri, quòd ego sim argumentatus ex falsa hypothesi; quoniã hæc hypothesis (vt dixi) non est impossibilis.

15 *Vt autem vniuersaliter.* Decimus quartus locus sumitur à quibuscumque attributis, vel subiectis. Est igitur locus bipertitus, & continet axioma bipertitum, nempe, Quę vel subiecto vel attributo differũt, nõ sunt idẽ. Quòd si placet distinctiùs hæc axiomata proponere, ita possunt concipi: Si quid vni attribuitur, alteri verò non attribuitur, certè duo illa diuersa sunt, non idem. Rursus, si quid vni attribuitur, & aliquid eidem nõ attribuitur: certe hæc duo non sunt idem.

16 *Prætera quia.* Decimus quintus locus, à distinctione modorũ quibus dicitur idem, habet hoc axioma: Quod alio modo est idem, non est numero idem.

17 *Prætera an possit.* Decimus sextus locus, sumitur à separatione. Axioma est: Quæ à se inuicẽ seiungi possunt, ita vt alterũ esse possit sine altero, hęc nõ sunt idẽ. veluti si anima separatur à corpore, anima & corpus non sunt idem.

18 *Loci igitur.* Breuiter concludit hoc caput.

IN CAP. II. QVO EXPLICATVR QVATENVS LOCIS PROximè expositis vti liceat cùm de definitione disseritur.

HOc caput ostendit, quatenus lòci superiori cap. expositi possint referri ad problema definitionis. Et primò in prima partic. ostendit eos locos qui probant non esse idem, valere ad refutandam definitionem: quia definitio & definitum sunt idem numero. Secundò in part. 2. ostendit locos probantes esse idem, non sufficere ad cõfirmãdam definitionem: quia plures sunt conditiones in definitionib⁹ requisitæ, idcirco hac vnã conditione probatã, non satis probatur definitio, in qua fortasse reliquæ conditiones desiderãtur. Tandem in part. 3. cõcludit se exposuisse locos quibus definitiones refutantur, vt commodius trãseat ad explicandos in sequentibus locos, quibus definitiones confirmantur. Nam & loci pertinentes ad quæstionem de eodem vel diuerso valent ad definitiones refutandas, nõ ad confirmandas, vt modò exposuimus.

DE DEFINITIONE CONFIRMANDA.

TRACTATVS II.

IN CAP. III. DE LOCIS, QVIBVS DEFINITIO confirmatur.

EXpositis locis, quibus definitiones refelluntur, consequenter exponit locos, quibus confirmantur.

1 *Quòd si confirmare.* Priusquàm tradat locos ad definitionem confirmandam idoneos, tria pręmunit. Prima pręmunitio est, Eos, qui definitiones afferunt, non solere eas confirmare seu probare. nam eas accipiunt tamquàm principia.

2 *Deinde [sciendum.]* Secundò præmunit definitiones posse probari syllogismo. & primò inquit ad aliam tractationem pertinere, id est, ad secundum posterior Analytic. pertinere diligentem expositionem, quid sit definitio: & quomodo definire oporteat. Deinde etiã, *nũc verò*, explicat, quã tùm ad hunc locum pertinet: ostendit definitionem posse probari syllogismo, quo scilicet ostẽdatur definitionẽ continere omnia attributa in quęstione quid est. i. gen⁹ & differẽtias. nam hæc attributa significãt rei essentiam. Hoc loco notanda est homonymia attributionis in quæstione quid est. nã sæpe Aristoteles in his libris, & Porphyrius in Isagoge dixerunt genus attribui in quæstione quid est, differentiam verò attribui in quæstione quale quid est: nunc verò ait tam genus quàm differentiã attribui in quæstione quid est. Cùm igitur quęrimus quid est: interdum quærimus quæ sit rei essentia: & hoc modo tam differentia, quàm gen⁹ attribuitur in quęstione quid est; quia tam differentia quàm genus significat rei essentiam; immo secundum Aristotelis sententiam in Metaphys. magis differentia attribuitur in quęstione quid est, quã genus; quoniã significat formam quæ dat esse rei. interdũ verò quęrimus quid est, id est, materiam: túncque dicimus genus attribui in quæstione quid est, differentiã verò in quæstione quale quid est: quia genus habet rationem materię; differentia verò significat qualitatem essentialem, id est, formam.

3 *Ex quibus autem.* Tertia præmunitio est, definitionem colligi vel ex locis analyticis, qui expositi fuerunt lib. 2. Post. cap. 13. & 14. vel ex locis dialecticis, qui nunc explicantur. Notãdum est, aliam esse rationem inuẽtionis generalẽ, & omnibus syllogismis

logismis communem, aliam specialem, vt demonstrationis, vel syllogismi dialectici propria. De generali dictum fuit lib. 1. Pri. tra. 2. de speciali verò in locis moducitatis.

4 *Considerandum enim.* Primus locus, ab oppositis, continet hoc axioma, Oppositorum oppositæ sunt definitiones. Hic locus est bipertitus: quia argumentamur vel à tota definitione, vel per partes. Sic Aristoteles in contextu hunc locū diuidit, ac deinceps diuisionis membra explicabit.

5 *Nam si opposita.* Explicat prius membrum diuisionis, id est, argumentum à tota definitione rei oppositę. & primò proponit axioma: quod vt intelligatur, statuendi sūt quatuor termini, id est, duo termini simplices, & duę definitiones, ita vt vnus simplex terminus sit alteri contrarius, & vna definitio sit alteri definitioni cōtraria. His positis, axioma est: Si prima oratio est definitio primi termini, etiam secunda oratio erit definitio secūdi termini. vt enim antea dixi, oppositorū oppositæ sunt definitiones. Secundò cùm ait, *Quoniam autem*, monet sumendam esse eam contrariorum connexionem, quę commodior est ad nostram intentionem confirmandam. sunt enim plures connexiones, vt expositum fuit lib. 2. ca. 7. Tertiò cùm ait, *Tota igitur*, breui epilogo concludit hunc locum, id est, priorem partem primi loci.

6 *Per partes autem.* Transgreditur ad alteram partem primi loci, id est, cùm definitio per partes probatur, hoc est, primò genus, postea differētię. Primò igitur ostendit, quomodo genus probetur per argumētum ab oppositis. Vt autem hæc argumētatio intelligatur, cōsiderandi sunt quatuor termini, id est, duæ species cōtrariæ, & duo genera contraria. His positis, supponimus hæc duo esse manifesta, primam speciem contineri sub primo genere, & secundam speciem non contineri sub primo genere. Hinc Aristoteles concludit, hanc secundā speciem contineri sub secūdo genere. Axioma igitur est: Si ex duabus speciebus contrariis vna tantùm est in vno genere, certè altera erit in altero, id est, in contrario genere. Hoc axioma Aristoteles probat, cùm ait. *quia nec sic est*. Vis argumenti cōsistit in syllogismo disiuncto. aut enim species contraria, (id est, secunda, quæ est cōtraria primę) est in eodē genere, (id est, in primo genere, in quo est prima species) aut in cōtrario genere, (i. in secūdo genere, qđ est cōtrariū primo) atqui nō est in eodē primo: ergo est in cōtrario. i. secūdo. Hęc argumētatio non videtur vitio carere: quia deest vnū membrum positum cap. 11. Categor. par. 6. aut enim contraria sunt in eodem genere, aut in cōtrariis generibus, aut ipsa sunt genera contraria. sed hoc tertium membrum est hic omissum: ergo diuisio est imperfecta. Solutio: Aristoteles hoc membrum consultò prætermisit: quia loquitur de speciebus contrariis, & supponit vnam harum esse in vno ex contrariis, generibus. vnde apparet hæc non esse contraria genera. quoniam igitur hanc diuisionem non accommodat simpliciter contrariis sed speciebus contrariis: idcircò ineptè dubitaretur an essent genera cōtraria. nam genera contraria in ea diuisione dicuntur, quæ nullo modo sunt species, sed tantùm genera. Secundò cùm ait, *Ac differentias*, à probatione generis trāsit ad probationem differentiarum. Hîc axioma est: Oppositorum oppositæ sunt differētiæ. veluti si albor est color dissipans aspectum, nigror erit color congregans *aspectum*. Sicut autem albor & nigror sunt species contrariæ: ita etiam cōgregare & dissipare aspectum, sunt differentiæ contrarię. Tertiò cùm ait, *Quoniam autem*, ex eo quod seorsim probatum est genus, & probatæ sunt differētiæ, colligit Aristoteles totam definitionem esse probatam.

7 *An non necesse.* Limitat axioma de differentiis proximè traditum. diximus enim contrariorum contrarias esse differentias, id est, contrariarum specierum contrarias esse differentias constitutiuas. iam ait Aristoteles hoc axioma tum demū esse verùm, cùm illæ species contrariæ sunt in eodem genere: secus, si sint in contrariis generibus: quia tunc fieri potest, vt eadem sit differentia constitutiua duarum specierum contrariarū. quod exemplo perspicuo confirmat, cùm ait, *veluti de iustitia*. nam anima sumitur tamquàm differētia tam in definitione iustitiæ, quàm iniustitiæ: quæ duę species continentur in contrariis generibus: iustitia namque est species virtutis, iniustitia verò est species vitii.

8 *At certè hoc.* Ex dictis concludit hoc axioma, Contrariarū specierum aut contrariæ aut eædē sunt differentiæ constitutiuæ. & Primò colligit hoc axioma. Secūdò cùm ait, *Si igitur*, declarat vsum huius axiomatis, id est, quomodo possimus per hoc axioma probare differentiā. Sumantur enim duæ species contrariæ, & duæ differentiæ contrarię: & supponamus primam differentiam conuenire primæ, non etiam secundę speciei: inde necessariò colligitur, secūdam differentiam pertinere ad definitionem secundæ speciei.

LII. ij.

9 *Et vt vniuersaliter.* Generaliter concludit, ex vnius oppositi definitione colligi definitionem alterius oppositi. & hoc confirmat, cùm subiicit, *Cùm enim.* Nihil autè noui hic proponit, sed tantùm repetit, seu colligit, & magis declarat, quæ proximè dixit de probãdo genere speciei definitæ, ex genere speciei contrariæ, & probandis differètiis speciei definitæ, ex differentiis speciei contrariæ. Quamquàm quod ad hanc doctrinam confirmãdam, aliquid noui non inelegãs affert. Ait enim, quando sunt duę species contrariæ, cõsiderari posse quatuor membra ad earum specierum definitiones pertinẽtia. aut enim in vtraque definitione est idem genus, & differẽtiæ vel omnes vel quædam sunt contrariæ: aut è contrario in his definitionibus genera sunt cõtraria, sed differentiæ eædem: aut tam genus, quàm differentiæ cõtrariæ sunt: aut denique idè est genus, & eædem differentiæ. Primi generis exemplum est: Albor est color dissipans aspectum: nigror est color congregans aspectum. Secundi exemplum est: Iustitia est virtus animæ: iniustitia est vitium animæ. Tertij exemplum: Iustitia est virtus efficiens hominem beatum: iniustitia est vitium efficiens hominem miserum. Quarti exemplum dari non potest: quia fieri nõ potest, vt idem sit genus, & eædem differentiæ: sic enim eadem definitio accommodaretur duobus contrariis: quod est absurdum.

10 *Præterea ducenda.* Secundus locus, à casibus & coniugatis, continet hoc axioma: Coniugatorum coniugatæ sunt definitiones. Primo Aristoteles ponit notam seu præceptum. Secundò cùm ait, *necess. [est] enim*, adiungit axioma, quod obscurè proponit, nos modò clariùs concepimus. Ait enim genera generibus, & definitiones definitionibus esse consequentia. Genera appellat ipsas res definitas, quę etiam vocãtur subiecta, quibus scilicet definitiones attribuuntur, vt & libro 1. Poster. non semel. Consequẽtia verò sic accipe, vt constituantur quasi duæ classes & series: vna definitorum, altera definitionũ è regione definitorum. vnde si progrediaris à primo definito ad secundum, & à secundo ad tertiũ: eodè modo progredi debes à prima definitione ad secundam, & à secunda ad tertiam, vt in sequenti exemplo.

Obliuio.	1	Abiectio scientiæ.
Obliuisci.	2	Abiicere scientiam.
Oblitum esse.	3	Abiecisse scientiam.

Tertiò cũ ait, *vt puta si obliuio.* illustrat hunc locum exemplo, quod modò proposui.

Quartò cùm ait, *Similiter si interitus*, addit aliud exemplum. Quintò cùm ait, *Similis [est,]* docet eandem esse rationem aliorum terminorum coniugatorum, ne quis putet hunc locum valere tantùm in duobus exẽplis propositis.

11 *Ex iis quoque.* Tertius locus sumitur à proportione. Sumantur quatuor termini ita se habentes, vt, quomodo affectus est secundus ad primum, ita sit quartus ad tertiũ. tunc axioma est: Si secundum est definitio primi, etiam quartum est definitio tertij. Exemplum est in contextu.

12 *Præterea ducendo.* Quartus locus sumitur à comparatione. Sumitur autè comparatio vel inter quatuor terminos, vel inter tres. De tribus terminis dicetur in seq. part. de quatuor agitur in hac parte. Quatuor termini sunt duo definita, & duæ definitiones. Sumitúrque argumentum vel ab eo quod est minùs, vel ab eo quodque est. nam ab eo quod est magis, definitio nõ potest confirmari, sed tãtum refelli. Argumẽtamur enim à maiori ad minùs tantùm negatiue, sicut à minori ad maius tantum affirmatiue. Sunt igitur hic duo axiomata. quæ vt clariùs percipiantur, statuendi sunt quatuor termini, id est, primum definitũ, prima definitio, secundum definitum, & secunda definitio. Primum axioma est: Si secundum minùs videtur esse definitio primi, quàm quartum tertij, & secundum est definitio primi: etiam quartũ est definitio tertii. Secundum axioma est: Si æquè secundum est definitio primi, & quartũ tertij: si altera definitio est alterius definiti definitio, etiam reliqua definitio erit reliqui definiti definitio. Primù Aristoteles ponit generalem notam seu præceptum. vbi notandum est, dum ait, *ex eo quod magis*, locutionem esse concisam, & ita esse perficiendam, vt dicatur sumi argumentum ex eo quod est magis, & ex eo quod est minùs. Cùm enim magis & minus, sint relata, proinde sint simul natura, nec alterũ sine altero esse possit: Aristoteles vno expresso voluit alterũ subaudiri. Cæterùm propriè loquendo hoc argumentum nõ dicitur ex eo quod est magis, sed ex eo quod est minùs, vt antea exposui. Similis loquẽdi ratio in diuersis terminis reperitur apud Iureconsultos, vt cùm actionem locati vel ex locato appellant eam quæ est actio ex conducto: quia integra locutio est, ex locato conducto: quamuis autem concisè vocari soleat, ex conducto, pro, ex cõducto locato; tamen appellatur etiam ex locato, pro, ex locato conducto. Secundò cùm ait,

veluti si magis, ponit prius axioma. Tertiò cum ait, *Item si aque*, adiungit posterius axioma.

13 *Vnâ autem*. A Comparatione quatuor terminorũ trãsit ad comparationem trium terminorum.i.vnius definitionis cũ duobus definitis, vel duarum definitionum cum vno definito. Ostendit autem talem comparationem institui non posse, proinde nulla hîc esse axiomata: quia non potest vna definitio accommodari duobus definitis, siquidem definitio cum suo definito reciprocari debet. rursus ob eãdem causam non possunt duæ definitiones attribui eidem definito.

COMMVNIA DE OMNIBVS PROBLEMATIS.

TRACTATVS III.

IN CAP. IV. DE LOCIS PRAECIPVIS, ET MAXIME vtilibus.

HOc capite Aristoteles monet, vt eos locos potissimum memoriæ mandemus, qui sint maximè vtiles, & maximè vniuersales: quia scilicet valent ad disputationes de plurimis problematis: quales sunt loci à proportione, à coniugatis, & alij. Quidam obiiciunt, quòd Aristoteles lib.1.cap.6. negauit esse methodum vniuersalem topicæ inuentionis: quod tamen in præsentia videtur fateri, ponens quosdam locos vniuersales, qui conferunt ad omnia problemata. vt putà à coniugatis disputare possumus de accidente: de genere, de proprio, & de definitione. cur ergo suprà nõ docuit hãc methodũ generalẽ, sed in singulis problematum generibus repetit locum à coniugatis? Solutio est facilis, & patet ex iis quæ notaui ad illud cap 6. nã locus inter ceteras significationes accipitur vel pro nota, vel pro axiomate. Nota est vniuersalis, vt à côiugatis, sed axiomata singula sũt singulorum problematum propria: vt putà aliud est axioma, Coniugatorum accidẽtia coniugata sunt: aliud verò, Coniugatorum definitiones coniugatæ sunt. iam verò perfecta inuentio non consistit in notis, sed in axiomatis: nam qui notã habet, potest syllogismo destitui, vel male argumentari: qui verò habet axioma, ex quo maior propositio conficitur, statim habet in promptu argumentationem dialecticã. Quocirca Aristoteles dicto cap.6. non dixit simpliciter nullam esse methodum vniuersalem: sed vel nullam esse, vel obscuram & inutilem esse. nam si quæras axiomata vniuersalia, id est, omnibus problematis communia: ea non reperiuntur, nisi quatenus axiomata quorundam problematum, per consequẽtiam quandam accommodantur aliis problematis, vt sequenti cap. explicabitur. Quòd si quæras notas vniuersales: eas quidem reperies: & Aristot. hoc cap. aliquot proponit: sed eiusmodi methodus erit obscura, & inutilis, quia per eam non suppetunt argumenta. Quod ad seriem contextus attinet, Primò ait Aristot. aptissimos & vtilissimos locos esse eos, quos proximè exposuit, id est, à proportione, & à comparatione, quibus addit locum paulò ante ex positum à casibus & coniugatis. Secundò cùm ait, *ideòque maximè*, iubet hos locos propter vtilitatem maximè haberi in promptu. Tertiò cùm ait, *atque etiam ex ceteris*, idem tradit de aliis locis communibus, id est, qui valent ad diuersa problematum genera. Quartò cùm ait, *eiusmodi [est] respicere*, dat exemplum loci à singularibus: vt cùm ex singularibus inducimus vniuersale. Quintò cùm ait, *item in speciebus*, addit alterũ exẽplum, id est, locum ab ideis, quẽ ait esse maximè vtilem cõtra ponentes ideas. Sextò cũ ait, *Præterea [videre,]* suprà dictis locis cõnumerat locũ à trãslatione: qui fuit expositus suprà lib.6.c.2.part. 4. Septimò cùm ait, *aut idem*, adiungit locũ ab eodem, cùm idem sibi ipsi attribuitur, quasi diuersum quiddã. nam & hic locus est generalis: quia, idẽ nec sibi ipsi accidit, nec sui ipsius est genus, vel proprium, vel definitio.

IN CAP. V. DE FACVLTATE, VEL DIFFICVLTATE ARGVmentandi.

EXpositis locis ad omnia problematum genera pertinentibus, nunc Aristoteles inde colligit facilitatem vel difficultatẽ cuiusque problematis confirmandi, vel refellẽdi. Hoc caput diuiditur in duas partes. In priori cõsiderãtur singula problemata per se, & quæritur vtrùm faciliùs confirmẽtur, an refutentur. In posteriori, quæ incipit à part.12. conferuntur diuersa genera problematum, & quæritur, quænam faciliùs confirmentur, vel reprehendantur. Cõfer hoc caput cum cap.26.lib. Prior. Analyticorũ.

1 *Difficilius aut*. Plurib. argumẽtis probat definitionẽ faciliùs euerti, quàm cõfirmari,

Prima ratio est: quia difficilius est sumere propositiones, ex quibus definitio cõfirmetur. Sumẽdę sunt enim hæ propositiones, In ea definitione esse genus, & differẽtias: item, In ea esse omnia, & sola, quę attribuũtur in quæstione quid est: quæ non facile probantur.

2 *Sed & ex his.* Secunda ratio est: quia facilius est probare vnum, quàm multa: sed reprehendenti definitionem sufficit vnam eius partem euertere: qui verò confirmat, debet omnes partes probare: facilius igitur est reprehendere, quàm confirmare.

3 *Præterea qui confirmat.* Tertia ratio est: quia ad definitionem confirmandam necesse est probare eam attribui definito omni & soli: ad eam verò refellendam nõ necesse est vti syllogismo vniuersali; quia siue probetur nulli inesse, siue non omni inesse, æquè definitio euertitur. rursus nõ est necesse probare vllam reciprocationẽ. Sed quod de reciprocatione dicim⁹, eget aliqua expositione. Cum definitio confirmatur, reciprocatio sic locum habet: quia de quocumque dicitur definitum, de eodẽ dicitur etiam definitio: & contrà de quocumque dicitur definitio, de eodem dicitur etiam definitum. Cùm autem definitio refellitur: si reciprocatio cõsideraretur, talis esset: Qui definitionem reprehendit, ostendebat definitum alicui attribui cui definitio nõ attribuitur. reciprocatio igitur esset, si ostenderetur, quibus definitio non attribuitur, iis definitum attribui. Sed hanc reciprocationem probare non est necesse. In fine huius particulæ quædam sunt ex tribus libris manuscriptis emendanda. Ait, ἀπόχρη γὰρ ἀνασκευάζοντα καθόλου, τὸ δεῖξαι ὅτι κατά τινος, *satis enim est, eum qui refutat vniuersaliter, ostendere cuidam [eorum]* lege, ἀπόχρη γὰρ ἀνασκευάζοντι καθόλου, τὸ δεῖξαι ὅτι κατ' οὐδενός, *sufficit ei qui vniuersaliter refutat, ostendere nulli eorum, &c.* Ait, ὁ λόγος οὐ κατηγορεῖται, *definitionem nõ attribui.* Deleto negãdi aduerbio, lege, ὁ λόγος κατηγορεῖται, *definitionem attribui.* Ait, οὐδὲ τοὔνομα, *ne nomen quidem [attribui.]* Deleta negatione, & adiecto verbo, lege, τοὔνομα κατηγορεῖται, *nomen attribui.*

4 *Præterea & si omni.* Quarta ratio est: quia ad confirmandam definitionẽ non sufficit probare eam omni attribui, sed probandum etiam est soli attribui. Hęc ratio à præcedenti non differt, & omnino puto hęc verba superfluere.

5 *Similis [est] & proprij.* Hactenus de definitione: nunc docet eandem esse rationem generis, & proprij, id est, hæc quoque facilius euerti, quàm confirmari.

6 *[Quod] quidem de proprio.* Quod paucis proposuit in part. 5. deinceps confirmat. & primò ostendit proprium facilius euerti, quàm confirmari: quia (vt in superioribus fuit expositum) plerumque proprium traditur aliqua oratione, cui⁹ omnes partes probandæ sunt ad proprium confirmandũ. sufficit autem vnam reprehendere ad illud euertendum. Eodem argumento vsus est suprà de definitione.

7 *Ferè autem.* Ostendit etiam reliqua argumenta de definitione allata posse accommodari proprio.

8 *De genere autem.* Iam probat genus faciliùs euerti, quàm confirmari: quia confirmatur vno modo, euertitur autem duobus modis. Probatio in contextu perspicua est.

9 *Præterea confirmanti.* Idem probat alio argumento æquè perspicuo, quod non eget expositione.

10 *Videtur autem.* Nunc adhibet commune argumẽtum à simili sumptum: quia in omnibus ferè rebus ita est naturà cõparatum, vt facilior sit destructio, quàm constructio.

11 *Quod verò ad accidens.* Transit ad problema accidẽtis: in quo non omnimodo obtinet, quod suprà dictum fuit sed distinguitur inter problema vniuersale, & particulare: nam vniuersale faciliùs euertitur, quàm cõfirmatur: particulare verò faciliùs confirmatur, quàm euertitur: vt Aristoteles perspicuè probat in contextu.

12 *Perspicuum quoque.* Hactenus contulit cõfirmationem cum refutatione eiusdem problematis: deinceps vult cõferre cõfirmationem vnius problematis cum cõfirmatione alterius, & refutationẽ vnius cum refutatione alterius; vt doceat, vtra sit facilior, vel difficilior. In hac igitur partic. ostendit definitionem faciliùs euerti, quàm alia problemata: quoniam definitio plures conditiones requirit, quàm proprium, vel genus, vel accidens: quæcumque autem ex his conditionibus probetur abesse, definitio euertetur.

13 *Præterea ad definitionem.* Eandem sententiam ex eo probat, quòd loci aliorum problematum possunt accommodari ad infirmandam definitionem: contra verò loci, quibus infirmatur definitio, nõ possunt aptari ad infirmanda alia problemata.

14 *Difficillimè autem.* Nunc ostendit definitionem difficiliùs cõfirmari, quàm alia problemata: quia scilicet plures cõditiones requirit, & omnes illæ conditiones probandæ sunt.

15 Inter

15 *Inter cetera.* Sepofita definitione oftendit proprium faciliùs euerti,& difficiliùs confirmari,quàm genus, vel accidens.

16 *Facillime autem.* Oftendit accidens facillimè omnium problematū cōfirmari.

17 *Difficillimum autem.* Oftendit accidens difficillime euerti.

18 *Loci igitur.* Breui epilogo finem imponit vniuerfo tractatui de locis dialecticis,feú de inuentione dialectica.

IVLII PACII A BERIGA
IN LIBRVM VIII. TOPICVM
COMMENTARIVS ANALYTICVS.

DE INTERROGATIONE.

TRACTATVS I.

HIc poftremus liber Topicorum continet praxim dialecticam in omnibus difputationibus obferuandam. Diuiditur autem in tres partes:quarum prima eft de officio opponentis: altera de officio refpondentis:tertia de exercitatione; qua tam opponens, quàm refpondens fe exercere debet, antequàm ad feriò difputandū accedat.Sicut enim milites exercitiis militaribus,& oratores declamationibus: ita etiam dialectici certis modis fe debent exercere.

IN CAP. I. DE SCOPO, AC NEXV HVIVS TRACTATUS cum fuperioribus;& de propofitionibus neceffariis,vel non neceffariis.

DE officio opponētis tractans Ariftoteles,primùm in hoc capite confiderat fingulas propofitiones. Deinde in feq. cap. confiderabit integras argumentationes,vtens methodo compofitiua, qua etiam fuprà vfus eft.

1 *Poft hac de difpofitione.* Hæc particula continet fcopum & nexum huius primi tractatus,qui eft de officio opponentis, cū libris præcedentibus. Primò igitur Philofophus proponit fimpliciter fcopum & nexū,inquiens,poft ea quæ hactenus expofita fuére,agendum effe de difpofitione,& de interrogatione. Secundò cùm ait, *Primùm autem,* incipit explicare nexū huius partis cum præcedentibus:& præmunit tria præftanda effe ab eo qui difputat cōtra aliquā thefim. Nam primò debet locum inuenire, id eft,axioma, ex quo argumentetur cōtra thefim. fecundò debet ipfe fecum fua axiomata expēdere,ac recte difponere,& ftatuere quomodo velit aduerfariū interrogare, id eft,contra eum difputare nam quia veteres folebant in difputādo interrogationib⁹ vti,idcirco interrogare fumitur pro difputare. tertiò cū eft ita paratus & inftructus, debet argumentum ipfum proferre.quemadmodū is qui pugnatur⁹ eft, primò debet (exēpli causâ) inuenire gladiū:deinde fecū ipfe cogitare,quomodo velit vti eo gladio, & quomodo velit petere & vulnerare aduerfarium:poftea cùm ita paratus fuerit,debet gladium ftringere contra aduerfariū. Tertiò cùm ait, *Ac loci quidem,* adiįgit alteram præmunitionem,ac docet difcrimen philofophi & dialectici. nam philofopho fufficit inuentio,difpofitio autē & interrogatio curæ non funt:dialecticus verò non tātùm inuētionis,fed etiā difpofitionis,& interro-

gationis rationem habere debet. Differentiæ ratio est, quia dispositio & interrogatio referuntur ad alterũ, id est, ad eum contra quem disseritur proinde pertinet ad dialecticum, qui cum altero disserit; non ad philosophũ, qui ipse secum veritatem quærit. Hæc sententia & hoc discrimẽ rectè debet intelligi. neque enim omnino verũ est, philosophum nullam habere ordinis rationẽ, sed tantùm inuentionis. Verùm Aristoteles loquitur de dispositione dialectica, nõ de quacũque dispositione. & quia lib. 1. ca. 2. docuit dialecticam esse vtilem etiam philosopho; idcirco nunc declarat eam tãtùm dialecticæ partem philosopho conuenire, quæ hactenus fuit exposita: sequentia verò ad ipsum nihil pertinere. nã philosophi finis est sciẽtia: præcepta verò, quæ mox tradentur de dispositione, nõ valebũt ad sciẽtiam comparandam, sed ad victoriã in disputatione obtinendam. Quod Aristoteles declarat exẽplo præceptorum, quę postea tradentur de occultatione seu dissimulatione. nam par. 5. docebit, dialecticum, dum interrogat, debere quàm maxime potest recedere à conclusione inferẽda, & interrogare propositiones ab ea remotissimas; quo faciliùs aduersarius eas concedat, non animaduertẽs, quid ex illis propositionibus cõtra se tandem inferetur. e cõtrario philosopho non est curæ, an alter velit propositiones concedere, nécne: immo quàm maximè potest, affert propositiones conclusioni propinquas: hæ namque sunt propositiones immediatæ, per quas acquiritur vera sciẽtia, vt ex lib. 1. Poster didicimus: propositiones autem remotæ, mediatæ sunt, & per proximas confirmari debent. Quoniam igitur alium scopum habet philosophus, aliũ dialecticus: idcircò alia præcepta debent obseruare, & præcepta huius libri ad philosophũ non pertinent. Quartò cùm ait, *Ac locos quidem*, ex dictis præmunitionibus colligit expositionẽ scopi & nexus hui⁹ libri. cùm enim tria sint dialectico necessaria, inuentio, dispositio, & interrogatio; quorũ vnũ iam est expositum: consequens est, vt reliqua duo explicentur, id est, dispositio, & interrogatio. de tertio tamen nulla præcepta dantur: quia per se patent ex secũdi expositione. quomodo enim ipse secũ debet singula disponere, atque ita se instruere; ita etiam ea postea debet contra aduersarium proferre. Quintò cùm ait, *cùm antè dist.n-ct.*, docet, antequàm tradantur præcepta de dispositione & interrogatione, aliquid esse præmuniendum, id est, explicanda genera propositionum, quibus dialectici vtuntur.

non solùm enim vtuntur propositionibus necessariis, id est, sine quibus argumentatio extrui nõ potest, sed etiam aliis adiungũt, quò faciliùs victoriam consequantur.

2 *Necessariæ autem.* Definit propositiones necessarias, ex quibus extruitur syllogismus. Syllogismum hic latè accipe, vt cõplectatur etiam inductionem. nam dialecticus nõ tantùm syllog smis, sed etiam inductionibus vtitur, vt dicetur cap. seq. part. 1. & dictum fuit lib. 1. Poster. c. 1. par. 3. inductio verò est species syllogismi, vt probatũ fuit 2. Prior. cap. 23.

3 *Quæ verò.* Transit ad propositiones non necessarias, quas diuidit in quatuor genera. aut enim inductionis, aut ornatus, aut occultationis, aut perspicuitatis gratiã adiunguntur: Inductio adhibetur, vt ex particularibus confirmẽtur propositiones vniuersales, ex quibus argumentari contra thesim oportet. Ornatus adhibetur, vt amplificetur & illustretur oratio. Occultatio, vt futura conclusio lateat, quò faciliùs propositiones ab aduersario concedantur. Perspicuitas, vt omnis obscuritas ex disputatione tollatur.

4 *Quas autem celandæ.* Occupat obiectionem quandam. Potuisset enim aliquis obiicere, non esse adhibendam in disputando occultationem seu dissimulationẽ; quia videtur quærenda potiùs perspicuitas, quã obscuritas. Respondet Aristoteles: quia nunc loquimur de disputatione, quæ certãdi & victoriæ reportãdæ causã instituitur, ad quem finẽ obtinendum sæpe occultatio valet: idcircò necesse esse interdum occultatione vti. fortasse enim aduersarius est adeo proteruus, vt nullo modo sit concessurus propositiones, quãtumuis probabiles, aut veras, si intelligat ex iis posse aliquid cõtra se concludi. rectè igitur faciet, qui ita eum circumuenietit, vt nõ animaduertat se capi, ideóque concedat propositiones, quas aliàs non concederet.

5 *Necessariæ igitur.* Postquàm exposuit genera propositionum, quibus dialecticus vtitur: deinceps de singulis generibus tradit præcepta quædam. & primùm in hac particula de propositionibus necessariis præcipit, vt non proponantur statim, sed earum loco aliæ proponantur, ex quibus hæ colligi possunt. nã si statim necessarias proponas, (id est, eas, ex quibus immediatè euertitur thesis) vix fieri potest, vt respõdẽs eas concedat. sed si remotiores propositiones accipias; faciliùs impetrabis, vt tibi cõcedantur: quia non tam facile intelliget respondens, se posse ex illis redargui: facile tamen

men iis concessis obtinebis victoriam: quoniam ex eis probabis necessarias; & ex necessariis ita probatis, vt à respondente amplius negari nequeant, concludes contra thesim. Vt putà si egeas hac propositione, Omnis homo est in loco, noli eam statim proponere: quia cum disputatio sit de homine, facile aduersarius intelliget hanc propositionem sibi officere, ideóque eã negabit. propone igitur vniuersaliter, omne corpus esse in loco. cùm enim disputatio nõ sit de corpore, facilius aduersarius hanc propositioné concedet. hac tamen concessâ, éque victoriam consequéris, ac si concessisset omnem hominem esse in loco: quia si omne corpus est in loco, necesse est etiã omne animal & omnẽ hominẽ esse in loco. Quod attinet ad seriem cõtextus, primò Aristoteles ponit hoc præceptũ. Secundò cùm ait, *vt putà non est postulandum*, declarat hoc præceptum exemplo. Tertiò cùm ait, *hoc enim posito*, affert rationem præcepti: quia positã, id est, concessã propositione remotã & vniuersali, necesse est etiam concedere particularem sub ea contentam, ex qua particulari est argumẽtandum. quoniam igitur eadem est vtilitas opponenti, siue vniuersalis siue particularis propositio ei concedatur; aduersarius autem faciliùs vniuersalem cõcedet: ideo melius est vniuersalem initiò interrogare. Hæc ratio constat duabus partibus. Vna pars est: quia concessã vniuersali, non potest negari particularis: ideóque opponens habet eãdem vtilitatem, vtrauis sibi concedatur. Posterior pars est: quia vniuersalis faciliùs ab aduersario cõceditur. Sed prior quidem pars hic ponitur: posterior verò paulò pòst, vt suo loco notabo. interiicit enim Aristoteles quædam, quæ cohærẽt priori parti huius rationis, vt mox explicabo. Quartò enim cùm ait, *Quòd si [aduersarius.]* respondet ad tacitam quæstionem, quæ fieri potest, & ex proxime dictis oritur. Diximus enim sufficere opponẽti, si aduersarius concedat propositionem vniuersalem, & remotam. quid ergo (dicet aliquis) si ne quidem hanc velit concedere? an nõ erit tunc proponenda propositio proxima, ex qua immediate euertetur thesis? Prima facie videtur hoc faciendum: quia cessat ratio præcepti Aristotelis. ideo nãque volebat interrogari propositionem vniuersãlem seu remotam, quia faciliùs cõcederetur: sed aduersarius non vult eam concedere: quo igitur bono eã interrogabimus? Hac obiectione non obstante Aristoteles etiam hoc casu retinet suum præceptum. quãuis enim aduersarius tam remotam quàm proximam propositionem neget; tamẽ faciliùs assentietur tuæ probationi propositionis remotæ, quàm propositionis proximæ. sentiens enim ex proxima se redargui, omnino tergiuersabitur, quantum poterit, etiamsi eam probes: in remota vero nõ item. Iubet ergo Aristoteles eam propositionem remotam probari per inductionem: ita vt in hac inductione sumantur particularia cõtenta sub propositione proxima, vt in exemplo à nobis antea proposito, quia non concedit aduersarius, omne corpus esse in loco, probandum id est per inductionem, sumendo particularia sub homine cõtenta. vt putà omnes Æthiopes sunt in loco, omnes Græci sũt in loco, omnes Germani, Galli. &c. ergo omne corpus est in loco. Ita potest hoc membrum explicari. Potest & paulò aliter accipi, nimirum vt si aduersarius non vult tibi concedere propositionem remotam & vniuersalem, tũc proponas alias magis particulares, quæ contineantur sub propositione necessaria. vt in dicto exemplo, cũ egeres hac propositione, Omnis homo est in loco, petebas tibi concedi omne corpus esse in loco: quoniam inde per syllogismum poteras concludere omnem hominem esse in loco, siquidem omnis homo est corpus. Quoniam igitur aduersarius non vult tibi hanc vniuersalem cõcedere, transgredere ad alterum extremum, id est, ad propositiones maximè particulares. hoc est, non propterea statim interroges, an omnis homo sit in loco, sed potiꝰ interroga de singulis, id est, an non Æthiopes sint in loco, deinde annõ Græci, deinde annõ Germani sint in loco, & ita de ceteris. nam & hæ propositiones faciliùs concedentur, quàm illa necessaria, Omnis homo est in loco: his autem concessis, illam probabis per inductionem. In summa iubet Aristoteles non proponi statim propositionem necessariam: sed vel superiorem, ex qua probetur necessaria per syllogismum; vel inferiores, ex quibus probetur necessaria per inductionem. Hæc posterior expositio differt à priori: quia secundum hanc expositionem per inductionem probatur propositio necessaria: secundum illam verò per inductionem probatur propositio remota & vniuersalis. Sed posterior interpretatio mihi magis arridet. Quintò cùm ait, *Quæ verò*, adhibet exceptionem quandam: & permittit opponenti, vt statim interroget propositionem necessariam, si adeo sit perspicua, vt nullo modo negari possit. Sextò cùm ait, *Obscurius enim*, adiungit alteram partem rationis præceptum cõfirmantis: quia scilicet minùs in

telligit respondens se posse redargui propositione quę est in recessu, vel in inductione, quàm propositione necessaria. In recessu intellige propositionem vniuersalem, sub qua dicebamus necessariam contineri. In inductione autem intellige propositiones particulares, ex quibus diximus necessariā propositionem per inductionem probari. Septimò cùm ait, *Simúlque eas*, respōdet ad tacitam quæstionem, quid faciendum sit, si respondens nec vniuersalem, nec particulares propositiones cōcedere velit. cùm enim æquè possit omnes negare, videtur datum præceptum esse inutile. Respondet Philosophus, non nocere interrogāti, quòd primùm proposuerit propositionem vniuersalem, vel particulares: quia nihilominùs interrogare postea potest etiam propositionem necessariam. atque hæc interrogatio semper ipsi suppetit, nec potest ipsi adimi. Si ergo dato præcepto possit assequi, quod velit: bene erit. sin minùs, potest semper cōfugere ad propositionem necessariam; ac deinde eam probare, quacumque ratione poterit. Expositum est præceptum de propositionibus necessariis, ne statim ab initio interrogentur.

6 *Quæ verò.* Transit ad propositiones non necessarias. & primò dat generale præceptum, vt his vtamur in gratiam propositionum necessariarum, id est, quatenus necessariis inseruiūt, & quoquo modo eas iuuant. Deinde cùm ait, *singulis autem*, proponit agendum specialiter de singulis non necessariarum propositionum generibus.

7 *Inducentem [oportet.]* De inductione dat duo præcepta. Primùm est; vt progrediamur à particularibus ad vniuersalia; quoniam hæc est natura inductionis. Secundū est vt progrediamur à notis ad ignota; quoniam omnis disputatio & omnis doctrina sumi debet ex notioribus.

8 *Celantem autem.* Deinceps multa præcepta dat de crypsi siue occultatione. Primum præceptum est, vt incipiamus à prosyllogismis, immo non à prosyllogismis principali syllogismo proximis, sed à prosyllogismorum prosyllogismis. Hoc præceptum perinde valet, ac si dicamus initiò interrogandas esse propositiones maximè vniuersales, & remotissimas à conclusione.

9 *Præterea conclusiones.* Secundum præceptum est, vt prætermittantur conclusiones prosyllogismorum, sic enim minùs apparebit quomodo ex illis propositionibus remotis possit aliquid inferri cōtra thesim propositam.

10 *Et vniuersaliter.* Tertium præceptum generale est, vt ea omnia obseruemus, quæ possunt efficere, vt prolatis propositionibus & illata cōclusione adhuc quæratur, Quid ita? id est, quomodo cōclusio ex illis propositionibus colligatur: quia scilicet non appareat consecutio. Hoc autē inquit Aristoteles maximè fieri per præceptum proximè expositum, id est, quando prætermittuntur conclusiones prosyllogismorum.

11 *Vtile etiam.* Quartum præceptum est, vt misceantur propositiones diuersorum prosyllogismorum. Exempli gratiā, syllogismus principalis constat ex duabus propositionibus, maiore & minore: alius igitur est prosyllogismus probās maiorem, alius probās minorē. & similiter vterque prosyllogismus constat ex duabus propositionibus. Noli igitur interrogare vtraque propositionem vnius prosyllogismi, deinde vtramque alterius prosyllogismi: quia quotiescunque duas propositiones syllogisticas coniungis, quodammodo manifesta fit conclusio, quæ inde colligi potest: nos autē volumus hāc conclusionē celari. sed misce propositiones prosyllogismorum. sic enim nulla vis syllogistica apparebit: vtputà primùm interroga minorē primi prosyllogismi, postea maiorē secundi prosyllogismi, tum maiorem primi, deinde minorem secundi: tandem his concessis, collige cōclusionem principalem. Sic enim consequētia minimè apparebit: quam si aduersarius neget, facile poteris eam probare redigēdo propositiones in ordinem.

12 *Oportet etiam.* Quintum præceptum est, vt si vsuri simus aliqua definitione, eam sumamus, nō in re proposita, sed in aliquo coniugato: quia si in aliquo cōiugato nobis concedatur, facile inde poterimus per argumentum à coniugatis colligere definitionem rei propositæ. Primo Aristoteles ponit hoc præceptum. Secundò cùm ait, *nam [qui respondens,]* incipit afferre rationē huius præcepti. Est autem hæc ratio bipertita: quia scilicet aduersarius facile cōcedet definitionem rei coniugatæ: non facile autem concedet definitionem rei propositę. Huius igitur rationis priorem partem ponit in hoc secundo membro. Tertiò cùm ait, *vtputà si accipere*, illustrat hanc priorem rationis partem exemplo. Quartò cùm ait, *Cùm autem [definitio]* subiungit posteriorem rationis partem. Quintò cùm ait, *veluti nō omnem*, illustrat quoque hanc posteriorem

partem

partem exéplo, in quo respondês facilius negat definitionê rei propositæ, id est, eius qui irascitur, quoniã hac in re habet aliquã obiectionê, quam definitionê rei coniugatę, id est, quoniã in hac nihil habet quod obiiciat. Sextò cùm ait, *fortasse autem*, obiicit contra ea quæ modò dixit: quia falsa est illa obiectio, quam diximus respondentem posse afferre in re proposita. Septimò cùm ait, *habet tamen*, soluit modò propositam obiectionem: quia etiamsi instantia siue obiectio illa in eo qui irascitur, non sit vera; tamen est saltem probabilis: dialectici autem ex probabilibus disputât. cùm igitur respôdens habeat probabilem obiectionem contra definitionem eius qui irascitur, facile eam negabit. quare melius est interrogare definitionem iræ, aduersus quam ne probabilis quidem obiectio suppetit.

13 *Præterea [sic] proponere.* Sextum præceptû est, vt interrogemus propositionem aliquam, non quasi necessariã, nec quasi eã immediate vsuri cõtra thesim, sed quasi remotam à thesi, & conferentem ad alias propositiones quibus sumus vsuri. sic enim fiet, vt aduersarius ab hac propositione minùs sibi metuat, proinde faciliùs eam concedat.

14 *Et vt simpliciter.* Septimû præceptû est, vt ita interrogem° vt aduersarius ignoret, vtrùm velim° vti affirmatione, an negatione. Interrogationes namque dialecticæ ita fiunt, vt detur optio respondenti affirmãdi vel negandi. Veluti, estne homo animal rationale, an non? Si igitur aduersarius sciat (exempli gratiâ) te velle vti affirmatione, proinde cupere vt affirmatio tibi concedatur, ipse malet negare, vt ita quasi arma tibi eripiat. At si nesciat, vtrùm velis vti affirmatione, an negatione, faciliùs côcedet, quod sibi probabile videbitur.

15 *Præterea per similitudinis.* Octauum præceptum est, vt interrogemus per collationem similitudinis, id est, conferendo rem propositam cum aliqua re simili, ex qua veritas nostræ propositionis confirmetur. Veluti si volumus vti hac propositione, Contrariorum eadem est scientia: ita commode aduersarium interrogabimus, Estne, sicut contrariorum idem sensus, ita etiam eadem scientia, annon? nam propter eam similitudinem vix audet aduersarius negare esse eandem scientiam. Primò Aristoteles ponit hoc præceptum. Secundò cùm ait, *quoniam & vim*, affert duplicê rationem huius præcepti. Prior est: quia huiusmodi interrogatio valet ad persuadendum, id est, persuadet respondenti, vt id côcedat, quod videtur per eam similitudinê euinci. Altera ratio est: quia magis vniuersale latet, id est, quia hoc modo aduersarius plus concedit, quàm putet se concedere. nô enim animaduertit se côcedere vniuersale. nam quæ interrogantur, sunt particularia inter se similia, adeo vt ex ea similitudine colligatur vniuersale. Tertiò cum ait, *veluti vt scientia*, illustrat hoc præceptum exemplis. Quartò cùm ait, *hoc autem*, confert huiusmodi interrogationem cũ inductione: & ait esse quidem similem inductioni; quia (vt paulò ante diximus) hic habem° similitudinem quandam communem, proinde habemus quodammodò vniuersale, nô ita tamen vt in inductione, quoniã in inductione sumimus omnia particularia: hic verò tantùm quædam inter se conferuntur.

16 *Oportet etiam.* Nonum præceptum est, vt ipsi contra nostras propositiones obiiciamus, quò minùs simus aduersario suspecti, & ne putet nos velle sumere vllam propositionê cui obstet aliqua exceptio. Cùm enim videat nos obiicere cõtra nostras propositiones, facilè sibi persuadebit, vbi alias propositiones interrogabimus quasi omni exceptione carentes, ibi nullam esse obiectionem, ideóque non audebit eas negare.

17 *Vtile etiam.* Decimum præceptum est, vt dicamus propositionê esse passim ac communiter receptam ac probatam. tales enim propositiones respondens non audet negare: quia ipse quoque talibus vtitur, si vult esse dialecticus.

18 *Præterea vtile.* Vndecimum præceptum est, ne opponês præ se ferat magnum quoddam desiderium vt sibi aliqua propositio concedatur. nam quò magis ipse in id incumbet, eò diligentius aduersarius sibi cauebit. debet igitur opponês interrogare propositionem, qua maxime vti vult, quasi sit parui momenti, & quasi obiter eam proponat. sic enim aduersarius minùs eam cauebit, & faciliùs concedet.

19 *Et quasi in collatione.* Duodecimum præceptum est quodammodo compositum ex sexto & octauo præceptis, aut saltem cũ iis habet magnã affinitatem. id enim quo vsuri sumus, iubet Aristoteles nos proponere, nô simpliciter, nec quasi eo vsures, sed in comparatione cum alio, quasi alio velimus vti. Exempli gratiâ, si volumus vti hac propositione, Côtrariorum eadem est scientia, secũdùm præceptum octauum ita interrogabamus, Est ne, sicut contrariorũ idem sensus ita eadê scientia: sed secũdùm hoc præceptum ita interrogabimus, & dis-

simulationem augebimus, Estne, sicut contrariorum eadem scientia, ita etiam idem sensus. sic enim videmur velle vti hac propositione, Cõtrariorum idem est sensus, & in eius gratiam facere mẽtionem scientiæ. proinde aduersarius de scientia faciliùs cõcedet, vt dictum fuit in 6. præcepto.

20 *Præterea non id.* Decimum tertium præceptũ est, ne interrogemus id, quo vti volumus; sed aliud, quod ei necessariò est consequẽs. vt si velis vti hac propositione, Homo est animal; interroges hanc propositionem, Quod non est animal, non est homo: quia si hæc cõcedatur, altera negari nõ poterit. Primò Aristoteles ponit hoc præceptum. Secundò cùm ait, *nam & faciliùs,* subiungit rationem præcepti.

21 *Ac postremo.* Decimum quartum preceptum est, vt propositiones, quibus potissimum vti volumus, vltimo loco interrogemus. Hoc preceptum non semper vtile est, sed aduersus plerosque: quia plerique respondentes solent initiò maximè tergiuersari, eò quòd sciunt plerosque opponentes solere efficacissima argumenta ab initio proponere. sed interdum vtendum erit cõtrario præcepto, vt dicetur in seq. partic. Primò Aristoteles ponit hoc præceptum. Deinde cùm ait, *quia plurimi,* id ratione cõfirmat.

22 *Sed aduersus.* Decimum quintum præceptum, decimo quarto contrariũ est, vt potissimas propositiones initiò interrogemus. Hoc precepto vult Aristoteles nos vti cõtra duo respõdentium genera, id est, contra proteruos & morosos disputatores, & contra eos qui putant se acutos in respõdendo. Vtrique enim initiò facilè propositiones concedunt: illi, quia nondum vidẽt, quid inde possit effici: hi verò, quia ab initio contẽnunt, & putãt se non posse redargui propter acumen ingenij, sed tãdem auditis omnibus propositionibus, cùm intelligant se captos nisi aliquid negent, nec possint ampliùs primas propositiones negare, quas iam concesserunt, omnino vltimas negant, quamuis probabiles.

23 *Præterea* [*vtile.*] Decimum sextum præceptum est, vt producamus nostrã orationem, & inter propositiones necessarias, siue ex quibus syllogismus est extruendus, plures alias interiiciamus ad cõclusionem nihil facientes. ita enim fiet, vt ob eam propositionum vtilium disiunctionem, & inutilium interiectionem, respondens vim syllogisticam non animaduertat, proinde propositiones facilè concedat. Primò Aristoteles ponit hoc præceptum. Secundò cùm ait, *quemadmodum* [*faciunt,*] illud declarat, & confirmat exẽplo eorum, qui aliquid falsò scribunt. nam si id solum scribant, facilè apparet falsitas: sed si cum multis veris misceant, vt faciunt historici, magis latet. Tertiò cùm ait, *Itaque interdum,* concludit idem contingere in disputationibus, vt scilicet quædam propositiones propter occultationem concedantur, quæ alias non concederentur. Ait, *ἐν παραβύστῳ.* Qui putant hoc vocabulo in præsentia significari quoddã Atheniensium dicasterium, manifestè falluntur.

24 *Ad occultandum.* Breui epilogo finem imponit præceptis de cripsi siue occultatione.

25 *Ad ornatum.* De propositionibus, quæ ornatus causa adhibentur, præcipit, vt vtamur inductione, & diuisione: quoniã ad amplificandam orationẽ pertinent. Primò igitur tradit hoc præceptum. Secũdò cùm ait, *Et inductio,* ostendit non esse opus vt inductio hîc explicetur; quia iã exposita fuit suprà lib. 1. cap. 12. & pluribus lib. 2. Prior. cap. 23. Tertiò cùm ait, *Diuisio autem,* declarat diuisionem exemplis, id est, duabus diuisionibus scientiæ: quarum prior habetur etiam apud Aristotelẽ lib. 1. de anima, cap. 1. posterior apud Quintil. lib. 2. cap. 18.

26 *Perspicuitatis.* De perspicuitate præcipit, vt vtamur exemplis, & rerum similium collationibus. Exempla autem vult esse propria & accommodata; qualia sunt, quæ passim apud Homerum occurrunt; nõ inepta, qualia Chœrilus poeta ineptus proponit. Solet Chœrilus cum Homero conferri, vt Bauius cũ Virgilio, id est, ineptus cum optimo poëta.

IN CAP. II. DE ARGVMENTATIONE.

EX propositionibus conficiuntur argumentationes, quas Græci vocant *ἐπιχειρήματα.* meritò igitur Aristoteles postquàm præcipit de propositionibus, nunc adiũgit præcepta de argumentationibus, id est, de syllogismis, & de inductionibus. Nam hæc sunt duo dialecticarum argumẽtationum genera, vt dictum fuit lib. 1. cap. 11. & lib. Poster. 1. part. 3.

1 *Iam verò in disserendo.* Initiò præcipit, quando sit vtendum syllogismis, & quãdo inductionibus: & monet adhibẽdos esse syllogismos apud viros doctos, inductiones verò apud multitudinem & imperitos. Differentiæ ratio est quia syllogismus habet maiorem

iorem vim probandi, inductio verò est facilior. Ait, *aut a*, id est, cap. prox. & lib. 1. cap. 12.

2 *In quibusdam.* Deinceps subiicit varia præcepta inductionum propria. Primum præceptum est, vt si vniuersale, quod volumus probare per inductionem, nomine careat, nos ipsi nomen fingamus, propter rationé, quæ affertur in contextu. Primò enim Aristoteles præmunit, facilè ex particularib' colligi vniuersale, quando illi vniuersali nomé est positum. veluti, homo sentit, equus sentit, bos sentit, &c. ergo omne animal sentit. Secundò cùm ait, *in nonnullis*, docet colligi difficiliùs illud vniuersale, quod nomine caret. Tertiò cùm ait, *sed cum vniuersale*, docet, quomodo disputátes soleant colligere vniuersale nomine vacás, solent enim dicere, ita rem se habere in omnibus talibus rebus. veluti, in numeris est cómutata proportio, & in lineis, & in tépore: ergo in omnib' eiusmodi rebus est cómutata proportio. Quartò cùm ait, *hoc autẽ definire*, ostendit huiuscemodi rationem argumentandi cótinere in se magnã difficultatem: quoniam semper dubitatur, quænam res sint tales, vel nó sint tales: propter quá obscuritatem probatio redditur inutilis: nã si opponens dicat rem de qua agitur, esse talem, respódẽs id negabit. Quintò cùm ait, *Idcircò in [iis,]* ex dictis colligit esse aliud remedium inueniẽdum: atque ita præcipit vt initiò nomen ponatur, vt omnis dubitatio & omnis calumniandi ansa tollatur.

3 *Cùm autẽ in inductione.* Secundum præceptum est, ne opponens petat obiectioné à respódente, antequàm ipse propositioné suam multarum rerum inductione cófirmarit. nam si opponens simpliciter proponat propositionem, respondens potest simpliciter eam negare. Sed si opponés propositionem suam inductione quamuis imperfecta probauerit, respondens nó potest eam negare, nisi obiiciat aliquod particulare, in quo res aliter habeat. veluti si opponés sumat omne animal esse mortale, quia homo, equus, bos, asinus, leo sunt mortales: nó est necesse, vt opponens proponat expressè omnes species animalium: sed cùm multa animalia mortalia proposuerit, præsumuntur omnia animalia esse talia, nisi respódés obiiciat aliq animal immortale. dialecticus. n. sumit ꝑpositiones probabiles: & qđ in plerisque apparet, probabile est in omnibus verum esse, nisi contrarium ostẽdatur.

4 *Ac postulandum.* Tertium præceptum est, vt opponés responsionem eius qui thesim defendit, non admittat in ea re de qua agitur, nisi respondens afferat solam eam rem esse talẽ: sicuti solus numerus binarius est primus inter numeros pares. Sit (exépli gratiã) hæc quæstio, An binari' sit primus inter numeros pares: opponés autẽ vtatur hac propositione, nullum numerũ parem esse primum: quam probet per inductionem; quia quaternarius, senarius, octonarius, denarius, & reliqui numeri pares, nó sunt primi. ita impugnabitur thesis; nisi respondens afferat obiectionem: non potest autem afferre, nisi in ipsa re, de qua agitur; quia solus binarius est primus. rectè igitur respódebit propositionem aduersarij in omnibus aliis numeris paribus esse veram, sed excipi solum binarium.

5 *[Quod] autem ad eos.* Quartum præceptum est, vt quando propositio in homonymo falsa est, ita à nobis proponatur, vt illa significatio homonyma planè excludatur: alioquin si respódens afferat exceptionem in homonymo, videbitur propositioné euertere. Exempli gratiã, ne sumas hãc propositionem, Quilibet habet suum colorẽ: vel, Color, quem quisque habet, ipsius est. nam respondens obiiciet pictorem habere alienum colorem, quem ab alio pingendi causã accepit. vt igitur tollas hãc obiectionem, ita (exempli gratiã) propones, Color, quo quisque coloratus est, ipsius est.

6 *Quod si in homonymo.* Quintum præceptum est, vt etiã semotã homonymiã, vbi propositio nó est vera nisi adhibitis certis limitationibus, eam cum illis limitationibus proponamus. Nam si eas prętermittamus, aduersarius inde accipiet obiectionem, & propositionem euertet. Exempli gratiã, ne dicamus, omne animal ratione caret, sed omne animal brutũ ratione caret: alioqui aduersarius obiiciet hominem, & nostram propositioné euertet. Primò Aristot. proponit hoc præceptũ. Secundò cùm ait, *vt in oblatione*, adiungit exemplum, quo ipse vsus est, lib. 1. Poster. cap. 6. part. 7. Tertiò cùm ait, *Similiter [faciendum,]* adiungit alterum exemplum.

7 *Non solum autem.* Sextum præceptũ est, vt, etiã si respondés nullam exceptioné afferat, sed simpliciter propositionem neget, quia intelligit se posse afferre obiectioné si opus sit, nihilominùs limitem' nostrã propositioné non expectatã obiectione. sic enim limitatã cogetur respódés cócedere. nã propositioné nostrã inductione probatã tenetur respódens cócedere, aut cótra eam afferre obiectioné. Si igitur absq; limitatione vrgeamus, vt vel cócedat vel obiiciat, ille facilè obiiciet, atq; ita propositioné no-

strã euertet. Sed si facta limitatione, eũ ita vrgeamus: quia nullã habebit amplius obiectionẽ, cogetur nostrã propositionẽ admittere. Primò Aristoteles ponit hoc præceptũ. Secundò cùm ait, *depto enim*, affert rationem huius præcepti. Tertiò cùm ait, *Sunt autem eiusmodi*, declarat, quænam sint propositiones, in quibus hoc præceptũ vsum habet.

8 *Quòd si cum.* Septimum præceptum est, vt posteaquàm inductione probauimus nostram propositionem, petamus à respondente, vt, nisi obiectionem afferre possit, eam concedat: quod quidem suprà obiter fuit à nobis dictum: sed hic ex professo pro ponitur vt præceptum à superioribus diuersum.

9 *Cùm autem idem.* Hactenus præcepta de inductionibus: sequuntur præcepta de syllogismis. Primum est, vt potius argumentemur ostensiue siue categoricè, quàm per impossibile: quia nisi impossibilitas sit admodum perspicua & manifesta, respondẽs negabit id esse impossibile, ad quod erit deductus, videns se non posse aliter euadere. Primò Aristoteles ponit hoc præceptum. vbi obiter ponit differentiã inter demonstrantem, & dialecticum. nã qui demonstrat, æquè potest vtrouis modo argumentari: sed dialectico vtilior est argumẽtatio directa & categorica. Secũdò cum ait, *quia si absque*, affert rationem huius præcepti.

10 *Oportet autem.* Secundum præceptũ est, vt interrogemus propositiones, quæ vel non patiuntur vllam obiectionem, vel habent obiectiones obscuras, & paucis cognitas. nã si obiectiones manifestę sint, respõdẽs facile nostras propositiones subuertet. Sed siue sit exceptio aliqua, siue nõ sit: nisi respondens obiectionem videat, facile propositionem concedet.

11 *Non oportet.* Tertium præceptum est, ne interrogemus cõclusionẽ: quia sic daremus optionem aduersario affirmãdi, vel negandi. quare si aduersarius eam negaret, videremur esse male argumentati. itaque simpliciter debemus eam inferre, tãquàm ex præmissis necessariò illatã, quæ negari ampliùs nõ possit. Primò ponit præceptũ. Secundò cùm ait, *alioquin abnuente*, affert rationem præcepti.

12 *Neque verò.* Quartum præceptũ est, vt ita interrogemus, vt dem⁹ aduersario optionem affirmandi vel negãdi. Exẽpli gratiã, ne interrogemus, quid est homo? vel, quot modis dicitur bonũ? sed, estne homo animal rationale mortale, an nõ? & dicitúrne bonum tot modis quot ens, an non? Cõiunge part. 3. cap. 11. de interpret.

13 *Qui verò vnam.* Quintũ præceptũ est, ne in vno & eodem argumento diu immoremur, seu ne diu eandem rationẽ interrogemus. Primò ponit Aristoteles hoc pręceptum. Secundò cùm ait, *nam si u*, affert rationem pręcepti, quà ostẽdit eũ male dispu tare, qui diu in vno argumento moratur. Est autem ratio talis: Aut is qui thesim defẽdit, ad interrogationem apte respondit, aut nõ. Si apte respondit: peccat opponens diu interrogans, nec discedens ab eodem argumẽto. necesse est enim, vt nimis multas propositiones in medium afferat, vel sępius eã dem interroget: quandoquidem duę propositiones sufficiunt ad syllogismũ perficiendum. & possunt quidẽ alię addi ob quatuor illas causas suprà expositas, id est, inducẽdi, vel ornandi causã, &c sed hoc ita fieri debet, ne disputatio nimis diu protrahatur. Quòd si respõdẽs aptè non respondit: peccat opponens, dum pergit in suis interrogationibus debuit enim potiùs respondentẽ reprehendere, & ostendere eum non aptè respondisse, vt commodã responsionem ab eo extorqueret: aut si non potest commodam respõsionem ab eo accipere, disputationem relinquere debet, ac discedere, potius quàm multis interrogationibus cõtra ineptum disputantem tempus terere. Absoluta sunt præcepta de inductionibus, & syllogismis.

IN CAP. III. DE FACILITATE, AVT DIFFICVLTATE ARGVmentandi, vel defendendi.

NOn possũt omnia præcepta de officio opponentis percipi, nisi intelligatur, quænã theses possint facile aut difficulter impugnari: quia prout thesis habet faciles aut difficiles aggressiones, ita debet hoc vel alio modo contra eam disputari, vt posteriùs explicabitur hoc eadem capite. Hac igitur de causã declarat in præsentia Philosophus facilitatem vel difficultatem impugnandarum, aut defendendarum thesium.

1 *Easdem porrò.* In hac particula Primò docet easdẽ theses facile defendi, & difficulter impugnari. Secũdò cùm ait, *Eiusmodi autem*, docet tales esse primas & vltimas seu conclusiones. i. prima principia, & vltimas cõclusiones. Tertiò cùm ait *nã prima*, probat talia esse prima principia, ex eo quòd requirunt definitionem. Vis cõsecutionis paulò pòst explicabitur. Quartò cum ait, *vltima verò*, probat tales esse vltimas cõclusiones, ex eo

ex eo quòd, nisi velimus eas sophisticè probare, oportet adscendere vsque ad prima principia, & ab iis per omnes medias propositiones quæ permultæ sūt, descēdere ad vltimas illas cōclusiones. vnde propter prolixitaté difficilis est probatio; quia non statim possumus à primis principiis ad has vltimas cōclusiones progredi, sed oportet per multa media trāsire. Quintò cum ait, *Qui igitur respondent*, redit ad prius argumentū, & probat eam consequentiam: Prima principia requirūt definitionem, ergo difficile impugnantur: quia respondentes nec volūt definire, nec definitionem opponentiū admittere: cùm auté definitio requiratur, sine definitione disputari non pote. Sextò cùm ait, *atqui nisi perspicua m*, probat antecedés, id est, requiri definitione principiorū: quia nō possūt aliter noti. ca: quippe quę nō possunt demōstrari, cū sint prima principia, per quę cetera omnia demon .ratur.

2 *Ea quoque difficiles.* Postq. am docuit prima principia & vltimas cōclusiones difficile impugnari: nunc idem oſtēdit de primis conclusionibus, quæ fu. t proximæ primis principiis; quoniam de his suppetunt pauca argumenta.

3 *Omnium autem.* In hac particula docet, quęnam definit. ones difficillimè impugnetur: & ponit duo earum genera. Vnum est, cùm dubitatur, an verba definitionis sint homonyma. Alterum, cùm dubitatur propriéne accipiātur, an per metaphoram. nā ea obscuritas facit, vt nesciamus, quò debeamus argumenta nostra dirigere.

4 *Omnino autem.* Summatim colligit genera problematū, quæ non facile impugnantur. Primum est, cùm thesis eget definitione, vt suprà diximus de primis principiis. Secundum est, cùm multis modis accipitur. Tertiò cùm sumitur per metaphorā. (nam hi duo modi colligūtur ex 3. part.) Quartum ex secunda partic. est, cùm thesis non procul abest à primis principiis. Quintum ex cōiunctione superiorum particularū est, quā do ignoramus causam difficultatis, id est egeatne thesis definitione, an contineat homonymiam, an metaphoram, &c. nam quemadmodum medico difficillimum est curare ægrotum, cuius morbum ignorat: ita difficillimū est dialectico impugnare thesim, si causam obscuritatis, qua ea thesis laborat, nō intelligat. etenim si intelligat, potest remediū afferre. vt puta si definitio requiratur, definitionem inquiret. vel si sit aliqua multiplicitas, distinctionem adhibebit. & ita de ceteris obscuritatibus dicendum.

5 *In multis.* Ostendit multas theses non posse facilè impugnari, nisi commoda definitio afferatur: & primò hanc sententiam proponit. Secūdò cùm ait, *veluti vtrùm*, eam illustrat exemplo. Sit thesis, qua quæratur, vtrùm vnum vni contrariū sit, an plura: id est, vel sit thesis, Vnum esse vni contrariū; vel, Multa esse vni contraria. Huiusmodi theses non possunt facile impugnari, nisi priùs contraria definiantur. nam si contraria definias, quæ se inuicem perimunt: certe multa possunt esse vni contraria: vt albo nigrum, rubeum, & viride. si verò contraria definias, quæ cùm in eodé genere sint, à se inuicem plurimùm distant: tunc vnum est vni contrarium: vt albo solum nigrum; quia hoc solum maximè distat ab albo. quod enim rubrum est, aut viride, id alboris & nigroris est particeps. Tertiò cùm ait, *eodem modo*, docet eandem esse rationem omnium aliorum problematum, quæ definitione indigent, ne quis putet hoc verum esse tantùm in exemplo modò proposito.

6 *Quin & in mathematis.* Quam difficultatem docuit esse in disputationibus ob defectum definitionis, eandem ostēdit reperiri etiam in mathematicis disciplinis. Et primò hanc sententiam proponit. Secūdò cùm ait, *vt puta eam lineam*, eandem sententiam illustrat exemplo, quod tale est.



Sit parallelogrammum α β γ δ, ac secetur linea α γ in puncto ε: & ab eo pūcto ducatur linea recta, quæ sit parallela lineæ α β, & lineæ γ δ: sitq; hæc linea ε ζ: dico lineā ε ζ similiter secare lineam α γ, quæ est latus parallelogrāmi; & ipsum spatium siue aream parallelogrammi, nempe α δ. Hoc probare, difficile est; nisi sciamus, quid sit similiter diuidere: quod ab Aristotele ita definitur, quando linea & spatium habent eandem subtractionem, id est, cùm linea α γ ita diuiditur in puncto ε, & spatiū α δ ita diuiditur per lineā ε ζ, vt eadē ratio sit lineę α ε ad lineam ε γ, quę est spatij α ζ ad

spatium ζγ: vt putà si linea αε est dimidium lineæ εγ, etiam spatium αζ est dimidium spatij ζγ: sic enim æquales sunt subtractiones, id est, proportione quadam tantum αε detrahit de αγ, quantum αζ de ζγ. sicut enim eo modo subtrahitur tertia pars lineæ; ita etiam tertia pars spatij. Tertiò cùm ait, *Omnino autem*, docet in mathematicis ea potissimù egere definitionibus, quę sunt proxima primis principiis: ita vt positis definitionibus facile demonstrentur, sed paucæ rationes afferri possint. Quartò cùm ait, *similis [est,]* docet eădé esse rationé disputationum dialecticarum, id est, in iis quoque disputationibus ea maxime definitionibus egere, quæ sunt propinqua primis principiis, & de his paucas definitiones afferri posse.

7 *Non oportet igitur.* Concludit non esse ignorandas suprà expositas causas difficultatis, vt scilicet possimus difficultati obuiam ire, vel allata definitione, vel alio modo, qui thesi conueniat. Hoc enim est præceptum, cuius causâ hæc declarantur.

8 *Cùm autem de axiomate.* Si sit aliqua propositio, ex qua disputari aduersus thesim possit, sed difficiliꝰ sit de ea disputare, quă de thesi: vult Aristoteles docere, an huiusceınodi propositionem respondens ponere, id est, cōcedere debeat; proinde an opponens petere debeat vt sibi cōcedatur. Primò Aristot. proponit hanc quęstioné, an respódés debeat eiusmodi propositioné cócedere. Secúdò cùm ait, *quia si non ponat*, disputat in vtramque partem, vt ostendat difficultatem huius quæstionis: & initiò probat eam esse concedendam: quia nisi eam concedat, reddit disputationem difficiliorem, quod fieri non debet: atque vltra quàm deceat, & æquum est, opponenté onerat, requirens ab eo probationé difficiliorem disputatione aduersus thesim institutâ. Tertiò cum ait, *sin autem ponit*, in contrarium probat eam propositionem non esse admittendum: quoniam hac ratione fieret, vt ex minùs notis argumentatio extrueretur; siquidem ex hac propositione concessa, quæ est thesi obscurior & difficilior, opponens argumentabitur contra thesim. Quartò cùm ait, *si igitur*, ex dictis colligit responsionem incertam & alternatam: quia si habetur ratio prioris argumenti ne disputatio reddatur difficilior, propositio à respondente concedenda est. si verò habetur ratio posterioris argumenti, id est, ne disputetur ex ignotioribus, propositio nó est cócedenda. Quintò cum ait, *an discenti*, affert certam responsionem à discente separans eum qui exercitationis causâ disputat ac theses defendit. nă qui discit, propositionem conclusione obscuriorem nó debet concedere: quandoquidem omnis disciplina fit ex notioribus: hęc autem propositio, nisi probetur, non est notior cóclusione. Qui vero thesim exercitij gratiá defendit, propositionem concedere sine probatione debet, dūmodo sit probabilis. Sextò cùm ait, *Quare perspicuum*, ex dictis de discente ac respondente, colligit differentiá inter interrogantem, id est, opponétem, & docentem. nam opponens recte petit sibi à respondente concedi propositionem probabilem, licet sit minus nota quàm thesis de qua disputat: docens auté non debet postulare, vt à discente sibi concedatur propositio obscurior conclusione.

9 *Quemodo igitur.* Breui epilogo imponit finem tractatui de officio opponentis.

DE RESPONSIONE.

TRACTATVS II.

IN CAP. IV. DE OFFICIO INTERROGANTIS ET respondentis.

DEinceps daturus præcepta respondenti, in primis exponit generale officiū tam interrogantis siue opponentis, quàm respondentis.

1 *De responsione.* Proponit, quæ deinceps est expositurus.

2 *Est autem.* Docet officium opponentis: qui debet in id incumbere, vt respondentem ad absurdissima ducat. Hic autem Aristoteles duo requirit. Primùm, vt ea, ad quæ respódens ducitur, sint absurdiora thesi. alioquin respondens, sicut nō habet thesim pro absurda, ita multò minꝰ pro absurdis habebit ea, ad quæ deducetur, nisi sint thesi absurdiora. vt putà si quis defendat affirmationem & negationem simul veras esse, frustra duces eum ad hoc absurdū quòd contraria sint in eodem subiecto. nam qui illam thesim ponit, etiam hoc affirmabit. Secundò requirit Aristoteles, vt illa absurditas, ad quam respondens deducitur, colligatur ex iis quæ thesim necessariò consequuntur: ita enim absurditas ex thesi colligitur, proinde thesis infirmatur. Obiiciet hoc loco aliquis Aristotelem cap. 2. part. 8. præcepisse opponenti, vt potiùs categoricè

ricè argumétetur, quàm deducendo ad incommodum quomodo igitur nunc ait offi cium opponentis esse, vt ducat aduersariū ad absurdū? Respondeo aduersarium ad absurditatem deduci, non solùm per syllogismum ducentem ad impossibile, sed etiam per demonstrationem categoricam. Namsi ponat (exempli gratia) hanc thesim, omné voluptatem esse bonam; ego autem categoricè probem aliquam voluptatemnó esse bonam: duco aduersarium ad absurditatem; nimirum vt cogatur concedere duo contradicentia, id est, conclusionem cótradicentem ipsius thesi.

3 *Respondentis verò.* Declarat officium respondentis, vt, si argumento ducatur ad aliquod absurdum, ostendat se ad id nó duci suâ culpâ, sed propter thesim: quia scilicet, dū posuit thesim, simulposuerit omnia quæ eam thesim necessariò consequuntur. Sæpe enim disputádi causâ paradoxa defendimus. quare si nobis licet ponere talesthe ses, licet etiam cócedere, quæ has theses ne cessariò consequuntur: vtputâ si quis dicat cum Heraclito idem esse bonū & malum: non debet habere pro absurdo, sed concedere duo contraria simul inesse in eodem subiecto, vt Aristoteles præcipiet cap. sequen. part. pen.

IN CAP. V. DE THESI ABSOLVTE VEL CVM ADIVNCTIONE PRObabili, aut improbabili, aut neutra.

1 *Quia verò sunt.* Postquàm variis præceptis instruxit opponentem: iam vult instruere respondentem, vt ab vtraque parte disputatio pulchre procedat. In primis in hac particula proponit triplicé disputandi finem. aut enim docédi & discendi causâ disseritur, vt inter præceptum & discipulum: aut certandi studio & victoriæ ob tinendæ gratiâ: aut denique mutuæ exercitationis causâ, vt inter condiscipulos. Cùm discendi causâ disputatur: certum est, eas propositiones esse concedendas, quæ videntur veræ, & eas esse negandas, quæ videntur falsæ. in eo namq; omnis doctrina & omnis disciplina consistit, vt verum à falso discernatur. Cum autem disputatur victoriæ causâ: tunc opponens debet omnia facere, vt videatur aliquid colligere contra respondentem. contrà respondens totus debet in id incumbere, ne videatur aliquid pati, id est, ne videatur aliquid contra ipsum inferri. Hæc igitur sunt disputantium officia, quando vel sciendi, vel vincendi studio disseritur. Cùm autem exercitationis gratiâ disputatur: quid faciendum sit, & quomodo respondere oporteat, nemo ante Aristotelem docuit, ideóque Aristoteles hoc, tam quàm ab aliis prætermissum, a se explicandum proponit.

2 *Necesse igitur.* Daturus quædam præcepta respondenti, præmunit diuisionem quandam problematum, ad quam ea præcepta accommodabuntur. Ait igitur omnem thesim esseprobabilem, vel improbabilem, vel neutram, & subdiuidit thesim probabilem vel improbabilem. quoniam aut est talis simpliciter, aut alicui. Et si alicui, iterū subdiuiditur: quia vel est probabilis siue improbabilis ipsi respondenti, vel alij cuipiam, cuius sententiam respondens tuendam suscepit. Singula membra explicemus breuiter. Dicitur thesis simpliciter probabilis, quę passim omnibus aut plerisque probatur. Simpliciter improbabilis, quæ similiter omnibus, vel plerisque improbatur. Est igitur simpliciter probabilis, veluti sanitatem esse expetendam: Simpliciter autem improbabilis, veluti sanitatem non esse expetendam. Inter has medium locū tenet, quæ vocatur neutra: veluti esse infinitum, aut non esse infinitum: esse inane, aut non esse inane: locum esse trinam dimensionem, aut locum esse superficiem corporis ambiétis. nam de his sunt variæ opiniones: adeo vt non sit magis affirmatio probabilis, quàm negatio. Alicui probabilis est, quam alij non admittunt. vtputa Heraclito probabile est, idem esse bonum & malum: quam sententiam alij damnát. siue igitur ipse Heraclitus, siue alius eum hac in re secutus, hanc thesim defendat, dicetur esse thesis probabilis alicui, id est, ipsi disputanti, vel alij cuius sententiam disputans probat.

3 *Nihil autem interest.* Adiungit alteram præmunitionem priori coherétem: & ait nihil referre, quomodo thesis probabilis vel nó probabilis sit, id est, nihil referre, verùm sit probabilis simpliciter, an alicui: nihil (inquam) referre quátum ad modum respondendi, quia semper seruādus est idé respondendi modus, vt ex sequentibus apparebit.

4 *Si igitur improbabilis.* Addit tertiam præmunitionem, per quam docet qualis sit conclusio, quæ thesi opponitur. Sicut

per enim opponens colligit conclusionem thesi contrariam. vtputà sit thesis fit, sanitatem esse expetendam: opponens probabit sanitatem non esse expetendam. Quare si thesis sit improbabilis: conclusio erit probabilis. Contrà si thesis sit probabilis: conclusio opposita, erit improbabilis. Quid si thesis sit neutra? veluti esse in rebus inane. conclusio quoque opposita, erit neutra, id est, non esse in rebus inane. His præmunitionibus positis subiicienda sunt præcepta.

5 *Quoniam autem.* Præcipit respondenti, quid obseruare debeat, si tueatur thesim simpliciter improbabilē. & Primò ponit hoc fundamentum, quòd thesis impugnanda est ex probabilioribus & notioribus. volumus enim disputationem, quæ exercitationis causâ fit, pulcrè procedere. Inde colligit Aristoteles respondentē non debere concedere eas propositiones, quæ simpliciter non videntur veræ, id est, quæ passim omnibus aut plerisque non vidētur veræ. Item non debet eas concedere, quæ videntur quidem quodammodò veræ, minùs tamen sunt probabiles, quàm conclusio thesi opponenda. Diximus enim thesim esse improbabilem: conclusio igitur est probabilis: ergo propositiones debent multò magis esse probabiles. quare si sint minùs probabiles, aut si sint improbabiles, non sunt idoneæ ad eam conclusionem inferendam, & thesim oppugnandam.

6 *Sin autem simpliciter.* Deinceps præcipit respondenti, quid obseruare debeat, si tueatur thesim simpliciter & omnibus probabilem. tunc necesse est opponi conclusionem improbabilem. Debet igitur respondens concedere primùm propositiones probabiles: nam certum est has esse idoneas. Deinde etiam propositiones non probabiles, dummodò minùs sint improbabiles quàm conclusio. sic enim respectu cōclusionis quodammodò probabiles sūt: alioqui videbitur respondens ferè præcidere omnem ansam disputandi: & opponens videtur officium suum facere, si opponit propositiones minùs obscuras, & minùs improbabiles conclusione.

7 *Similiter etiam.* Tertiò præcipit respondenti, quid obseruare debeat, si defendat thesim neutram. & similiter iubet eū concedere non solùm propositiones probabiles, sed etiam non probabiles, dummodò sint minùs improbabiles quàm conclusio. Ratio hic est eadem, quæ in præcedenti particula.

9 *Ergo si simpliciter.* Breui epilogo significat se dedisse præcepta de thesib⁹ simpliciter probabilibus, vel simpliciter improbabilibus; (supple, vel simpliciter neutris) colligens generale & commune præceptum, quod cùm thesis sit simpliciter talis, etiam comparatio instituenda est cum iis quæ simpliciter talia videntur. vtputà cùm diximus concedendas esse propositiones probabiles, vel minùs conclusione improbabiles: intelleximus simpliciter probabiles, & simpliciter improbabiles.

8 *Sin autem non simpliciter.* Transit ad theses probabiles, vel improbabiles ipsi respondenti. & inquit eadem præcepta esse obseruanda, eo tantùm excepto, quòd hic comparationem instituemus, nō, vt suprà, cùm iis quæ simpliciter talia sunt, sed cum iis, quæ talia videntur ipsi respondenti.

10 *Quod si alterius.* Cùm quis defendit thesim alteri probabilem, iubet eum seruare data præcepta; sic tamen, vt respiciat ad ea quæ videntur, aut nō videntur ei, cuius sententiam defendit. & Primò dat hoc præceptum. Secundò cùm ait, *Idcirco & qui alienas*, illustrat hoc præceptum exemplo. Si quis enim defēdat thesim Heracliti, idē esse bonum & malū: debet negare id quod sibi verū videtur, Heraclito autem verū nō videtur, veluti cōtraria simul esse nō posse in eodē subiecto. Tertiò cùm ait, *Hoc etiam faciunt*, adiungit alterum exemplum: & ait hoc fieri ab iis qui à se inuicem accipiunt theses, de quibus conferant & disputent. vt putà qui inter se de iure disputant, illi propositiones adductas concedunt vel negant, non tam considerantes quid sibi videatur, & quid ipsi statuerēt si essent legislatores, quàm quod ipsis legumlatoribus visum fuit.

11 *Perspicuum igitur.* Concludit hoc caput.

IN CAP. VI. DE PROPOSITIONE AD REM PROPOSITAM pertinente, vel non pertinente.

SVperiori theseωn seu problematum diuisioni aliam diuisionē propositionum adiungit, ad quam noua præcepta accommodabit.

1 *Cùm autem.* Proponit diuisionem propositionum similem diuisioni problematum

matum præcedēti capite traditę, quòd propositio est vel probabilis, vel improbabilis, vel neutra. Adiungit etiam alteram diuisionem, quòd propositiones thesi oppositę vel ad rem faciunt, vel ad disputationem propositam non pertinent. Habemus igitur duas diuisiones, priorem trimembrem, posteriorem bimembrem. Eas si coniungamus, fiet vna diuisio sex partibus constans. quodlibet enim ex tribus membris prioris diuisionis subdiuiditur in duo mēbra ex posteriori. sit igitur in diuisione sex membra: quia ter bis accepta faciunt sex. Quare de his sex membris præcepta dabūtur. Primum membrum est, si propositio sit probabilis, sed contra thesim non faciat. Hoc casu Aristoteles iubet eam à nobis concedi, & quidem quasi veram, quia nobis quoque vera videatur. hæc enim cōcessio nihil nobis obesse poterit, cùm propositio contra thesim non faciat.

2 *Si verò nec probabile.* Secundum membrum est, si propositio neque sit probabilis, neque ad rem faciat. hic Aristoteles iubet hanc propositionem concedi, non quasi veram, ne auditores habeant nos pro imperitis, sed tamquàm nihil contra nos facientem.

3 *Quod si ad disputationem.* Tertium membrum est primo contrarium, quando propositio est probabilis, & contra thesim facit. tunc iubet Aristoteles nos eam quidem concedere, sed addere eam esse nimis propinquam thesi nostræ ab initio ad disputandum propositæ; adeo vt hac positā, nostra thesis euertatur. proposuimus enim thesim exercitationis causā, vt suppositū fuit initio cap. præced. quare negare nos oportet ea quæ manifeste sunt huic thesi contraria, non quòd ea nobis vera non videantur, sed quia disputandi & veritatis eruendæ causā volumus cōtrarium defendere. vnde si opponens vtatur talibus propositionibus, videtur petere quæsitum. Exempli gratiā sit proposita hæc thesis, Motus est æternus. in contrarium autem opponens argumentetur: Mundus non est ęternus, ergo motus non est æternus. Consequentia valet: quia extra mundum non est motus: & necesse est esse aliquid, quod moueatur. Antecedens est probabile: quia omnes Philosophi præter Aristotelicos ita sentiunt, item alij homines pręter Philosophos ita ferè omnes sentiunt. est autem probabilis propositio, quæ vel multis, vel doctis, & multò magis quæ simul multis & doctis vera videtur, vt ex libro primo didicimus. Quid ergo respondebit is qui thesim tuetur? Dicet antecedens esse quidem probabile, sed ita coniunctum cū thesi, vt qui petit hoc antecedens sibi cōcedi, perinde haberi debeat ac si ipsum quęsitum peteret. eo enim ipso quòd respōdens proposuit hanc thesim, Motum esse æternum, tacite significauit mundum esse æternum.

4 *Sin autem ad disputationem.* Quartum membrum est, si propositio ad rem quidem faciat, & si concedatur, euertat thesim, sed non sit probabilis. tunc respondens debet concedere consequentiam, & negare antecedens, id est fateatur ea propositione euerti thesim, sed ipsam propositionem dicat esse falsam & ineptam.

5 *At si neque.* Quintum membrum est, Si propositio sit neutra, sed ad rem non faciat. tunc Aristoteles iubet eam simpliciter concedi, non adhibitā eā definitione, quam adhiberi iussit in secundo membro, vbi volebat propositionem cōcedi cum hac declaratione, nō quasi veram, sed quasi nō facientem contra thesim: hìc verò vult concedi simpliciter sine vlla declaratione.

6 *Si verò ad disputationem.* Sextum membrum est, si propositio sit neutra, & faciat contra thesim. tūc Aristoteles ait esse significandum, si concederetur, euerti thesim, id est, concedendam consequētiā, sed negandum antecedens siue ipsam propositionem.

7 *Sic enim & respondens.* Concludit, si præcepta huius capitis seruentur, rectè disputari: quia respondens concedet, quæ erunt concedenda, & negabit neganda.

IN CAP. VII. DE PROPOSITIONIBVS OBscuris, vel multiplicibus, vel perspicuis & simplicibus.

IN hoc capite coniungit alias duas diuisiones propositionum, quibus accommodat præcepta de officio respondentis. Aut enim propositio est obscura, aut perspicua. rursus aut est simplex, aut multiplex, ex harum diuisionum coniunctione oriuntur varia membra, quæ in contextu explicabuntur.

1 *Simili etiam.* Primum membrum est, si propositio sit obscura. tūc Aristoteles iubet vt respondens dicat se nō intelligere: & reprehēdit eos, qui, dum verentur ne mi

nus docti videatur, respondet quasi intelligant id quod non intelligunt: vnde absurda postea eueniunt. Hoc igitur casu debemus sine vlla cunctatione, auctore Aristotele, fateri nos nõ intelligere, & petere vt opponens apertius sententiam suam explicet. Quod attinet ad seriem contextus, primò generaliter ait ad propositiones obscuras vel multiplices similiter esse respõdendum, id est, obseruanda esse præcepta, quæ mox tradētur, non absimilia præceptis antea datis. Secundò cum ait, *nam quia datum*, ad confirmanda præcepta mox tradēda, præmunit licere respondenti, cùm nõ intelligit propositionem opponentis, dicere se non intelligere. Item, cùm propositio multis modis accipi potest, non teneri respondentē simpliciter affirmare, vel negare: quia potest ac debet distinguere. Tertiò cùm ait, *manifestum* [*est*,] colligit præceptum, quod iam exposui, de propositione obscura. Quartò cum ait, *sæpe enim*, confirmat hoc præceptū: quia, nisi obseruetur, facile eueniet aliquid absurdi ac respondens in multas difficultates incidet.

2 *Si verò notum*. Secundum membrum est, cùm propositio est multiplex, eiq; multiplicitas est perspicua. Hic Aristoteles subdistinguit. aut enim propositio omnunodo, id est, in omnibus significationibus est vera; veluti omnis canis est corpus: aut omnimodo est falsa; veluti, omnis canis volat: aut partim est vera, partim falsa, veluti, omnis canis latrat. nā de quadrupede vera est, de pisce item & sydere est falsa. Primo casu iubet Aristoteles propositionem simpliciter concedi. secundo casu simpliciter negari.

3 *Si verò ex parte*. Tertio casu iubet distingui, & iudicari, in qua significatione sit vera, & in qua sit falsa. Sed hic rursus adhibet subdistinctionem quandam. nā si respondens ab initio intelligat propositionē esse multiplicem, statim debet distinguere. Huius præcepti rationē affert. cùm ait, *nam si* [*id*.] quia si postea concluso argumento respõdens distinguat, videri poterit ab initio ignorasse, nunc autem distinguere vitādi argumenti causā: quam suspicionem vitabit, si statim ab initio distinguat.

4 *Sin autem non prospexeris*. Si verò respondens ab initio non animaduertit propositionem esse multiplicem, & eā simpliciter cõcesserit, cùm distinguere debuisset secundùm præceptum modò datum, postea verò contra eum aduersarius cõcluserit: Aristoteles non deserit respondentē, sed adhuc instruit, & monet, quid dicere debeat. Dicat igitur se propositionem concessisse non in quacumque significatione: ed in ea, in qua propositio vera est. vt putā si sine distinctione cõcessit omnem canem latrare, non animaduertēs ad homonymiam canis, & inde aduersarius cõclusit sydus esse animal irrationale, quia quod latrat est animal irrationale: tunc respondēs dicat, se tātum de omni cane quadrupede concessisse eam propositionem; nõ de pisce, vel sydere. esse enim canē, vocabulū homonymum: quod cùm multa significet, ipse accepit pro cane quadrupede.

5 *Sin rogatum*. Vltimum membrum est, si propositio sit perspicua & simplex. tūc Aristoteles iubet respondentē concedere, aut negare simpliciter eam propositionē. Intellige hoc præceptum, vt & præcedētia præcepta huius capitis, quando responden dum est ad propositionem. Nam si neganda esset consequentia: non esset opus simpliciter concedere, vel negare propositionem. Quanquam (vt cap. præced. exposuimus) hoc etiam casu propositio conceditur, non quasi vera, sed quasi nihil officiens thesi propositæ.

IN CAP. VIII. DE RESPONSIONE AD inductionem.

SVperiora præcepta potissimùm respiciunt ad syllogismos: nunc docet Philosophus, quid respondendum sit ad inductiones. Et primò præcipit, vt si singula probabilia sint, concedantur, non negētur, quamuis inde per inductionē colligatur aliquid vniuersale nostræ thesi contrarium. Deinde præcipit, vt nostram responsionē dirigamus ad illud vniuersale, cum ait, *aduersus vniuersale*, ac proponit duos modos respondendi. Vnus est, vt afferamus instantiam siue obiectionē. vt putā si aduersarius ita argumētetur; Omnis equus, bos, canis, leo ratione caret; ergo omne animal ratione caret: non debemus negare equum vel bouem &c. ratione carere, sed debemus negare cõclusionē illam vniuersalem, Omne animal ratione carere, datā instantia in homine, qui est animal rationale. nam sine instantia non liceret negare, vt suprà fuit expositum. Alter modus est, quem tradunt etiam rhetores, vt contrarium argumētum opponamus: hoc enim significat cùm ait, *Insuper si ne quidem*. vt putā si per inductionem probauit

probauit omnem voluptatem esse malam, nos contrà probemus omnem voluptatem esse bonam, aut saltem non omnem voluptatem esse malam; putà quia aliqua est expetenda; quod autem est expetendum, est bonum. Sic non videbimur temere negare conclusionem probatam: quia non minùs attulimus argumentum contra eam cóclusionem, quàm pro ea attulerit opponens. Hac responsione sæpe nunc vtuntur, qui theses defendunt. Aristoteles tamen docet non esse bonam responsionem illis verbis, *Quamquam ne hoc quidem*: quia respondentis est soluere argumēta opposita: verissimum autem est dictum illud peruulgatum, Contrà argumentari, non est soluere. Ergo melius quidem est contrà argumentari, quàm simpliciter negare conclusionem inductio ne probatam: non tamen plene officio suo satisfecit, qui ita respondit. Quapropter Aristoteles constituit tres responsionum gradus ibi, *si* [*qui*] *igitur*. Optima enim responsio ad inductionem est, cùm datur instantia siue obiectio. Minùs bona responsio est, cùm in contrarium arguitur. Deterrima responsio est, cùm neutrū fit. nam qui nec allata obiectione, nec argumento contrario, negat quod aduersarius per inductionem collegit, is reuera est proteruus, morosus & difficilis disputator.

IN CAP. IX. DE PRÆEXERCITATIONE, ET de thesi improbabili non defendenda.

HOc capite Aristoteles duo præcepta dat respondenti, quæ non pertinent ad modum respondendi, sed ad hoc vt respondens tutò descendat in arenam, & accedat ad disputandum.

1 *Sustinere autem.* Primum præceptum est, vt qui defensurus est aliquam thesim, præsertim definitionem, (nam definitio facillimè impugnatur, vt expositū fuit lib. 7. cap. vlt.) priùs secum ipse disputet, & tam rationes suæ thesi contrarias, quam earum solutiones inquirat, ne imparatus temere ad disputandum veniat.

2 *Cauendum verò.* Alterum præceptum est, ne defendamus thesim improbabilem. Primò Aristoteles dat hoc præceptum. Deinde cùm ait, *Multis autem*, explicat hoc præceptum, id est, quænam sit thesis improbabilis, proinde non defendenda: ac partitur huiusmodi thesim in duo genera. Quædam enim theses sunt improbabiles: quia iis positis, necesse est concedere multa absurda. veluti si quis defendat hanc thesim, omnia moueri; vel hanc, nihil moueri. tales enim theses, quia perspicue sunt falsæ, non debent defendi. Aliæ verò theses sunt non ita perspicuè falsæ; quia de iis occurrunt rationes in vtramque partem: non tamen debent defendi; quia sunt improbæ: veluti, voluptatem esse bonam: aut satius esse iniuriam facere, quàm iniuriam pati. huiusmodi namque theses non sunt dialecticæ quia sunt contra bonos mores. Coniunge part. vlt. cap. 11. lib. 1.

IN CAP. X. DE SOLVTIONE ARGVMENTOrum, & de conclusione impedienda.

DVobus modis respondens suā thesim defendit. aut enim soluit argumentum, aut impedit conclusionem. Hæc duo inter se differunt. Primùm quia propriè loquendo soluitur argumētum, postquàm extructum est: impeditur autem conclusio post argumentum iam extructum. Deinde quia plus est soluere argumentum, quàm impedire conclusionem. quod enim vim habet soluendi argumentū, id multo magis conclusionem impedit. Vno enim modo argumentum soluitur; quatuor autem modis conclusio impeditur, ex quibus primus est, qui argumentum soluit, vt Aristoteles hoc capite declarabit.

1 *Quæcumque autem.* Agit de solutione argumentorum: & primò dat præceptum, vt, cum syllogismus colligit falsā conclusionē, id negetur, quod est prima causa falsitatis: de qua prima causa vide cap. 18. lib. 2. Prior. Secundò cùm ait, *non enim quouis*, explicat hoc præceptum: & id confirmat; quia nō quamlibet propositionem negemus, argumentū soluimus, etiamsi propositio falsa sit: sed opus est eā propositione negare, ex qua potissimum pendet falsa cóclusio. Hoc præcepto Aristoteles sæpe vtetur in Sophisticis elenchis diluēdis, & aliorum solutionibus reprobandis. Tertiò cùm ait *veluti si quis*, illustrat hoc præceptum exemplo perspicuo; in quo cum vtraq; propositio syllogismi falsa sit; tamen vera solutio est per negationem maioris, non per negationem minoris. Quartò cùm air, *omnino*

igitur soluit, concludit eum verè soluere, qui primam falsitatis causam tollit, id est, qui negat eam propositionem, ex qua primùm & potissimùm pendet falsa conclusio.

2 *Solutionem autem.* Vt respondens ostendat se non temere respondere, sed perfectè intelligere eam rem qua de agitur: nō solùm debet responsionem suam dirigere ad primam & veram causam falsitatis, vt in superiori partic. dictum est, sed etiam ostendere eam esse falsitatis causam. vt in exemplo superioris particulæ fieri potest, vt respondens temere maiorē neget, cùm putet perinde esse, siue maior, siue minor negetur, quia vtraque sit falsa. Quamobrē Aristot. docet eum demum scire quæ sit vera solutio, qui non solùm eā maiorem negat, sed etiam scit eam maiorem esse negandā, & scit eam maiorem esse primam causam falsitatis. Itaque si respondens velit eruditionē suam patefacere, non simpliciter maiorem negabit, sed etiam afferet huius suæ respōsionis causam, id est, cur potiùs neget maiorem, quàm minorem, licèt vtraque sit falsa. Ait, *quemadmodum in falsis descriptionibus.* Falsas descriptiones appellat Aristoteles syllogismos apateticos, qui opponūtur veris demōstrationib⁹, id est, cùm ex propriis cuiusque scientiæ principiis malè acceptis inferuntur falsæ cōclusiones. sicut enim demōstratio parit scientiam: ita etiā falsa descriptio seu syllogismus apateticus gignit ignorantiam scientiæ contrariam. Hic igitur habemus similitudinē falsę descriptionis & syllogismi dialectici. nam ad vtrumque argumentum respondere oportet negando primam causam falsitatis.

3 *Licet autem.* Deinceps proponit quatuor modos impedendæ conclusionis.

4 *Vel enim.* Primus modus est, quando tollitur prima causa falsæ cōclusionis: quo modo etiam suprà diximus argumentationem dissolui.

5 *Vel aduersus.* Secundus modus est, cùm respondens argumētanti opponit obiectionem, quam ille nō potest soluere. Sic non soluitur argumentum, sed tantùm impeditur opponens: quia cùm non possit soluere obiectionem, non potest vlterius progredi. Quòd si eam solueret, argumentum procederet. Porrò duobus modis contingere potest vt respondens nō possit soluere obiectionem. aut enim hoc fit propter eius imperitiam: aut quia vera obiectionis solutio contradicit principiis ipsius opponētis: quo casu dicitur obiectio ad hominem: nam alij opponenti frustra obiiceretur, sed huic rectè opponitur, quia non potest eam soluere, quin sibi cōtradicat. quare hoc modo nō soluitur argumentatio, sed tantū hic opponens impeditur. veluti si sumatur obiectio ab ideis: nam aduersus eos qui negāt ideas, nihil valet.

6 *Tertiò aduersus.* Tertius modus est, si ex propositionibus opponētis non colligatur conclusio, quę tamen rectè colligeretur, quibusdam adiectis. Ergo si opponens ea non potest adducere, quin sibi & suæ doctrinæ contradicat, erit ea responsio ad hominem, de qua paulò antè diximus. si verò potest ea adiicere, sed per imperitiam non facit, tunc est tertius modus impediendæ conclusionis, qui non refertur ad hominē, sed ad ipsas interrogationes seu propositiones, ex quibus nihil necessariò colligitur contra thesim.

7 *Quarta ac deterrima.* Quartus modus omnium deterrimus, ad quem nemo debet confugere, nisi summa necessitate coactus, ne fortè in publica disputatione pudore suffundatur, hic est, vt respondens opponenti obiiciat instātiam adeo difficilem, vt intra tēpus disputationi attributū diluinequeat.

8 *Obiectiones igitur.* Concludit, quatuor dictis modis impediri conclusionem, sed primo tantùm modo reuera solui argumentationem.

IN CAP. XI. DE REPREHENDENDA RATIONE, vel eo qui ratiocinatur.

HOc caput diuiditur in tres partes: in quarum prima consideratur argumētatio, cùm per se, tum respectu eius qui argumentatur: in secunda consideratur argumētatio vel per se, vel relata ad problema: in tertia & vltima agitur de argumētatione ex pluribus, vel ex paucioribus.

1 *Reprehensio autem.* Distinguit inter argumentationem per se cōsideratam, & quatenus interrogatur, id est, quatenus ab opponente proponitur. Nam in argumētatione vitium inest, interdum per se, id est ratione ipsius argumētationis, quę praua est: interdum autem ratione interrogantis, vt mox declarabitur. Cùm enim subiicit, *sæpe enim*, confirmat hanc distinctionem, quia interdum argumētatio praua est, nō opponentis sed ipsius respondentis culpā; qui nolens concedere eas propositiones ex quibus rectè disputaretur cōtra thesim, cogit opponentem confugere ad alias propositiones minùs idoneas. talis argumētatio per se non est probāda, sed opponens culpā vacat.

2 *Præ-*

2 *Praeterea quoniam.* Confirmat eandem distinctionem nouo argumēto: quia probatio ex falsis, per se non est bona, interdum tamen est adhibenda; videlicet si falsæ illæ propositiones sint respondenti probabiliores, quàm aliæ veræ propositiones. oportet enim nos vti propositionib⁹, quæ sint respōdenti probabiles: quia nō tā veritatis, quàm probabilitatis rationem dialecticus habet. Primò igitur Aristoteles ostēdit, quia loquimur de disputatione quæ exercitationis causâ fit, interdum colligendā esse falsā cōclusionem, & interdum esse vtendum falsis propositionibus. Secundò cùm ait, *sæpe enim*, ostendit interdum probandam esse falsam conclusionem; nempe quando thesis, contra quam exercitij causâ disseritur, est vera. Tertio cùm ait, *quare proponenda*, ostendit hoc casu vtendum esse falsis propositionibus. Consequentia patet: quia cōclusio falsa nō potest ex veris propositionibus colligi. Quarto cùm ait, *interdum & [quod falsò,]* ostendit aliquando vtēdum esse propositionibus falsis, etiamsi probanda sit cōclusio vera, quia scilicet thesis est falsa. cùm enim conclusio vera ex falsis colligi possit: nihil vetat nos vti propositionibus falsis, dummodò sint probabiles huiuscemodi namque propositiones sunt ad disputandū aptiores quàm propositiones veræ probabilitate carentes. Ideo concludit Aristoteles huiusmodi propositionibus falsis ac probabilibus magis persuaderi respondentē, quàm propositionibus veris quæ non sunt probabiles. Ait, *magis erit persuasus quàm adiutus*. Intellige respondenti persuaderi, cùm propter vim argumēti obiecti mutat sententiam, & intelligit suam thesim esse falsam. Intelligo autem eum iuuari, quando confirmatur in sua sententia, quam in thesi proposuit. Ita explicanda sunt hæc postrema verba particulæ, si accipiamus *ȧ* pro *quàm*, vt omnes interpretes accipiunt. Quòd si quis mallet accipere *ȧ* pro *vel*: tūc idem significaretur persuadendi & iuuandi vocabulo: & aliquid esset subaudiendum. sensus enim esset, respondentem magis persuaderi seu iuuari, id est, duci ad veritatem intelligēdam propositionibus falsis probabilibus, quàm veris non probabilibus. Vtraque interpretatio sumi potest: prior tamen mihi magis probatur.

3 *Oportet autem.* Quia modò permisit dialectico vti propositionibus falsis: nequis propterea putet dialecticum esse sophistā, quia etiam sophista ex falsis argumētatur: ideo limitat eam permissionem, ac dialectico præcipit, vt dialecticis propositionibus vtatur, quemadmodum geometra geometricè argumentatur. Intellige dialecticum argumentari dialecticè, quando argumentatur ex propositionibus probabilibus, siue sint veræ, siue falsæ. Ait, *ut dictum fuit*, lib. 1. cap. 1.

4 *Quia verò prauus.* Addit tertiam confirmationem differentiæ adductę initio primæ particulę: quia vt bene disputetur, non est positum in potestate solius opponentis, sed etiam respondentis. Si igitur culpâ respondentis praua fit ratiocinatio, nihil poterit opponenti imputari. Antecedens cōfirmatur: quia quotiescumque aliquod opus communiter à pluribus fit, ille est prauus socius, qui commune opus impedit, quemamodum in quadriga ille est malus equus, qui non iuuat, sed impedit quò minus currus trahatur: in disputatione autē, quæ exercitationis causâ fit, opus commune est, quia vterque discendi studio disputat: habent igitur eundem scopum, quem ambo possunt consequi, nempe veritatis inuentionem. Alia ratio est eorum qui certandi causâ disputant. nam scopus eorum est victoria, quam non potest vtraque pars consequi. Ex hoc antecedente ita declarato & confirmato Aristoteles infert cōsequēs, cùm ait, *Ex dictis igitur*.

5 *Quoniam autem.* Adiungit quartum argumentum ad probandum idem discrimen: quia sicuti diximus respondentes sæpe negare quæ debent concedere, ideo cogi opponentes confugere ad alias propositiones: ita etiam sæpe respondentes concedunt, quæ debent negare: reputâ concedunt contraria, vel eas propositiones, quibus committitur petitio quæsiti. cùm igitur ita male disputant respondentes: necesse est, vt male disputent etiam opponentes: túncque in argumentatione vitium est, in opponente autem vitium nullū est. Vnde apparet, aliud esse reprehendere argumentationē per se, & reprehendere ipsum argumentantem.

6 *Per se autem.* Postquàm distinxit reprehensionem argumentationis per se à reprehensione argumentantis: consequenter distinguit quinque modos, quibus argumētatio per se reprehenditur.

7 *Prima [est.]* Prima responsio est omniū grauissima, quæ tūc adhibetur, cùm in argumentatione insunt tres cōditiones: Primò vt ea argumentatio nihil cōcludat, quia non habeat formam syllogisticam. Secundò vt propositiones omnes, vel plu-

tæq; sint falsæ, & minimè probabiles. hoc peccatum spectatur in materia: vt primum consistebat in forma. Tertiò vt nec adiectis, nec detractis quibusdam, possit vllo modo ex his propositionibus colligi conclusio.

8 *Secunda si aduersus.* Secunda reprehensio est paulò leuior, quàm prima. nã supra nihil concludebatur: hic verò supponimus argumentatione aliquid concludere, non tamen contra thesim: reliqua sunt eadem in vtraque reprehensione.

9 *Tertia si nonnullis.* Tertia reprehensio est, si argumentatio non concludat, sed quibusdam adiectis concludet: verùm hæc, quæ prætermissa & adiicienda sunt, minùs sunt probabilia, quàm propositiones in argumentatione expressæ. Hic autem vitium ideo subest: quia cùm reticemus aliquas propositiones, debemus eas reticere, quæ sunt notissimę, sicut Aristoteles I. Rhetor. ait enthymema oratorium plerumque constare ex vna propositione, quoniam altera propositio tãquàm nota prætermittitur, quia facilè potest à quouis suppleri.

10 *Rursus si quibusdam.* Quarta reprehensio est, si quibusdam detractis argumentatio nihilominùs concludat, quia superuacua quædam sumpta sunt.

11 *Præterea si [sumatur.]* Quinta reprehensio est, si argumentatio contra thesim concludat ex propositionibus minùs probabilib⁹, vel probatu difficilioribus, quàm sit ipsa conclusio.

12 *Non oportet.* Sequitur secunda pars capitis de argumentatione vel secundũ se considerata, vel per relationem ad conclusionem & problema. In primis Aristoteles ponit hanc diuisionem, non omnes argumentationes dialecticas esse æque probabiles: quia de quibusdã thesibus ex probabilioribus: de aliis vero ex minùs probabilibus, pro rei subiectæ naturã disputari potest. Deinde cùm ait, *Perspicuum igitur*, ex dictis colligit aliam esse reprehensioné argumentationis per se, aliam argumentationis collatæ cum problemate. fieri enim potest, vt argumentatio per se nõ sit laudabilis, sed ratione subiecti argumenti sit probanda, quoniam nulla melior cõtra thesim occurrit. è contrario quoque potest contingere, vt argumentatio per se sit laudabilis: collata vero cum thesi minùs sit probãda, quia poterat melius contra illã thesim disputari.

13 *Fieri etiam is arduum.* Ostendit, argumentationem quæ concludit, interdum esse deteriorem eã quę non cõcludit: nẽpe cùm altera argumẽtatio ex propositionib⁹ futilibus cõcludit aduersus proulemamini me tale, id est, aduersus thesim, cõtra quam melius disputari poterat: alteri verò argumẽtationi ex propositiones probabiles desunt, & vt cõcludit supplendæ sunt, in quibus non consistat potissimum vis rationis. nam si propositiones potissimę positę sint, id est, in quibus inest causa cõclusionis, alię probabiles facile suppleri possunt. Ait, *nec in his assumptis posita est argumẽtatio*, id est, in his propositionibus, quæ sunt assumendę, quia fuerunt ab opponente prætermissæ, nõ cõsistit vis rationis.

14 *Quæ verò ex falsis.* Ostendit opponentem non esse reprehendendum, eò quod cõclusionem veram ex falsis propositionibus inferat: quia ex lib. 2. Priot. didicimus verũ ex falsis posse colligi. Hanc sententiam intellige cùm limitatione; dummodò propositiones illę falsæ sint probabiles: quia nunquàm non dialecticus ex probabilibus argumentatur.

15 *Quando autem.* Proponit pulchrum pręceptum, ex quo reprehenditur argumẽtatio; tamquàm nihil faciẽs contra thesim. nam si contra tuam thesim opponens obiiciat syllogismum, per quem possit demonstrari conclusio non syngenea cum tua thesi, sed heterogenea: dicendum est, eum syllogismum non euertere tuã thesim. Quod si videatur id facere, erit sophisma, id est, captiosa & fallax argumẽtatio, non vera demonstratio.

16 *Est autem.* Quia mentionem modò fecit demonstrationis & syllogismi, obiter subiicit aliquot definitiones, quas dialecticus ignorare non debet. Primò ait Philosophema esse syllogismum apodicticum. nam philosophema est idem quod demonstratio. Secũdo cùm ait, *ἐπιχείρημα* esse syllogismum dialecticum: quamuis hoc vocabulum ab aliis aliter accipiatur, vt initio huius operis docui. Tertiò ait sophisma esse syllogismum contentiosum. quamquam propriè loquendo syllogismus sophisticus & contentiosus distinguantur: sophistici namque finis est lucrum, contentiosi verò finis est inani gloria, vt explicabitur ca. 11. de sophisticis elenchis, partic. 4. sed quia hoc discrimen leuius est, & tantum consistit in mente argumentantis, cùm vtrobique eadem sit argumentatio, id est, cùm vna & eadem argumentatio respe-

respectu vnius sit sophistica, respectu alterius sit contentiosa: idcirco Aristoteles modò inter hæc duo distinguit, modò hæc confundit. Quartò ἀπόρημα definit syllogismum dialecticum contradictionis, id est, qui reddit nos dubios, vt nesciamus veram contradictionis partem probare debeamus. Itaque ἀπόρημα est species epichirematis.

17 *Si quid autem.* Redit ad collationẽ propositionum cum conclusione, vt perfectè intelligamus, quatenus probabilitas vel in propositionibus, vel in conclusione insit. Ac primò inquit, si ambæ propositiones sint probabiles, sed altera magis, altera minùs probabilis, fieri posse vt conclusio sit probabilior vtraque propositione. Secundò cùm ait, *At si vna*, quærit, si altera propositio sit probabilis, altera neutra, vel vna sit probabilis, altera improbabilis, quærit (inquam) qualis conclusio sequatur. & hîc adhibet distinctionem. nam si æquè vna propositio sit probabilis, & altera neutra, vel improbabilis: tunc similiter conclusio vel erit probabilis, vel non probabilis, id est, æquè erit probabilis vt propositio probabilis, vel æquè neutra vt propositio neutra, vel æque improbabilis vt propositio improbabilis, quòd si vna propositio magis sit talis quàm altera: tunc conclusio sequetur eam propositionem, quæ est magis talis. vtputà si vna propositio sit magis probabilis quàm altera neutra, conclusio quoque erit probabilis.

18 *Est & hoc peccatum.* Hæc est tertia & vltima pars capitis, in qua Aristot. docet opponentes peccare, & rectè à respondentibus reprehendi, si per plura ostendũt, quòd æquè possunt per pauciora probare. Primò Aristoteles hoc peccatum & eius reprehensionem proponit. Secundò cùm ait, *veluti si quis*, declarat exemplo, quod meritò est obscurum, quia (vt mox dicetur) hoc vitium argumentandi per plura, parit obscuritatem, adeo vt vis rationis nõ appareat. Sed vt hoc exemplum intelligatur, supponimus aliquẽ velle probare inter opiniones esse gradus quosdam, id est, aliam opinionem esse alia exquisitiorẽ & exactiorem. Probatio autem sumitur ab ideis: quoniam idea magis est, quàm ea quæ sunt ex participatione ideæ. vtputà idea hominis, quam Platonici vocant ipsum-hominem, magis est homo quàm homo sensibilis. Sic igitur & idea opinionis magis est opinio, quàm aliæ opiniones. Hæc est argumentatio, quæ multis phaleratis verbis obscuratur in contextu. sumuntur enim multæ propositiones. Prima est, ipsum-quodque maximè esse, id est, ideas maximè esse. nam ipsum-quodque est idea, vt ipse-homo est idea hominis. Altera propositio est, esse opinabile ipsum-verè, id est, reuera esse ideam opinionis. Tertia est, quæ ex dictis colligitur, Ideam opinionis esse magis id quod est, id est, esse magis opinionem, quàm sint aliæ opiniones. Quarta est, Id quod magis dicitur, ad id quod est magis, referri, id est, ipsum magis, rectè attribui ei quod est magis. Quinta est, ipsam opinionem, id est, ideam opinionis, esse veram. Sexta est, hanc ideam opinionis esse exquisitiorem & exactiorem ceteris opinionibus. Post hæc repetitur ea propositio, Ipsam-opinionem (id est, ideã opinionis) esse veram, & ipsum-quodque (id est, ideam) maximè esse. Vnde tandem concluditur, hanc opinionem, quæ maximè vera est, id est, ideam, esse ceteris exquisitiorem. Tertiò cum ait, *sed quodnam*, docet, in quo consistat vitium talis argumentationis. Vitium autem est: quia vis rationis seu causa conclusionis non apparet. itaque propter hanc obscuritatem talis argumentatio reprehenditur. Quòd si pluribus verbis necessariis vteremur vel ornatûs, vel amplificationis causâ, vel ob alias causas primo capite expositas, argumentatio reprehendenda non esset.

IN CAP. XII. DE PERSPICVA, ET DE FALSA ratione.

1 *Argumẽtatio autẽ.* Quoniã argumentatio debet esse perspicua, vt appareat eius vis cõtra thesim: idcircò respondẽs scire debet, quænã dicatur argumentatio perspicua, vt si animaduertat argumẽtationem aduersarii nõ esse talem, possit eam reprehendere. Ponit igitur Aristoteles tres modos, seu tres gradus ratiocinationis perspicuæ. Primò maximè perspicua est ea, quæ ex propositionibus sumptis concludit contra thesim, ita vt non egeat aliqua alia interrogatione. Intellige non egere alia interrogatione, cùm neq; propositio aliqua deest, quæ sit supplenda, neque est opus vt aliqua propositio probetur per prosyllogismos.

2 *Altero, qui etiam.* Secũdus gradus est, cùm argumentatio contra thesim concludit, nec opus est supplere aliquam propositionem, sed propositiones sumptæ egẽnt probatione syllogistica.

3 *Praeterea si quid.* Tertius gradus est, cùm deest aliqua propositio maxime probabilis, quæ suppleri debet.

4 *Falsa verò.* Rectè etiam reprehenditur à respondente argumentatio, si falsa sit. quamobrẽ Aristoteles docet quatuor modis falsam argumentationem dici. Primus est, quando videtur concludere, sed nihil concludit. hanc ait vocari ratiocinationem contentiosam, vel sophisticam.

5 *Alio [modo.]* Secundus modus est, cùm argumentatio aliquid concludit, sed nihil contra thesim. Hoc vitium ait Philosophus maximè contingere in syllogismis ducentibus ad impossibile: quia etiãsi colligant illud impossibile; tamen fieri potest, vt id non colligatur ex thesi, de qua disputatur. Atque hoc est vitium, quod vocatur Falsum propter hoc non accidere, de quo 2. Prior. cap. 17.

6 *Aut [id] quidem.* Tertius modus est, quando argumentatio cõcludit contra thesim, sed concludit quasi demonstratio ex propriis principiis sumpta, cùm reuera nõ sit talis. nam hæc quoque ratio fallit. idcóque cap. 11. de sophisticis elenchis part. 3. & alibi ab Aristotele vocatur sophistica: nõ quia nõ liceat ex cõmunibus argumentari, nec quasi omnis ratiocinatio sit sophistica, quæ non est ex principiis propriis, & vniuersaliter primis, vt male Ramus Aristotelis sententiam accepit: sed quia pro demonstratione haberi non debet, quæ nõ est demonstratio, vt & ad lib. 1. Posterior. notaui.

7 *Alio modo.* Quartus modus est, si ratiocinatio ex falsis propositionibus concludat. túncque ait Aristoteles fieri posse vt conclusio sit falsa, & vt sit vera: quia licẽt ex veris tantùm verum colligatur; tamen ex falsis tam verum, quàm falsum colligi potest, vt lib. 2. Prior. probatum fuit, & repetitum suprà cap. proximo.

8 *Quòd igitur falsa.* Hactenus exposuit, quibus modis dicatur falsa argumentatio, de quibus vide etiam cap. 18. lib. 2. Priorum. nunc quærit, vtrùm hoc vitium sit ipsius argumentationis, an hominis argumentantis: hoc (inquam) vitium, quod postremo modo committitur, id est, cùm propositiones sunt falsæ. Primò Aristoteles inquit, quòd ratio falsa sit, id est, ex propositionibus falsis constet, potiùs esse vitium dicentis, id est, opponentis, qui debuit vti propositionibus veris, quàm ipsius rationis; quia scilicet ratio ex falsis sumpta, potest inferre conclusionem veram, vt paulò antè diximus. Secundò cùm ait, *immo nunque*, ostendit fieri posse, vt sine vllo opponentis peccato fiat ratiocinatio ex falsis. nam tum demum opponens peccat, cùm accipit propositiones falsas quasi veras, quia putat eas esse veras. ceterùm sæpe contingit, vt malimus vti propositionibus falsis, quàm veris: vt cùm ducimus ad impossibile: tunc enim necesse est vel vtramque, vel alterutram propositionem esse falsam. Hoc est, quod Aristoteles ait, nos sæpe magis probare eam argumẽtationem, quæ ex falsis verum euertit, id est, ducit ad impossibile, quàm argumentationem veram, id est categoricam. *nam quæ talis est*, id est, quæ ex falsis ducit ad impossibile, [*quorundam*] *verorum demonstratio est*, id est, probat enunciationem oppositam falsæ propositioni ex qua colligebatur absurditas. *Oportet enim*, &c. id est, quia cùm sit falsa conclusio, necesse est falsam esse aliquam propositionẽ, consequenter necesse est oppositam enunciationem esse veram. Talis ergo demonstratio ex falsis optima est, cùm categorica ex veris propositionibus possit esse infirmior, vt quia sumit futiles propositiones. Tertiò cùm ait, *Quòd si verum*, ostendit ratiocinationem quæ ex falsis verum concludit, deteriorem esse eã quæ ex falsis falsum concludit; quia per hanc habemus aliquam vtilitatem, vt modò expositũ fuit, illa verò est inutilis.

9 *Quare patet.* Ex dictis colligit tres inspectiones, quas in argumentatione sibi opposita respondens facere debet. Primò consideret, an argumentatio concludat. Secundò vtrùm ea cõclusio sit vera, an falsa. Tertiò vtrùm propositiones sint veræ, an falsæ. Huius tertiæ inspectionis vtilitatem & effectum enarrans Aristoteles, inquit, *nam si ex falsis*: vbi adhibet distinctionem quandam trimembrem. Primũ membrum est, si propositiones sint falsæ & probabiles. tunc ait esse syllogismum logicũ, id est, dialecticum. nam dialecticus vtitur probabilibus, siue sint veræ, siue falsæ. multò igitur magis dialecticus syllogismus est, si constet ex propositionibus veris & probabilibus: quod membrum Aristoteles vt manifestum prætermisit. Secundum in contextu membrum est, si argumentatio constet ex propositionibus veris, sed improbabilibus. tunc ratiocinatio est praua, & rectè à respondente reprehenditur. Tertium membrum est, si propositiones sint & falsæ, & admodum improbabiles. tunc ratiocinatio est maximè vitiosa. Ait autem Philosophus eam esse vitiosam & prauam vel simpliciter, vel respectu rei de qua disputatur.

putatur. Intellige simpliciter esse vitiosam, id est, per se, non respectu problematis cui opponitur, quando non potest ei problemati melior argumentatio opponi. Vitiosa autē est respectu rei subiectæ de qua disseritur, quando poterat ab opponente afferri melior argumentatio.

IN CAP. XIII. DE PETITIONE QVAESITI, vel contrariorum.

HOc capite declarantur alia duo vitia, propter quæ meritò respondens reprehendet ratiocinationem opponentis, id est, petitionem quæsiti & petitionem contrariorum. Hoc caput diuiditur in tres partes. in prima explicatur primum vitium. in secunda, quæ incipit in partic. 8. declaratur alterum vitium. in tertia, id est, in partic. vlt. exponitur discrimen quoddam inter hæc duo vitia.

1 *Quod autem in principio.* Proponit agendum de his duobus vitiis. Ait, *in Analyticis*, de petitione quæsiti egit li. 2. Prior. cap. 16. & de petitione contrariorū li. eod. cap. 15.

2 *Petere videntur.* Proponit quinque modos, quibus videtur quæsitum peti.

3 *Manifestissimè & primò.* Primus modus est, cùm hoc ipsum petitur, quod est probandum. Hoc autem vel fit manifestè; veluti, homo est risibilis, ergo homo est risibilis, quia tam in propositione, quàm in conclusione ponuntur iidem termini: vel ita fit, vt latere possit, quia fit aliqua mutatio terminorum: veluti, vestimentum est album, ergo indumentum est album. rursus, animal rationale mortale est aptum ad ridendum, ergo homo est aptus ad ridendum. Ait, *in synonymis*. Synonyma hic aliter accipit, quàm cap. 1. Categoriar. nam synonyma hic appellat, quæ propriè vocātur polyonyma. in hac significatione reperies synonyma accipi etiam à Plutarcho, & aliis auctoribus.

4 *Se un[illegible] ... id.* Secundus modus est, Si vniuersaliter petatur, quod probandum est in parte. Exemplum est in contextu.

5 *Tertiò si quis.* Tertius modus est, Si singillatim per partes petatur, quod est probandū in vniuersum. veluti si probandum sit animal sentire, & de singulis animalibus hoc petatur sibi cōcedi. Hoc est vitiosum, quando particularia æque sunt ignota, ac vniuersale; vt in exēplo, quod est in cōtextu. aliòqui rectè arguitur per inductionem.

6 *Rursus si quis.* Quartus modus perspicuè explicatur in contextu.

7 *Aut si quis.* Quintus modus est, cum quis ex duobus se mutuò consequentibus (subaudi, & æquè ignotis) vnum probare debet, & alterum sibi concedi postulat. Exemplum est in contextu.

8 *Tot autem modis.* Transit ad petitionem contrariorum, quam similiter diuidit in quinque modos.

9 *Ac primum si quis.* Primus modus est, cùm quis petit sibi concedi duas enunciationes oppositas, affirmantem & negantē: veluti, voluptatem esse bonam, & voluptatem non esse bonam.

10 *Secundò [si] contraria.* Secundus modus est, si quis petat sibi concedi duas affirmationes contrarias: veluti, voluptatē esse bonam, & voluptatem esse malam.

11 *Tertiò si quis.* Tertius modus est, cùm quis postulat affirmationem de genere, & negationem de specie. Veluti, contrariorū esse eandem scientiam, Salubris autem & insalubris non esse eandem scientiam: vel contrà, affirmationem de specie, negationē de genere, veluti, salubris & insalubris esse eandē scientiā, contrariorū non esse eandē scientiam. Hic modus à primo differt: quia in primo modo tam affirmatio quàm negatio erant de eodē subiecto, vt de voluptate: hîc verò sumuntur duo subiecta, alterum vniuersale, alterum speciale.

12 *Rursus si quis.* Quartus modus est, si quis vnam propositionem postulet, deinde aliam contrariam ei quod primæ propositioni necessariò consequens est. veluti si quis sibi concedi postulet, omnem voluptatem esse bonam, deinde nō omnem voluptatem esse expetendam. quod enim est bonum, est expetendum.

13 *Nec non si quis.* Quintus modus est, si quis duo petat sibi concedi, quæ non videantur quidem inter se opposita; sed iis positis, necessariò consequantur duo contradicentia. veluti si quis petat solam virtutem facere virum beatum, & actionem secundum virtutem esse meliorem virtute: nam illi propositioni consequens est virtutem esse rem optimam, huic autem consequens est virtutem non esse rem optimam.

14 *[Hoc] autem.* Ponit discrimen inter primum & secundum vitium. i. petitionem quæsiti & petitionē contrariorū: quòd primū vitiū spectatur in propositionibus collatis cum cōclusione, quandoquidē in propositione petitur quod erat concludendū;

alterum autem ſpectatur in propoſitionibus inter ſe collatis: quoniam altera eſt alteri oppoſita.

DE EXERCITATIONE.

TRACTATVS III.

IN CAP. XIV. DE EXERCITATIONE DIALectica.

POſtquàm ſeorſim inſtruxit opponentem,& reſpondentem: in hac vltima parte loquitur de exercitatione,quæ communis eſt tam opponenti, quàm reſpondenti:ac proponit varia præcepta, quibus obſeruatis,nos rectè diſputando exercebimus.

1 *Exercitationis autem.* Primum præceptum eſt,vt nos exerceamus in ſyllogiſmis conuertendis: de qua conuerſione dictum eſt lib.2.Prior.cap.8.9.10. Primò dat Ariſtoteles hoc præceptum. Secundò cùm ait, *ſic enim*, declarat vtilitatem huius præcepti:quoniam hac ratione & promptiores erimus ad diſputandum contra theſim, & in paucis terminis habebimus multos ſyllogiſmos: nam conuertendo, facimus nouum ſyllogiſmum.Tertiò cùm ait,*nam conuertere*,breuiter declarat, quid ſit conuertere ſyllogiſmum.

2 *Ad omnem etiam.* Secundum præceptum eſt, vt quacumque theſi propoſitâ, quæramus argumenta in vtramque partem,&eorum argumentorum ſolutionem. Primò ponit hoc præceptum. Secundò cùm ait,*& ſi nemo*,iubet , ſi neminem habeamus,quocũ poſſimus cõferre & nos exercere,vt id faciamus per noſmetipſos , id eſt,nobis proponamus theſim , & tam pro ea , quàm contra eam argumenta quæramus,necnon argumenta illa diſſoluere nitamur.Tertiò cùm ait,*& comparari*, iubet nos conferre & comparare inter ſe argumenta oppoſita,id eſt,quæ faciunt pro theſi,& quæ faciunt contra theſim , vt melius intelligamus,quænam ſint firmiora.Quartò cùm ait, *hoc enim* , declarat vtilitatem huius præcepti. Eſt autem duplex vtilitas : quarum altera cernitur in diſputationibus,altera in ſcientiis. Quod ad diſputationes attinet,inquit Philoſophus nos hac ratione comparare nobis vim & facultatem,qua poſſimus vrgere & redarguere aduerſarium.cum enim poſſimus in vtramque partem diſputare: quicquid ille dixerit,habebimus quod ei obiiciamus : atque ita fiet, vt aduerſarius à contrariis ſibi cauere debeat, id eſt, non tantùm ab argumentis vnam contradictionis partem probantibus, ſed etiam à probantibus partem contrariam.Quintò cùm ait, *Ad cognitionem quoque*,declarat alteram vtilitatẽ, quæ in ſcientiis ſpectatur. hinc enim maximè fit,vt poſſimus veritatem dignoſcere: quia cùm habemus argumenta in vtramque partem, tantùm videndum eſt ab vtra parte ſint firmiora,& eligenda ea ſententia,quæ firmioribus rationibus comprobatur.

3 *Sed ad id.* Sextò docet,quinam ſint maximè apti ad obſeruandum hoc præceptum,id eſt,ad expendẽdas contrarias rationes,& eligendam eam ſententiam, quæ melioribus rationibꝰ firmatur. Ait ergo opus eſſe bonitate quadã naturę,&ingenij, ſiue indolis,eamque eſſe veram naturæ bonitatem,cùm quis eſt eo ingenio præditus, vt poſſit iudicare inter verum & falſum. nam qui rectè amant vel oderunt id quod proponitur,optimè iudicant,id eſt,qui rectè probant theſim, ſeu quodcunque pronunciatum,vel ab eo abhorrent , illi rectè diiudicant verum & falſum.

4 *Ac de problematis.* Tertium præceptum eſt,vt maxime nos exerceamus & in promptu habeamus argumenta de his theſibus,de quibus maximè diſputari ſolet,velut in philoſophia de inani,& de infinito: in theologia de vnitate ac trinitate diuina, ac de perſona Chriſti: in iure, an mulier præferatur creditoribus habentibus priorem expreſſam hypothecam,& vtrùm filij fratrũ ſuccedant in ſtirpes,an in capita.

5 *Et maximè de primis.* Quartum præceptum eſt, vt nos maximè exerceamus in diſputationibus de primis theſibus: quoniam in his maxime ſolent,qui reſpondẽt, diffidere & reſpuere omnia, quæ ab opponentibus proponuntur. Vnde opponentes debent maximè dare operam,vt ea proponant,quæ negari non poſſint. Primas theſes puto eſſe intelligendas, non ſecundum rerum naturam , ſed ſecundum ordinem, quo ſunt propoſitæ à reſpondente.

6 *Præterea & definitionibus.* Quintum præceptum eſt,vt nobis comparemus copiam definitionum:quia ſæpe ex his eſt ratiocinandum.

7 *Enitendum quoque.* Sextum præceptum eſt, vt memoriæ mandemus ea , in quæ ſæpe diſputationes incidunt,id eſt,locos illos communes dialecticos, à coniugatis,à contrariis,&c.

8 *Nam vt in geometris.* Sextum præceptum confirmat Philosophus duobus exemplis. Primum sumitur à geometris, qui debent habere in promptu prima illa elementa, putà quid sit linea, quid circulus, &c. Alterum exemplum sumitur ab arithmeticis, qui debent habere in promptu celaphisinos, id est, multiplicationem numerorum vsque ad numerũ denarium: quia hinc apparet multiplicatio sequentiũ numerorum. veluti si scias bis duo facere quatuor, facile etiam scies bis viginti facere quadraginta. Sicut igitur in his scientiis oportet memoriæ mandare hæc prima principia: ita etiam dialecticus debet memoriæ mandare locos illos cõmunes. Deinde cùm ait, *quemadmodum enim*, ostendit quemadmodum loci communes faciunt nos meminisse propositionum, ita propositiones reuocare in memoriam integras argumentationes. vtputà si memoriæ mandes locum à coniugatis, hinc facile poteris recordari, & habere hanc propositionem, Coniugatorũ definitiones coniugatæ sunt: & ex hac propositione facilè habebis argumentum, quo impugnes thesim, in qua aliquid contra illud axioma definiatur.

9 *Ac propositionem.* Pergit in eodem sexto præcepto, & monet memoriæ mandandam esse potius propositionem, id est, axioma dialecticum, ex quo fit maior propositio, quàm integram ratiocinationem: & huius præcepti rationem sumit à facilitate: quia non est magna difficultas, memoriæ mandare propositionem vnam: difficilius autem est, memoriæ mandare propositiones duas & conclusionem.

10 *Præterea ex vna.* Septimum præceptum est, vt assuescamus ex vna argumentatione multas efficere, idque faciamus, quàm occultissime fieri poterit. Cur autem hoc occultissimè fiat, mox exponam. Primò Aristoteles dat hoc præceptum. Secundò cùm ait, *quod quidem fiet*, explicat quomodo hoc præceptum obseruari debeat, id est, quid obseruare debeamus, vt possimus ex vna ratione multas facere: & ait, nos debere quàm maximè recedere à cognatione & vicinitate earum rerum, de quibus agitur, id est, sumere debere propositiones maxime vniuersales. nam quò magis vniuersalem propositionem sumimus, eò magis recedimus ab ea re, de qua agitur, id est, eò magis complectimur res à materia subiecta remotas. Exempli gratià, si quæratur an homo sit in loco: non est sumendum, omne animal, sed potiùs omne corpus esse in loco. sic enim magis recedimus à cognatione siue affinitate hominis, quàm si sumeremus animal: quandoquidem corpus complectitur etiam plantas, & lapides, & alia magis ab homine remota, quàm animalia. Idcircò suprà dixit hoc fieri quàm occultissime; quia quò magis recedis à vicinitate rei de qua agitur, eò minùs apparet vis argumẽti. Tertiò cùm ait, *Possunt autem*, declarat id quod proximè dixit, id est, tunc recedi à vicinitate rei subiectæ, cùm sumitur propositio maximè vniuersalis, vt in exemplo proposito in cõtextu. Ostendit etiam, hoc modo fieri vt vna ratio possit diuidi in plures: quoniam vniuersale sub se complectitur multa particularia.

11 *Oportet etiam.* Octauum præceptum est præcedenti oppositum. Sicut enim suprà iubebat ex vna argumentatione fieri plures; ita nunc iubet ex pluribus fieri vnam, quam scilicèt in nostris commentariis describamus, vt inde, tãquàm ex promptuario quodam, sumi & in multas diuidi possit, cùm opus erit. Primò igitur iubet nos in commentariis describere rationes vniuersales, quamuis eas sumpserimus ex disputationibus particularibus. vtputà si in disputatione quæsitum sit, an contrariorũ sit eadem scientia: da operam vt reuoces ad magis vniuersale, veluti an oppositorũ sit eadem scientia. sic enim commentarius tuus paucis verbis multa complectetur. Dixi cum Aristotele, quamuis disputatio fuerit particularis, intelligens disputationem, ex qua rationem colligimus; quoniam in part. 1. iubebit ex omni disputatione nos aliquid colligere, quod in commentarios nostros referamus, id est, vel rationem, vel propositionem, &c. Secundò cùm ait, *sic enim*, docet vtilitatẽ eius præcepti: quæ vtilitas colligitur ex præcedenti præcepto. nam antea dictum fuit enitendum esse vt ex vna ratione fiant plures. vtile igitur est habere in promptu rationes vniuersales; quoniam hæ possunt diuidi in multas particulares. Tertiò cùm ait, *Similis [est,]* obiter indicat hoc idem præceptum seruandũ esse ab oratoribus. nam oratores sunt similes dialecticis, quemadmodum rhetorica dialecticæ. Inquit igitur oratorem debere in commentariis describere enthymemata vniuersalia. nam enthymema est organum oratoris, sicut syllogismus est organum dialectici, vt dictum est lib. 1. Posterior. cap. 1. part. 3. Quartò cùm ait, *Ipse autem*, vetat nos vti hoc præcepto in ipsa disputatione instituenda: sic enim peccaremus in præcedens præceptum. Vult ergo

Aristoteles nos in cōmentariis referre argumentationes quàm maxime vniuersales, quò breuior sit commentarius, & plura complectatur, vti autem argumentationibus minus vniuersalibus, quò meliùs à nobis probari possint. verbi gratiâ, facilius est aliquid probare de aliquo corpore, vt de animali, quàm de omni corpore.

12 *Ac semper videre.* Quintò iubet nos expendere rationes, ex quibus volumus aliquid in commentarium referre, vt videamus, vtrùm sint vniuersales, an particulares, & verùm multa, an pauca complectantur: & ex his colligamus, quod vniuersale est, etiam si disputatio sit particularis: quoniam omnes syllogismi, etiam particulares requirunt aliquam propositionem vniuersalem, vt lib. 1. Prior. probatum fuit. Rectè igitur præcepimus vniuersale colligi tam ex particularibus, quàm ex vniuersalibus argumentationibus.

13 *Instituenda autem.* Nonum præceptū est, vt nos disputando exerceamus cum iuuenibus & rudibus per inductiones, quia sunt faciliores: cum viris autem peritis per syllogismos, quia sunt efficaciores. Coniunge part. 1. secundi capitis huius libri.

14 *Eniteudum autem.* Decimum pręceptum est, vt ex syllogismis colligamus propositiones, quas scilicèt referamus in commentarium, de quo dictum est lib. 1. cap. 14. ex inductionibus autem colligamus comparationes similitudinum. Quare vtile est disputare per syllogismos cum viris peritis, vel per inductiones cum ceteris: quoniam illi sunt exercitati in propositionibus erigendis: hi verò in similitudinibus comparandis.

15 *Et omnino.* Vndecimum præceptum est, vt ex omni disputatione aliquid colligamus, quod nobis in posterum vsui esse possit. Primò Aristoteles hæc enumerat, quæ sunt à nobis ex disputatione colligenda, nempe vel ratiocinationem, vel solutionem. &c. Secundò cùm ait, *In his enim*, rationem affert, cur hæc sint notanda, & colligenda ex disputationibus: quia scilicèt in his est posita vis disputandi, id est, qui hæc tenet, maximè aptus erit ad disputandum. Tertiò cùm ait, *præsertim in propositionibus*, ostendit duo ex iis quæ suprà enumerata fuerunt potissimùm esse notanda & colligenda, nempe propositiones, & obiectiones siue instantias. nam illæ valent ad opponendum, hæ verò ad respondendum, quia sæpe sine obiectione propositionem negare non licet, vt suprà exposi tū fuit. Ideo Aristot. ait eum esse verum dia lecticum, qui est protaticus & enstaticus. i. qui abundat propositionibus, & obiectionibus. Similiter in Rhetoricis ait eum esse verum oratorē, qui est enthymematicus, id est, qui habet copiam enthymematum. Quartò cùm ait, *est autem propriè vere*, declarat discrimen propositionum & obiectionum. sunt enim hæc opposita. nam qui propositionem sumit, ex multis vnum facit: propterea quòd omnis ratiocinatio habet aliquid vniuersale, in quo vis rationis posita est. illa igitur propositio vniuersalis facit ex multis vnū: quia hæc est natura τῶ vniuersalis, vt sit ἓν ἐπὶ πολλῶν, & multa particularia in vnum colligat, vt docuit Porphyrius cap. 2. part. 16. Qui verò obiicit, ex vno multa facit. nam propositionem vniuersalem, contra quam obiicit in parte, euertit: itaque diuidit eam propositionem in duas partes, ita vt partem concedat, partem tollat. Exempli gratiâ, sumis hanc propositionem, Omnium contrariorum eandem esse scientiam: eámque probas, quia salubris & insalubris, item boni & mali, albi & nigri eadem est scientia. Contrà ego obiicio: quia noti & ignoti non est eadem scientia. Ergo in his cōtrariis tuam propositionem nego, quamuis in iis quæ tu proposuisti, concedam.

16 *Non [est] autem.* Duodecimum pręceptum est, ne cum quouis disputemus, id est, ne disputemus cum imperitis & proter uis: quoniam disputatio praua erit. Cùm enim quacumque ratione, siue bonâ, siue malâ, tentent efficere ne superentur, adeo vt negent etiam quæ non sunt negandæ: certè æquum est, vt quocumque modo liceat contra eos disputare: alioqui non seruaretur in disputatione æqualitas. Ne igitur ad hoc deducaris, vt malè disputes: satius est abstinere à disputando cum huiusmodi hominibus. Hoc Aristot. confirmat: quoniam etiam boni disputantes vix possunt se continere, quin sint interdum contentiosi. quanto igitur magis se contentiosos præbebūt, qui semper solent esse tales?

17 *Oportet etiam.* Decimum tertium & vltimum præceptum est, vt in promptu habeamus argumentationes de his thesibus, de quibus suppetunt pauca argumenta: sic tamē, vt hæc pauca argumēta sint vniuersalia, & ad multas theses adhiberi possint. Huius pręcepti duplex est vtilitas. Primùm enim habebimus in promptu argumentationem de thesi, de qua aliàs facile disputare non est, propter paucitatem argumentorum, quæ occurrunt. Deinde poterimus disputare de multis thesibus. Primò Aristoteles

ſtoteles dat hoc præceptum. Secundò cùm ait, *hæ verò ſunt*, declarat quænam ſint eiuſmodi argumentationes: & inquit eas eſſe, in quibus reperiuntur duę cõditiones. Vna eſt, vt ſint vniuerſales. Altera, vt colligi ex quibuſuis rebus quæ occurrunt, non facilè poſſint, ſed colligi debeant ex rebus obſcuris, & occultis. Prior conditio requiritur, vt argumentatio valeat ad multas theſes. Poſterior verò, vt ſit paucitas argumentationum, eò quòd non ex quibuſcumque rebus colligi poſſunt. Hic ſit finis interpretationi Topicorum.

IVLII PACII A BERIGA IN LIBRVM SINGVLAREM ARISTOTELIS DE SOPHISTICIS ELENCHIS COMMENTARIVS ANALYTICVS.



QVICQVID concluditur, aut eſt neceſſariò verum, aut probabile, aut falſum: proinde omnis ſyllogiſmus aut eſt analyticus ſeu demonſtratiuus, aut dialecticus ſeu topicus, aut contentioſus ſeu ſophiſticus De demonſtratiuo actum eſt in Poſterioribus Analyticis: de dialectico in Topicis: ſupereſt igitur, vt tractetur de ſophiſtico: quem diſcere debemus, non vt eo vtamur, ſed vt vitare poſſimus, ac nos liberare à ſophiſtarũ laqueis & technis: quemadmodum ars medica de venenis agit, non vt medicus illa adhibeat, ſed vt aduerſus ea, parata remedia habeat Vtitur autem Ariſtoteles in hoc libro eãdem methodo, qua in Topicis vſus eſt. Nam primò inſtruit ſophiſtam, declarans captionum inuentionem, diſpoſitionem, & interrogandi rationem ſophiſticã: poſtea reſpondentem inſtruit, docens quomodo ea ſophiſmata ſolui poſſint. Vnde in quibuſdam editionibus non incommodè hoc opus diuiditur in duo volumina. Quia tamen omnes libri Græci manu ſcripti, & quidam etiam editi vnum librum faciunt, nos horum librorum auctoritatem & conſenſum ſequemur.

AN SINT ARGVMENTATIONES SOPHIſticæ.

TRACTATVS I. IN CAP. I. QVO OSTENDITVR ESSE QVASDAM ſophiſticas argumentationes.

Meritò incipit à quæſtione an ſit: quia cùm elenchi ſophiſtici non ſint verè elenchi, poſſet aliquis credere eos nullo modo eſſe.

1 *De ſophiſticis autem.* Proponit agendũ de ſophiſticis elenchis; & de iis qui videntur eſſe, cùm reuera non ſint elenchi. Accipe particulam *&*, pro, *id eſt.* nam qui videntur elenchi, non ſunt diuerſi à ſophiſticis; ſed ideo ſunt ſophiſtici, quia videntur eſſe, nec ſunt.

2 *Alios igitur.* Eſſe quoſdam ſyllogiſmos & elenchos ſophiſticos, qui videntur eſſe, nec tamen ſunt, probat per quædã ſimilia; quę partim ſunt animata, partim inanimata. Primum ſimile eſt: quia nonnulli bene valent, ac ſunt bonâ & firmâ corporis cõſtitutione præditi: quidam verò tales nõ ſunt, ſed eſſe videntur, quia tumore quodã sũt inflati, adeo vt pingues videãtur, inſtar hoſtiarum, quę in tribuum ſacrificiis adhibebantur. Secundum ſimile eſt: quoniam alij ſunt reuera pulchri, alij per fucũ & adhibitum ornatum eſſe videntur. Tertium ſimile eſt: quia lithargyrina & ſtannea videntur eſſe argentea. Itaque alia ſunt reuera argentea, alia videntur eſſe, cùm nõ ſint, Lithargyrus, vt quidam notant, à Plinio vocatur ſpuma argenti, quamuis non tantùm ex argento colligatur, ſed etiam ex auro & plumbo. Quartum ſimile eſt: quia alia ſunt verè aurea; alia videntur eſſe aurea, veluti quæ felle tincta ſunt. Cùm ergo in his & aliis huiuſmodi rebus reperiantur verè talia, & falsò talia probabile eſt, hoc accidere etiã ſyllogiſmis, nempe alios eſſe veros ſyllogiſmos & veros elenchos, alios non eſſe, ſed videri. Rationem afferens

Aristoteles, cur falsò videantur esse syllogismi, aut elenchi, inquit hoc contingere propter imperitiam auditorum. quod declarat pulchrà similitudine. Sicut enim qui eminus rem aliquam aspiciunt, non possunt rectè percipere quid sit; sed interdum putant, (exempli gratià) esse animal, quod est lignum: ita etiam imperiti non possunt intelligere quid sit id quod proponitur, quasi e longinquo aspiciant.

3 *Syllogismus autem.* Docet, quid sit verus syllogismus: vnde patebit quid sit falsus syllogismus: quoniam (vt vulgò dicitur) rectum est iudex sui & obliqui.

4 *Elenchus autem.* Similiter definit verum elenchum, & ait esse syllogismum cũ contradictionis conclusione, id est, quo colligitur conclusio contradicens enunciationi ab aduersario in eadem disputatione concessæ. Dixi in eadem disputatione, quòd alioqui esset catasyllogismus, non elenchus, vt notaui lib. 2. Prior. ca. 20.

5 *Hi verò hoc.* A veris syllogismis & elenchis rectò ordine transit ad falsos, qui tantùm esse videntur. & quia suprà docuit eos esse: nunc docet cur sint tales: & inquit esse varias causas, quæ posteriùs declarabuntur: erunt enim tredecim causæ, sex consistentes in dictione, ac septem extra dictionem. nunc tantùm generaliter docet causam frequentissimè occurrentem sumi ex dictionibus & vocabulis; propterea quòd non possumus in disputando res ipsas proponere. vtputà cùm disputamus de cane, non possumus afferre canem; & cùm de equo, equum, & sic de aliis. idcirco vti cogimur vocabulis. Sic cùm dico (exempli gratià) canem, intelliges animal illud, perinde ac si tuis oculis id subiiceré: vtimur enim vocabulis, tamquàm notis seu symbolis, vt dictum est lib. de interpretat. cap. 1. Hinc fit, vt quod in vocabulis accidit, putemus etiam accidere in rebus ipsis, exemplo calculorum: quia cùm rationes per calculos subducimus, tunc quod in calculis deprehendimus, idem in reipsa & in ipsis rationibus concedimus. vtputà si decem calculi supersunt, apparet te mihi debere decem aureos. verba igitur sunt, vt calculi: res autem ipsæ sunt vt rationes & obligationes. quapropter (vt iam dictum est) quod accidit vocabulis, idem putamus accidere ipsis rebus. Sed hoc aliquando fallit: quia plures sunt res, quàm vocabula. Vnde opus est, vt vnum vocabulũ plura significet. Deciperis ergo, si quod accidit vocabulo ratione vnius significationis, accommodes alteri significationi: vtputà si quis dicat, omnis canis latrat: falléris, si intelligas canem piscem, aut sydus. Quocirca sicut is qui non vult in rationibus subducendis decipi, debet calculos & artem per calculos supputandi intelligere: ita etiam qui non vult verbis falli, debet in eorum significatione esse bene versatus: alioqui verborum imperitus à sophista circumuenietur, vt falsò putet esse syllogismum, vel elenchum, non aliter quàm calculorũ imperitus à peritò facile decipitur.

6 *Quando autem.* Postquàm docuit esse quosdam syllogismos & elenchos sophisticos, & quamobrem sint: consequenter docet, quinam iis vtantur, & quamobrem vtãtur. Docet igitur, iis vti Sophistas, quia volunt videri sapientes: cùm non sint sapientes, quod hac ratione consequuntur. ideo autem volunt videri sapientes: quia per illam fictam sapientiam lucrantur, & colligunt pecunias. Sententia igitur huius particulæ continetur hac ratiocinatione: Sophistæ malũt videri, quàm esse sapiẽtes, quia sic possunt ab hominibus imperitis extorquere pecunias: ergò malunt videri facere officium sapientis, quàm revera illud facere. Huius enthymemàtis primò ponit Aristoteles antecedens. Deinde ibi, *nam sophistice*, probas illud antecedens. Tertiò Ibi, *patet his*, infert consequens. Post hæc vlteriùs pergit, cùm ait, *est autem vt singula*, ac declarat duplex officium sapientis. Vnum est, non mentiri, sed verum dicere. Alterum est, si alius mentiatur, id animaduertere, & patefacere. Deinde cùm ait, *quorum alterum*, docet vsum horum officiorum, id est, quatenus sapiens hæc præstet in disputationibus, & inquit alterum officium consistere in argumentatione concedenda, alterum in sumenda; quoniam illud pertinet ad respondentem, hoc ad opponenté. cùm enim sapiens sumit argumentum contra aliquam thesim; tunc patefacit eius theseos falsitatem. cùm autem ipse thesim defendit, & propositiones ab aduersario oppositas concedit vel negat; tunc cauet ne ipse mentiatur. Quare sapiens ponit veras theses, & eas verè defendit: item impugnat falsas theses, & earũ falsitatẽ patefacit. Deinde cùm ait, *necesse [est] igitur*, ex dictis colligit sophistam in his duobus disputationum generibus se exercere, id est, ne ipse videatur mentiri, & vt videatur alios mentientes redarguere: sic enim videbitur sapiens.

7 *Esse igitur.* Epilogo concludit hoc primum caput.

DE SCOPIS SOPHISTARVM.

TRACTATVS II.

POstquàm docuit esse elenchos sophisticos, eósq; pendére ex variis causis: consequenter videbantur esse explicandæ illæ causæ, ex quibus oriuntur varia sophismatum genera. Verùm id demum Aristo. cap. 4. facere incipiet: vult enim vti methodo analytica, & progredi à fine ad media, vt & in Posterioribus Analyticis fecit. Nam vt ibi progrediebatur à scientia ad demonstrationem, quia scientia est finis demonstrationis; ita hîc progreditur à scopis sophistarum ad sophismata, per quæ sophistæ illos scopos petunt. Est quidem vnus sophistarũ scopus generalis, vt videantur sapientes, & per eam simulatam sapientiam pecunias conquirant, vt antea dictum fuit; vel, si proprie contentiosi sint appellandi, vt victoriam & gloriam consequantur, vt posteriùs dicetur cap. 11. partic. 4. sed particulares scopi sub illo vniuersali contenti, multi sunt, qui in hoc secundo libri tractatu sunt enarrandi.

IN CAP. II. DE GENERIBVS ARGVMENTATIONUM.

SOphistarum scopos expositurus, priùs declarat quatuor argumentationum genera, vt sophisticam, de qua nunc agit, à ceteris discernat.

1 *Quot verò sint.* Hæc particula nectit sequentem partem cum præcedente. postquã enim ea sunt exposita, quæ breuiter in epilogo præcedentis capitis comprehensa fuerunt, alia consequenter ab Aristotele explicanda proponuntur. Primò explicandum proponit, quot sint genera sophisticarum argumẽtationum; quod quidem explicabit capite sequenti. nã hęc diuersa genera disputationum sumuntur à diuersis sophistarum scopis sequenti capite declarandis. Secundò cùm ait, *& quot numero*, proponit quærendum, ex quibus hęc facultas cõstet, id est, vnde sumantur captiones sophisticę: quod quidem explicabit cap. 4. & 5. Tertiò cùm subdit, *& quot partes*, meo iudicio non proponit aliquid noui, sed eandẽ sententiã aliis verbis declarandi causã repetit. nã hic quoque accipio particulam *&*, pro, *id est*, vt initio superioris capitis. Quartò cùm ait, *ac de aliis*, generalibus verbis complectitur reliqua omnia, quæ à cap. 6. tradet de officio interrogantis & respondentis in disputationibus sophisticis.

2 *Sunt igitur.* Diuidit disputationes in quatuor genera, vt à ceteris sophisticam seiungat, sicut antea notaui. Primo loco ponitur disputatio didascalica, id est, quæ docendi & discẽdi causã fit per veras demõstrationes. Vnde apparet *διδασκαλίας* verbũ proprie referri ad scientiã demonstratiuã, vt notaui Poster. lib. 1. cap. 1. part. 2. & lib. 2. cap. vlt. partic. 3. Secundo loco ponitur disputatio dialectica, quę fit ex propositionibus probabilibus. Tertio tentatiua, id est, quæ tentãdi causã fit: qualia sunt examina eorum qui ad gradus promouentur. nãdoctorũ disputationes cum candidatis, neque sunt apodicticæ, neque dialecticæ, neque sophisticæ, sed tentatiuæ. Notandum tamen est, has sub dialecticis contineri. nam si latè dialecticas accipias, comprehendent etiam has quæ fiunt per propositiones respondenti probabiles, & quas scire debet, si reuera est sciens, vt profitetur. Vltimo loco ponũtur disputationes cõtentiosæ, siue sophisticę. hę namq; passim confunduntur, quãuis interdum distinguantur ob rationem suprà expositã; quia scilicet in reipsa nullum est discrimen, sed tantùm in animo argumentantis: qui si lucrum captet, dicetur sophista: si gloriam, contentiosus. Ait, *Oportet enim discentem credere.* sensus est, demonstrantem non sumere principia ab auditore, sicut dialecticus interrogans sumit principia ex ore respondentis. nam dialecticus interrogat, cõcedens aduersario optionem affirmãdi, vel negandi: & vtrum aduersarius statuerit, ipse id pro principio sumet. contrà demonstrator non accipit, sed ex se proponit principia, & vult sibi ea ab auditore concedi. Oportet ergo, vt discens concedat ea principia: quia contra negantes principia non est disputandum. Ait, *ad concludendam contradictionem*: quia dialecticus impugnat aliquam thesim: proinde colligit conclusionem ei thesi cõtradicentem. Ait, *definitum est in aliis libris.* Possumus aliquo modo dicere hoc fuisse definitum. Top. lib. 1. cap. 2. & lib. 8. tract. 2. qui est de officio respondentis. Sed fortasse verius est, libros ab Aristotele hic citatos non extare, in quibus egit de disputationibus pirasticis seu tentatiuis, quales multæ sunt apud Platonem.

3 *Ergo de didascalicis.* Ex quatuor disputationũ generibus ostẽdit alias fuisse expositas in aliis libris; vt apodicticas in Posterio

ribus Analyticis;dialecticas in Topicis;ten tatiuas vel in Topicis,quatenus sub dialecticis continentur,vel in libris qui non extant,vt paulò antè notaui: vnde concludit superesse,vt hic agamus de sophisticis seu contentiosis.

IN CAP. III. DE SCOPIS SOPHISTARVM.

SCopum & nexum huius capitis exposui initio capitis præcedentis.

1 *Primum autem*.Proponit explicandos scopos sophistarum.

2 *Hac verò*.Enumerat quinque sophistarum scopos,quos postea singillatim declarabit.Primus scopus est elenchus, id est, vt aliquis ducatur ad contradictionem:veluti, postquàm concessit omnem voluptatê esse bonam,cogatur vi elenchi concedere nô omnem esse bonam.Secûdus scopus est falsitas,id est,vt cogatur quis fateri , quod est manifestè falsum,licet eius côtradictionem antea non concesserit. Tertius scopus est paradoxum,id est, vt cogatur aliquis fateri aliquid admirabile,& ab hominum opinione abhorrens. Quartus scopus est solœcismus,id est,vt quis eò perducatur, vt cogatur committere solœcismum. Quintus est nugatio seu tautologia,id est,vt cogatur aliquis idê frustra repetere in eadem oratione,veluti hominê esse animal bipes bipes.

3 *Maximè igitur*. Declarat ordinem inter hos scopos,id est,quinam magis vel minùs expetantur à sophista: & maximè omnium ait elêchis sophistam delectari.vnde etiam hic liber de Elenchis inscriptus est. deinceps autem ceteros scopos ordine digerit,vt in contextu videre licet: est enim facilis,nec eget interpretatione.

DE INVENTIONE.

TRACTATVS III.

IN CAP. IV. DE FALLACIIS IN DICTIONE consistentibus.

POstquàm exposuit quinque scopos sophistarû,deinceps declarat locos, vnde sophismata ad eos scopos perducentia sumuntur,vt meritò hæc pars à nobis inscribatur de inuentione,

1 *Modi autem*. Locos elenchorum sophisticorum refert ad duo summa genera: quoniam alij spectantur in dictione,id est, vel in simplicibus vocabulis,vel in oratione;alij vero extra dictionem.

2 *Sunt autem*.Locos in dictione consistentes,sex constituit. Ac primò generaliter inquit eos esse sex.Secundò cùm ait,*hæc verò*,specialiter eos enumerat. Tertiò cùm ait, *Huius* [*rei*] *fidei*, probat esse tot, non plures.Probatio duplex est:altera per inductionem altera per syllogismum. Inductio est:quia si percurrantur omnes fallaciæ in dictione côsistentes,apparebit singulas reduci ad aliquê ex his locis. Quod ad syllogismum attinet, inquit Philosophus posse fortasse etiam aliquem alium syllogismum proponi,sed tamê hûc sufficere,quem ipse subiicit,id est, cuius minorem propositionê subiicit:si verò perficiatur, syllogismus talis est:Quot modis possumus iisdem nominibus,(id est,simplicibus dictionibus)& iisdem orationibus non eandemrem significare ,totidem modis cômittûtur fallaciæ in dictio ne consistentes: atqui illud fit sex modis:sex igitur sunt fallaciarû modi. Obserua omnes fallacias quæ ad dictionem re feruntur,in eo consistere,vt, quia sunt eadê vocabula,falsò putemus esse eandêrem: veluti cùm vnum vocabulum homonymû duas res significat,putamus vnârem esse.

3 *Ex homonymia*. Singillatim explicat fal lacias in dictione consistentes , siue harum fallaciarum & captionum locos:singulos autem declarat variis exemplis. incipit ab homonymia,de qua proponit varia exempla. Primum exemplû sumitur à verbo μανθά-νειν:quod grecis duo significat,id est,discere quod quis ignorabat,&intelligere qd alius recitat. Sophista igitur probat eû qui *sciet* μανθάνειν, id est discere: (quod est absurdû) quia cùm discipuli aliquid recitant , tunc grammatici (id est,eorû præceptores)qui ea probè sciunt,μανθάνουσι,id est,intelligût. sed sophista perinde accipit, ac si concluderet,μανθάνουσι,id est,sciunt. Secundum exêplum ponitur ibi,*Rursus mala*.Greci nâque τὰ δέοντα,id est,quę facere vel pati oportet, bifariam accipiunt,id est,pro iis quę debêt fieri,&pro iis quæ oportet inuitû pati quę mala sût. Talis homonymia apud Latinos reperitur in verbo *oportet*.nam oportet,vel quia decet & honestum est,vel quia est malû quod vitari nequit.Hinc igitur sophista nititur probare ea quę sût mala,esse bona: & ita argumêtatur:Quę sunt δέοντα,(id est, quę facere vel pati oportet) sunt bona:atqui mala sunt δέοντα,(id est,ea facere vel pati oportet) ergo mala sunt bona. Vitiû est in hoc syllogismo:quia verbum δέοντα,siue oportet,aliter accipitur in maiore,aliter in

minore

minore propositione. Tertium & quartũ exemplum sunt inter se simillima: adeo vt qui vnum intelligit, etiam alterum intelligat: ideóque simul ab Aristotele proponuntur, cùm ait, *Praeterea eundem*. Tertium exẽplum tale est. Vult sophista probare eundẽ sedere & stare: & ita argumentatur: Qui surrexit, stat: atqui surgens surrexit: ergo surgens stat. Hic est homonymia in verbo *surgens*: quæ ab Aristotele declaratur: quia aliud significat cum articulo, & aliud sine articulo. Sed quia Latini articulis non vtuntur, necesse est eam rem apertiùs explicare. In primis notandum est, hoc participium *surgens*, sicut & alia participia similia, vel esse temporis præsentis, vel præteriti. cùm igitur sophista dixit, surgens surrexit, siue surgẽs surgebat: accepit illud *surgens*, in tempore præterito, id est, eo tempore quo surgebat: cùm enim surgebat, erat surgens. cùm autem cõcludit, ergo surgens stat, accipit surgẽtem in tempore præsenti: alioqui si surgentem intelligeret eum qui antea surgebat, conclusio esset verissima, eum qui surgebat, stare. Quartum exẽplum est plane simile: Qui sanatus est, bene valet: atqui ægrotus sanatus est: ergo ægrotus bene valet. nam in minore accipitur ægrotus, id est, qui fuit ægrotus: in cõclusione autem ægrotus, id est, qui nunc est ægrotus.

4 *Ex amphibolia.* Expositus est primus locus, id est, homonymia, quæ cernitur in singulis vocabulis: sequitur secundus locus primo similis, id est, amphibolia, quę in orationibus spectatur; quando scilicet ipsa vocabula per se sunt simplicia, sed eorum nexus multiplicem habet significationẽ, vt in illo vulgato versiculo, *Aio te Aeacida Romanos vincere posse*. Hunc quoque locum Aristoteles declarat exemplis. Primum exẽplum tale est: *Velle capere me hostes*. dubium enim est, vtrùm velit me capi ab hostibus, an hostes à me. ita est oratio ambigua. Secundum exemplum est: *Quod quis cognoscit, hoc cognoscit*. nam hæc oratio, *hoc cognoscit*, vel refertur ad cognoscẽtem, quasi dicatur hęc res cognoscit; vel ad rem cognitã, quasi dicatur hanc rem cognoscit. Tertium exemplum habet similem propositionem, cui addit assumptionem, & cõclusionẽ, nempe: *Quod quis videt, hoc videt: atqui columnam videt: ergo columna videt*. Hîc est eadem ambiguitas in maiori propositione. *Quartum exemplum omnino simile est: Quod tu dicis esse, hoc tu dicis esse: atqui dicis lapidem esse: ergo dicis lapis esse.* quasi concludatur, tu lapis dicis esse. Quintum exemplum est hæc interrogatio sophistica & ambigua, an verũ sit σιγῶντα dicere. nam hæc oratio dupliciter accipi potest, id est, tacentem loqui, aut aliquem dicere ea quæ tacent. In hoc sensu oratio est vera, in illo falsa.

5 *Sunt autem tres.* Coniunctim considerat homonymiam & amphiboliam propter horũ locorum affinitatem, & eos diuidit in tria præcipua genera. Vnum est, quando nomen multiplex siue oratio multiplex plura significat propriè. vt aquila proprie significat auem quandam, nec nõ ædificij fastigium, quod in altum productum est instar trianguli. Rursus canis significat quadrupedem, piscem, & sydus. Hæc sunt exempla in cõtextu homonymię primi generis. Amphibolia autem huius primi generis est, veluti, capere me hostes, aut, Aio te Aeacida Romanos vincere posse. ęque enim significat me capi ab hostibus, vel hostes à me, & Aeacida victum iri à Romanis, vel Romanos ab illo. Aliud genus est, quãdo soliti sumus ita loqui, id est, quando verba habent aliquã propriam significationẽ, & à nobis trãsferũtur ad aliã significationẽ vt cùm dicimus pedẽ, aut radicẽ montis. nã pes proprie est pars extrema animalis; radix autem, plantæ: sed vtrumque per metaphoram transfertur ad montem. Similis ambiguitas est, cùm Medea est nomen Tragœdiæ, nam propriè significat mulierem: inde trãsfertur ad tragœdiam de ea muliere. Ad tertium genus referuntur ea, quæ composita multipliciter accipiuntur, separata vero habent vnam significationem, vt scire literas. sic enim scire vnam rem significare, & literas quoque vno modo accipi: tamen cùm dicis, literas scire, oratio est ambigua: quia accipis literas actiuè vel passiuè, id est, vel dicũtur literæ scire, vel dicitur aliquis scire literas.

6 *Ad compositionem.* Tertius captionum locus est compositio dictionum, cùm ea coniunguntur, quæ seiungi debent. Exempla ab Aristotele hæc proponuntur. Primum exemplum est, posse sedentem ambulare. nam si dictionem illam *sedentem*, coniungas cum verbo *posse*, enũciatio vera erit. sin autem cũ verbo *ambulare*, falsa erit. nam qui sedet, potest ambulare, sed non potest ambulare sedens, id est, ambulare sedendo, seu dum sedet. Alterum exemplum simile est, posse non scribentem scribere. cuius interpretatio est eadem. Et hoc est, quod Aristoteles ait,

non esse eundem sensum, cum aliquis diuidit, & cùm componit, id est, quando seiungit participium *sedentem*, vel *non scribentem*, à verbo *ambulare*, vel *non scribere*, & quando coniungit cum eo verbo. nam in hac coniunctione est captio. Tertium exemplum subiicitur illis verbis *Ac discit*: quod subobscurè ab Aristotele proponitur. Sed intelligēdū est, à sophista fieri hūc syllogismum: Qui literas scit nunc didicit eas: atqui Socrates scit literas: ergo eas nunc didicit. Captio in maiore: quia aduerbium *nunc*, coniungit sophista cum verbo didicit, à quo debet seiungi. Verum est enim, eum qui nunc scit, didicisse: sed falsum est, eum qui scit, didicisse nunc. Quartum exemplum subiungitur illis verbis, *Praeterea eū*. Probat sophista eum, qui ferre potest (exempli gratiā) vnum saccum, posse ferre multos saccos. sed est fallacia compositionis: nam potest multos ferre separatim, non simul.

7 *Ad diuisionem*. Quartus locus est diuisio, id est, cùm ea diuiduntur, quæ debent componi. nam hic locus est præcedenti oppositus. Dat autem Aristoteles huius loci duo exempla. Primum est, quinque esse paria & imparia. nam quinque sunt duo & tria: atqui duo sunt paria: & tria sūt imparia: cùm igitur quinque sint duo & tria, consequenter sunt paria & imparia. Fallacia est diuisionis: quia quinque sunt duo & tria coniunctim: non, vt sophista accipit, disiunctim. Alterum exemplum est, id quod est maius, esse æquale; quia quod est tantumdem, est æquale; id verò quod est maius, est tantumdem & aliquid præterea. Exempli gratiā linea quindecim pedum est maior quàm linea decē pedum: sophista autem probat eam esse æqualem; quia cùm sit quindecim pedum, est decem & quinque pedū. quatenus ergo est decem pedum, est æqualis minori illi lineæ, quam dicebamus esse decem pedum. Hic quoque est fallacia diuisionis: quia sophista captiosè diuidit quindecim in decem & quinq;. Deinde ait Philosophus, *nam eadem oratio*. Declarat, cur hæc sit captio & fallacia, cùm diuiduntur ea quæ componi debent: & ait, hoc modo mutari sententiā orationis, adeo vt ex vera possit fieri falsa, quod declarat duobus exemplis. Primum est carmen comici, quod videtur Terētius initio Andriæ sic interpretatus; *Feci è seruo vt esses libertus mihi*. Sed in hoc Terentij versu non potest notari fallacia, de qua loquitur Aristoteles, itaque adhibenda est interpretatio, quę magis respondeat verbis Græcis, nēpe, *Ego te feci seruum existentem liberum*. etenim si seiūgas hominem *seruum* à participio *existentem*, & coniungas cum verbo *feci*; item seiungas *existentem* à nomine *seruum*, & coniungas cum nomine *liberum*: sensus erit, feci te ex libero seruum: quæ sententia est falsa. nam quis his verbis vsus est, contrarium dicere voluit, id est, feci te ex seruo liberum: adeo vt oporteat coniungere *seruum existentem*, item coniungere *liberum* cum verbo *feci*, non cum participio *existentem*. Itaque ad veram significationem eruendam subiiciendus est scilicet verbo *feci*, & alter scilicet participio *existentem*. Alterum exemplum est, cuius etiam meminit Quintilianus, *Quinquaginta è viris cētum liquit diuus Achilles*. nam si ita construas, Achilles e quinquaginta viris reliquit centum, sententia est falsa & impossibilis: quia si sint tantū quinquaginta homines, non potest Achilles aliquot interfectis relinquere centum. Quòd si ita construas, Achilles liquit quinquaginta è centum viris, sententia constabit, qua significabitur, cùm essent centū homines, Achillem interfecisse quinquaginta ex eo numero.

8 *Ex accentu*. Quintus locus est Accentus, cùm ex falso accentu oratio fit falsa, quæ vero accentu adhibito est vera. Primò Aristoteles docet hanc captionem vix habere locum in iis quæ voce proferūtur; quæ ipsa pronuntiatio declarat accentum, ita vt ex diuersitate accētuum manifestissima sit diuersitas dictionum. Secūdò cùm ait, *sed in scriptis*, docet hanc captionem facile habere locum in orationibus scriptis, nempe quia veteres Græci nō adscribebāt accentus, vt vel ex hoc Aristotelis loco liquet, nec nō ex libris manu exaratis, vt ex legibus Græcis, quæ scriptæ sunt in Pādectis Florentinis. quidam tradunt primum Didymum Hieronymum adhibuisse accētus. nunc verò cùm semper adscribantur accentus, hæc captio non magis videtur habere locum in orationibus scriptis, quàm pronunciatis, quod ad Græcam linguā attinet. Latini verò non solent adhibere accentus præter adspirationem. Dico præter adspirationem: quoniam Aristoteles hoc loco accētus appellatione significat etiam adspirationem, quamquàm à grammaticis non vocatur accentus, sed spiritus. Tertiò cùm ait, *si ut Homerum*, declarat hunc locum exemplo Homerico, apud quem lib. 23. Iliad. vers. 328. Nestor instruēs filium Antilochū, quò magis victoriam equorum seu quadrigarum cursu obtineret, ac loquēs de meta, inter alia præcepta indicat ipsi truncū seu stipitem

stipitem è terra eminentem. Vtitur autem his verbis ὃ οὐ καταπύθεται ὄμβρῳ. quidam igitur acceperunt particulam ου cum accentu circumflexo & aspirato, οὗ, vt significet vbi, vel cuius: & sensus verborum sit, vbi putrescit imbre, quasi pars illius stipitis imbre putresceret, pars minimè: ideóque hanc sententiam tamquàm absurdam reprehenderunt: alij verò Homerum defendentes, dixerunt particulam ου, non esse legendam cum accentu circunflexo adspirato, sed cum acuto leni, vt significet non. nam robur seu quercus nō putrescit imbre. Hęc fuit solutio Hippiæ Thasij, ipso Aristotele auctore c. 25. de poetica. Notandū est, Aristotelē tribuere accentum acutum huic negandi aduerbio οὐ. quod nostri grammatici omni accētu priuant, nisi sit in fine orationis. Tertiò cùm ait, [*Sed*] *& illud*, adiungit alterum exemplum ex eodem Homero. locus tamē non extat in editione Homeri, qua nūc vtimur. sed ex hoc & multis aliis Aristotelis locis apparet Aristotelem esse vsum aliā editione. nam ipse quoque Homerū edidit: nec dubium est, quin ad suam editionem respiciat, quam non habemus. Ceterùm cū Aristoteles loquatur de mādato Iouis, quo præcipit somno vt Agamemnonē falleret: certum est hanc sententiam extare apud Homerum lib. 2. Iliados. itaque non longè ab initio libri, id est, in versu postremo prolato à Ioue, vbi nostræ editiones habent, Ἥρη λισσομένη· Τρώεσσι δὲ κήδε' ἐφῆπται, coniicio Aristotelem legisse, Ἥρη λισσομένη· δίδομεν δέ οἱ εὖχος ἀρέσθαι. Vt vt sit, quidam legebant δίδομεν, id est, damus, & reprehendebant Homerum, quasi non seruaret decorum, quia faceret Iouem mētientem. Sensus enim verborū est, Damus ipsi, id est, Agamēnoni, vt gloriam reportet: cùm tamē Agamemnon erat inferior futurus, & Iupiter id ageret, vt superaretur à Troianis. Alij verò, vt Homerum defenderent, dixerunt accentum non esse ponendum in prima syllaba, sed in penultima, nec legendū δίδομεν, sed διδόμεν, vt sit verbū infinitū, & significet dare. Nam Dorice atque Æolicè dicitur διδόμεναι pro διδόναι. Iones autē per apocopen ex διδόμεναι faciunt διδόμεν. ita non dicet Iupiter se aut Deos concedere victoriam Agamemnoni: sed mandat somno, vt hoc renunciet Agamemnoni Iouem illi victoriam concedere, adeo vt nō Iupiter somno mentiatur, sed somnus Agamemnoni. Hęc quoque solutio fuit Hippiæ Thasij, vt Aristoteles testatur cap. 25. de poetica. Porrò & simile hemistichium extat apud Homerum, Iliad. libro 21. vers. 297. nempe δίδομεν δέ τοι εὖχος ἀρέσθαι: tamen ad id Aristotelem in præsentia non respicere, perspicuum est. Deinde cùm ait, *Quia igitur*, addit breuem epilogum de captione ex accentu.

9 *Ha verò.* Sextus locus est figura dictionis, qui ab Aristotele ita definitur, Cùm aliquis eodem modo interpretatur, quod non est idem. Sed quia hæc definitio est obscura, subiicit expositionem per varia exempla, cùm ait, *veluti masculum.* quibus ex verbis apparet hanc captionem in eo consistere, vt quis propter figuram dictionis aliter aliquid accipiat quā accipere debeat. quod multis modis contingit. aut enim accipit masculinum pro feminino, aut masculinum pro neutro, aut femininum pro masculino, &c. aut vnam categoriam pro altera. Exemplum mutati generis est, veluti si ab aliquo accipiatur quasi feminini generis, planeta aut cometa, quia terminatur in a, vt musa, & multa alia vocabula feminini generis. Exemplum autem mutatę categorię subiicitur ab Aristotele illis verbis, *nā fieri potest.* etenim valere, quodad figuram dictionis attinet, videtur esse verbum actiuum, quod significet facere: sed re vera est neutrum, quod significat certo modo affectum esse, id est, sanum esse: debet ergo referri ad categoriam qualitatis, non actionis.

10 *Quo igitur.* Breuissimè concludit hoc caput.

IN CAP. V. DE FALLACIIS

EXTRA DICTIONEM.

Expositis captionibus in dictione consistentibus, transgreditur ad eas quæ extra dictionem considerantur in rebus ipsis.

1 *Paralogismorum autem.* Enumerat septem locos, ad quos reducuntur omnes falaciæ extra dictionem consistentes. Hos autem locos deinceps in sequentibus huius capitis particulis declarabit.

2 *Ex accidente.* Primus locus est ex accidente. Primò Aristoteles definit, in quo cōsistat hæc fallacia: & ait in eo nos decipi, quòd putamus quæcumque insunt alicui subiecto, ea inesse etiam accidentibus illius subiecti: veluti si Socrates currit, & Socrates est musicus, putamus musicum currere. Secundò cùm ait, *cùm enim multa*, ostendit hic esse captionem, & nos falli,

quia vni & eidem subiecto accidunt multa inter se diuersa. Etenim si quæcunque eidem accidunt, eadem inter se essent, ferè omnia idem essent, vt sophistæ autumant, exempli causâ, idem esset album & musicū, quia vtrumque accidit Socr. T. Tertiò cùm ait, *veluti si Coriscus*, subiicit duo exempla huius captionis. Primum tale est: Coriscus est diuersus ab homine, ergo est diuersus à semetipso; quia ipsemet est homo. Secundum exemplum est: Socrates est homo, Coriscus autem differt à Socrate, consequēter Coriscus differt ab homine. In his exemplis ait Aristoteles esse fallaciam: quia censent sophistæ aliquid differre ab aliquo, propterea quòd differt ab eo cui illud accidit. vt putà quia Coriscus differt à Socrate, putant eum differre etiam ab homine, qui accidit, id est, attribuitur Socrati. nam verbum *accidere*, hic late sumitur pro attribui, vt & aliis quibusdam locis.

3 *Hi verò*. Secundus locus est ab eo, quod dicitur simpliciter, vel secūdū quid. Hic locus est bipertitus. Quandoque enim captio in eo consistit, quòd sumitur quasi simpliciter verum, id quod est verum quadamtenus; sed maxima ex parte, proinde simpliciter falsum: veluti si quis sumat Æthiopem esse album, quia est albus dentes. Altera pars captionis est, si quis quod æquè ex parte est verum & ex parte falsum, sumat quasi simpliciter verum: veluti si quis sumat aliquid esse album, quod pro dimidia parte est album, pro dimidia nigrum. Incipit Aristoteles à prima parte: & primò proponit hanc captionem, cùm quis sumit simpliciter, quod est verū tantùm in parte, id est, cum aliqua adiectione. Secundò cùm ait, *veluti si quis colligat*, dat exēplum, quod etiam habuimus cap. 11. de interpretat. partic. vlt. Tertiò cùm ait, *Aut rursus*, addit alterum exemplum, si quis id quod est, sumat nō esse simpliciter; quia nō est aliquod ens: puta si quis sumat equum non esse, quia non est homo. Quartò cùm ait, *non enim idem*, ostendit cur hoc modo fallamur, id est, propter exiguitatem discriminis, quod est inter esse simpliciter, & esse aliquid: quasi id quod non est (exempli gratia) homo, possit simpliciter dici non esse: & id quod est (exempli gratiâ) opinabile, possit simpliciter dici esse. Quartò cùm ait, *similiter* [*paralogismi*,] adiungit alterum exemplum, si quis dicat Indum vel Æthiopem esse album, cùm totus sit niger exceptis dentibus: aut si quis dicat eū esse simul album & nigrum, quia toto corpore est niger, dentes tamē albos habet. Quintò cùm ait, *Aut si ambo*, transit ad alteram partem huius captionis; & eam breuiter declarat. Sextò cùm ait, *Porrò huiusmodi*, communiter loquitur de vtraque parte, & affert aliā diuisionem huius captionis; quia scilicet interdum est manifesta & facilis, interdū autem latet, vt non facile sit ab ea cauere. Vtrūque membrum declarat exemplis. Ait ergo captionem esse manifestā, & minimè difficilem, vt in exemplo Æthiopis; difficilem autem esse duobus casibus. Vnus est, cùm ei quod quadamtenus verè dicitur, videtur cōsequi vt simpliciter dici possit: veluti cùm homo tantùm oculis videat, tamē simpliciter dicimus hominem videre. Alter casus est, cùm nō magis vna pars, quàm altera videtur esse vera; vt meritò dubitari possit, vtro modo sit oratio simpliciter cōcipienda. nam quia Æthiops tantùm dētes albos habet: apparet eum simpliciter esse dicendum nigrum. Sed si quis sit æquè ex parte albus, & niger, videtur æquè dici posse albus simpliciter, & niger simpliciter, quia vtriusque est eadem ratio.

4 *Hi verò*. Tertius locus est ignoratio elenchi. Primò Aristoteles constituit hanc captionē in eo, quòd nō definitur quid sit syllogismus siue elenchus. Mentionem facit syllogismi, quia elenchus est species syllogismi, vt suprà audiuimus. Secundò cùm ait, *Elenchus enim*, prolixe definit elenchū, enumerās conditiones, quæ requiruntur vt sit verus elenchus, non sophisticus. Tertiò cùm ait, *Eodem autem modo*, inquit easdem conditiones requiri vt aliquis dicatur mentiri, id est, opponere verę enunciationi falsam contradicentem. Hunc locum citauit cap. 6. de Interpret. part. vlt. Quartò cum ait, *Nonnulli verò*, declarat quomodo fallacia committatur ob defectum alicuius ex conditionibus suprà enumeratis: cuius rei exempla sunt perspicua in cōtextu. Quintò cùm ait, *Sed hic*, ostendit hūc locū posse referri etiam ad captiones in dictione cōsistentes: quia cùm dicimus elenchū esse debere eiusdem de eodem, intelligimus non tantùm easdem res, sed etiā eadem vocabula. & hoc est, quod dixit in secundo membro huius particulæ, non solùm esse debere idem nomen, sed etiam eandem rē: ac debere esse idem nomē, non vt synonymum, sed vt omnino idem. Synonyma ibi appellabat, vt & quibusdam aliis locis, ea quæ idem significant, vt vestimentum & indumentum. Si ergo thesis loquatur de indumento, debes elencho concludere de indumento, non de vestimento, quāuis enim idem sit vestimentum, & indumentum: tamen

mẽ, vt Aristoteles in Topicis docuit, qui de vestimento concludit, non eo ipso de indumento concludit, sed opus est vt assumat nouam propositionem. vtputà conclusum est omne vestimentum esse album: iam assume, omne indumentum esse vestimentum: tunc rectè concludes omne indumentum esse album.

5 *Qui autem ex eo.* Quartus locus est Petitio quęsiti, vulgò vocatur petitio principij, de quo dictũ fuit 8. Top. cap. 13. & 2. Prior. cap. 16. Primò Aristoteles ait, tot esse genera fallaciarum huc spectantium, quot sunt modi, quibus petitur quæsitum, quot autem sint hi modi, expositũ fuit dictis locis. Secundò cùm ait, *videntur autem edargure*, declarat rationem sophismatis. id est, cur nos fallat; nempe quia nõ possumus dignoscere, quod est idem, & quod est diuersum. Vis rationis in eo consistit: quòd ille qui petit quęsitum, probat idem per idem, quasi per diuersum quiddã. si ergo animaduertas probari, per idẽ, cognosces vitium. si verò putes probari per diuersum, falleris hoc sophismate.

6 *Propter consequens.* Quintus locus est cõsequens. Primò docet Aristoteles, in quo consistat fallacia: quia scilicet putamus falsò reciprocari consequẽs cum antecedente. Velut, vinum est dulce, ergo dulce est vinum. Deinde cùm ait, *quando enim*, ostendit similem errorem cõmitti etiam in iis quæ sub sensum cadũt. cuius rei dat duo exempla. Vnum est, cùm fel pro melle accipitur, quoniam sunt eiusdem coloris, id est flaui. quasi ergo quicquid flauũ sit, mel sit: dum videmus flauum quiddam, videtur nobis esse mel, cùm sit fel. Alterum exemplum est, cùm videmus terram madefactã, & propterea existimamus pluisse. sed fortasse non pluit. cùm enim pluit, terra madefit: sed & sine pluuia potest terra madefieri.

7 *Oratoriæ quoque.* Ostendit idem contingere in enthymematis oratoriis. nã orator (exempli gratiâ) volens probare aliquẽ esse adulterum, argumentum inde sumit, quòd est accuratè comptus, & noctu vagatur. Hoc autem argumentum refertur ad secundam figuram hoc modo: Adulter est accuratè comptus, & noctu vagatur: atqui hic est accuratè comptus, & noctu vagatur: ergo est adulter. Hic syllogismus non cõcludit: quia maior non reciprocatur. nã etiamsi adulter sit comptus, vel noctu vagetur: non propterea tamẽ quisquis comptus est, aut noctu vagatur, idem est etiã adulter. Vide lib. 2. Prior. cap. 27. partic. 7. & 9.

8 *Similiter accidit.* Ostendit idem contingere in syllogisticis orationib*, id est, in philosophia, & scientiis. nam enthymemata proprie dicuntur oratorum: syllogismi verò, scientiarum. Dat exemplum syllogismi cuiusdam à Melisso extructi, cuius mẽtionem sæpius facit, sed ex professo eum examinat lib. 1. Physicorum. Sunt autem in hoc syllogismo plures errores: sed vnus in pręsentia notatur ab Aristotele, qui ad hũc locum spectat. Primò proponit duo principia sumpta à Melisso. Vnum est, Vniuersum est ingenitum. hoc principium probatur à Melisso: quia ex non ente nihil fit: vniuersum autem complectitur omne ens. quare si vniuersum fieret, quia nõ potest fieri ex seipso, fieret ex non ente: quod est impossibile. Alterũ principiũ est, Quicquid factũ est, ex principio factũ esse, proinde habere principiũ. hoc potest probari ex eodẽ axiomate: quia nisi fieret ex principio, fieret ex nihilo: quod est absurdũ. Secũdò cùm ait, *quare si vniuersum*, subiicit argumentationẽ Melissi, qui principiis illis positis sic est argumentatus: Vniuersum non est genitum: ergo non habet principium: cõsequẽter est infinitum. Antecedens patet ex prima hypothesi. Prior consequentia probatur per secundam hypothesim. sed hic committitur error, qui ab Aristotele notatur. nam consequentia non probatur per illam hypothesim, nisi vel arguatur ab euersione antecedẽtis: vel hypothesis illa cõuertatur; ita vt quemadmodũ omne genitum habet principium, ita etiam quod habet principium, sit genitum. nam si ita cõuerteretur, syllogismus rectè extrueretur: Quicquid habet principium est genitũ: atqui vniuersum non est genitum: ergo vniuersũ nõ habet principiũ. Quare Melissus commisit fallaciam consequentis, dum reciprocauit eam hypothesim, & arguens à positione consequentis ad positionem antecedentis, ex eo quod genitum habet principium, collegit id quod habet principiũ, esse genitum. Tertiò cùm ait, *Atqui necesse*, indicat vitium, quod inest in argumentatione Melissi: quia malè arguit à positione consequentis, vt iam exposui & Aristoteles probat hoc exemplo: Omnis febricitans calet: non tamen reciprocatur, vt quisquis caleat, febri laboret.

9 *Ex eo autem.* Sextus locus est Non causa, (de quo dictum fuit etiã lib. 2. Prior. cap. 17.) cùm scilicet accipitur pro causa id quod nõ est causa. Primò Aristoteles definit hunc locũ, vt nunc exposui. Secundò

cùm ait, *Hoc autem accidit*, ostendit hoc vitium potissimum committi in syllogismis ducentibus ad incómodum, id est, cùm aliqua thesis impugnatur, quasi ex ea sequatur aliquid absurdi, quod revera non ex ea, sed ex aliis adductis propositionibus colligitur. Notanda sunt verba Aristotelis, quæ egent expositione. Ait enim tunc committi hoc vitium, cùm eueniens impossibile, (id est, absurditas, ad quam fit deductio) connumeratur inter necessarias interrogationes ante conclusionem. Necessarias interrogationes appellat eas, ex quibus colligitur conclusio. & inquit cum his coniũgi impossibile ad quod fit deductio, id est, poni propositionem, quæ est vera causa illius impossibilis, seu ex qua propositione potissimùm colligitur illud impossibile. Quoniam igitur hæc propositio inter alias cónumerata est, videtur reuera impossibile sequi ex propositionib⁹ positis: sed in eo fallimur, quòd non animaduertimus esse admixtam etiã propositionem non necessariam, quę nihil facit ad concludendum impossibile: atque hæc est illa propositio, quam sophista vult euertere, quasi causam absurditatis. Verum igitur est, in propositionibus sumptis esse causam absurditatis: sed falsum est, eã propositionem esse causam, quam sophista impugnat: quoniam hac propositione dempta, nihilominùs sequetur absurditas. Tertiò cùm ait, *verbi gratiâ non idem*, rem hanc exemplo declarat. Ponit enim hãc thesim, Anima & vita idem sunt: quæ sophisticè impugnatur, quasi ex ea sequatur hęc absurditas, vitam esse ortũ, & viuere esse oriri seu fieri. Hoc esse absurdum, patet: quia cùm aliquis viuit, nõ gignitur, sed antea genitus fuit. Probatur autem hæc absurditas ex his propositionibus: quia ortus est contrarius interitui, proinde quidam ortus est cõtrarius cuidam interitui: atqui mors est interitus quidam, & morti contraria est vita: ergo vita est ortus, & viuere est oriri. Vis argumenti in eo posita est: quòd interitui opponitur ort⁹; & morti, quę est interitus, opponitur vita: oportet igitur vitam esse ortum: alioqui interitui, nempe morti, nõ opponeretur ortus, sed aliud quiddam, id est, vita. Ergo ad hanc conclusionem inferẽdam nihil facit hæc propositio, vita & anima sunt idem: sophista tamen cum aliis propositionibus hãc coniungit, quasi causam præcipuam, cùm nullo modo sit causa: & ex falsitate conclusionis vult colligere falsitatẽ huius propositionis, quæ erat aduersarij thesis. Quartò cùm ait, *Ergo huiuscemodi*, docet, huiuscemodi captiones, de quibus nunc loquitur, aliquid quidem cõcludere & probare, nõ tamen id quod erat probandum. vt in exposito exẽplo nõ probatur animam & vitam non esse idem, sed probatur absurditas quędam, proinde euertitur ea propositio quòd mors sit interit⁹: vt enim quidam volunt, mors non est ipse interitus, sed causa ipsius interitus, id est, mors est separatio animæ à corpore, quæ separatio est causa interitus.

10 *Ex consequente.* Hæc particula breuem & perspicuum epilogum continet.

11 *Hæ verò ex eo.* Septimus & vltimus locus est, cùm duę interrogationes pro vna accipiuntur. Coniunge partic. 2. cap. 11. de Interpretatione. Primò Aristot. definit hunc locum. Secundò cùm ait, *Sanè quasdã*, incipit docere hanc fallaciam aliquando esse perspicuam, vt vix aliquis decipi possit: interdum latêre, & facile fallere, quia nõ potest facile dissolui. Inquit ergo quandoque perspicuam esse multiplicitatem interrogationis: & dat exemplũ, vtrùm terra sit mare, an terra sit cœlum. Ita explicãdũ est hoc exemplum secũdum vulgatam lectionem, in qua est *ἢ οὐρανὸς, vel cælum*, sine articulo. Sed in quodam manuscripto legitur cum articulo, *ἢ ὁ οὐρανὸς*, quam lectioné sequitur Alexãder, & ita interpretatur, vt vna interrogatio sit, vtrũ terra sit mare; altera verò sit, vtrùm cœlum sit mare. Vtrouis modo legamus, & interpretemur, parũ interest. semper enim sunt duæ interrogationes coniunctę. sed discrimen est: quia secũdum primam interrogationé vnum est subiectum, terra: duo vero attributa, mare & cælum. secundũ alteram interpretationé, duo sunt subiecta, terra, & cœlum. vnũ attributum, mare. Vtriusque autem exempli eadem est ratio: quia siue mutes attributũ, siue subiectum: ęque facies nouam propositionem. Tertiò cùm ait, *in nonnullis autem*, docet, interdũ hanc fallaciam latêre, ita vt respõdeatur ad duas interrogationes, quasi ad vnam. Vnde inquit fieri, vt respondẽtes vel redarguãtur elẽcho ipsius sophistæ, vel saltem videantur redargui: quorum vtrumuis fiat, sophista scopũ suum assequitur, vt constat ex 2. part. cap. 3. Tũc ait Aristoteles videri respondentem redargui, cùm tacitè fatetur, quia non respondet, id est, cum tacitè concedit eam interrogationé, quatenus censetur eam concedere, eo ipso quòd non negat. nam in disputationibus quoque secundum Aristotelem locum habet ea regula, quæ vulgò iactatur, Qui tacet, cõsentire videtur. Si ergo expresse consentiat, verè redarguitur: si verò tacitè videatur cõsentire, vi-

te, videtur redargui. Quartò cùm ait, *veluti num hic*, dat quædam exempla captionum, quib9 aliquis implicatur, & redarguitur, vt non facilè possit eas soluere, vel (vt veriùs dicam) videtur redargui. Primum exemplum est perspicuum. Sumit enim sophista, hunc & hunc esse hominem: vnde colligit eum qui hunc & hunc verberauit, verberasse hominem, nō homines: quia concessum fuerat esse hominem in singulari numero. Alterum exemplū tale est: Ponantur simul varia quædam, quorum nōnulla sint bona, nonnulla mala. tunc sophista interrogat, vtrùm hæc sint bona, an mala. hinc Aristoteles ait fieri verum elenchum, si respondēs concedat eandem esse rationem totius & partium: inde enim probabitur, quia pars sit bona, totum esse bonum; & quia pars sit mala, totum esse malum. si verò id non concedatur, tantum videbitur elenchus, quatenus videbitur id concessum. Eadem est ratio aliorum exemplorum, quæ subiiciuntur in contextu: veluti si quędam sint alba, & quædam nō alba: aut aliqua nuda, aliqua non nuda: aut alia videntia, alia cæca.

IN CAP. VI. QVO REDVCVNTVR OMNES FALlaciæ ad ignorationem elenchi.

Exposuit tredecim captionum genera, inter quæ vnum fuit Ignoratio elēchi, seu (quod idē valet) omissa definitio elēchi. Hoc autem capite vult Aristoteles omnes referre ad ignorationem elenchi. Necesse est enim in omni captione peccari contra definitionem elenchi: alioquin esset verus, non sophisticus elenchus, si elenchi definitio ei cōueniret: quemadmodum hominis definitio tantùm vero homini, & auri definitio tantùm vero auro cōuenit. Cur ergo (dicet aliquis) Aristoteles suprà distinxit alias captiones ab ignoratione elenchi? Rationem afferemus ad partic. 6. quoniam ibi agitur de ignoratione elenchi.

1 *Aut igitur*. Permittit nobis, vt captiones diuidamus in tredecim genera suprà exposita, vel omnes referamus ad ignorationem elenchi; quia omnes peccant contra definitionem elenchi: vt mox hoc ipso capite probabitur.

2 *At primùm*. Generali quodam argumento refert omnes captiones, quæ non concludunt, ad ignorationem elēchi: quia elēchus est verus syllogismus concludens: vnde si non concludat, nec est syllogismus, nec est elenchus. Tales sunt paralogismi ex consequente: item qui non causam pro causa accipiunt. nā etsi aliquid probant, tamen non probant propositum. quantū igitur ad id quod propositum fuit, nō concludunt. Item tales sunt, qui petunt quæsitum. Immo generaliter omnes dici possunt tales: quia reuera non cōcludunt, quod est concludendum, quamuis interdum aliquid concludant, interdum verò nihil.

3 *Deinde & secundum*. Deinceps expendit singula genera captionū, prout peccant aduersus singulas partes definitionis: subaudi, elenchi. & incipit à captionibus in dictione consistentibus, quas reducit ad duo genera: Primò loquitur de priori genere, ad quod reducit homonymiā, amphibologiam, (quę hic ab Aristotele vocatur oratio: subaudi, ambigua) & figurā dictionis. hęc. n. omnia in eo peccant, quod ab Aristotele vocatur παρὰ τὸ διττὸν, i. quia duplex est significatio. vt putà vocabulū homonymum duo significat. Duorum appellatione hìc intellige etiam tria, vel quatuor, vel plura: quod non est nouum. De reliquis captionibus dicetur in seq. par. Ait, εἰώθασι γὰρ τὸ πάντα ὡς τόδε τι σημαίνειν, id est, *solent enim [hæc] omnia quasi hoc aliquid significantia [vsurpari.]* Sententia horum verborum est obscura, in quibus explicandis interpretes laborant. Ego omnino puto esse locum mēdosum, & ita restituendum, ἔοικε γὰρ ταῦτα ὡς τὸ διττὸν σημαίνειν. & sensus erit perspicu9. Dixerat enim Aristot. has tres captiones in eo peccare, quod est παρὰ τὸ διττόν. ait igitur se rectè hoc dixisse: quoniā hæc omnia quodammodo duo significant, nec solùm dictio homonyma, sed etiam oratio ambigua, & quæ habent similem figuram dictionis. Ideo autem ait Aristoteles ὡς: quia hoc non æquè verum est in omnibus his captionibus: pręsertim vbi est figura dictionis. nā ibi reuera non est vna dictio duo significans, sed habet vnā veram significationē; in altera autē falsā sumitur à sophista. sunt igitur quodāmodo duæ. i. vna vera, & altera falsa. Exempli gratiā cùm sophista accipit *valere*, quasi significet agere: hęc est falsa significatio, vera autem est vna; nempe affectum esse, id est, sanum esse. Mendum autē hinc natum esse puto. Primùm pro εἰώθασι dixi legendum ἔοικε. Vitium ortum est ex vltimis syllabis præcedentis verbi διωνομασμένα sæpe enim contingit, vt scriptores easdem syllabas temerè repetant: deinde facilè fieri potuit, vt pro τὸ διττὸν, scriptū fue-

rit ταὐτὸν, quod sæpe apud Aristotelem occurrit.reliqua non muto. Secũdò cùm ait, *Compositio verò*,declarat alterum genus captionum in dictione consistentium,ad quod referuntur compositio,diuisio, & accẽtus. Hic peccatur,non quia plura significẽtur, vt in priori captionum genere, sed quia nõ est vna oratio,quæ sumebatur pro vna, vel non est vna dictio,quę sumebatur pro vna. vt putà non est idem parere & parere, quæ tamen sophista accipit pro eodem. Tertiò cùm ait,*Oportebat autem*, ne dicas non curanda esse vocabula,ostẽdit opus esse, vt opponens non solùm concludat de eãdem re,sed etiam vt vtatur iisdẽ vocabulis:quia inter alias conditiones elenchi hæc etiam posita fuit:& dat exemplum perspicuum. nam si thesis sit,vestimentum esse album, & probes indumentum non esse album, nondum impugnasti thesim:sed vt eam oppugnes,oportet addere nouum argumentum,quo concludas vestimentum non esse album, eò quòd indumentum non est album.

4 [*Paralogismi*]*autem*. Transit ad paralogismos seu captiones extra dictionem consistentes:& in primis ostẽdit,quomodo fallacia accidentis referatur ad ignorationem elẽchi.Primò igitur inquit captionem ex accidenti non esse verum syllogismum , consequenter non esse elenchum; quia omnis elenchus est syllogismus. Secundò cùm ait , *non enim si* , probat non esse syllogismum , propositis quibusdam exẽmplis perspicuis. Vnum est physicum, quod proponitur in his verbis. Alterum est mathematicum,quod subiicitur ibi, *nec si triãgulum*.& cùm subdit,*similiter & in aliis*, generaliter docet in aliis similibus exẽplis rẽ similiter se habere.Tertiò cùm ait,*Quapropter si elenchus* , concludit, quia non est syllogismus , non esse elenchum. Quartò cùm ait,*Sed hinc* , docet hac captione sæpe falli viros doctos ab indoctis. cùm enim vir doctus teneat aliquam conclusionem ; quia est peritus in ea arte , in qua conclusio docetur: tamen per hanc captionem ex accidenti secus ei videbitur. Solent autem imperiti , qui naturas rerum non norunt , ex accidentibus argumentari. falletur igitur vir doctus , non quà doctus est ; sed quia cùm sit in arte sua doctus,ignorat hæc præcepta logica,& ignorat quomodo soluantur hæc sophismata,nõ distinguens inter accidens & id cui accidit , sed putans , quicquid attribuitur subiecto , idem attribui accidenti quod accidit illi subiecto. Ait, *cùm diuidere non valeans*, &c.id est , cùm vir in sua arte peritus nesciat ita distinguere inter subiectum & accidens,quando interrogatur ab imperito, aut concedit quod non debet concedere,& ita redarguitur;aut videtur concedere,cùm non concedat,id est, aut videtur tacite concedere, quatenus nõ negat,quia(vt suprà diximus)qui non negat,concedere videtur ; atque ita videtur ab imperito redargui.

5 [*Ex eo*]*verò*. Refert ad ignorationem elẽchi captionem ex eo quod dicitur simpliciter vel secundum quid:quia secundum hanc captionẽ sophisma non probat contradictionem: non est igitur elenchus, quandoquidem elenchus definitur syllogismus contradictionis. Ideo autem non probat contradictionem : quia sumit quasi simpliciter sibi concessum , quod est concessum secundum quid.hæc verò non sunt contradicentia,sed possunt esse simul vera, putà Æthiops est simpliciter niger , & Æthiops est albus secundum quid, id est, albus dentes.

6 *Maximè autem*. Sequitur fallacia ex ignoratione elenchi. Hic non videtur quærendum, quomodo referatur ad ignorationem elenchi.nam ipsa appellatio satis hoc ostendit.ideoq; Aristoteles ait hoc esse manifestum. Illud potiùs quærendum videtur,cùm omnes fallaciæ referantur ad ignorationem elenchi, qui factum sit, vt suprà nonnullæ tantùm ita sint appellatę. Respõdet Aristoteles, hoc ideo factum esse,quia in his captionibus manifesta est elenchi ignorantia , ita vt magis appareat , quàm in aliis captionibus. in aliis namque variæ causæ deceptionum afferri possunt , quæ capite sequenti explicabuntur: in his verò nulla alia causa deceptionis est , quàm omissa definitio elenchi, id est , quia ignoratur quid sit elenchus. Vnde inquit Aristoteles , etiamsi ita diuidamus captiones in tredecim genera , vt suprà diuisimus ; tamẽ has nominatim vocandas esse hac appellatione communi, vt dicantur consistere in ignoratione elenchi, seu(quod idem valet)in omissa definitione elenchi.

7[*Sed*]& [*hi.*] Similiter loquitur de petitione quæsiti, & de fallacia non causæ, ac refert has captiones ad ignorationem elenchi,quoniam elenchus est syllogismus inferens conclusionem ex præmissis,quod in his captionibus non contingit. Etenim qui quæsitum petit, illud non probat

bat: conclusio namque non debet poni in præmissis: quod tamen facit is, qui quęsitum petit. Rursus si non causa affertur pro causa, patet inde non rectè inferri conclusionem.

8 *Qui verò ex consequente.* Refert ad ignorantiam elenchi captionem consequentis. Et primò hanc relationem probat, sic arguens: Omnis captio accidentis refertur ad ignorationem elenchi: atqui captio consequentis est captio ex accidenti, id est, species est captionis ex accidente: ergo,&c. Maior patet ex part.5. Minor hic probatur ab Aristotele: quia quod est consequens, id accidit, id est, attribuitur accidenti, cui est consequens. Secundò cùm ait, *sed [eo] differt*, ponit discrimen inter fallaciam accidentis, & fallaciam consequentis, ne fortè putemus esse vnam & eandem, quia modò dictum fuit fallaciam consequentis esse fallaciam accidentis. Docet igitur has captiones eo differre, quod captio consequētis aliquid adiicit captioni accidētis. Vnde si est captio cōsequētis, est etiā captio accidētis, nō tamen contrà: quemadmodum qui habet quinque, habet etiā tria: sed qui habet tria, non propterea habet quinq. Ergo sicut distinguūtur tria & quinque, ita etiā captio accidentis & captio consequentis. captio namque accidentis sumit vnum, captio verò consequentis sumit plura, id est, in captione accidentis cōfertur vnum subiectum cum vno attributo, quasi hi termini idem valeāt, & reciprocentur. vtputà mel est flauum: vnde si putemus flauū esse mel, est fallacia accidentis: veluti cùm quis videns fel quod est flauum, omissa cogitatione fellis ita ratiocinatur: est flauū, ergo est mel. nam quia scit mel esse flauum, id est, quia scit flauum accidere melli, idcirco ex eo, quod est flauum, colligit esse mel, quasi idem sit mel & flauum. hæc igitur est fallacia accidentis non consequētis. Quòd si conferat duo subiecta cum eodem attributo, & colligat hęc duo esse vnum & idem, quia conueniunt in vno attributo, iam fallitur fallaciā consequentis, id est, ideò falsò putat hæc duo esse vnū & idem, quia idem accidens vtrique consequens est. veluti si putet fel esse mel, quia vtrumque est flauum. Hoc modò suprà docuimus argumentari oratores: veluti, adulteri noctu vagantur, hic autem noctu vagatur, ergo est adulter. Denique hi syllogismi fiunt in secunda figura affirmatiuè & ideo peccāt, quia sumūt medium terminum vtrique extremo consequentem, cùm debeat vni esse cōsequens, alteri verò repugnans. Ex his apparet, fallaciam accidentis consistere in vno, vt melle; fallaciam autem consequentis in duobus, vt melle & felle. Item apparet, hanc esse partem illius: quoniam fallacia consequentis sumit duas partes, in quarum vna (exempli gratiā) ponitur fel, in altera mel: harum autem vna ponitur in fallacia accidentis. Tertiò cùm ait, [*id*] *autem non est*, indicat fallaciam horum elenchorum sophisticorum, qui sumuntur ex consequenti, quę etiam reperitur in elenchis ex accidenti: quoniam sophista ea sumit vt reciproca, quę non reciprocantur. proinde (quod proprium est fallaciæ consequentis) colligit esse idem, quæ non sunt idem. vtputà nix est alba: sed non propterea album est nix. item cygnus est albus, sed non propterea reciprocatur, vt album sit cygnus. quapropter nō potest ...cludi albûm & cygnum idem esse, eò quòd ratione alboris non differant: quia vocantur alba per accidens, nec sunt idem ea omnia quibus idem accidit. Quartò cum ait, *aut rursus*, subiicit alia duo exempla, quibus idem declarat. Vnum est argumētatio Melissi, de qua suprà dictum fuit. Melissus enim sumpsit hoc principium; Quicquid factum est, principium habet: & male putauit hoc reciprocari, vt quicquid principium habet, factum sit. In eo etiam peccat, quòd censet idem esse factum & finitum. propterea quòd idem vtrique accidit, nempe habere principium. Placet enim Melisso hæc argumentatio: Quicquid factum est, principium habet: ergo omne finitum est factum. sed ita committitur fallacia consequentis. Aliud exemplum est, in quo sumitur hæc propositio, Quæ recipiunt vnam & eandem magnitudinem, sūt æqualia: vnde per reciprocationē malè infertur, ea quæ sunt æqualia, recipere vnam & eandem magnitudinem. Quintò cùm ait, *Quoniam igitur*, concludit, repetens argumentum initio particulæ positum, fallaciam consequentis referri ad ignorationē elenchi: quia est pars fallaciæ ex accidēti, & peccat eo modo, quem iam exposui. Sextò cùm ait, [*Est*] *autem hoc*, reiicit diligentiorem expositionem huiuscaptionis in alium locum, id est, in cap.28. huius operis.

9 *Qui verò.* Expendit fallaciam, in qua duæ interrogationes pro vnā sumuntur:

& hāc quoque reducit ad ignorationem elenchi, quatenus peccat contra definitionē propositionis, quę est pars elenchi. sicut enim alij syllogismi, ita etiam elechi ex propositionibus constant. Quòd autem hic peccetur cōtra definitionē propositionis, Aristoteles inde ostendit, quod eadem est definitio propositionis simpliciter, & propositionis vnius: quemadmodum eadem est definitio hominis, & vnius hominis. Quare si propositio non est vna, non potest ei conuenire definitio vnius propositionis; consequenter nō conuenit ei definitio propositionis: ergo propositio multiplex re vera non est propositio. Huc spectat, quod in Metaphys. docetur, & in Top. quoq; attigimus, Ens & Vnum reciprocari. Ait, *Itaque si responsionem*. Concludit Aristoteles, si quis sophistæ multiplicem propositionem interroganti assentiatur, & eam concedat quasi vnam propositionem, eum verè elencho redargui. si verò non concedat, sed videatur concedere, quia scilicet tacendo consentire videatur, vt & suprà notatum fuit, tunc videbitur redargui.

10 *Quare omnes*. Primò ex dictis concludit, omnes captiones referri ad ignorationem elenchi. Secundò cùm ait, *illi quidem*, breuiter docet, quomodo referantur ad ignorationem elēchi: ac tradit duos modos generales, quorum prior pertinet ad fallacias in dictione consistentes, posterior verò ad eas quæ sunt extra dictionem. Vt hi duo modi perspicuè intelligantur: notandum est, elenchi definitionem constare ex duabus partibus, nempe ex genere & differentia: definitur enim syllogismus contradictionis. Fallaciæ igitur in dictione consistentes, peccant contra differentiam, quia sophista pro contradicentibus accipit non contradicentia: Quæ verò extra dictionem sunt, contra genus peccant: quia non concludunt; proinde non est syllogismus.

IN CAP. VII. QVO EXPLICANTVR RATIOnes deceptionum.

POstquàm distinxit tredecim genera captionum, ac docuit etiam quatenus cō ueniant: nunc singillatim explicare vult rationem deceptionis, id est, nostram illam ignorantiam, per quam fit vt huiusce modi captionibus fallamur. Sicut enim medicus quęrit causam morbi, vt possit adhibere cō modum remedium: ita etiam Aristoteles quærit causam deceptionis, quò faciliùs possit huic malo mederi.

1 *Porrò nos fallunt*. Docet cur homonymia nos decipiat: quia scilicet ignoram' distinctionē vocabuli multiplicis. sæpe enim homonymia latet, vt dictum est Topic. l. 2. cap. 3. partic. 1. & magis explicabitur infrà, cap. 33. part. 2. idémq; ab Aristotele traditur Phys. lib. 7. cap. 5. & Ethic. Nicomach. lib. 5. cap. 1. ideóque lib. 1. Topic. cap. 15. varios locos nobis tradidit, ex quibus possimus ea distinguere quæ multis modis accipiūtur. Quod autem quędam homonymię lateāt, docet Aristoteles exemplo Vnius, Entis, & Eiusdem. Vnum distinguitur Metaphys. li. 4. (Latinis est 5.) cap. 6. Ens, eodē libro, cap. 7. Idem, eodem lib. cap. 9.

2 *Qui verò ex compositione*. Causa cur nos fallat captio compositionis vel diuisionis, est, quia falsò putamus nihil referre, vtrùm quædam coniungantur, an seiungantur. quamuis enim hoc sæpe contingat, nō tamen perpetuò verum est.

3 *Similis ratio*. Similis causa est cur nos fallat captio accētus. Nā interdum accētus mutatus, sensum non mutat, vt tenebræ & tenébræ, & bútyrum & buty'rum: quādoque verò mutat, vt párere & parére. Cùm igitur sensus mutatur, & nos pro eodem accipimus: tunc fallimur: quia ignoramus, mutatione accentus significationē mutari.

4 *Qui autem ex figura*. Captio ex figura dictionis nos fallit propter similitudinem dictionis, id est, quia falsò putamus vocabula eandem figuram habētia, eodem modo accipi. vtputà eadē est figura verbi Agere, & verbi Audire. Agere tamē significat actionem: Audire verò, passionē. Denique multa verba, quæ grammaticis sunt actiua, philosophis sunt passiua: vt videre, audire, amare, suscipere, Ergo ideo fallimur: quia difficile est discernere inter ea quæ eandem figurā habent, & intelligere quęnam eodem vel diuerso modo accipiantur. vt secare est verbum actiuum, itē verberare: Audire autē est passiuum. Rursus Musa & Luna sunt feminini generis: Planeta autē, & Cometa, quamuis eodem modo terminentur, tamē sunt masculini generis. Quod attinet ad seriem contextus, Primò Aristoteles hanc erroris causam declarat. Secundò cùm ait, *Fere enim*, obiter docet vtilitatem distinguendi. nam qui commodè hoc facere potest, propè est vt scientiam habeat. scit enim, quando oporteat annuere, vel abnuere. vtputà si

putà si interrogetur an canis latret, scit esse concedendum de quadrupede, nõ de pisce. Hinc puto sumptum, quod vulgò dicitur, Qui potest distinguere, potest soluere. Tertiò cùm ait, *quicquid enim*, diligẽtiùs declarat causam nostræ ignorantiæ, id est, cur sæpe non animaduertamus esse distinguendum. Intellige distinctionem, de qua nunc loquimur, id est, inter vocabula habentia similem distinctionis figurã. Fons nostri erroris est: quia omnia attributa eodẽ modo accipimus, quasi omnia significent hoc aliquid & vnũ, id est, quasi vna sit attributio substantialis. nam substantiæ proprium est significare hoc aliquid, vt dictum est Categor. cap. 5. *partic.* 16. Quartò cùm ait, *nam vni*, quia quærere aliquis posset quî fiat vt ita putemus esse vnam attributionẽ essentialem, respondet hoc ideo fieri, quia vni & substantiæ maximè consequens est hoc aliquid & ens. Priusquàm hæc verba declarem: notandum est, hic esse duplicem lectionem. nam vbi modò dixi *enti*, quædã exemplaria habent *vnum*, Græcè τὸ ἕν. quã lectionẽ puto veram esse. sed sensus erit incõmodus, si dicamus vni & substantiæ consequens esse hoc aliquid & vnum. nam vnũ non attribuitur vni, (sic enim diceretur de seipso) sed potiùs enti. Itaque puto pro τῷ ἑνὶ legendum τῷ ὄντι. Causam mendi hanc fuisse puto: Cum quidam intelligerẽt absurde dici vnum attribui vni, mutarũt illud *vnum* in *ens*: vnde illa diuersa lectio, quam proximè notaui: cùm potiùs debuissent mutare illud *vni*, in *enti*. Recepta hac emendatione, sensus est, Enti & substantię, quæ est maxime & præcipuè ens, attribui hoc aliquid & vnũ. nam substantia significat hoc aliquid, vt est positum est in Categoriis. rursus omne ens est vnum, vt declaratur in Metaphys. Quia igitur omne ens est vnum: ideo sic accipimus, quasi quicquid alteri inest, sit vnum. Rursus quia sola substantia est verè & propriè ens, eáque significat hoc aliquid: idcirco putamus, quicquid alteri inest siue attribuitur, esse hoc aliquid. sed fallimur: quia etiãsi omne ens sit vnũ; tamen multis modis dicitur Vnũ, sicut multis modis dicitur Ens. Sunt igitur (vt ita loquar) multa vna. Rursus quamuis sola substantia sit maximè propriè ens, tamen non sola est ens. itaque possunt esse multa & diuersa attributa accidentaria. Vt homini (exempli gratiã) aliter attribuitur audire, aliter secare. dicitur enim homo audire, id est, pati; secare autem, id est, agere. sũt igitur duę diuersę attributiones, quamuis eadẽ sit figura dictionis, quarum altera refertur ad categoriam actionis: altera, passionis.

5 *Quocirca inter.* Ex dictis potuisset aliquis credere fallaciam ex figura dictionis referendam esse inter eas quæ extra dictionem cõsistunt: quoniam dicebamus causam erroris in eo positam esse, quod non possumus distinguere diuersa attributorum genera: quæ distinctio est in re ipsa: non in dictione: siquidẽ figura dictionis est similis. Aristoteles ergo dissoluit hãc obiectionẽ, & ex dictis contrarium colligit, vt indicat particula *διὸ*, quocirca. nam ideo non distinguimus inter res diuersas, quia figura dictionis est similis. prima igitur causa est in dictione, non in re. Hanc sentẽtiam Aristoteles tribus rationibus cõfirmat. Primã ponit ibi, *primum quia*. hæc enim captio & hic error magis accidit, quãdo disputamus cũ aliis, quàm dum meditamur soli: ergo in dictione potiùs quàm in re consistit: quoniã erga alios vtimur vocabulis, nobiscum verò meditari possumus sine vocabulis, dũ imaginamur res ipsas. Altera ratio subiicitur ibi, *Deinde & per nosmetipsos*; quia etiãsi interdũ in meditatione hic error cõtingat; tamẽ hoc tum demum accidit, cùm sermone vtimur. Sermonem hic intellige, non tã externum quàm internũ, vel potiùs in genere, id est, siue sit sermo internus, siue voce prolatus, siue scriptis comprehensus. totidem enim modis sermo accipitur, & totidem modis possumus vti sermone in meditando. præcipuè tamẽ sermone interno, dũ cogitamus, & sermone scripto dũ aliquid legimus. Tertiam rationem subiicit ibi, *Præterea decipiu*: quia similitudo nos decipit, quę in dictione consistit, id est, quia similitudo dictionis, quam vocamus similẽ dictionis figurã, facit vt falsò putemus esse rem eandem.

6 [*Paralogismi*] *verò.* Hactenus considerauit captiones in dictione consistẽtes: sequuntur eæ, quæ sunt extra dictionem. De captione ex accidẽte Aristoteles tria notat, in quibus consistit causa erroris. Dico tria, non tam ipsius rei, quàm verborum contextus ratione habita. Primò ait nos nõ distinguere inter idem & diuersum: quia scilicet putamus esse idem, quod diuersum est. nam accidens non est idem cum subiecto: alioquin esset essentia, non accidens. Secundò ait nos non distinguere inter vnum & multa. quibus verbis eandem sententiam repetit: adeo vt particula *&*, accipi debeat pro, *id est*. Nam si idem esse

vnum est: & si vnum est, idem est. Item si sunt diuersa, sunt multa: & retrò, si sunt multa, sunt diuersa. Tertiò ait nos non intelligere *quibus attributis*, &c. id est, quando ea omnia, quæ dicuntur de attributo, dicãtur etiam de subiecto. nam hoc non est perpetuum: & in essentialibus quidem attributionibus obtinet, veluti si substantia dicitur de animali, & animal de homine, necesse est substantiam dici de homine: in accidẽtalibus verò attributionibus nõ æquè. nam si homo est animal, & animal est trisyllabum, vel neutri generis, nõ propterea homo est trisyllabus, vel generis neutrius. Rurs⁹ si Coriscus est qui venit, & cognosco Coriscum: non propterea cognosco hunc qui venit.

7 *Similis ratio.* Fallacia consequentis eodem modo fallit, quo fallacia accidentis: quia est eius pars, vt suprà exposui. Hoc primùm Aristoteles in hac partic. docet. Deinde cùm ait, *Praeterea & in multis*, aperit alteram causam erroris, quam puto posse referri tã ad accidens, quàm ad consequẽs: quia falsò putamus, si primum à secundo non separatur, etiam secundum non separari à primo. quod est quidem aliquando verum, id est, cùm termini reciprocantur, sed non est perpetuò verum. homo nãque nõ separatur ab animali, quia omnis homo est animal: verùm animal separatur ab homine, quia aliquod animal non est homo. huiusmodi ergo propositiones nõ reciprocantur: nos autẽ in captione accidentis vel consequentis malè admittebamus reciprocationem.

8 *Qui verò ex defectione.* Fallacia ex omissa definitione elenchi, siue ex ignoratione elenchi, & fallacia ex eo quod sumitur simpliciter, quod est ex parte verum, hę (inquam) fallaciæ cõsistunt in eo, quod ab Aristotele vocatur παρὰ μικρὸν, id est, quia discrimẽ inter id quod simpliciter, & id quod ex parte dicitur, adeo est exiguum, vt à nobis non animaduertatur. vtputà putamus nihil referre, vtrùm dicatur AEthiops est albus, an AEthiops est albus dẽtes: sicut nihil refert, vtrùm dicamus, homo videt, an homo videt oculo. Ob hãc eãdem causam, id est, παρὰ τὸ μικρὸν, quia eius quod videtur exiguum, nõ habetur ratio, Aristoteles in Politicis docet sæpe respublicas subuerti.

9 *Similis [est] ratio.* Eadem causa erroris, id est, exiguitas discriminis consideratur in petitione quæsiti, & in pluribus interrogationibus pro vna acceptis. quasi enim hęc nullius momẽti sint, ita admittimus, & admittẽtes incidimus in captionẽ.

IN CAP. VIII. QVO OSTENDITVR, NON SOLVM EX LOCIS SUPRÀ EXPOSITIS COLLIGI EOS QUI VIDENTUR SYLLOGISMI & ELENCHI, SED ETIAM FALSOS & SOPHISTICOS.

SCopus huius capitis est ostẽdere, ad tredecim locos suprà expositos referri omnes argumentationes, quæ videntur esse syllogismi, & omnes sophisticos syllogismos siue elenchos, id est, non solum eos qui peccant in forma, quia non concludũt secundum regulas syllogisticas, sed etiam qui peccant in materia, quia constant ex propositionibus falsis.

1 *Cùm autem.* Proponit hanc sententiam, quòd cognitis locis eorum qui videntur syllogismi, cognoscimus etiã locos, ex quibus fiunt sophistici syllogismi & elenchi. nam omnis elẽchus est syllogismus, vt suprà fuit dictum: sophisticus autem syllogismus videtur esse syllogismus; cùm tamẽ vel simpliciter non sit syllogismus, si in forma peccet, vel saltem non sit bonus syllogismus, si peccet in materia.

2 *Voco autem.* Ne quis putet syllogismum & elẽchum sophisticum vocari eum dumtaxat qui in forma peccat vt ex præcedenti partic. posset aliquis fortasse colligere: docet hunc peccare modò in forma, modò in materia. Hoc enim est, quod ait se appellare sophisticum elenchum & syllogismum, non solùm eum qui videtur syllogismus vel elenchus, id est, qui peccat in forma, sed etiam eum qui est quidem syllogismus vel elenchus, hoc est, qui habet verã formam syllogisticam, peccat tamen in materia, quia falsò videtur esse proprium rei de qua agitur. Quia verò hæc verba sunt obscura, idcirco subiicit declarationẽ, cùm ait, *tales sunt*. quibus verbis separat elenchũ sophisticũ ab elẽcho demõstratiuo, & pirastico seu tẽtatiuo. Demõstratiuus enim secundũ rem. i. revera & ex natura rei redarguit eum qui falsam sententiam ponit. Tẽtatiuus autem redarguit ignorãtes, qui volunt docti videri: atque ita detegit eorum ignorantiam, vt videre est in Protagora, in Gorgia, & in aliis Dialogis Platonis. Nã huiusmodi elenchis Socrates reprehendit sophistas: atque hi referũtur ab Aristotele ad dialecticos. nam pirastice seu tentatiua facultas est dialecticæ pars, vt suprà quoque notauimus. Elenchus autem sophisticus in eo quidem conuenit cum tentatiuo, quòd im-

impedit & inuoluit aduersariũ, vt nequeat sententiam suam tueri: sed eo differt, quòd tentatiuus elenchus hoc rectè facit, ostendens ignorantiam respondentis; sophisticus verò hoc non facit, quia sophismate etiam vir doctus impediri potest. nam peritus in aliqua arte poterit ab imperito illi* artis circumueniri aliqua captione, nisi illius artis peritus teneat etiam artem soluẽdarum captionum, vt etiam suprà dictum fuit c.6. partic.4. quod numquam accidit tẽtatiuo: à quo vir doctus superari, aut impediri non potest, sed tantùm indoctus, qui vult doctus videri. hoc igitur est, quod diximus, elenchum sophisticum non esse rei proprium: quia si rei proprium esset, demonstratiuus esset. non solùm autem non est rei proprius, vt distinguatur à demonstratiuo: sed etiam non ostendit eum qui respondet, esse imperitum, quamuis non habeat responsionem in promptu, quia hoc etiam viris doctis potest contingere.

3 *Quod autem habeatur.* Vult ostendere, eâdem methodo haberi eos qui videntur syllogismi, nec sunt, & falsos atque sophisticos elenchos. Vt intelligatur sententia huius particulæ, & eius probatio, notandum est, quoniam elenchus definitur syllogismus contradictionis, non esse elenchum, nisi sit contradictio: nemo enim potest elẽcho redargui, nisi aliquid posuerit, cuius contrariũ elẽcho probetur. potest autem videri syllogismus etiam absque vlla contradictione. Vnde idem syllogismus respectu eius qui contradictionem tuetur, est elẽchus: respectu aliorum non est elẽchus, sed tantùm syllogismus. Finge in auditorio disputari: ibi est, opponẽs, respondens, & auditores. respondens posuit certas theses: vnam impugnat opponens. hæc impugnatio est elenchus, quo redarguitur respondens, non redarguuntur auditores, qui eam thesim defendendam non susceperunt. & si est sophistica impugnatio, est sophisticus elenchus. Quoniam igitur eadem argumentatio est sophisticus elenchus seu videtur elenchus respectu respondentis, & est tantùm sophisticus syllogismus, seu videtur syllogismus respectu auditorum, qui scilicet non magis possent soluere, quàm respondens: in se autem ipsa nullum est discrimen: hinc manifestum est, eâdem methodo inueniri tam illos syllogismos, quàm hos elenchos, id est, sumi ex iisdem locis, nempe ex illis tredecim, quos antea declarauimus. His expositis, accedamus ad contextum enarrandum. Primò Aristoteles proponit hanc sententiam, quòd illi syllogismi & elenchi, id est, qui videntur, & sophistici, habentur eâdem methodo, id est, ex iisdem locis. Secundò cùm ait, *nam propter quæ*, probat eam sententiam. Vis probationis consistit in eo, quod iam exposui. Sed quòd ad formam, paulò aliter ab Aristotele deducitur. Considerat enim auditorem, respectu cuius non est elenchus, sed tantùm sophisticus syllogismus: & inquit: Cùm hic auditor decipiatur, quia putat ea esse concedenda, quibus concessis extruitur elenchus sophisticus; certe si ipse teneret locum respondentis, ea concederet, & elenchò redargueretur. Eadem igitur ratiocinatio contra eum non est elenchus, & eadem contra eundem fiet elenchus, si suscipiat partes respondentis. Ergo iidem sunt loci syllogismorum falsorum, id est, decipientium, & elenchorum sophisticorum. Nam quod auditor non interrogatus putat se debere concedere, vnde extruitur syllogismus sophisticus: id, si interrogaretur, concederet, vnde extrueretur elẽchus sophisticus. Ad hoc tamen, quod nunc diximus, auditorem, si interrogaretur, ea esse concessurum, quæ non interrogatus putat concedenda, ad hoc (inquam) Aristoteles adhibet quandam exceptionem, cùm ait, *Quãquàm in nonnullis.* Sensus est, esse quasdam captiones, in quibus extruendis, si omnes interrogationes adhibeantur, captio erit manifesta, adeo vt interrogatus non possit falli & redargui, quamuis omissis quibusdam falli possit. Hoc autem inquit potissimùm contingere in iis captionibus, quæ in dictione consistunt, de quibus suprà cap.4. & in solœcismo, de quo infrà cap.14. Exempli gratiâ, si captio ex homonymia sumatur, (putà canis) & sophista vtatur hac propositione, omnis canis latrat: fac sophistam adiungere hanc interrogationem, an canis dicatur de quadrupede, pisce, & sydere: iam apparet fallacia. respondens enim, qui concessisset omnem canem latrare, intelligens sophistam appellatione canis significare etiã piscem & sydus, iam non concedet omnem canem in hac latissima significatione acceptũ latrare. quapropter sophista omittit hanc interrogationem: & ita concludit, quasi etiam de pisce & sydere concessum fuerit, quod de omni cane concessum fuit. Ergo hîc interrogatio impedit, quò minùs respondens fallatur, & concedat quod

sophista sumere vult. alias autẽ quod quis non interrogatus putat esse cõcedendum; id, si interrogaretur, concederet. Deinde cùm ait, *Si igitur paralogismi*, concludit, quia paralogismi contradictionis in eo consistunt, quod videtur elenchus, (id est, quia videri paralogismum contradictionis, seu paralogismum impugnantem problema, nihil aliud est, quàm videri elenchum) manifestum esse etiam falsos, id est, decipientes syllogismos sumi ex iisdem locis, ex quibus sumitur qui videtur elenchus. Consequentia patet ex dictis: quoniam idem est syllogismus contradictionis, & elenchus: item idem est qui videtur syllogismus contradictionis, & qui videtur elenchus.

4 *At qui videtur.* Cùm docuerit ex iisdem locis sumi eos qui videntur syllogismi, & eos qui videntur elenchi; vnde intelligimus tredecim illos locos suprà expositos pertinere non solùm ad eos qui videntur syllogismi, sed etiam ad eos qui videntur elenchi: nunc, vt hoc meliùs intelligatur, percurrit breuiter illos locos, & ostendit inde fieri eos qui videntur elenchi.

5 *Porrò sophisticus.* Quia iam sæpe distinximus sophisticum elenchum à vero elencho: nunc vult perspicue docere, quatenus sophisticus elenchus sit, vel nõ sit elenchus. Tria igitur docet. Primò sophisticum elenchum nunquàm esse elenchum simpliciter: alioqui non esset sophisticus, sed verus elenchus. Simpliciter intellige, vniuersaliter & in re ipsa, non respectu huius vel illius respondentis. Secundò docet sophisticum elenchum esse elenchum respectu respondentis, si id concedat, in quo est fons erroris: vt putà si concedat eanem esse vocabulum synonymum. nã hoc concesso, est elenchus. & si hoc esset verum, esset verus elenchus, sed quia non est verum simpliciter, tantùm à respondente conceditur quasi verum: idcirco non est elenchus simpliciter, sed tantùm respectu respondentis. Tertiò docet, si respondens id non concesserit, nullo modo esse elenchum, id est, nec simpliciter, nec respectu illius respondentis.

IN CAP. IX. DE NVMERO ELENCHORVM, ET DE EORVM locis.

HActenus locutus est Aristoteles de elenchis sophisticis, de quibus in hoc libro sermo est institutus. Sed ne putemus omnes elenchos esse sophisticos, in hoc capite considerat varia elẽchorum genera. alij namque sunt elenchi scientiarũ proprij, alij communes. & illi quidem subdiuiduntur in demonstratiuos, & apateticos seu decipientes: hi verò in dialecticos, tentatiuos, & sophisticos.

1 *Ex quot autem.* Quærit, quot, & qui sint loci elenchorum demonstratiuorum. nam suprà tantùm docuit locos elenchorum sophisticorum: & inquit horum demonstratiuorum locos esse innumeros: quoniam artes & scientiæ sunt propemodum infinitæ, & in singulis sunt multæ demonstrationes, proinde multi elenchi: propterea quod omnis demonstratio potest fieri elenchus. si quis enim ponat thesim conclusioni demonstratiuę cõtrariam, demonstratio contra illam erit elẽchus, & eum redarguet. Itaque tot sunt elenchi demonstratiui, siue scientiales, quot sunt demonstrationes in scientiis: & singuli sumũtur ex propriis scientiarum principiis, quẽadmodum & ipsæ demonstrationes. Loci igitur generales horum elenchorum tot sunt, quot scientiæ, vt putà alij sunt elenchi physici, alij geometrici, &c.

2 *Sed & falsi.* Quemadmodum demõstrationi opponitur falsus syllogismus, qui appellatur syllogismus pseudographus, vel syllogismus apateticus: ita etiam elenchis demonstratiuis opponuntur falsi elenchi: hi verò sunt, qui extruuntur ex principiis alicui scientiæ propriis, male acceptis. Atque hi similiter veri elẽchi, sũt quàm plurimi, & referuntur singuli ad eas scientias, ex quarum principiis ducuntur.

3 *Patet igitur.* Ex dictis colligit non omnes elenchos pertinere ad dialecticum, sed tantùm eos qui communes sunt omnibus scientiis. Vniuersa enim dialectica in communibus versatur. Atque elenchi demonstratiui, & falsi elenchi, de quibus suprà diximus, ad dialecticum non pertinent.

4 *Sanè elenchus.* Distinguit elenchos scientiarum proprios ab elẽchis dialecticis: quoniam illi in singulis sciẽtiis traduntur: hi verò non in singulis scientiis, sed in dialectica.

5 *Nam si tenemus.* Ostendit se docuisse elenchos dialecticos in Topicis, dum ibi docuit syllogismos probabiles: quoniam elenchus nihil aliud est, quàm syllogismus contra-

contradictionis. Itaque si syllogismi illi probabiles adhibeantur contra aliquam thesim, seu probēt conclusionem alteri cōtradicentem, iam sunt elenchi. Cùm ergo Aristoteles in Topicis docuit locos syllogismorum probabilium, putà à coniugatis, à contrariis, &c. simul docuit locos elēchorum dialecticorum.

9 *Quòd si hoc.* Ostendit se in Topicis non solùm docuisse locos elenchorum dialecticorum, sed etiam modos, quibus solui possunt, nempe dum ad varios locos adhibuit instantias siue obiectiones. per has enim elenchus dialecticus dissoluitur, quatenus euertitur maior propositio syllogismi, siue elenchi dialectici.

7 *Tenemus autem.* Iam docet se docuisse etiam locos elenchorum fucatorum, id est, sophisticorum, nempe tredecim illos, qui fuerunt expositi cap. 4. & 5. Monet autem se exposuisse locos, ex quibus fiunt elenchi fucati, qui videntur elenchi, non quibuslibet, sed tantùm certis quibusdam personis. Sensus est, se non exposuisse omnes locos, ex quibus etiam imperitissimi homines possunt decipi: (nam hoc esset infiniti laboris & minùs artificiosum, quia imperiti facillimè possunt falli) sed eos tantùm locos, ex quibus à sophistis impediuntur etiam viri docti. vt dictum fuit cap. 8. part. 2. Nam horum locorum cognitio est necessaria, ne ii decipiantur, qui in scientiis versantur. Imperitæ autem multitudinis in præsentia rationem nullam habemus.

8 *Itaque perspicuum.* Concludit, ad dialecticam pertinere elenchos sumptos ex cōmunibus, id est, ex iis quæ non sunt propria alicuius scientiæ. Hos autem diuidit in dialecticos propriè dictos, & tentatiuos, & fucatos seu sophisticos. Hinc obserua, non solùm tentatiuam, sed etiam sophisticam contineri sub dialectica latè acceptâ. Vnde Aristoteles hunc librum coniungit cum Topicis, vt constat ex vltimo cap. huius operis.

IN CAP. X. QVO REFVTATVR DIVISIO ARGVMENTATIONUM IN EAS QUÆ AD NOMEN, & eas quæ ad sententiam pertinent.

POstquam exposuit veram diuisionem argumentationum & elēchorum: iam proponit, & impugnat prauam quandam quorum diuisionem, qui reduxerunt ad duo genera. dixerūt enim omnem argumentationem & omnem elenchum vel pertinere ad nomen seu vocabulum, vel ad sententiam seu rem ipsam. quæ diuisio Aristoteli non placet.

1 *Non est autem.* Diuisionem, quam modò retuli, proponit, & falsam esse contendit: rationes autem ad eam oppugnandam mox subiiciet.

2 *Quid enim.* Priusquam contra eam diuisionem argumentetur, quædam præmunit. Primò definit, quid sit argumentatio pertinens ad sententiam: & inquit, tunc esse talem argumentationem, cùm aliquod verbum aliter accipitur ab opponente, aliter à respondente. sic enim fit, vt non de eadem re disputent. vtputà appellatione canis opponens intelligit piscem, respondens verò quadrupedem: ergo non disputant de eadem re, sed de diuersis rebus vno nomine significatis. Verba hic habent aliquam obscuritatem, quam conatus sum dissoluere Latinâ interpretatione, secutus hac in parte Alexandrum. Itaque cùm ait, Aristoteles, μὴ χρῆται subaudio ὁ ἐρωτῶν, id est, qui interrogat siue argumentatur, & sequentia verba, οἰόμενος ἐρωτᾶσθαι &c. ita construo, ἐφ' ᾧ οἰόμενος ἐρωτᾶσθαι ὁ ἐρωτώμενος ἔδωκε. Sensus verborum hic est: Ille qui interrogauit siue oppoluit, non est vsus vocabulo in ea significatione, in qua putauit respondens se interrogari: ideóque in alia significatione opponens accepit: in alia verò significatione respondens cōcessit eam propositionem. Exempli gratiâ opponēs interrogauit, an canis latraret, intelligens canem piscem: respondens concessit omnem canem latrare, intelligens canem quadrupedem. Secundò cùm ait, *sed hoc ipsum*, declarat quid sit argumentatio pertinens ad nomen, & inquit hanc nō differre ab illa, quam modò exposuit. Idem enim est disputare de nomine, disputare non de sententia seu re. Quòd idem sint, facilè probari potest. etenim si aduersarii negent idē esse, cogentur fateri suā diuisionem non esse perfectam. aiunt enim omnem argumentationem referri ad hæc duo capita: quia est vel de nomine, vel de sententia: atqui hæc quæ non est de sententia, non potest referri ad posterius membrum: alioqui simul esset & non esset de sententia: refertur ergo ad prius, vt sit disputatio de nomine. In summa igitur disputatio de nomine dicitur, quando non est de reipsa & sententia. Tertiò cùm ait, *Ad sententiam verò*, definit argumentationem ad sententiam pertinentem, quando

respondens in ea significatione concessit aliquam propositionem, quam etiam opponens intellexit. vtpotè vterque intellexit canem quadrupedem. Quartò cùm ait, *si quis igitur*, ex dictis colligit eandem argumentationem respectu diuersarum personarum posse referri ad sententiam, & ad nomen. Sit enim argumentatio, qua probetur omnia esse vnum ens, sicut Melissus & quidā alii existimarunt, contra quos disputat Aristot. lib. 1. Physic. in hac argumentatione fit mentio Entis & Vnius. Iam finge Melissum disputare contra Zenonem, quorum vterque existimauit Ens & Vnum esse vocabula synonyma: hæc igitur disputatio ad sententiam pertinebit: quoniam vterque eodem modo hæc vocabula accipit. Rursus finge eandem esse disputationem inter alios duos, qui censent hæc vocabula multis modis accipi, vt inter duos Peripateticos: iam disputatio non erit de sententia, sed de nomine, vt Aristoteles ait in fine part. quia scilicèt supponit in alio sensu accipi Vnū vel Ens ab opponente, in alio verò à respondente. His præmunitis, deinceps disputabit contra dictam diuisionem argumentationum. Ait, εἰ δέ τις. Ex manuscriptis restitue, εἰ δ' ἄν τις.

3 *Primum enim.* Prima ratio, qua impugnatur dicta diuisio, est, quia non est vniuersalis, id est, non complectitur omnes locos, sed tantùm eos, in quibus dictio est multiplex, veluti propter homonymiam, aut amphibologiā, tunc enim id accidit, vt vel opponens & respondens accipiant vocabula in eadem significatione, sicque disputatio fit de sententia; vel accipiant in diuersis significationibus, itáque disputatio fit de nomine.

4 *Deinde in quocumque.* Secunda ratio est: quia hęc diuisio non tam est argumentationum, siue elenchorum, quàm personarum argumentantium: quandoquidem vna & eadem numero argumentatio respectu quorundam, qui accipiunt vocabula in eadem significatione, ad sententiam pertinet: respectu aliorum, qui accipiunt in diuersis significationibus, refertur ad nomē, non ad sententiam.

5 *Deinde eadem.* Tertia ratio est: quia illæ ipsæ argumentationes, quas in verbis proximè præcedentibus Aristoteles dixit esse de sententia, eadem (inquam) possunt esse de nomine: quia fieri potest, vt non pertineat ad sententiam: quæcumque autem ad sententiam non pertinent, necessariò ad nomen respiciunt: vt probat Aristoteles argumento, quod nos ad secundam partic. proponere anteuertimus; quia scilicèt sententia & nomen in dicta veterum diuisione sumuntur vt membra opposita; adeo vt argumentationes, quæ ad vnum membrum referri non possunt, necessariò ad alterum reducantur: alioqui diuisio imperfecta esset. Quod autem argumentationes illæ, quas diximus esse de sententia, possint non esse de sententia, manifestum est: quia fieri potest, vt respondens, aliter verba accipiat, quàm opponens.

6 *Atqui ex iis.* Quarta ratio est: quia veteres in dicta diuisione pro eodem acceperunt argumentationem pertinentem ad nomen, & argumentationem cuius fallacia in dictione consistit: cùm tamen non omnes fallaciæ in dictione cōsistentes pertineant ad nomen, vt apparet ex definitione earum quæ ad nomen pertinent. diximus enim ad nomen pertinere eas quæ nō sunt de sententia; quia verba aliter accipiūtur à respōdente, quàm ab opponēte: quod quidem in ipsis personis disputantibus cernetur, vt etiam dictum fuit in 4. particula. captiones verò, quæ in dictione consistunt, non tam in personis, quàm in ipsis argumentationibus spectantur. Exempli gratia, si sophista interroget, an omnis canis latret, & respondens affirmet omnem canem latrare, respiciens ad canem quadrupedem: nihil vitii potest abiici respondenti: vitiosa tamen erit argumentatio sophistę, quia continet homonymiam: & hoc vitium ita in dictione consisti, vt nihilominus sit in ipsa argumentatione, veluti, omnis canis latrat, aliquis piscis est canis, ergo aliquis piscis latrat.

7 *Et omnino.* Quinta ratio est: quia veteres peccarunt agentes de elenchis, cùm non egerint priùs de syllogismis. omnis enim elenchus est syllogismus: & inde diuisio petenda est, quoniam fucatus elenchus, vel non est verus syllogismus, vel nō est syllogismus contradictionis: proinde ad hæc duo capita referri debent vitia elēchorū, vt ipse Aristoteles suprà retulit cap. 6. partic. vlt. quòd vel non est verus syllogismus, vel non est vera contradictio, id est, vel sophista non concludit, vel saltem non concludit contra nostram thesim. Hæc igitur diuisio est melior, quàm veterum. Obiter hanc diuisionem declarat Aristoteles tribus exemplis. Primi vitium refertur ad contradictionem: secundi tam ad contradictionem, quàm ad syllogismum: tertii ad syllogismum dumtaxat. Primum exemplum tale est: Quærit sophista, an hoc esse

hoc esse possit, tacentem dicere. cùm autem respondens abnuat, soph ista nititur id probare, quia potest aliquis dicere Socratem, cùm Socrates taceat: licet ergo tacentem dicere. In hoc exemplo non est vera contradictio, quia vtrumque est verum, posse tacentem dicere, & non posse tacentem dicere; quoniam in affirmatione illud, tacentem, est accusatiuus patiens, in negatione verò agens, id est, tacens loqui non potest, dum tacet: sed aliquis potest dicere eum qui tacet. Secundum exemplum tale est: Quærit à te sophista, an possit aliquis dare quod non habet: te autem negante id posse fieri, opponit aliquem posse dare libenter, quod non habet libenter, ex quo conatur impugnare tuam responsionem. Hæc captio potest consistere in falsa contradictione, vel in paralogismo. nam si sophista ita argumentetur: Quod quis non habet libenter, dat libenter: ergo dat quod non habet: Vitium est in syllogismo: quia non est bona consequentia: propterea quòd aduerbium *libenter*, non significat rem quæ datur, sed modum quo datur. Quòd si sophista ita argumentetur: Dat aliquis libenter, quod non habet libenter, ergo dat eo modo quo non habet: consequentia bona est: sed non probauit contradictionem, vt probare debuit ad impugnandam tuam responsionem. hæc enim duo simul vera esse possunt, neminẽ posse dare quod non habet, & aliquem posse dare quomodo non habet. non sunt igitur contradicentia, cùm simul vera esse queant. Tertium exemplum tale est: Omnis circulus est figura, aliquod Homeri poema est circulus, ergo aliquod Homeri poema est figura. vitium est in syllogismo: quia medius terminus, id est, circulus sumitur homonymos, nempe in maiore propositione pro figura mathematica, in minore autẽ pro genere carminis, de quo dictum fuit etiã lib. 1. Posterior. ita sunt quatuor termini cõtra regulas syllogismorum. Quòd si circulus in vna significatione sumatur, iam erit alterutra propositio falsa: vnde nihilominùs erit vitium in syllogismo. Puto tamen Aristotelem hic respicere ad homonymiam. His ergo modis inquit Philosophus fieri ca[illegible] putemus fieri etiam aliis m[illegible], vbi neutro modo peccatum [illegible] tum syllogismum & verum el[illegible].

8 *Sed[vt eo.*]Obiter repetit diuisionem sophisticorum elenchorum, quam iam dederat cap. 6. particulâ vltimâ: vt eam conferens cum diuisione veterum, ostenderet hanc suam diuisionem præstare illorum diuisioni: nunc ait redeundum eò esse, vnde oratio profecta est, id est, ad proponenda argumenta, quibus diuisio veterum impugnetur. nam diuisionis Aristotelicæ explicatio per digressiunculam quandam facta est. Adiungit ergo sextum argumentum sumptum à mathematicis. Vis argumenti in eo consistit: quòd diuisiones debẽt esse propriæ eius rei, quæ diuiditur: Veterũ autem diuisio talis non est: quia non solùm accommodatur disputationibus communibus, quales sunt dialecticæ, & sophisticæ, de quibus nunc loquimur, sed etiam scientijs, veluti mathematicis. vtputà si disputetur de triangulo, & quæratur an habeat tres angulos æquales duobus rectis: quoniam triangulus sub se continet tres species, fieri potest, vt aliquis credat triangulum de illis dici homonymos, & vt alter triangulum accipiat respondens, quàm opponens. tunc igitur disputatio erit de nomine: cùm aliàs, si rectè vterque accipiăt triangulum, sine dubio disputatio ad sententiam pertineat.

9 *Præterea si nomen.* Sequitur septima ratio. Fingit Aristoteles orationem posse multis modis capi, veluti tacentem dicere, sed respondentem id ignorare, & existimare vno modo orationem illam capi. Hoc posito, inquit, cùm respondens simpliciter respondeat, & omnino affirmet vel neget, disputationem referri ad sententiam: quia respondens putat non esse ambiguam orationem & vult omni significationi suam responsionem accommodari. aut si neges hoc casu disputari de sententia, saltem cogetis id fateri, si opponens distinguat, ac declaret multas illas significationes, & distinctè de singulis quærat. veluti, licétne tacentem dicere in hac vel illa significatione? respondens autem omnino neget posse tacentem dicere. disputatio namque erit de sententia: cùm, in quibus significationibus opponens accipit, in iisdem etiam respondens accipiat. Sed nihilominùs hæc argumentatio est ad nomen: quia captio in dictione consistit; tales autem captiones reducebant veteres ad nomen, non ad sententiam. Hoc argumentum non simpliciter valet, sed (vt in scholis loquuntur) ad hominem: quia non simpliciter verũ est, fallacias in dictione consistentes ad nomen pertinere. immo

Aristoteles part.6.hanc sententiam reprobauit: sed pro vero habetur ab illis antiquis, contra quos Philosophus disputat.

10 *Sed quædam ad nomen.* Sequitur octaua ratio, qua veteres deducunt ad cōtradictionem. Ex vna enim parte omnis argumentatio potest referri ad nomen; atque adeo etiam argumētatio mathematica, vt dictum fuit part.8. ex altera verò parte sunt quædam argumentationes, quæ nō possunt referri ad nomen, id est, veri elenchi, & captiones extra dictionem cōsistentes. Veteres enim (vt suprà notauimus) pro eodem accipiebant argumentationem aduersus nomen, & captionem in dictione consistentem.

11 *Quòd si quis putet.* Hæc particula cōtinet quandam hypotheoream. dictum enim fuit in 9. parti posse fieri disputationem aduersus sententiam, si opponens distinguat suam interrogationem habentem multas significationes, cùm respondens nō animaduerteret orationem esse multiplicē. nunc autem monet Aristoteles, ne opponens id faciat: eúmque non debere id facere tribus rationibus probat. Prima ratio est: quia fieri potest, vt ipse opponens ignotet orationem esse multiplicem: non est igitur ei hoc onus iniungendum, vt distinguat. cur enim distingueret, quod non putat esse multiplex? aut cur remoueretur à disputando propter eam ignorantiam? Nam respondentis est distinguere ac soluere, non opponentis. Secunda ratio ponitur ibi, *Deinde docere:* quia aliud est officium disputantis, aliud docentis. quare si respondens ignoret interrogationem esse multiplicem, & opponens distinguat, iam non disputantis, sed docentis munere fungitur. Tertia ratio subiicitur ibi, *Nam & in his:* quia distinctio potest adhiberi non solùm in verbis homonymis, vel orationibus ambiguis, sed etiam in aliis, vt Aristoteles docet duobus exemplis. Primum est, si quæratur, an vnitates, quæ sunt in numero quaternatio, sint æquales binariis in eodem quaternario consistentibus. nam in quaternario sunt quatuor vnitates: item in quaternario sunt duo binarii. an ergo vnitates & binarii sunt æquales? Hic quoque distinguitur. nam si conniunctim accipias quatuor vnitates, & duos binarios: dicendum est, esse æquales. si verò disiunctim sumantur, id est, singulæ vnitates conferantur cum singulis binariis, sunt inæquales. Alterum exemplum est, si quæratur, an contrariorum sit eadem scientia. potest enim huic interrogationi addi distinctio, alia esse nota, alia ignota: vt distinctè ita quæratur, Estne omnium contrariorum eadem scientia, tam eorum quæ sunt nota quàm eorum quæ sunt ignota? an eorum tantùm quæ nota sunt, vel eorum tantùm quæ ignota sunt? ita distinctè interrogari potest. Sed Aristot eùm subiicit, *Quapropter videtur,* ostēdit hoc non tam esse disputare, quàm docere: & eorum qui ab opponentibus tales distinctiones requirunt, ignorare discrimen, quod est inter docentem & disputantem.

IN CAP. XI. QVO INTER SE CONFERVNTVR DIALECTIcus, pitasticus, sophista, litigiosus, demonstrans, & pseudógraphus.


IN hoc capite confert Aristoteles inter se varia elenchorum genera: sūt enim quidam elenchi demonstratiui: quidam pseudographi, qui vocabantur falsi elenchi cap.9.part.2. atque hi sunt proprii scientiarum: alii verò sunt communes, nimirum dialectici, tentatiui, sophistici, & litigiosi.

1 *Ad hæc postulare* Discrimen ponit inter demonstrantem & tentantem: quia hoc principium, de quaque re veram esse affirmationem vel negationem, cùm sit principium commune, non ponitur in demonstratione quæ ex propriis constat: nec in elencho demonstratiuo: sed rectè ponitur in elencho tentatiuo: quia cùm sit species elenchi dialectici, rectè ex communibus principiis conficitur. Confer hanc partic. cum cap.11.lib.1 Poster.

2 *Quid igitur re vera.* Discrimen ponit inter dialecticum & sophistam, siue elenchum dialecticum & elenchum sophisticum: quia dialecticus de quacumque re subiecta considerat ea quæ sunt communia: omittit enim scientiarum propria, tāquàm ad se non pertinentia: sophista verò videtur hoc facere: quoniam syllogismus sophisticus est syllogismus fucatus, qui falsò videtur dialecticus, vt aurichalcum falsò videtur esse aurum.

3 *Porrò syllogismus.* Distinguit syllogismos litigiosos seu sophisticos eùm inter se, tum etiam à pseudographis. Cùm dixi, inter se, ne intelligas litigiosum seceroni à sophistico: id enim demū fiet seq. particulā, sed nunc pro eodem sumuntur, & in duas species distinguuntur. Primò igitur distinguit has duas species: quoniā alii sunt fucati syllogismi, qui ex cōmunibus, in quibus dia-

bus dialectica & tentatiua versantur, falsò videntur concludere, cùm nihil concludant: (nec interest, vtrùm conclusio sit vera, an falsa) alij verò concludunt, sed ideo sunt sophistici & fallaces, quia volunt videri demonstrationes, cùm non sint. sicut igitur ciuis nõ mentitur, si se ciuem dicat, sed si se nobilem aut comitẽ affectat: ita syllogismus dialecticus non est vitiosus, si proponatur vt probabilis, sed est vitiosus si proponatur quasi necessarius. Deinde cùm ait, *vt falsæ descriptiones*, à sophisticis elenchis seu syllogismis seiungit falsas descriptiones seu syllogismos pseudographos, quos cap. 9. part. 2. vocauit syllogismos falsos. & lib. 1. Poster. appellauit syllogismos apatēticos; quia pariunt ignorantiam prauæ dispositionis contrariã veræ scientiæ demonstratiuæ. sumuntur enim ex principiis non communibus, vt dialectici, & sophistici, sed propriis scientiarum, malè tamen acceptis. Vt hoc discrimen melius intelligatur, Aristoteles illud declarat collatis inter se duobus tetragonismis, quorũ alter est pseudographus, alter verò sophisticus. Pseudographus est tetragonismus Hippocratis Chij, qui fiebat per lunulas. primùm enim Hippocrates quadrabat lunulas: postea inde colligebat quadrationem circuli, vt legere est apud Simplicium in 1. Phys.



Hippocrates igitur argumẽtabatur ex principiis geometriæ propriis: sed in eo tantùm peccauit secundũ Simpliciũ, quòd cùm probasset quadrationem lunulæ certo modo descriptæ supra latus quadrati, deindè ita accepit, ac si probasset de omnibus lunulis. vnde postea sine alia probatione sumpsit quadrari lunulas descriptas supra latera hexagoni. Quoniam igitur non est vsus principiis communibus, sed geometriæ propriis malè acceptis: (hãc enim propositionem, lunulas quadrari, quæ est vera particulariter, accepit tamquàm veram in vniuersum) idcirco ratiocinatio Hippocratis dicitur esse geometrica, & pseudographa, non sophistica. Notandum est, cùm Aristoteles ait, *vt [falsa descriptio] Hippocratis, & tetragonismus qui per lunulas [fit,]* eum non proponere his verbis duos tetragonismos, sed vnũ Hippocratis, qui per lunulas fiebat; adeo vt particula *&*, & accipi debeat pro, *id est*, sicut etiam accipiebatur cap. 1 part. 1. Sophisticus autẽ dicitur tetragonismus Brysonis: quia nititur principiis communibus, per quę Bryso putauit se demonstrare, vt expositũ est lib. 1. Post. cap. 9. descripto enim circulo inter duo quadrata, quoniam hic circulus est maior minore quadrato, & minor maiore, inde collegit, si inter illa duo quadrata describatur quadratum mediũ, æquè minus maiore quadrato, & maius minore, hoc medium quadratũ esse æquale medio illi circulo. His expositis, subdit tertio loco Aristot. *Quæ & quæ*, concludens duo esse genera fucatorum seu litigiosorum syllogismorum, quæ iam exposuimus. Vnum enim fallit: quia falsò videtur syllogismus: alterum verò fallit, quia falsò videtur demõstratio. Quartò cùm ait, *vt enim iniustitia*, exemplo declarat hos syllogismos contentiosos. sicut enim in certamine potest aliquis iniustè contendere, vt Antilochus apud Homerum in equorum cursu, ita etiã in disputatione potest aliquis iniustè contendere.

4 *Et [ii] quidem.* Distinctionem ponit inter syllogismos contentiosos & eos qui propriè vocantur sophistici. Distinctio sumitur non ex re, sed ex mente & scopo argumẽtantis, si enim captiosè argumentetur tantùm victoriæ causâ, quia delectatur eâ victoriâ & eâ gloriolâ, dicitur litigiosus, siue contentiosus. Si verò victoriam lucri causâ quærat, vt ex simulata sapientia lucrum captet: tunc dicitur sophista, & syllogismus sophisticus. Sophistice enim est fucata sapientia, quæ lucri causâ simulatur.

5 *Litigiosus autem.* Declarat proportionem, quæ est inter hos syllogismos, geometricum, pseudographum, dialecticum, & litigiosum. Cùm ait geometricum, intellige demonstratiuum, & scientialem, siue ad geometriam siue ad aliam scientiam pertineat. nam geometricum exempli gratiâ accipitur: quoniam Aristotelis ætate qui logicæ dabant operam, nondum didicerant physicam, aut similes scientias, sed geometriam. Eodem modo accepit interrogationem geometricam vel non geometricam lib. 1. Posteriorum, cap. 12 Rursus cùm ait litigiosum, æquè intellige sophisticum: quia litigiosus & sophisticus reipsa non differunt, vt in præced. part. fuit expositum. Inter hæc quatuor syllogismorum genera talis est proportio: vt quomodo se habet pseudographus ad geometricum, eodem modo se habet litigiosus ad

dialecticum. sicut enim pseudographus fallit ex principiis geometricis; ita etiam litigiosus fallit ex principiis communibus & dialecticis. Hanc proportionem illustrat exemplo tetragonismi, quo etiam supra visus est partic. 3. Addit tamen & alia quædam exempla. Primum exemplum est tetragonismus Hippocratis per lunulas, qui est pseudographus, non litigiosus. Secundum exemplum est tetragonismus Brysonis, qui est litigiosus, non pseudographus, nititur enim principiis communibus, vt tetragonismus Hippocratis principiis geometricis, sicut expositum est dictâ part. 3. Sed hoc loco Aristoteles magis declarans discrimen inter hos duos tetragonismos, inquit tetragonismum Hippocratis non posse ad alias res transferri præter geometricas. nam lunulæ, portiones seu segmenta circulorum, diametri, latera quadrati, vel hexagoni, & cetera, quibus Hippocrates vtitur, geometrica sunt. Brysonis autem tetragonismus potest ad res non geometricas transferri: nititur enim communi axiomate, Vbi est maius & minus, ibi etiam reperiri æquale: quod axioma non solùm potest accommodari rebus geometricis, sed etiam numeris, & aliis rebus. Tertium exẽplum est tetragonismus, cuius auctor fuit Antipho.



Hic enim dato circulo inscribebat quadratum: deinde singula quadrati latera diuidebat in duas partes æquales, & à pũcto in quo singula latera diuiduntur vsque ad circumferentiam circuli erigebat lineam rectam: postea à puncto, in quo hæc linea in circumferentiam circuli incidebat, ad punctum in quo quadratum tangit circulum ducebat lineam rectam: & ita deinceps faciebat per totum circulum. sic ex figura quadrilatera constituebat figuram octo laterũ, ita vt hæc octo latera propiùs ad circumferentiam circuli accederent, quàm latera quadrati. Eodem modo ex hac figura octo laterum efficiebat figuram sexdecim laterum. & quia semper latera propius ad circuli circumferentiam accedunt, putauit sibi eò vsque progrediendum, donec latera essent tam exigua, vt præcisè caderent supra circumferentiam circuli. nam si hoc fit, habebimus figuram multilateram circulo æqualem. & quoniam hæc figura est rectilinea, & omnis figura rectilinea potest quadrari: sine dubio quadratum æquale huic figuræ multilateræ erit æquale circulo. Nititur ergo Antipho principio communi, quòd cùm possimus per diuisionem & multiplicationem laterum propiùs accedere ad circumferentiam circuli, tandem poterimus latera constituere præcisè supra circumferentiam: quod est falsum, & impossibile. nam linea recta, quantumuis parua, non potest cadere supra circulare m; sed vel manebit intra circulum, vel extra circulum eminebit. Ergo quia principium illud est commune, ideo syllogismus dicitur litigiosus, non pseudographus. Quarum exemplum tale est: Dicebat Zeno nihil moueri: quia in omni spatio sunt partes infinitæ, quas oportet pertransire, si quis velit à termino ad terminum moueri: atqui non licet pertransire infinitum: ergo nihil moueri potest: quia si moueretur, pertransiret infinitum. Si quis hinc velit impugnare placitum medicorum, quòd deambulatio post cœnam sit salubris; quia si nemo potest moueri, non potest deambulare post cœnam: syllogismus erit litigiosus, non pseudographus: quia non erit sumptus ex principiis medicis. Tandem tùm ait Aristoteles, *si igitur eodem*, ex proportione iam exposita concludit, eum non esse litigiosum syllogismum, qui sumitur ex principiis alicuius scientiæ propriis, malè acceptis. sicut enim non est pseudographus ex communibus, ita non est litigiosus ex propriis.

6 *Iam verò non versatur.* In confirmationem eorum quæ dicta sunt, dialecticũ, & consequenter litigiosum syllogismum non sumi ex principiis alicuius scientiæ propriis, ostendit dialecticam non versari in aliquo certo subiecto, vt physica versatur in rebus naturalibus, geometria in magnitudinibus, arithmetica in numeris, sed per omnia liberè vagari. Addit tamen, dialecticum non esse similem philosopho vniuersali: quia non continentur omnes res sub vno genere, nec omnes habent eadem principia. Vtrumque dictum eget expositione. Quod ad prius dictum attinet, id est, dialecticum non versari in aliquo certo genere subiecto: primùm intelligere oportet, Aristotelem non loqui de tota logica, sed de ea parte, quæ spectatur in syllogismis probabilibus, & sumptis ex principiis communibus. Deinde notandum est, Aristotelem non loqui de arte dialectica, quam scholastici appellant dialecticam docentem, sed de vsu dialecticæ, quem illi vocant dialecticam vtentem. Nã ars dialectica, quæ traditur in Topicis, æ-

què habet suum proprium subiectum, in quo versatur, atque aliæ partes Logicæ, immo æquè ac omnes aliæ artes & scientię. vt enim medicina versatur in corpore sanabili, physica in corpore naturali, analytica in demonstratione: ita dialectica seu topica versatur in epicheremate, id est, syllogismo probabili. Quod igitur ad doctrinā attinet, nulla est differentia inter analyticam & topicā: sed in vsu est discrimen: quoniam eodem syllogismo dialectico vti possumus in omnibus scientiis, & illa axiomata seu principia dialectica possumus adhibere in omnibus disputationibus, & accommodare quibuscumque rebus: syllogismi autem analytici siue demonstratiui ita proprii vnius scientiæ sunt, vt ad alias transferri nequeant, vt probatū fuit lib. 1. Poster. Quod ad posterius dictū attinet: cōparat Philosophus dialecticā cum metaphysica, sicut etiā comparauit lib. 1. Poster. cap. 11. vtraq; enim est vniuersalis, sed diuersis modis. dialectica nāque ideo est vniuersalis, quia vagatur per omnes scientias: metaphysica verò ideo est vniuersalis, quia versatur in ente in vniuersum accepto. Cur autē dialectica non sit vniuersalis vt metaphysica, Aristot. rationē obscuram affert: quia non sunt eadē principia omniū rerum. nam si hæc est causa cur dialectica non versetur in vno subiecto, idē videtur dicendū de metaphysica & dialectica. Sed intelligere oportet in eo esse discrimē: quod metaphysica tantùm in genere cōsiderat entia, quippe quæ cōsiderat entia, quatenus entia sunt, non quatenus sunt mobilia, vel sub alia ratione particulari. quare non tractat (exēpli gratiá) de proprietatib⁹ animaliū vel plantarū: quia nō cōsiderat animal quà animal, aut plantā quatenus est planta, sed tantùm sub generali ratione entis. dialecticus verò etiam specialiter de quibuscunq; rebus disserit: vt putà de proprietatibus animaliū propriis, nec nō de ꝓprietatibus plantarū, & aliarū rerū, hę namque res specialiter cōsideratę nō possunt habere eadē principia: sed quatenus sunt entia, habent communia quędā principia, quorū ratione cōsiderantur in metaphysica: cōmunia, inquam, nec synonymos nec homonymos, vt Aristoteles docet lib. 3. Metaphy.

7 *Quocirca nulla.* Sententiam iam expositam confirmat Aristoteles signo quodam, id est argumento ab effectu. hæc enim est causa, cur dialecticus interroget, demonstrator autem non interroget: quia dialecticus non habet certa principia, sed ea sumit ex ore respondentis: (arguit enim ex eo, quod aduersario probabile est. itaque si aduersarius affirmet, vtetur affirmatione: si neget, negatione) demōstrator autem habet certa necessaria principia. Hoc discrimen pluribus fuit expositum lib. 1. Poster.

8 *Sed eadem* [*est.*] Docet, dialecticam, quam diximus vti principiis communibus & vagari per omnes scientias, eandē esse etiam pirasticā seu tentatiuam. i. sub se complecti tentatiuam. quod declarans, ait tentatiuam non esse similem geometriæ. i. ille qui tentandi causâ disputat, vt Socrates cōtra sophistas apud Platonem, non arguit ex principiis scientiarum propriis, sed ex communibus, quæ aduersario probabilia videntur. Addit Aristoteles, (quod verissimum est, & valde tamen eleuat auctoritatem Platonis, qui potissimùm in hac tentatiua arte excellit) huiuscemodi argumentationes habere locum etiam inter imperitos; adeo vt vir imperitus possit hac ratione alterius imperitiam detegere: quemadmodum musicę aut picturæ ignarus potest iudicium facere de alterius musica vel pictura, & vitia reprehendere. Inquit ergo Philosophus principia quibus vtitur tentatiuus, talia esse, vt si quis ea ignoret, non possit dici sciens, sed necessariò sit indoctus. si verò ea cognoscat, non propterea tamen doctus vir sit. nam licèt viri docti necessariò intelligant hæc communia & leuia principia: (qui enim difficiliora & præstantiora cognoscit, multò magis intelligit faciliora & leuiora) non tamen è contrario quicumque hæc principia cognoscit, vir doctus est: quemadmodum si quis non possit legere, manifestè deprehenditur non esse grammaticus: nec propterea quicumque bene legit, est grammaticus. Quamobrem Socrates suis ratiocinationibus, quibus sophistas inuoluit, eorum quidem ignorantiam detegit, suam verò scientiam non patefacit: & fortasse hac de causa dicere solebat se nihil scire.

9 *Idcirco omnes.* Quod proximè dixit, ex disputatione tentatiua non colligi aliquem esse virum doctum; nunc ex eo confirmat, quòd omnes etiam idiotæ aliquo modo vtuntur tentatiua quemadmodum & dialectica. Primùm hoc probat ex eo, quòd omnes iudiciū ferunt de iis qui aliquam scientiā profitentur. fac enim multos auditores (exēpli gratiá) medicinæ imperitos interesse disputationi medicæ: ferè tamen quilibet eorū iudiciū feret de disputantib⁹, ac dicet eos bene aut malè disputare, prout sibi videbitur. Deinde cū ait, *redarguunt igitur*, distinctionē ponit inter idiotas

& viros doctos redarguentes, vel tentantes. nam illi hoc faciunt sine arte, quatenus naturali ingenii vi assequi possunt: hi verò id faciunt secundum artis præcepta. Tertiò cùm ait, *Quoniam autem*, ostendit esse talem artem tentatiuā & dialecticam: quoniam ea, ex quibus contra alium disseritur, sunt in duplici differentia. quædam enim communia sunt, alia singularum rerum propria. hæc, quæ propria sunt, non requirunt nouam aliquam artem: quoniam habentur in ea scientia siue arte, cui res illę sunt subiectæ. exempli gratiâ, disputatio ex principiis physicis pertinet ad physicam quæ verò communia sunt, non possunt referri ad aliquam scientiam demonstratiuam: sunt igitur referenda ad artem dialecticam & tentatiuam.

10 *Quocirca litigiosus.* Ex dictis colligit discrimen inter litigiosum & pseudographum. nam litigiosus arguit ex communibus: pseudographus autem ex principiis alicuius scientiæ propriis.

11 *Modi igitur.* Refert elenchos sophisticos ad dialecticam. vt enim suprà quoque cap. 9. partic. vlt. notaui, dialectica latè accepta, suo ambitu complectitur omnes disputationes ex communibus principiis sumptas; proinde etiam tentatiuas, & sophisticas. Hinc est, quòd Aristoteles Topicorum appellatione aliquando intelligit etiam hunc librum de elenchis sophisticis, vt cap. 11. de interpretatione, part. 2. Referri autem sophisticam ad dialecticam, inde probat, quòd hæc methodus, id est, hæc ars sophistica versatur in propositionibus: subaudi, communibus, non alicuius scientiæ propriis.

12 *Ac de fucatis.* Breui epilogo finem imponit expositioni elenchorum sophisticorum: qui quidem erat primus & præcipuus sophistarum scopus. vnde factum est, vt hic liber inscriberetur de sophisticis elenchis.

IN CAP. XII. DE LOCIS QVIBVS PROBATVR falsum, vel paradoxum.

HOc capite agit Arist. de secundo, & tertio scopo sophistarum.

1 *Quòd verò ad id.* Primùm proponit hos duos scopos: & quia coniunctim de iis pertractat, vocat hunc secundum sophistarum scopum, nempe quia sequitur primum. nam si inter se hi duo distinguantur: vnus erit secundus, alter tertius. Deinde subiicit varios locos, quibus ducimur à sophista ad hos scopos. i. ad falsū, vel paradoxum, vt scilicèt cogamur fateri aliquid manifestè falsum, vel admirabile & præter opinionem. Sunt autem quidam loci communes vtriusque scopi, quidam singulorum proprii. Primus locus communis proponitur in hac particula illis verbis, *primùm ex certo.* Hic locus sumitur à thesi seu problemate prætermisso. Nam si disputatio incerta sit, non ad certam thesim coangustata, facilè vagatur sophista, & proponit interrogationes varias, ex quibus ducet ad falsum vel ad paradoxum. quod non tam facile efficiet, si sit certæ thesi adstrictus.

2 *Item multa.* Secundus locus sumitur à multitudine interrogationum. Cùm enim certa est thesis, non tam facilè potest sophista ducere ad falsum vel paradoxum, nisi multitudine propositionum rem obscuret; ita vt respondens non animaduertat se ea concedere, quibus ducatur ad absurdum. Primò Aristoteles ponit hunc locum. Secundò cùm ait, *Sed nunc minus*, ostendit sophistas non ita potuisse sua ætate vti hoc loco, vt apud veteres: quia tempore ipsius Aristotelis in disputationibus meritò cœpit hoc vsurpari, vt ii qui theses defenderent, nollent respondere ad propositiones, quæ non pertinerent ad suas theses; sed cùm interrogarentur, quærerent quid illa interrogatio faceret ad disputationem. Quamobrem tempore Aristotelis non pot erant sophistæ liberè interrogare quæ vellent, vbi positæ erant certæ theses, de quibus disputaretur.

3 [*Est*] *autem elementum.* Tertius locus sumitur à simulato studio discendi. Si quis enim interroget, non quasi probaturus, aut sententiam eius quem interrogat, impugnaturus, sed quasi velit ab eo discere: facilè efficiet, vt respondens temere concedat, quæ aliàs non concederet. eâ namque simulatione fit, vt respondens sibi fidat, & ab interrogante sibi non caueat. hoc loco passim vtitur Socrates apud Platonem contra sophistas. sophisticè igitur contra sophistas egit, & artem delusit arte.

4 *Ad hoc autem.* Hactenus loci communes: nunc proponit locum propriū falsi, .i. quo quis ducitur ad concedendum falsū. Sumitur autem hic locus à translatione disputationis. Porrò disputationis translatio modò rectè, modò sophisticè fit, vt ait Arist. suprà expositū fuisse. i. lib. 8. Top. cap. 5.

5 *Rursus*

5 *Rursus.* Sequuntur loci proprij paradoxorum, id est, quibus sophista ducit ad paradoxum. Primus locus sumitur à secta. Variæ namque sunt Philosophorum sectæ, & singulæ ponunt quędam contra communem opinionem: vt Pythagorici ponũt animam esse numerum, & migrare in varia corpora. Platonici censent in Republica tam mulieres & liberos, quàm res omnes debere esse communes. Qui igitur argumentatur, obseruare debet, quam Philosophæ sectam respondens sequatur: & in propositionibus sumere aliquas ex thesibus proprijs illius sectæ. Sic enim ille paradoxum vitare non poterit. Theses hic intelli ge in significatione propria, quatenus significantur positiones quædã admirabiles & præter hominum opinionem: quæ theseos significatio tradita est ab Aristotele 1. Topi cor. cap. 11. part. 5. Quod autẽ ait, *sumpsisse in propositionibus*, potest accipi duobus modis. Vnus est, cum aliquis interrogat, interroget de illis thesibus admirabilibus. nisi enim respondens velit cõtradicere auctoribus suę sectę, cogetur paradoxum fateri. Alter modus est, vt intelligamus sumi propositiones eodem modo, quo cap. 14. primi Topici: vbi docebat Aristoteles ad habendam copiam argumentorum colligendas esse propositiones: & inter cetera iubebat singulorum opiniones præcipuas in commentarium referri. Vtraque quidem interpretatio sumi potest: sed posterior mihi magis arridet: quia magis conuenit verbis; quoniam Aristoteles in prętẽrito tempore ait, εἰλημμέναι, λαμβάνειν.

6 *Sed horum solutio.* Obiter proponit solutionem aduersus locum nuperrimè expositum, nempe vt respondẽs dicat admirabile illud & paradoxũ non colligi ex disputatione, quemadmodum contendit is qui opponit. Sensus est, illud paradoxum non inferri culpâ respondentis, quasi ex argumentatione opponentis cogatur fateri id quod nollet concedere: sed ideo à respondente poni hoc paradoxum, quia suæ doctrinæ & suæ sectæ est consentaneum. Licet enim philosophis quędam asserere prę ter vulgarem opinionem. Ait, *semper autẽ.* Sensus est, eum, qui opponit, hoc velle, & hoc facere conari, vt vi argumenti cogat respondentem inuitum concedere aliquod paradoxum. Si igitur eum ducat ad paradoxum, quod etiam sine vllo argumento concederet tamquàm sectæ suæ consentaneum, certe opponens frustra argumentatus est.

7 *Praeterea arguendum.* Secundus locus sumitur à voluntatibus occultis, & ex opinionibus quæ esse videntur. quod perinde est, ac si dicatur à voluntatibus & sermonibus hominum. alia namque est voluntas, quam plerique in corde habẽt: alia, quam verbis significant. Nam omnes (inquit Aristoteles) verbotenus præferunt honesta vtilibus & iucundis: reipsa tamẽ malunt vtilia, vel iucunda, quàm honesta. Ergo inspicias, qualis sit aduersarij thesis. nam si consentiat cum sermonibus hominum, aduersabitur tacitis voluntatibus. si verò his sit consẽtanea, repugnabit sermonibus. duces igitur ad paradoxum, id est, vel ad id quod repugnat opinionibus expressis, vel ad id, quod cõtradicit opinionibus hominum tacitis reputã si thesis sit honesta, ostẽdas eã repugnare vtilitati, quã omnes sequũtur. si vero sit vtilis, ostendas eam aduersari honestati, quam omnes sequi & emolumento præferre debent.

8 *Latissimè autem.* Tertius locus sumitur à naturã & lege. Legem hic intellige, quam vocãt positiuam, non naturalem, immò potiùs naturæ contradicentem, qualis est lex probãs seruitutes, cùm seruitus dicatur naturali iuri esse contraria. Si thesis consentanea sit legi: ostende eam repugnare naturæ. Si verò est naturę consentanea, demõstra eam repugnare legi ab omnibus receptæ. ita semper duces ad paradoxum: quia omnes concedũt, quod natura dictat; & simul etiam concedunt, quod communis lex præcipit. Primò Aristoteles proponit hunc locum: & inquit eum latissime patere, id est, multis disputationibus conuenite, ac fuisse apud veteres in frequenti vsu: itaque disseruisse Calliclem apud Platonẽ in Gorgiã, vbi censet iustitiam non esse bonam secundum naturam, sed secundum legem. Natura enim secundum Calliclem hoc vult, vt qui fortior est, inferiorem spoliet & iniuriã afficiat. quod Callicles probabat exemplo animalium. nàm bruta animalia, quæ legibus non viuunt, hoc iure vtuntur, vt fortiora interficiant & vorẽt imbecilliora, vt lupus ouẽ, accipiter coturnicẽ, & ita in ceteris brutis animalibus apparet. homines autem timidi, ignaui, & imbecilli leges condiderũt, quibus se à fortioribus tuerentur contra naturam, ne illis prædæ essent; quemadmodum eos natura prædæ fortiorum exposuit. Hæc opinio est erronea & falsa. Nam Aristot. 5. Ethic. demonstrat esse quædã iura naturalia. Sed si quis hanc sententiam recipiat, locum habebit argumẽtatio cogẽs aliquem repugnare vel legi, vel naturæ. Secundò cum ait,

oportet igitur, explicat vſum huius loci, quẽ generaliter propoſuerat, id eſt, vt loquenti ſecundum naturam opponatur lex, & loquenti ſecũdum legem opponatur natura. Tertiò cùm ait, *vocabãt autem*, declarat hũc locum, id eſt, eorum ſententiam, qui diſtinguebant legem à natura. Nam ſecundum naturam dicebant eſſe id, quod verum eſt. ſecũdum legem autem, quod multitudini videtur. Quartò cùm ait, *Quare patet*, ex declaratione modo allatâ colligit etiam veteres, qui hoc loco ſunt vſi, voluiſſe ducere ad paradoxa.

9 *Quadam autem.* Oſtendit eſſe quaſdam interrogationes, ad quas vtrouis modo reſpondeas, id eſt, ſiue affirmes ſiue neges, incides in paradoxum. Exempla ſunt perſpicua in contextu.

10 *Oportet autem.* Quartus locus ſumitur ab opinione ſapientum, & multitudinis. nam ſapientes iudicant virum bonum eſſe beatum, quamuis ſit pauper: multitudo autem putat regem eſſe beatum, quamuis ſit improbus. Si quis ergo loquatur ex opinione ſapientum, opponenda ei eſt auctoritas multitudinis. ſi verò loquatur ex multorum opinione, opponenda eſt ei auctoritas ſapiẽtum. Vtenim lib. 1. didicimus vtrumque eſt probabile: & quod ſapientibus videtur, & quod pleriſque videtur. quare ſiue his, ſiue illis contradicas, paradoxa dicis.

11 *Hoc autem modo.* Oſtendit hunc locum à tertio tantùm verbis differre, reipſa eundem eſſe: quia quod eſt ſecundum naturam, ſapientibus probatur: quod verò eſt ſecundum legem, probatur multitudini.

12 *Ac paradoxa.* Breui epilogo concludit hoc caput de ſecundo & tertio ſcopo ſophiſtarum.

IN CAP. XIII. DE TAVTOLOGIA, SEV NVGATIONE.

1 QVòd verò *ad efficiendum.* Tranſgreditur ad quartum ſophiſtarum ſcopum, qui eſt Nugatio, qua aliquod vocabulum ineptè repetitur. In primis explicãdũ videbatur, quid ſit nugatio: ſed ait Philoſophus ſe id ſuprà expoſuiſſe, nempe cap. 3. particula 2.

2 *Omnes autem.* Docet, in quo conſiſtat paralogiſmus ducẽs ad nugationem, ſimúlque cum exemplis illuſtrat. Hic paralogiſmus in eo conſiſtit, quòd pro eodem habetur nomen & oratio, id eſt, quia ſic accipitur, quaſi nomen aliquod, ſiue accipiatur per ſe ſiue coniunctum cum altero, idem ſignificet. Exempli gratiâ quia omne duplum refertur ad dimidium: putamus idẽ ſignificari hoc nomine, *duplum*, & hac oratione, *duplum dimidij*. quod tamen falſum eſt, vt poſteriùs Ariſtoteles docebit, vbi rationem ſoluendi patefaciet. Eo igitur poſito, ita colligitur nugatio: Tu dicis eſſe duplũ dimidij: ergo fateris eſſe duplum dimidij dimidij. cùm enim dixiſti duplũ, ſimul etiam dixiſti dimidij per hypotheſim, quia idem eſt duplum & duplum dimidij: atqui deinde adieciſti dimidij, cùm dixiſti duplũ dimidij: bis igitur poſuiſti dimidij, ſemel in verbo *duplum*, & iterum in verbo *dimidij*. Similiter poſſumus vlteriùs progredi in infinitum. nam ſi fateris eſſe duplum dimidij dimidij: cogeris fateri eſſe duplum dimidij dimidij dimidij: quia ſemel dixiſti *duplum*, & bis adieciſti verbum *dimidij*. quare ter poſuiſti dimidium. Aliud exemplum eſt quia cupiditas eſt voluptatis ſeu iucũdi: & definitur appetitio iucundi: ergo eſt appetitio iucundi iucundi.

3 *Cernuntur autem.* Deinceps declarat, in quibus terminis ſoleat hoc ſophiſma cõmitti. In hac parte. oſtendit committi in relatis: vt in exemplis ſuprà dictis, nẽpe in iis relatis, quę non tãtùm ratione generis, ſed etiam ratione ſpeciei ad vnum quidpiã referuntur. Addit hanc limitationem propter relata ſecundum dici, quæ ratione generis referuntur, cùm in ſpecie non ſit relatio. vtputà ſcientia dicitur eſſe alicuius ſciẽtiæ: ſed grammatica, quæ eſt ſpecies ſcientiæ, non dicitur alicuius grammatica, vt ſatis eſt expoſitum in Categor. cap. de relatis vbi docuimus hæc non eſſe vere relata.

4 *Cernuntur etiam.* Oſtendit idem ſophiſma committi in affectionibus, quæ definiuntur per ſuum ſubiectum, cui attribuuntur. hæc autem ſunt quæ attribuũtur ſecundo modo dicendi per ſe, de quibus dictum fuit lib. 1. Poſter. cap. 4. part. 4 vbi habetur phraſis planè ſimilis. Cùm enim Ariſtoteles ait in definitione affectionis expli cari cui rei affectio ſit: perinde eſt, ac ſi diceret definiri per ſuum ſubiectum. nam eſt affectio ſui ſubiecti, cui attribuitur. idcóque addit affectiones illas attribui his ſubiectis, per quæ definiuntur. Deinde cùm ait, *vtputa impar*, dat exemplum eiuſmodi affectionis, in qua committitur hoc ſophiſma. nam impar eſt affectio numeri, ac definitur numerus medium habens: quia ſi diuidatur in duos numeros æquales, ſemper vnitas interiecta reperietur. vtputà ſeptena

rius

rius diuiditur in duo ternarios interiectā vnitate. Ergo impar definitur numerus medium habēs. Atqui impar est numerus impar: ergo est numerus medium habens numerus. ita bis ponitur numerus: semel, dum dicitur numerus impar: & iterum in definitione illa, numerus medium habens. Tertiò cùm ait, *Et si simitas*, subiicit aliud exemplum eiusdem sophismatis.

5 *Videntur autem*. Docet, quando reuera ducatur aliquis ad nugationē, & quando videatur duci, cùm reuera non ducatur. nam si concedat idem valere nomen & orationem, vt duplum & duplum dimidij, cogitur nugari. si verò id non concedat; sed sophista perinde concludat, acsi concessum fuisset: tunc videbitur deductio facta ad nugationem, quatenus hoc pro concesso habebitur, idem significari nomine & oratione: hoc verò non esse concedendū discemus ex cap. 31.

IN CAP. XIV. DE SOLOECISMO.

1 *Soloecismus autem*. Vltimus sophistarum scopus est soloecismus, id est, cùm aliquis cogitur admittere orationem barbaram, & cōtra linguæ regulas, vt Aristoteles suprà definiuit cap. 3. partic. 3.

2 *Sanè vsuuenire*. Ponit diuisionem quandam trimembrem: quia vel manifestè committitur soloecismus; vel videtur committi, cùm non committitur; vel non videtur committi, cùm reuera committatur. Primi membri exempla omittit: quia res est manifesta: veluti si quis dicat virum cādidum. Secūdi autem & tertij membri exemplum sumit ex sententia Protagoræ, qui afferebat hæc verba μῆνις, i. ira, & πήληξ, id est, galea, esse masculini generis, cùm omnes alij statuant esse feminini generis. cùm igitur Homerus Iliad. α, in pr. dixit μῆνιν ἄειδε θεὰ secūdum Protagoram commisit soloecismum, nec tamen videtur commisisse, quia vulgo μῆνις habetur pro nomine feminini generis. contrà si quis dicat μῆνιν οὐλόμενον, secundum Protagoram non committet soloecismum; videbitur tamen committere ratione vulgaris opinionis.

3 *Patet igitur*. Cùm docuerit fieri posse, vt soloecismus, quia non committitur, cōmitti videatur: nunc ostendit id fieri posse nō solùm temere, sed etiam arte quadam, nempe arte sophisticā. Simili ratione lib. 1. Rhetor. cap. 1. probabat esse artem rhetoricam.

4 *Sunt autem*. Declarat locos soloecismi fucati, id est, in quibus vocabulis accidat, vt videatur committi soloecismus: & inquit hæc esse vocabula neutri generis; quoniā in his accusandi casus nō distinguitur à recto casu, vt in nominibus masculis & femineis. præsertim verò hoc accidit in pronomine, *hoc*, vt mox declarabo inhærens vestigiis contextus. Primò Aristoteles proponit hos duos locos, id est, pronomen *hoc*, & reliqua nomina neutrius generis. Secundò cùm ait, *nam hic*, declarat primum locum: & aperit discrimen inter pronomē *hoc* & pronomen *hic* masculini, vel, *hæc* feminini generis. nā *hic*, semper refertur ad masculinum genus: & *hæc* semper ad femininum: sed *hoc*, nō semper refertur ad neutrum genus, sed interdum ad masculinum, vel femininum. quod probat Aristoteles exemplo huius interrogationis, Quid est hoc? nāmodò respōdetur in genere masculino, est Coriscus: modò in neutro, est lignum: modò in femi nino, est Calliope. Atq; hoc est primū discrimen inter hæc pronomina. Alterum discrimen ponitur ibi, *Masculini igitur*: quod quidem discrimen non est proprium horū pronominum, sed cōuenit etiam aliis nominibus, quę nō sunt masculini, vel feminei, sed neutrius generis. nam quæ sunt masculini vel feminei generis, magis habent casus distinctos, vt *is*. & *hunc* vel *hæc* & *hāc*: sed neutrum habet *hoc* tam in recto, quàm in accusatiuo casu. hinc fit, vt cùm aliquis cōcedit *hoc*, sophista perinde accipiat, ac si cōcessum fuisset, *hunc*: quia scilicet interdum ita accipitur, non tamen semper. Eadem ratio est aliorum casuum: putā captiosè accipiūt *hoc* pro *hæc*, vel pro *hāc*, vnde oritur soloecism⁹. veluti cùm debeat concludi, est Coriscus, sophista colligit, est Coriscum: atque ita committitur soloecismus. Tertiò cùm ait, *& eorum quæ*, declarat alterum locum sumptum ab aliis nominibus neutris. Hic Aristoteles cōsiderat ea quæ vocātur σκεύη, id est, vasa. hæc enim, cùm terminantur in ον, ac si; Latinè diceres in *um*, sunt generis neutri, vt ξύλον, alias sunt vel masculini, vt sacc⁹, lectus; vel feminini, vt mensa. Hæc omnia continentur apud Græcos appellatione vasis, nō tamē omnia habent inflexionē vasis, id est, non omnia sunt generis neutri. Vnde captatur soloecismus sumendo casum pro casu, vt fiebat in pronominibus. Nam (exempli gratiā) si quis concedat esse vas in recto casu, cum loquatur de lecto: sophista accipiet, quasi cōcedatur vas in accusatiuo: ita concludet, ergo est lectum: cùm debeat concludere, ergo est lectus.

5 *Ac similis quodammodò.* Confert hoc sophisma cum captione, quæ ducitur ex figura dictionis. Sicut enim ibi dissimilia accipiebantur pro similibus, vt agere & valere: ita etiam hic dissimilia accipiuntur pro similibus, vt hoc & hunc. Sed ibi dissimilitudo erat in rebus: hîc verò in vocabulis: nã solœcismus in vocabulis cõsistit.

6 *Apparet ergo.* Breui epilogo ostendit se exposuisse omnes locos inuentionis sophisticæ, id est, quibus sophistæ conãtur ducere ad vnum ex illis quinque scopis iã expositis.

DE DISPOSITIONE, ET INTERROGANDI RATIONE.

TRACTATVS IV.

IN CAP. XV. DE DISPOSITIONE ET INTERrogatione sophistica.

INuẽtionẽ sequitur dispositio, vt & in Analyticis, & in Topicis. Itaque hoc caput proportione respondet primo tractatui octaui Topici. in hoc enim capite proponit Aristoteles varia præcepta ad sophisticam dispositionem & interrogationem pertinẽtia, id est, docet quid sophista dum interrogat, obseruare debeat, vt aduersarium suũ decipiat. Hæc autem docet, non vt nos iis vtamur, sed vt intelligentes sophistarum calliditates, possimus eas vitare.

1 *Ad celandum autem.* Proponit explicanda præcepta de dispositione: quam inquit valere non minùs ad iuuandum eum qui sophisticè; quàm eum qui dialecticè argumentatur. Sicut ergo dispositio dialectica exposita fuit lib. 8. Top. ita etiam sophistica debet hoc loco exponi.

2 *Valet autem.* Primum præceptum est, vt prolixè interrogetur, & multa proponantur, quò magis inter multas interrogationes lateant ea quibus sophista vult vti. Quomodo autem disputatio prolixa fiat, monit se antea commemorasse, id est, lib. 8. Top. cap. 1.

3 *Item celeritas.* Secundum præceptum est, vt sophista suacelerrimè proponat: quia si respondens sit tardiori ingenio, minùs poterit singula animaduertere proinde faciliùs decipietur.

4 *Præterea ira.* Tertium præceptum est, vt respondens ad iram prouocetur: quia ira impedit animum, ne possit cernere verum. Primò Aristoteles ponit hoc præceptũ. Secundò cùm ait, *Elementa verò*, docet, quomodo fieri possit, vt aduersarius ad irascendum deducatur, nempe cùm quis apertè & sine pudore contra illum calumniatur.

5 *Præterea interrogationum.* Quartum præceptum est, vt interrogationes non proponantur ordine, ne appareat syllogismus ex illis colligẽdus, sed quàm maximè fieri potest inter se commisceantur, id est, misceantur interrogationes, quæ pertinẽt ad diuersas argumentationes, nec refert, vtrũ diuersæ illæ argumentationes tendant ad probandam eandem conclusionem, an sint inter se contrariæ, quibus scilicet disputatur (vt vulgò dicitur) pro & contra.

6 *Et omnino quæcumque.* Quintum præceptum est, vt obseruentur reliqua præcepta, quę de occultatione tradita fuerũt lib. 8. Top. cap. 1. nam & præcedens præceptum huc spectat, & plura alia sunt ex dicto loco repetenda. Quicquid enim ad celandum valet, idem ad decipiendum valet.

7 *Sed aduersus.* Sexto præcepto vtendum est contra respondentes, qui nolũt aliquid admittere, quo putant aduersariũ vti velle cõtra suam thesim. Cõtra hos cautio est, vt non interrogemus id quo vti volumus, sed vel cõtrarium, vel saltem vtrumque, vt aduersarius vel putet nos cõtrario principio vti velle, vel saltem ignoret vtrã cõtradictionis partẽ sumere velimus. Verbi gratiã, si velis vti hac propositione, omne iucundum est expetendũ: ne ita interroges, Estne omne iucundum expetendũ? sed potiùs è contrario, Estne nihil iucundum expetendum? vel, Estne iucundum expetendum, an non expetendum?

8 *Cùm autem per partes.* Septimum præceptum est, vt cùm aliquid probamus per inductionem, non inferamus conclusionẽ, sed quasi illã illatã vtamur. Exẽpli gratiã, vis vti hac propositione, omne animal est quadrupes: probas autem per inductionẽ; quia bos, equus, leo, asinus est quadrupes. nõ debes igitur inferre, Ergo omne animal est quadrupes: quoniã aduersarius cogitãbit, an illa conclusio necessariò inferatur; & quæret instantiam, quæ tuum argumentum dissoluat, puta quia homo nõ est quadrupes, vel auis non est quadrupes. sed postquàm aduersarius tibi concessit multa animalium genera esse quadrupedia; sic tu accipe, quasi concesserit omne animal esse quadrupes, & ex eo quasi concesso argumentare. sic enim fiet, vt respondens, nisi sit cautus, putet se id concessisse:

fisse & potiùs cogitet de neganda consequentia, quàm de negando illo principio, quod putabit esse probatum & concessum. nec tantùm ipse respõdens, sed etiam auditores hoc modo falli poterunt.

9 *Sed neque ubi.* Octauum præceptum est, vt quando loquimur de vniuersali, quod non habet vniuersale nomen, adeo vt vniuersalitas illa sit explicanda per similitudinem, quæ est inter singula significata (quædam enim talia esse vt os, sepiam, & spinam, docuit Aristoteles, alio tamen exemplo vsus, lib. 1. Poster. cap. 5. part. 4.) tũc vtamur similitudine illa, quatenus pro nobis facit.

10 *Iam verò vt propositio.* Nonum præceptum est, vt per comparationem contrarij reddamus probabiliorem eam propositionem, qua vti volumus. vtputà si egeamus hac propositione, In omnibus esse obtemperandum patri: si simpliciter interrogetur, vix à respondente admittetur. Sic igitur interrogabimus, conferentes cõtraria, Estne in omnibus patri obtemperandum, an repugnandum? nam respondens, quia non audebit dicere esse repugnandũ, facilè contrarium, quod volumus, cõcedet.

11 *Vt autem elencho.* Decimum præceptum est, quod Aristoteles ait esse maximè sophisticum, vt quamuis conclusio revera non sequatur ex iis quæ concessa fuerunt: tamẽ non interrogetur, sed infera tur, quasi necessariò ex cõcessis colligatur.

12 *Est etiam hoc.* Vndecimum præceptum est, vt cùm sphoista vult probare aliquid inopinabile, interroget propositionem aliquam probabilem: quia siue à respondente concedatur, siue negetur, tamẽ videbitur sophista aliquid efficere. Exempli causa, sophista vult probare vitum improbum posse esse beatum. interrogabit igitur, vt Polus apud Platonem in Gorgia, Annon Archelaus, cùm sit rex, est beatus? nam si respondens hoc concedat, elencho superabitur: quia negauerat improbum esse beatum, Archelaus autem est improbus. si verò respondens neget, incidit in paradoxum, quia repugnat plerorumque opinioni. vulgº enim putat reges omnino esse beatos, vtpote rerum dominos. Denique si respondens dicat, vt revera dicẽdum est, eũ videri quidem, non tamẽ esse beatũ, id est, quãuis non concedat regem Archelaũ esse beatum, tamen concedet id videri: tũc argumentatio sophistæ habebit speciem elẽchi: hoc est, videbitur esse elenchus: quia si Archelaus videbitur beatus, improbi videtur beati. Ait, *posito paradoxo.* Hæc verba possunt accipi duobus modis. vel enim referũtur ad respondẽtem, vt posuerit thesim cõtrariam receptæ opinioni, putà solos sapiẽtes esse beatos: vel referuntur ad sophistam qui instituit probare aliquid prǽter opinionem, si non omnium, saltem sapientum, nẽpe improbos esse beatos. Ait, *προκειμένου τοῦ ἀδυνάτου ἐξ ἀρχῆς, proposito eo quod ab initio visum fuit.* lege, vt in quibusdam exẽplaribus legitur, *οἷ προκειμένου τοῦ ἀδυνάτου, ἐξ ἀρχῆς, quasi ab initio propositũ sit quod videtur*, id est, perinde ac si illud paradoxũ quod diximus fuisse positum ab initio, non esset paradoxum, sed probabile.

13 *Præterea vt in rhetoricis.* Duodecimum præceptum, quod etiã rhetores tradunt, est, vt considerẽtur ea quæ repugnãt sententiæ & verbis respondentis, vel eorũ auctorum quos respõdens sequitur, aut saltem qui videntur esse tales. Exempli gratiã, disputans contra peripateticum, non solùm poterit aliquid impugnare ex principiis à respondẽte concessis, sed etiã ex iis quę dicuntur ab Aristot. vel ab Auerroë. nã Aristoteles est verº auctor disciplinæ peripateticę; Auerroës autẽ auctori similis videtur.

14 *Sicut autem.* Decimumtertiũ pręceptum est, vt quemadmodum respondentes sæpe solẽt argumẽta soluere per distinctionem, ita etiam sophista opponẽs soluat obiectiones respondentis per distinctionem. Exempli gratiã, si sophista vtatur hac positione, omnis canis latrat; & respondẽs obiiciat sydus: sophista dicet se tãtùm loqui de cane animali: ita vitabit obiectionem, & nihilominus maneb.t sophisma: quia etiã piscis canis est animal, nec tamẽ latrat. Hac ratione (vt Aristoteles ait) vsº est Cleophõ poeta tragicus in Mãdrobulo, id est, in tragœdia, quæ inscribebatur Mãdrobulus, hodie verò non extat.

15 *Oportet etiam.* Decimumquartum præceptum est, vt cùm sophista vsus est aliqua propositione, quam intelligit à respondẽte per obiectiones euerti, ipse, ne superatus videatur, præcidat hãc disputationem, & hac propositione omissã, trãseat ad alias: quemadmodum facit Callicles aduersus Socratem. Contrà respondens, si hoc animaduertat, debet vrgere sophistam, vt maneat in proposito, & priùs cœptum argumentũ absoluat, quàm ad aliud transeat.

16 *Nonnunquam etiam.* Decimumquintum præceptum est, vt si sophista non inueniat argumenta cõtrà thesim, trãsferat disputationẽ ad aliud, contra quod argumẽta suppetẽt; de qua argumẽtationis trãslatione suprà quoque dictũ fuit. Sic ait Aristo-

teles fecisse Lycophronē in lyræ encomio: digressus.n.est ad alia,quæ faciliùs cōmēdare poterat,q.iàm lyrā.sic oratores, cùm volunt (exempli grat.à)principē laudare,qui nihil egregium gessit, digrediuntur ad laudādam mornachiam,vel illius maiores.

17 *Sed aduersus eos.* Decimum sextum præceptum est,vt si aduersarius vrgeat sophistam,vt contra certum quid argumēta sua dirigat,id est,scire velit ex sophista,quid probare,vel impugnare velit;tunc sophista id declaret tātùm in genere,non in specie. neque.n.potest plane recusare quin id explicet:verū si in specie explicet,faciliùs aduersarius sibi cauere poterit.veluti siue sophista probare velit cōrrariorum eādē esse scientiam,siue contrariorum non esse eandem scientiam:non debet hoc, vel illud exprimere:sed generaliter dicere se velle probare contradictionem. verbi gratiâ, vtatur sophista his verbis, *Volo probare, quod tu negas.*vel,*volo impugnare,quod tu affirmas.*

18 *Non oportet autem.* Decimumseptimum præceptum est,vt nō solùm sophista non interroget cōclusionem in modū propositionis,(id est,vt relinquat optionē aduersario affirmandi,vel negandi. nam hoc præceptum datum fuit etiam dialectico,li. 8.Top.cap.2.part.10.) sed etiam quibusdā propositionibus vtatur quasi cōcessis,omissa earum interrogatione,si fortè possit fallere respondentem,vt videatur concessisse.

19 *Ex quibus igitur.* Breui epilogo finem imponit tractatui de inuentione , & dispositione sophistica. Cùm enim ait, *ex quibus*, indicat inuentionem. Cùm verò subiicit, *& quomodo*, significat dispositionem.

DE SOLVTIONE SOPHISMATVM.

TRACTATVS V.

IN CAP. XVI. DE VTILITATE HVIVS TRACTATVS, ac de ratione respondendi.

HActenus instruxit sophistā: deinceps vult instruere respōdentem,vt possit soluere sophismata.

1 *Post hæc.* Proponit hunc tractatum de solutione sophismatum.

2 *Sanè vtiles.* Ostendit tres vtilitates sequentis tractatus , quarum duæ pertinēt ad philosophiam.

3 *Primùm quia.* Prima vtilitas est: quia cùm pleræque captiones in dictione consistant;qui potest has soluere,potest dignoscere tam rerum , quàm vocabulorum distinctiones:quæ cognitio est philosopho necessaria.discimus enim ex aliis,id est,vel ex libris scriptis , vel ex iis qui viua voce docent:vtroque autem modo adhibetur verba,& orationes.

4 *Secundò [quia.]* Secunda vtilitas est, cùm aliquis secū ipse meditatur, & veritatem inquirit.nam qui nescit soluere sophismata,non solùm à sophista poterit decipi, sed etiam ipsemet facile se decipiet.vt puta cùm intelligat aliquem esse bonum, & esse pictorē,putabit esse bonū pictorem.Sic rex ille semetipsū decepit, malè explicās illud carmē, *Aio te Æacida Romanos vincere posse.*

5 *Tertium & reliquum.* Tertia vtilitas est: quoniam hac ratione honorem nostrum tuebimur , & gloriam consequemur, cùm videbimur hac ratione esse rerūperiti. nā etiamsi sit manifesta captio;tamē ille videtur tergiuersari, & male disputare,qui nec argumentationem concedit, nec potest eā soluere.

6 *Quomodo autem.* Generaliter ait solutiones sophismatum pendere ex iis quæ suprà dicta sunt.nam sophisma tunc soluitur , cùm ostenditur, in quo captio consistat ; putà quia est homonymia, vel amphibologia,&c.qui quidē loci suprà expositi fuerunt.

7 *Neque verò.* Ostendit non sufficere hanc generalem cognitionem modò datā: quia per eam non habemus in promptu solutionem cuiuscunque captionis.quare fortasse proposito aliquo sophismate, diu nobis laborandum erit,vt inueniamus,in quo captio consistat:cùm autem disputatur,necesse est habere in promptu responsionem, nec datur longū tempus ad deliberādum, sed ex tempore est respondendum.

8 *Interdum autem.* Exemplo quodam, quod tamen à contrario tractatur,declarat difficultatē soluēdi sophismata.Sicut enim in geometria possumus interdu resoluere propositionem aliquam, putà vigesimā in sua principia vsque ad primam propositionem;contrà tamen non possumus deinde à prima cōpositiuo ordine pergere vsque ad vigesimā:ita in captionibus sophisticis res cōtrario modo se habet.quamuis enim sciamus quomodo componantur sophismata, sicut iam diximus; fortasse tamen nō poterimus propositū aliquod sophisma in sua principia resoluere, atque ita ,in quo captio consistat , inuenire atque explicare.

IN CAP. XVII. DE EA QVAE VIDETVR solutio.

1 PRimùm igitur. Deinceps agit de ratione soluendi sophismata,& primum ostendit; ſicuti alius eſt verus elēchus,alius fucatus eléchus,ita etiam aliam eſſe verā, aliam fucatam ſolutionem:& interdum nō tam veram,quàm fucatam eſſe adhibendā: quia res eſt cum ſophiſtis, qui potiùs volunt videri redarguere, quàm revera redarguere. Quapropter non tam cauere debemus,ne redarguamur,quàm ne redargui videamur:quod interdum commode fiet ſolutione fucata.

2 Quandoquidem interrogationes. Oſtendit tantum abeſſe vt ſophiſtæ ſuis captionibus vere redarguāt,vt potiùs obſcurēt etiā verum elenchum. captiones enim ſophiſticæ efficiunt, vt interdum qui revera eſt conuictus,non videatur eſſe cōuictus. cùm enim reſpondens concedit propoſitionē in eā ſignificatione,quam ſophiſta in argumētatione accipit,tūc revera eſt cōuictus: hoc tamen non apparet: quia cùm ſophiſtæ ſoleāt ludere homonymiis,& ſimilib⁹ captionibus,idcirco poſtquàm ſophiſta cōcluſit, aduerſarius adhuc poteſt diſtinguere, ac dicere ſe in alia ſignificatione ſumpſiſſe,quā uis revera in eadem ſumpſerit. Vide lib.8. Top.cap.7.part.4.

3 Et quod litigioſi. Oſtendit eaſdem captiones ſophiſtarum efficere,vt reſpondentes non teneātur ſimpliciter affirmare, vel negare,ſed poſſint aliquid adiicere,putā diſtinguere, corrigendæ ſophiſticę interrogationis causā. nam ſi interrogatio recta & ſimplex eſſet, etiam ſimplicem reſponſionem requireret. Quare Ariſtoteles ait veteres opponentes magis ſolitos exigere ſimplicem reſponſionem, ſua verò ætate hoc minùs vſurpari ſolitum,propter frequētiā ſophiſticarum interrogationum.

4 Si quis autem. Dixit elenchum ſophiſticum,veluti qui ex homonymia ſumitur, non eſſe verum elēchum,immò potiùs obſcurare veros elenchos: nunc ait,ſi eſſet verus elenchus,fore inſolubilē, quoniam etiam in iis quę oculis cernuntur,id eſt,in rebus ſingularib⁹, duceretur aliquis ad manifeſtam contradictionem. quomodo autem hoc fieret explicabitur inſequēti particula.

5 Vt enim. Oſtendit,ſophiſma ex homonymia ſumptum in rebus ſingularibus, male ab aliis ſolui:vt confirmet quod dixit,ſi fit verus elenchus,non poſſe ſolui. Duplex ſolutio afferebatur: ſed vtramque Ariſtoteles refellit. Prima ſolutio talis eſt: Diſtinguebant nonnulli inter Coriſcum & hunc Coriſcum.nam pronomen *hic* demonſtrat rem ſingularem,quæ oculis cernitur.dicebant ergo ſe non concedere Coriſcum eſſe muſicum, & Coriſcum non eſſe muſicum: ſic enim ſibi cōtradicerent:ſed ſe cōcedere hunc Coriſcum eſſe muſicum,& hunc Coriſcum non eſſe muſicum:his autem verbis non contineri contradictionem. Quid ita?quia cùm dico, Hic Coriſcus eſt muſicus,demonſtro(exempli gratiā)Coriſcum qui eſt ad meam dexteram.cùm autē dico, hic Coriſcus non eſt muſicus, demonſtro eum qui eſt ad ſiniſtram. quoniā igitur diuerſa ſubiecta demonſtrantur,contradictio dici nequit. Ariſtoteles hanc ſolutionem reprobat:quia,ſiue res ipſa, ſiue vocabula ſpectentur; non eſt differentia inter Coriſcum,& hunc Coriſcū. etenim ſi rem ſpectes,ſēper ſunt duo Coriſci,alter muſicus, alter nō muſicus.ſi verò ad vocabula reſpicias,ſemper hi duo Coriſci ſignificātur eodem verbo,ſiue illud verbū ſit *Coriſcus*, ſiue *hic Coriſcus*.

6 Sin autem illi. Altera ſophiſmatis ſolutio vult vnam enunciationem intelligi de Coriſco,alterā verò de hoc Coriſco. ſic igitur non erit cōtradictio: quia in vera cōtradictione debet eſſe nō tātum eadem res, ſed etiam eadem vocabula, vt ſuprā expoſitum fuit cap.6.partic.3.& alibi:non eſt autem idem vocabulum *Coriſcus*, & *hic Coriſcus*.ſiue ergo dicatur,*Coriſcus eſt muſicus, hic Coriſcus nō eſt muſicus*, ſiue,*hic Coriſcus eſt muſicus,Coriſcus non eſt muſicus*: non eſt contradictio. Ariſtoteles hanc quoque ſolutionem impugnat:quia non poteſt ratio afferri,cur pronomē *hic* magis apponatur vni Coriſco, quàm alteri,id eſt,muſico, vel nō muſico.

7 Verùm enimuerò. Docet veram ſolutionem eſſe per diſtinctionem, & hanc diſtinctionem ab initio eſſe adhibendam, id eſt, antequàm ſophiſta concludat: quia ſi poſtea diſtinguas, etſi hoc facere licet, tamen non dignoſcitur,an ab initio homonymiam intellexeris.lege Topic. lib.8.cap.7. partic.3.& 4.

8 Sæpe autem accidit. Oſtendit multos non audere vti præcepto modò dicto, id eſt,nō audere ſtatim diſtinguere: quia multa homonyma vel ambigua interrogātur: adeo vt ſi quis ſemper velit diſtinguere, videatur tergiuerſari, cùm nihil fere ſine diſtinctione admittat. [illegible] Ariſtot.

eos peccare, nō debere autē hoc vereri, sed audacter distinguere, quotiescumque opus est, quia distinctione omissâ, sæpe respondens ducitur ad absurditatem aliquam prę ter suam opinionē, túncque serò pœnitet omissæ distinctionis.

9 *Quare cùm sit.* Pergit in eadem sententia probanda: & quia concessum est distinguere, (vt dictum fuit etiam Top. lib. 8. cap. 7. partic. 1.) concludit non esse cunctandum, sed libere distinguendum.

10 *Nisi verò.* Distinguendum esse probat nouo argumento: quia nisi distinguas, etiamsi tua responsio sit vera, tamen est praua, quia respōdes quasi ad vnam interrogationem, cùm interrogatio non sit vna, sed multiplex. Nec obiicias esse vnum vocabulum: quia cùm illud vocabulum multas res significet, perinde sunt plures interrogationes, ac si essent plura vocabula. Rursus ne obiicias, de omnibus illis reb⁹ interrogatis posse vere respōderi, Est, aut, Non est: quia etiamsi responsio sit vera, tamen est multiplex: male ergo proponitur quasi vna. alioquin etiam ad sexcētas interrogationes esset aliquando respondendum vnâ respōsione. quod est absurdum, & disputantem turbaret. Cùm hac partic. coniunge de interpretat. cap. 8. partic. 2. & cap. 11. partic. 1. & 2.

11 *Non enim.* Addit nouum argumentum: quòd responsio ad interrogationem multiplicem, non solùm nō est bona respōsio, sed ne quidem est responsio: quoniam interrogatus qui nō distinguit, sed simpliciter inquit, *Etiam*, vel, *Non*, loquitur quidem, revera tamen non respōdet. Quid ita? quia respōdet tamquàm ad vnum: illud autem vnū nihil est: quādoquidem in rebus homonymis nulla est res cōmunis, tantùm commune est vocabulum, de quo nō est disputatio instituta, sed de re per vocabulū significata. Deinde cùm ait, [*Hoc*] *tamē probatur*, occupat quandam obiectionem. Posset enim aliquis opponere, quòd in disputationibus existimant simpliciter esse respōdendum, etiāsi interdum sit aliqua homonymia vel ambiguitas. Respondet Aristoteles, hoc fieri per ignorantiam ab his, qui non intelligūt quid inde eueniat, id est, nō animaduertunt male responderi, & deduci respondētem ad absurda præter opinionē, vt dictum est partic. 8.

12 *Sicut igitur.* Concludit quemadmodum interdum adhibentur fucati elēchi, ita interdum sufficere fucatas responsiones: atque ita concludit primum præceptū de solutione fucata, id est, vt ea interdum vtamur aduersus sophistas.

13 *Porrò autem.* Sequitur secundum præceptum, quo nos instruit, quibus verbis vti debeamus valentibus ad fucatā solutionem. Hoc præceptum est bipertitū. Primò ponens priorem pręcepti parrē, iubet, vt in rebus probabilibus respōdeamus hoc verbo, *Esto*, & afferēs rationem, inquit hoc modo minimè fieri parexelechum, id est, sophisticum elenchum. nam parexelenchus est sophisticus elenchus, quemadmodum paralogismus est fucatus syllogismus. Vt intelligatur hoc pręceptum, & eius ratio: intelligendum est, ideo non videri fieri elenchum, quia elenchus est syllogismus contradictionis. quo minus ergo aliquid statuimus, eo minus nobis contradicimus: nec possumus minus statuere quàm dicētes *Esto*, nisi velimus planè negare. Secūdò cùm ait, *At si quid aliquo*, vbi est aliquid opinabile, iubet nos vti verbo *videri*. nam quod videtur non est inopinabile: proinde nō videmur duci ad inopinabile, cùm negemus esse inopinabile. Quare secundum hoc pręceptum fit, vt nec videatur fieri elenchus, nec colligi aliquid inopinabile.

14 *[illegible].* Tertium præceptū est, vt si id proponatur quod propinquum est problemati, ita vt eo posito nostra sententia euertatur, dicamus aduersarium petere quæsitū: quia propter propinquitatem videtur idem esse. Rursus si ex nostra thesi colligat aliquid, quod videtur falsum, aut admirabile, dicamus id non differre à thesi; quasi cùm thesim illam defendendam suscepimus, etiam hoc ipsum, ad quod aduersarius nos ducit, defendere voluerimus. sic enim videbitur aduersarius nihil probare: sed simpliciter petere quæsitum, seu probare idem per idem, perinde ac si diceret, thesis est falsa, ergo falsa.

15 *Præterea cùm vniuersale.* Quartum præceptum specialiter pertinet ad ea quæ non habent vnum commune nomen, quāuis habeant aliquam communē naturam: euiusmodi sunt, os, spina, & sepia. Hæc cùm sunt vniuersaliter proponenda solent proponi per comparationem similitudinis: vt quia spina eandē rationem habet in pisce, quam habet os in animali ossibus prædito. postquàm igitur aduersari⁹ hac similitudinis collatione à nobis concessâ vsus, conclusit aliquid cōtra nos; poterimus docere nos non concessisse similitudinē eo modo, quo ille accepit in argumentatione. cū enim ea quæ similia sunt, nō sint omnino eadē, sed habeant aliquas differentias: dicemus nos concessisse interrogationem, quatenus res similes

similes sunt, aduersarium autē accipere pro similibus in eo, in quo non sunt similes.

16 *Qui verò hu.* Quintum præceptum est, vt si non possimus vti aliqua ex datis responsionibus, tunc dicamus non esse rectè probatum, id est, aduersarium non attulisse verum syllogismum, seu verum elenchum, sed paralogismum & fucatum elenchum: quia scilicet ei non conuenit definitio syllogismi, & elenchi: vt quia non est vera cōtradictio, vel non est rectè illata conclusio, secundum ea quę suprà exposita fuerūt cap. 6.

17 *Sanè cum nomina.* Sextum præceptum est, vt distinguamus inter interrogationes, in quibus omnia sunt propriè & simpliciter dicta; & eas, in quibus aliquid necessariò subauditur. nam si interrogatio propria & simplex sit, simpliciter est respondendum, id est, affirmandum, vel negandum.

18 *Sed [quod ad ea]* Cùm autem interrogatio exigit vt aliquid subaudiatur, non est simpliciter respondendum, sed adhibenda est distinctio, seu limitatio. Et si simpliciter concessum fuerit, deinde oportebit ad conclusionem per distinctionem respondere. Exemplum est in contextu. Interrogat sophista, Quod est Atheniensium, éstne in dominio Atheniensium? respondes, Ita subiicit sophista, Atqui Plato est Atheniēsium. Vnde concludit Platonem esse in dominio Atheniensium. nempe illa interrogationis pars, *quod est Atheniensium*, requirit subauditionem aliquam: proinde est opus distinctione. aliquid enim dicitur esse Atheniensium, tamquàm eorum res, quæ est in eorum dominio. Plato autem dicitur esse Atheniensium, quia est in numero Atheniensium, id est, quia est Atheniensis.

19 *Cùm autem duo.* Septimum præceptum est, vt quando sunt duæ interrogationes coniunctæ, quarum vnà positā necesse est ponere alteram, non tamen reciprocatur, vt alterā positā necesse sit hāc ponere, id est, cùm altera est vniuersalis, quę secum trahit particulare; altera verò particularis, quæ potest esse vera sine vniuersali; tunc concedamus potiùs particularem, quàm vniuersalem: quia difficilius erit aduersario contra nos argumentari ex particulari, quàm si etiam vniuersalem concessissemus. Exempli gratiā si ita interroget, Estne contrariorum, seu salubris & insalubris eadem scientia? vel ita, Estne salubris & insalubris eadem scientia, quemadmodum & omnium contrariorum; tunc si vis concedere, tantùm concedas salubris & insalubris esse eandem scientiam.

20 *Si quis autem.* Octauum præceptum est, vt si aduersarius ex eo argumento inducat, quòd vna res habet contrarium, altera non habet contrarium, & inde contra nostram thesim colligat esse res diuersas, vel esse aliquid multiplex, (quem locum Aristoteles tradidit lib. 1. cap. 15. partic. 5.) tunc negemus rem illam carere contrario, dicamúsque ideo sic videri, quia cōtrarium illud nomine vacat. Hoc enim sæpe contingit, vt in habitibus ethicis. verbi gratiā vitium tēperantiæ contrarium, quod in defectione consistit, non habet proprium nomen, quo significetur. vide Ethic. Nicom. lib. 2 cap. 7. & lib. 3. cap. 14.

21 *Quia verò ex iis.* Nonum præceptum pertinet ad eas theses, de quibus sunt contrariæ hominum opiniones: putà vtrùm anima sit mortalis, an immortalis; & vtrùm mundus sit æternus, an genitus. Hic iubet Aristoteles, si aduersarius contra nostram thesim conclusit, vt eludamus eius argumentationem, mutando nomina, & contrarium statuendo quàm aduersarius asseuerauerit. vtputà si probauerit mundum esse genitum, nos dicamus cœlum esse ęternū. sic enim nihil dicimus admirabile: quia in vtramque partem sunt opiniones. item nihil videmur dicere falsum: quia vtraque sententia, tanquàm vera, à suis auctoribus defenditur. denique non videmur elencho conuinci: quia non est elenchus, nisi sit contradictio: nec est contradictio, nisi sint eadem nomina, vt suprà expositum fuit. Ait, *nam sententias appellant.* Nota has duas significationes verbi γνώμη, seu *sententia*: præter quas habent etiam aliam significationem, de qua lib. 6. Ethicor. cap. 11. Ait, *Veras opiniones.* Hæc vulgò & ab Aristot. quoq; lib. 1. Poster. vocantur axiomata. Ait, *de cuius veritate in vtramque partem sunt opiniones.* Talia sunt, quę à doctoribus iuris vocantur Biocardica.

22 *Præterea quascumque.* Vltimum pręceptum est, vt si præsentiamus sophistam velle aliquid interrogare, priùs obiiciamus contra illas propositiones, quàm sophista illas proponat. sic enim maximè ipsum impediemus: quia non videbimur postea eas ideo negare ne sophista nos vrgeat: videbimur enim bona fide eas negasse, non quia sophista contra nos sit vsurus, sed quia sunt falsæ.

IN CAP. XVIII. DE VERA SOLVTIONE.

HActenus dedit varia præcepta, quæ nō valent ad sophisma dissoluendum, sed

tantùm ad impediendum sophistam, vt eius cauillatio videri possit soluta: nunc transit ad explicandam veram solutionem. & primò in hoc capite generalia quędam proponit: postea sequentibus capitibus specialiter declarabit rationem soluendi singula sophismata.

1 *Quoniam autem.* Ostendit, quemadmodum duo sunt argumentationum vitia, ita etiã duo esse genera solutionũ. aut enim vitiosa est argumentatio ratione materiæ, quia est falsa: aut ratione formæ, quia non concludit: putà quia licèt videantur tres termini in syllogismo, reuera tamen sunt quatuor, eò quòd aliquis propter homonymiã est multiplex. Si vitium sit in materia: soluendum est per negationem: oratio namque falsa negari debet. si verò argumentatio non concludat: adhibenda est distinctio, putà vocis homonymæ in sua significata.

2 *Rursus quia concludentium.* Syllogismos rectè concludentes diuidit in duo genera. vel enim habent cõclusionem veram, vel falsam. si conclusio sit vera: tunc respondendum est negatã alterutrã propositione. scimus enim ex falsis verũ colligi posse. ad eam igitur propositionem, quæ falsa videbitur, nostram responsionem dirigemus. Vbi autem conclusio falsa est: necesse est etiam alterutrã, vel vtramque propositionem esse falsam: quia falsum ex veris cõcludi nequit, ergo hìc poterimus duobus modis respondere, id est, vel impugnantes propositionem falsam, vel negantes conclusionem falsam.

3 *Quocirca qui argumentationem.* Quæ hactenus hoc capite docuit, sunt tantùm præmunitiones quædam: nunc dat præceptum, cuius causã ea præmuniuit: ac iubet respondentem vti hoc ordine, vt priùs respiciat ad formam argumentationis, quàm ad materiam: quia si argumentatio non concludit, nihil contra nos est probatum: proinde non est opus, vt laboremus negandis propositionibus. Prima igitur solutio est, si ostendatur argumentationem non esse syllogisticam. Quòd si hac responsione vti non possimus, tunc respiciemus ad materiam, vt primùm videamus, vtrùm conclusio sit vera, an falsa. nam si vera sit, necesse est euertere aliquam propositionem. si verò sit falsa, possumus euertere propositionem, vel conclusionem. Ait, *vel distinguendo, vel tollendo.* Distinguimus, cùm argumentatio non concludit: tollimus autem, cùm est argumentatio falsa, vt dictum fuit in prima parte. Ait, *tollendo inquam aut hoc aut illo modo*, id est, tollendo vel conclusionem, vel propositionem. Ait, *antea*, id est, partic. 2.

4 *Plurimùm autem.* Hoc quoque generaliter de solutione monet, multùm interesse, vtrùm possimus statim habere solutionem in promptu, an egeamus tempore ad cogitandum & solutionem inueniendã. nam hoc modo faciliùs soluitur; ille autem modus est præstantior, & in disputationibus necessarius. Coniunge particul. 7. cap. 16.

IN CAP. XIX. DE SOLVTIONE CAPTIONUM, quæ ex homonymia vel amphibolia ducuntur.

Deinceps singulas captiones exponit, & soluit: incipit autem ab iis quæ in dictione consistunt, coniungens homonymiam & amphiboliam; quia sunt maximè inter se affines.

1 *Elenchorum igitur.* Docet in fucatis elenchis ab homonymia vel amphibolia ductis ita inesse multiplicem significationem, vt insit vel in propositione, vel in conclusione. Primò autem hanc diuisionem proponit. Deinde cũ ait, *vt in* [*captione,*] dat exemplum conclusionis multiplicis, id est, captionis, cuius conclusio est ambigua: ponit autem solam conclusionem, *Ergo licet tacentem dicere.* Hæc conclusio est ambigua; & in vna significatione est vera, nempe quòd loquens aliquis possit dicere tacentem, in altera est falsa, nimirum quòd possit aliquis tacendo loqui. Integra argumentatio sic extruitur. Libet (exempli gratiã) tacet, vel, liber est tacens: atqui licet librum dicere: ergo licet tacentem dicere. Ita nititur sophista redarguere eum, qui negabat, quoniam accipiebat tacentem actiuè; sophista autem ludit homonymiã, & accipit passiuè. Tertiò cùm ait, *In* [*hac*] *verò*, subiicit exemplum: in quo maior propositio est ambigua. Proponit autem integram argumentationem distinctè; ita vt ordine penat maiorem, minorem, & cõclusionem. minor est vera, supponimus enim esse aliquem, qui sciat dicere, id est, proferre carmina iambica. supponimus autem conclusionem,

sionem esse falsam, id est, hunc nescire carmina iambica, quamuis possit ea recitare. maior propositio est anceps. cùm enim dicimus, *Qui scit dicere aliquid, simul etiam scit quod dicit*: attributum huius orationis est anceps. aut enim significat eum scire quid dicat, aut perfectam habere cognitionem eius quod dicit. vtputà qui recitat hunc versum, *Mæcenas atauis edite regibus*, scit quod dicit, id est, intelligit se recitare hunc versum, & intelligit quæ sit eius sententia: hactenus igitur scit quod dicit: sed non habet perfectã cognitionem eorum omnium quæ ad hũc versum spectant. vtpurà nescit, quale sit carmen, & quomodo componatur. Quartò cùm ait, *ac quod duplex*. docet id quod multis modis capitur, aliquando esse, aliquando nõ esse, id est, modò esse verum modò falsum: quia id quod multiplex est, potest habere aliam significationem veram, aliam falsam: idcirco opus est distinctione, quę distinguat veram à falsa atque hæc erit sophisma huius sophismatis.

2 *Quibus igitur*. Postquàm docuit multiplicem significationem inesse vel in conclusione, vel in propositione: consequenter de vtroque dat præcepta: & primùm loquitur de conclusione multiplici, túncque ostendit solutionem esse facilem, quia re vera nullus est elenchus, cùm nõ sit contradictio inter eam cõclusionem & nostram thesim, quandoquidem verba aliter accipiuntur in conclusione, aliter in nostra thesi. vtputà nos negamus cæcum videre, quia cæcus non videt: sophista autem probat cæcum videre, quia aliquis videt cæcum: nobis igitur reuera non contradicit.

3 *Quibus verò*. Transit ad multiplicitatem, quæ inest in propositione: & inquit non esse necessarium, vt priùs negetur quod duplex est, addẽs rationem, quia nõ ad hoc, sed ex hoc sumitur argumẽtatio. Sensus est, interrogationem multiplicem nõ esse priùs negandam, quàm distinguatur, quamuis fortasse omnis significatio sit falsa. cùm enim ex illa interrogatione sumatur argumentatio, sufficit eam eatenus negare, quatenus ad rem facit. Exempli gratiâ, si disputemus de cane quadrupede, & aduersarius sumat canem volare: non est necesse me hoc negare de cane pisce, sed sufficit de quadrupede. nã vera solutio in eo consistit, quòd canis quadrupes non volat: quòd autem piscis non volet, ad solutionem nihil facit.

4 *Initio igitur*. Subiicit aliud præceptũ, quod generaliter pertinet ad orationes multiplices, id est, siue multiplicitas sit in cõclusione, siue in propositionibus. Præceptũ est, vt statim ab initio distinguamus: quia si dictum sophistæ admittamus, & postea intelligamus contra nos facere; poterimus quidem tunc distinguere, sed nõ apparebit, an ab initio captionem intellexerimus. Iubet ergo Aristoteles, vt si multiplicitatem ab initio intelligamus, statim distinguamus. si verò ab initio id non intelligamus, saltem postea distinguamus. Coniunge partic. 7. cap. 17. & part. 3. & 4. cap. 7. libri 8. Top. Hoc præceptum Aristoteles declarat exemplo captionum, quarum conclusio est multiplex: veluti, licet tacentem dicere: quod est verum passiuè, non actiuè, vt expositum est ad 1. partic. Item, τὰ δέοντα facere oportet. nam δέοντα dicuntur, vel quæ sunt mala necessaria vt vitari non possint, vel quæ facere decet. Ait, ἐπὶ τέλει, *ad extremum*, id est, post absolutam à sophista argumentationem. in particula autem 2. ἐν τῷ τέλει, *in fine*, significabat, in cõclusione. Obiiciet aliquis: Cùm vltimo loco ponatur conclusio, quomodo possumus ab initio distinguere? Respondeo non semper conclusionem vltimo loco poni, sed sæpè initio collocari tanquàm problema sequenti argumentatione probandũ. si igitur sophista proponat, quod probare vult: nos statim distinguemus, antequàm sophista suam probationem afferat. quòd si tunc non distinximus, saltem post argumentationem extructam distinguemus.

5 *Sed & in ijs*. Quia in præced. partic. dedit exempla captionum habentium conclusionem multiplicem: nunc ait eandem esse rationem propositionis multiplicis, vt in exemplo, quod hîc repetitur ex partic. 1. Sed ibi proponebatur vniuersa argumentatio, hîc verò tantùm maior propositio, in qua est ambiguitas.

6 *Et omnino*. Generaliter concludit ita solui huiusmodi sophismata, vt respondens dicat sophistam non probasse rem contrariam ei quam ipse affirmauit, sed tantùm verbotenus probasse contrarium, proinde non esse elenchum: quia elenchus requirit contradictionem eiusdem rei de eadem re: vbi igitur res est diuersa, quamuis nomen sit idem, tamen non est contradictio, proinde non est elenchus.

IN CAP. XX. DE SOLVTIONE CAPTIONVM EX COMPOSITIONE & DIUISIONE.

1 PErspicuum etiam. Dat generalem regulã, qua soluuntur captiones ex compositione & diuisione sumptæ, nimirum vt

dicamus, quod sophisticæ cõclusioni propugnat: hoc est si sophista coniunxit, diuidamus: si verò diuisit, coniungamus.

2 *Sunt autem.* Datam regulam explicat deinceps variis exemplis. Primum exemplum tale est, An quo tu vidisti hunc vapulantem, eo vapulauit? Si concedas, sophista pergit. Atqui oculis vidisti hunc vapulantem, ergo oculis vapulauit. Fallacia est compositionis & diuisionis. nam maiorem propositionem sophista sic accipit, vt pronomen *quo*, coniungat cum verbo *vidisti*. tu igitur seiunge ab eo verbo *vidisti*, & coniunge eum verbo *vapulantem*. Ceterùm Aristoteles in hac parte tantum proponit sophisma: solutionem posteriùs afferet parte. 5. hic autem adiungit & alterum simile sophisma, cùm ait, *& quo vapulauit*. Paralogismus ita extruitur: Quo vapulauit, eo tu vidisti vapulantem: atqui baculo vapulauit: ergo baculo vidisti.

3 *Habet sanè.* Ostendit hanc fallaciam, quæ sumitur ex compositione & diuisione, esse quidem similem fallaciæ sumptæ ex amphibologia, non tamen esse eandem, sed ab ea differre: quoniam in oratione ambigua est multiplex significatio eiusdem orationis: (vna enim & eadem est, exempli gratiâ, hæc oratio, Aio te Æacida Romanos vincere posse, quę significat vel Romanos victuros, vel victum iri) sed quod ad compositionem & diuisionem, non est eadem oratio, in qua sumuntur quædam verba cõiunctim, & in qua sumuntur eadem verba disiunctim. exempli gratiâ, non est eadem oratio, *quod vidisti vapulantem*, id est, quo videndi instrumento, &, *quo vapulantem vidisti*, id est, quo verberandi instrumento. Declarat Aristoteles hoc discrimen exemplo fallaciæ sumpto ex accentu, & fallaciæ ex homonymia. cùm enim accentus est diuersus, licet literæ sint eædem, tamen non est verbum idem, vt ora, & hora: vbi autem est homonymia, ibi est vocabulum prorsus idem, vt canis. Ait, *sed in scriptis*, &c. Hinc apparet, quod & suprà notaui, tempore Aristotelis non fuisse in vsu accentus, & accentuum appellatione significari etiam spiritus, asperum vel tenuem. Ait, *illic*, id est, in paralogismis sumptis ex compositione & diuisione. Ait, *τὰ στοιχεῖα*, *nota*, id est, elementa seu literæ quibus scribitur. Ait, *ταὐτὰ*, subaudi, *ταὐτά*, vt suppleui in Latina interpretatione. Ait, *sed qua pronunciantur.* Sensus est, quamuis scriptura sit eadem, tamen pronunciationem non esse eandem. proinde nec est homonymia, nec amphibolia: quia in homonymis & amphibologicis idem est verbum, vel eadem oratio, siue consideretur in scriptis, siue in pronunciatione.

4 *Perspicuum quoque.* Ex dictis colligit eos errare, qui omnes locos sophisticos referunt ad multiplicitatem verborum. iã enim didicimus à multiplicitate distingui etiam locos ei maximè affines.

5 *Distinguere igitur.* Nunc affert veram solutionem dicti sophismatis: & ait nos debere separare, quæ sophista coniunxit: ac distinguere interrogationem illam: quia aliud est, videre oculis, vapulantem, & videre, oculis vapulantem. nam prout dictio oculis coniungitur cum verbo *videre* vel cum verbo *vapulantem*, ita oratio est vera, vel falsa.

6 [*Hæc refutatur.*] Addit alterum exemplum sophismatis, quo vsus est Euthydemus. facit autem huius sophismatis breuissimè mẽtionem etiam 2 Rhetor. cap. 24. Vt sophisma intelligatur: supponendum est, cùm Athenienses miserunt triremes in Siciliam, fuisse ibi aliquem qui triremes in Sicilia vidit: postea triremes reductæ sunt Athenas, atque in Piræo constitutæ: & ille quoque ex Sicilia rediit Athenas. Hunc igitur Euthydemus sic interrogat, Num vidisti tu nunc stantes in Pireo triremes in Sicilia existens? Hæc interrogatio propter compositionem & diuisionem duobus modis capi potest: & altero modo est vera, altero falsa. Nam si particula *nunc*, iungatur cum verbo *stantes*, & seiungatur à verbo *vidisti*: oratio vera erit hoc sensu, te, cùm esses in Sicilia, vidisse triremes, quæ nunc sunt in Piræo. Contra si aduerbium *nunc*, iungatur cum verbo *vidisti*: sensus falsus efficietur, id est, te nunc, cùm sis in Sicilia, videre naues positas in Piræo: quod est impossibile.

7 *Et rursus.* Addit aliud exemplum magis perspicuum: in quo quæritur, an possit bonus sutor prauus esse. nam aut iungitur *sutor* cum *bonus*, & sensus est, eundem esse bonum sutorem, & improbum hominem: aut *sutor* coniungitur cum *prauus*: & concluditur, bonum sutorem, esse prauum sutorem; quod est impossibile. Paralogismus in contextu ita proponitur: Aliquis quem supponimus esse bonum sutorem, est sutor, & est prauus: ergo est sutor prauus. vel, est bonus sutor, & prauus, ergo est sutor prauus. Fallacia est: quia *prauus* coniungitur cum *sutor*, à quo debet seiungi: nec enim valet argumentum à diuisis ad coniuncta, vt expositum fuit cap. 11. de interpretatione.

2 *Item num* [*quorum.*] Sequitur aliud exemplum,

exemplum, in quo similiter male arguitur à diuisis ad coniuncta. Primò verè probatur malum esse bonum mathema: (Mathema appellatur id quod discitur, quatenus discitur) quorum enim scientia est bona, illa sunt bona mathemata, id est, (vt ita dicam) didicita. Deinde sophisticè probatur esse malum mathema: quia est malum, & est mathema; ergo est malum mathema. Captio est: quia malũ & mathema sumuntur in conclusione coniunctim, quæ accipiebantur in propositionibus disiunctim.

9 *Nunquid verè.* Sequitur aliud exemplum. Verè dicitur nunc te natum esse. oratio est vera, si aduerbium *nunc* adiungatur verbo *dicitur*: falsa autem est, si iungatur cum sequenti verbo *natum esse*. nunc enim verè dicitur te esse natum: sed falsò dicitur, te esse natum nunc.

10 *Nunc quomodo potes.* Sequitur aliud exemplũ: Quo modo potes agere, eo modo agere: & quę potes agere, ea potes agere: atqui non ludēs potes ludere: ergo fieri potest vt non ludendo ludas. Captio est in minore propositione. cùm enim dicitur, nō ludēs potes ludere: si cōiungatur *non ludens* cum verbo *potes*, oratio est vera; quia cùm nō ludis, tamen habes potestatē ludendi. si verò iungatur cum verbo *ludere*, oratio est falsa: quia non habes hanc potentiam vt possis ludere non ludendo.

11 *Soluunt autem.* Proponit quandam aliorum solutionem sophismatis modò expositi: hi namque non respondebant ad minorem, vt nos respondimus, sed ad maiorem: & obiiciebant eam non esse vniuersalem; quia sophistà dicebat, Quo modo potes agere, & c. item, Quæ potes agere, &c. fuisset autem vniuersalis propositio, si dixisset, Quæcumque potes, & Quocumque modo potes. quoniam ergo maior est particularis in prima figura, nihil inde efficitur.

12 *Sed apparet.* Improbat dictam solutionem, tanquàm insufficientem, & imperfectam, id est, quæ non respiciat ad præcipuam causam sophismatis. nam etsi hæc solutio est vera aduersus eum, qui, cùm dixerit, *qua potes*, & *quomodo potes*; vsus est oratione indefinita, quæ in syllogismis extruendis æquipollet particulari: is tamen alius facilè poterit mentem suam apertiùs explicare, ac dicere se, quod sæpe fit, accipere indefinitam pro vniuersali, immo poterit expressè loqui vniuersaliter & pro *qua* dicere, *quæcumque*; vel pro *quo modo*, dicere *quomodocumque*: túneque eorum solutio non conueniet. Solutio verò Aristotelis est generalis, & semper valet: proinde est alteri præferenda. Ex hac particula nota duo solutionum genera, quarum altera vocatur ad hominem, altera ad argumentationem. Vide cap. 11. lib. 8. Top.

IN CAP. XXI. DE SOLVTIONE CAPTIONVM EX ACcentu.

1 *Ex accentu verò.* Primò ait captiones ex accentu rarò fieri, siue spectentur orationes scriptæ, siue voce pronuntiatæ, fieri tamen interdùm. Intellige fieri in scriptura, non in voce, vt fuit expositum cap. 4. part 8. Secundò cùm ait, *vt hæc argumentatio*, dat exemplum paralogismi ex accentu perspicui.

2 *Quomodo autem.* Tertiò tradit rationem soluendi, nempe vt distinguatur significatio, quæ pro accentuum diuersitate est diuersa. Accōmodat autem hanc solutionē exēplo suprà dato. ideo inquit τὸ ου, in eo sophismate non idem significare cum accentu acuto, & cum accētu graui. etenim cum accentu acuto est aduerbiũ negandi, & significat non: cum accētu autem graui est aduerbium loci, & significat vbi. Accentum grauem vocat, cùm adscribatur circumflexus; & acutum, vbi hodie non adscribitur accentus, nisi τὸ ου ponatur in fine clausulæ. Coniunge d. part. 8. cap. 4. & quæ ibi notaui.

IN CAP. XXII. DE SOLVTIONE CAPTIONVM, QVAE DIcuntur ex figura dictionis.

1 *Patet etiam.* Tradit rationem soluendi sophismata, quę ducūtur ex figura dictionis. nempe hæc sophismata in eo peccant, quòd trāscenditur de genere in genus, id est, quia figura dictionis est eadem, accipiunt diuersas res pro eadem re, hoc est, referunt ad eandem categoriam ea quæ pertinent ad diuersas categorias. vt putà accipiūt passionem pro actione: veluti sentire aut videre pro agere, cùm re vera sint pati, quamuis videantur verba actiua. Similis

captio est, cùm accipiunt quantitas pro substantia, & omnino quando confunduntur categoriæ. Quapropter ex distinctione categoriarum iubet Aristoteles nos soluere captionē. Ex hoc loco, & ex cap. 9. lib. 1. To. & aliis huius organi locis apparet cognitionem Categoriarum esse logico necessariam.

2 *Vt in hac.* Subiicit varia exempla paralogismorum, qui dicuntur ex figura dictionis, & eo quo diximus modo soluuntur. Primum exemplum est perspicuum. Quærit primùm sophista, an possit aliquis simul eãdem rem facere & fecisse. altero id verò negante, sophista nititur contrarium probare: quia potest aliquis eandem rem videre, & vidisse: vnde colligit eum eandem rem facere, & fecisse sed malè colligit: quia videre non est agere, sed pati, id est, recipere species visibiles.

3 *Estne aliquid.* Sequitur aliud exemplum, quo sophista vult probare agere esse pati, quia videre est sentire. Accipit videre pro agere: quia est verbum actiuum. accipit autem sentire pro pati: quoniam apud Græcos habet formam verbi passiui.

4 *Si quis autem.* Ostendit non esse elenchum, id est, reuera non redargui eum qui negauit aliquem simul posse eandem rem facere & fecisse, & concessit aliquem simul posse eandem rem videre & vidisse; nisi etiam cõcedat videre esse agere, & vidisse esse speciem ꝰ fecisse. sed auditori potest videri conuictus: quoniam ipse auditor hęc supponit, quæ non sunt concedenda, quòd videre sit agere, & vidisse sit fecisse. ergo hoc concesso est elenchus, hoc negato non est elenchus, sed diluitur sophisma, quia passio non debet accipi pro actione.

5 *His* [*quos exposui.*] Deinceps subiungit alia exempla, quorum vnum est: Quęrit sophista, an quis amiserit id quod prius habebat, & nunc non habet: re id affirmante, nititur contrarium probare ex eo, quòd aliquis habens (exempli gratiâ) decem talos, vnum amisit hoc supposito, sic sophista argumentatur: Hic antea decem talos habebat, nunc non habet: hic autem non amisit decem talos: ergo aliquis non amisit, quod antea habebat, & nunc non habet. Subiicit Aristoteles solutionem, cùm ait, *An quod non habet*, & ostendit sophistam confundere categorias, id est, quantitatem cum substantia. quærebat enim primùm, an quis amiserit quod antea habebat, &c. pronomen *quod*, significabat rem, quam ille habebat. cùm postea sophista subiecit aliquem nõ amisisse decem talos, iam non est locutus de re amissa, id est, de substantia, sed de quantitate: nam decem, ad categoriam quantitatis referuntur.

6 *Item* (*captio.*) Sequitur aliud exemplum, quo sophista vult probare aliquem dare quod non habet: quia cùm non habeat vnum solum talum, sed decem, tamē dat vnum talum. Primò Aristoteles proponit hoc sophisma. Secundò cùm ait, [*qui dedit,*] subiungit solutionem; quia illud *vnum solum*, non significat quod datur, sed relationem eius quod datur. quod enim est solum, non est cum aliis: quod verò non est solum, id est cum aliis. sophista igitur confundit relationem cum substantia: nec probat, quod volebat probare, id est, aliquem dare quod non habet. dat enim solum, cùm non habeat solum. quod non esse absurdum, docet Aristoteles exemplis, cùm subiicit, [*perinde*] *igitur*: quoniam aliquis potest celeriter dare, quod non habet celeriter: & potest inuitus dare, quod non habet inuitus.

7 [*Expositis captionibus.*] Adiungit alia duo exempla perspicua. Probat sophista aliquem verberare manu, quam non habet; quia verberat vna manu, cùm nõ habeat vnam, sed duas. Rursus probat aliquem videre oculo, quem non habet: quoniam videt vno oculo, quippe qui alterum clausit; non tamen habet vnum oculum, sed duos. In quibusdam codicibus hic additur tertium exemplum, sed in plerisque deest, eius tamen mentionem faciemus ad part. 9. quoniam solutio ibi posita, ad hoc exemplum accommodatur.

8 [*Huiusmodi captiones.*] Deinceps proponit quasdam aliorum solutiones, quibus voluerant vitare dicta sophismata. Prima solutio est eorum, qui dixerunt eum qui habet duas manus, habere etiam vnam manum; & eum qui habet duos oculos, habere etiam vnum. negarũt igitur assumptionem sophistæ, qui assumebat aliquem non habere vnam manum, quia verberabat, vel vnũ oculum, quo videbat.

9 *Alij verò.* Secunda solutio accommodatur ad nonum exemplum, quod in vno codice legi adscriptum in fine partic. 7. Exemplum tale est: Vult probare sophista aliquem habere, quod non accipit finge enim me habere nouem talos, ac te mihi dare vnum talum: habeo igitur (secundum sophistam) quod non accepi: habeo namque decem talos, cùm non acceperim decem,

cem, ſed vnum. Ariſtotelis ſolutio eſt, me non habere, quod non accepi, ſed habere tot, quot non accepi. ita per diſtinctionem ſubſtantiæ & quantitatis ſoluit cauillum. Alij verò dicebant me habere vnum talum, id eſt, habere à te vnum talum, quamuis enim habeam decem, non tamen à te habeo decem: habeo igitur, quod accepi, id eſt, habeo à te vnum talum, quoniam à te accepi vnum talum.

10 *Alij autem.* Tertia ſolutio eſt eorum, qui conceſſerunt poſſe aliquem habere quod non accepit: vt quia habet vinum acidum, quod non accepit acidum, ſed dulce.

11 *Verùm vt antea.* Impugnat has ſolutiones: quia non aperiunt locum ſophiſmatis, quandoquidem etiamſi omnia concedantur ſophiſtæ, quæ iſti negant, nihilominùs ſophiſma ſoluitur eo modo, quem expoſuimus. non eſt igitur opus vt laboremus in eo, in quo illi laborarunt: quia præcipua cauſa erroris eſt illa, quòd confunduntur categoriæ.

12 *Præterea hæc quoque.* Sequitur aliud exemplum, quo ſophiſta vult probare eſſe aliquid ſcriptum, quod nemo ſcripſit. Supponit ſophiſta, dum Socrates ſederet, aliquem ſcripſiſſe, *Socrates num ſedet.* ſcripſit igitur verum. poſtea ſurgente Socrate, hæc oratio ſcripta, eſt falſa. ſcriptum igitur eſt falſum, cùm nemo ſcripſerit falſum. Primũ proponit hoc ſophiſma. Deinde cùm ait, *nam verum*, adiungit ſolutionem: quia verum vel falſum non eſt id quod eſt ſcriptum, ſed eius qualitas. confundũtur igitur categoriæ: & quod probandum erat de ſubſtantia, concluditur de qualitate. Quæ dicta ſunt de oratione, eadem obtinent etiam in opinione. nam opinionis quoque hæc eſt qualitas, cùm opinio quoque dicatur vera, vel falſa.

13 *Item num quod.* Sequitur aliud exemplum, in quo ſophiſta probat tardum eſſe velox, quia id quod eſt tardum, diſcurrit velox, id eſt, celeriter.

14 *Et num quod.* Sequitur aliud exemplum, quod non neget expoſitione.

15 *Neque cùm.* Aliud exemplum eſt: Quod bibis, in ventrem demittis: atqui calicem bibis: ergo calicem in ventrem demittis. Fallacia eſt, vt antea: quia in maiore accipitur id quod bibis: in minore verò id ex quo bibis. dicimus enim bibere calicem, non quia calix ſit id quod bibitur, ſed quia eſt id ex quo bibitur.

16 *Item num quod.* Quærit ſophiſta, an quod aliquis ſcit, id vel ex ſe inuenerit vel ab alio didicerit. te id affirmante, vult contrarium probare. ſumit igitur duo, quæ aliquis nouit, ita vt vnum didicerit: alterũ ex ſe inuenerit: & inquit, hęc neque inuenit neque didicit, & tamen hæc ſcit: aliquis ergo quædã ſcit, quæ neque inuenit nec didicit. Fallacia eſt ſimilis ſuperioribus, vt Ariſtoteles docet, quamuis obſcuris verbis, cùm ait, *An hic omne.* quorum ſenſus hic eſt: Cùm dicitur, Quod aliquis nouit, id vel inuenit, vel dicit: nunc ſignificatur res, quæ cognoſcitur. cùm autem dicitur, hæc duo neque didicit, neque inuenit, tunc fit tranſitus ad categoriam quantitatis: nec ſignificatur, quod nouit, ſed quot nouit. Hoc eſt, quod Ariſtoteles ait, *hic*, id eſt, in hac oratione, hęc duo, &c. [*accipitur*] *omne*, id eſt, conſiderantur omnia, quæ ſcit; proinde conſideratur multitudo, quæ ad quantitatem refertur: *ibi verò*, id eſt, in illa oratione, Quod quis ſcit, &c. *non* ſumitur *omne*, ſed vnumquodque per ſe ex iis quæ nouit.

17 *Item eſſe.* Sequitur aliud exemplum in quo ſophiſta probat eſſe quendam tertium hominem præter hominẽ vniuerſalem & homines ſingulares. Sophiſma in contextu omittitur, ſed ita ſuppleri debet: Sumit ſophiſta, te ſcire aliquem ambulare. atqui neque ſcis hominem vniuerſalem ambulare, quia homo vniuerſalis nõ ambulat: neque ſcis Socratem, vel Platonẽ ambulare; quia ſupponimus te ignorare quis ambulet; puta quia è longinquo eum aſpicis, vt dignoſcere non poſſis. Quod dixi de Socrate & Platone, idem intelligo de quouis alio ſingulari homine. Neſcis ergo hominem vniuerſalem ambulare, item neſcis quemuis ſingularem hominem ambulare; ſcis tamen hominem ambulare: eſt igitur aliquis homo tertius, id eſt, diſtinctus ab vniuerſali, & ſingularibus. Hoc ſophiſma ſoluitur: quia ſumit vniuerſalem hominẽ, quaſi hoc aliquid per ſe exiſtens extra ſingularia; quemadmodum Plato poſuit ideã hominis: & ita ſumit hunc hominem non ambulare, quoniam ideæ à Platonicis ponuntur immobiles vt dictum fuit Topic. lib. 6. capite decimo, part. 2. Sed ſecundum Ariſtotelem homo vniuerſalis non eſt præter ſingulares: proinde nec poteſt eſſe tertius homo præter vniuerſalem, & ſingulares. Primò Ariſtoteles innuit hoc ſophiſma, cuius tantùm ponit concluſionem. Secundò cùm ait, *Nam homo*, ponit ſolutionem: quia ho-

mo & reliquæ substantiæ vniuersales non significant hoc aliquid, sed qualitatem quandam essentialem, vt dictum fuit in Categoriis, cap. 5. partic. 16. & 17. Et generaliter nihil vniuersale significat hoc aliquid, sed qualitatem, aut quantitatem, aut relationem, &c Tertiò cùm ait, *Idem[contingit,]* hoc declarat exéplo Corisci, & Corisci musici. sicut enim Coriscus musicus non est hoc aliquid, distinctū à Corisco; sed est vnum & idem indiuiduum abstractū à musica, vel consideratum cum musica: ita homo non est hoc aliquid separatum à singulis hominibus, vt putauit Plato constituēs ideas Ait, *Quare non licet hoc exponere.* Exponere, hic significat expromere seu in medium afferre, & exépli gratiâ proponere; vt sæpe etiam accipiebatur lib. 1. Prior. Sensus horum verborum est, non posse ostédi Coriscum musicum tamquàm hoc aliquid, seiunctum à Corisco. Quartò cùm ait, *Neque verò expositio*, redit ad sophisma propositum: *&* inquit illam absurditatem, quòd ponatur tertius homo seiunctus & à specie & ab indiuiduis, non ex eo effici, quòd homo exponitur, id est, quòd ponitur seu profertur homo vniuersalis, sed ex eo quòd hic homo vniuersalis conceditur esse hoc aliquid, distinctū à singularibus. sic enim fit, vt hoc vniuersale, quod fateris esse hoc aliquid, sit *ὅπερ* homo, id quod homo, id est, sit verè & propriè homo, nón tamen sit id quod Callias, id est, nō sit vel Callias, vel Socrates, vel aliquis alius ex singularibus hominibus. Nā Calliæ appellatione significat quemuis singularem hominem. Quintò cùm ait, *Nec si quis dicat*, tollit solutionem quandam, qua aliquis fortasse vti posset dicens hominem nō significare verè & propriè hoc aliquid, id est, hoc aliquid essentiale, sed significare id quod quale, id est, hoc aliquid accidentale. Inquit Aristoteles hanc solutionem esse inanem: quia vtrouis modo dicas, semper facis hominem vniuersalem esse hoc aliquid distinctum à singularibus. Tandem cùm ait, *Apparet igitur*, concludit non esse concedendum, vniuersale esse hoc aliquid.

IN CAP. XXIII. QVO COMMVNITER AGITUR DE SOLUTIONE CAPTIONUM IN DICTIONE CONSISTENTIUM.

1 *Omnino autem.* Cùm singillatim dissolueris singulas captiones in dictione cōsistentes: inde colligit generalitèr veram rationem dissoluendi has captiones eam esse, vt contrarium dicamus ei quod sophista accipit. Hanc soluendi rationem in sequentibus particulis breuiter accommodat singulis captionum generibus.

2 *Vtputà si ex compositione.* Soluit sophismata, quæ sumuntur ex compositione & diuisione. quæ enim sophista componit, nos debemus diuidere: & quæ diuidit, debemus coniungere.

3 *Rursus si ex accentu.* Simili ratione soluit captiones ex accentu ductas.

4 *Sin autem ex homonymia.* Similiter soluit captiones ex homonymia. veluti si ne gaueris esse animatum, & sophista id probet, & concludat esse animatum: tu debes è contrario ostendere non esse animatum, nimirum sumpta alia significatione. verbi gratiâ si negaueris canem esse animatum; & aduersarius ita sit argumētatus, omne animal est animatum, omnis canis est animal, ergo omnis canis est animatus: tu responde, Immo canis sydus non est animatus, quia non est animal.

5 *Similiter[faciendum].* Ostendit non aliter solui captiones ex amphibologia.

6 *At si ex similitudine.* Eodem modo soluit captiones ex figura dictionis: & apponit exempla perspicua.

IN CAP. XXIV. DE SOLVTIONE CAPTIONVM ductarum ex accidente.

A Captionibus in dictione consistētibus transit ad eas quæ extra dictionē cōsistunt: & primo loco agit de iis quæ sumūtur ex accidente.

1 *[Quod] verò ad captionem.* Tradit generalem rationem soluendi omnia hæc sophismata. Cùm enim ea quæ accidenti tribuuntur, modò videantur subiecto quoque tribui, modò non tribui: nos generaliter dicamus non esse necesse, vt quod inest accidēti, insit etiā subiecto, proinde negem* consequentiam ab accidēte ad subiectum.

ita corruet argumentatio sophistæ.

2 *Sunt autē.* Proponit aliquot sophismata ex accidente ducta Primū tale est: Scisne quodsum te interrogaturus? Minimè. Atqui sum interrogaturus, an virtus sit in bonis. nescis igitur, an virtus sit in bonis. Secundum exemplū est: Nostíne hunc qui venit? vel, nostine hunc qui celatus est? Non noui. Atqui hic est Socrates: ergo nō nosti Socratem. supponimus autē Socratē tibi esse notum. ita duceris ad absurdū, vt eum nō noris, quem nosti. Tertium exemplū est: Hæc statua est tuum, & est opus: ergo est tuum opus. Dicet aliquis hic esse fallaciam compositionis & diuisionis. Verum est. sed nihilominùs est etiam fallacia ex accidente. nam quia accidit huic operi vt tuū sit, sophista colligit esse tuū opus. Sæpe enim accidit, vt plures fallaciæ sint in eodē exēplo, seu plura vitia in eodem paralogismo, vt dicetur in part. 15. Quartum exemplū simile est: Hic canis est tuus, hic canis est pater, ergo est tuus pater. Quintum exemplum est, quo sophista probat quantumuis multa sumantur, ea esse pauca: quia pauca paucis vicibus accepta, pauca sunt. ergo (exempli causâ) quatuor quater accepta, sunt pauca: atqui hæc sunt sexdecim: ergo sexdecim sunt pauca. sexdecim igitur sexdecies accepta, sunt pauca: quia si sexdecim pauca sunt, etiā sexdecies sunt paucæ vices. ergo sexdecim sexdecies accepta, sunt pauca paucis vicibus accepta. quare tota summa, quæ inde colligitur, pauca est. Et rursus si pergamus multiplicare, semper accipiemus pauca pau cis vicibus. ita semper erunt pauca. Deinde cùm ait, *Perspicuū enim*, datam solutionē accōmodat his exemplis: & inquit in eo peccari, quòd sumitur rei inesse, quicquid accidenti inest; cùm hoc falsum sit. nā in iis solis quæ sunt essentialiter vnū, quicquid dicitur de vno, dicitur etiam de altero. veluti quicquid dicitur de animali rationali, dicitur de homine: sed non quicquid dicitur de Socrate, dicitur de hoc veniente; quamuis accidat Socrati, vt sit hic veniens: quia possum cognoscere Socratem, & ignorare hunc venientem propter loci distantiam. Sic in primo exemplo non idē sunt, nisi per accidens, virtutē esse in bonis, & quod sophista est interrogaturus. possum igitur hoc ignorare, & illud scire. nec valet ea consequentia: Ignoras, quod sum interrogaturus: ergo ignoras virtutem esse in bonis. Sic in secundo exemplo non est essentialiter idem, Coriscus, & hic veniens; vel Coriscus, & hic absconsus. Item in tertio exemplo neganda est consequentia: Est meum, & est opus: ergo est meum opus. Dicitur enim meum, non tanquàm meum opus, sed tamquàm res mea. Similis ratio est aliorum sophismatum. vt putà verè dicitur meus, non tamquàm meus pater, sed quoniam sum eius dominus.

3 *Soluunt autem.* Proponit aliam quorundam solutionem, qui totum argumentum sophistæ concedebant. sophista namque ducebat ad hanc absurditatem, vt dicamur ignorare id quod nouimus, hi verò respondent hoc non esse absurdum: quia possumus diuerso respectu eandem rem nosse, & ignorare. vt putà eundem nouimus, quatenus est Coriscus; & ignoramus, quatenus est hic ad nos accedens.

4 *Atqui primùm.* Dictam aliorum solutionem impugnat aliquot argumentis. Primum est: quia non accommodatur omnibus captionibus ex accidente ductis, sed tantùm illi, in qua ponebatur verbum *Scire*: aliis verò non conuenit, vt illi, Est tuus, & est pater: ergo est tuus pater. non est igitur bona solutio, cùm non tollat omnia sophismata. Nec dicas esse veram solutionem respectu illius sophismatis, in quo ponitur verbum *Scire*: quia cùm hæc omnia sophismata colligantur ex eodem fonte, id est, ex accidente, debent etiam habere eandem solutionem: siquidem vera solutio (vt antea diximus) ea est, quæ fontem erroris indicat.

5 *Ceterùm nihil.* Secundum argumentum contra eandem solutionem est: quia etiamsi eadem argumentatio laboret multis vitiis, non tamen cuiuscumque vitii patefactio est vera solutio, sed ea quæ præcipuū vitium indicat. Vnde si argumentatio non concludit: solutio praua est, quæ conclusione concessâ inquirit, vtrùm conclusio sit vera, an falsa: vt contingit in illorum solutione. concedunt enim sophistæ conclusionem, quasi rectè illatam, cùm tamen ex præmissis non sequatur necessariò, quia (vt suprà diximus) non valet consequentia ab accidente ad subiectum.

6 *An fortassis.* Tertium argumentum contra eandem solutionem efficacissimum est: quia etiamsi ea solutio fortasse possit aliis exemplis accommodari, in quibus insunt plura vitia, tamen in exemplo, de quo nunc agimus, vnum est vitium, quòd non est bona consequentia. Quod autem illi dicebant, te eundem diuersis respectibus co-

gnoscere & ignorare, falsum est: siquidem nosti Coriscum, quatenus est Coriscus, & nosti hunc venientem, quatenus est hic veniens.

7 *Similiter vt* [*ii.*] Ostendit solutioni modò reprobatæ similem esse solutionem, quam alii accõmodabant sophismati probanti idẽ esse multum & paucum. Est autẽ sophisma, quod modò exposui. pone enim centum millia esse multa: tamen sophista ostendit esse pauca, progrediendo ex illo axiomate, Pauca paucis vicibus accepta, esse pauca: ita igitur concluditur eadem esse multa, & pauca. Hi respondebãt hoc non esse absurdum: quoniam eadem diuersis respectibus possunt esse multa & pauca. Aristoteles autem non probat hanc solutionem, sed vult negari sophistæ consequentiam; quia argumentatur ex accidenti.

8 *Sunt etiam qui.* Proponit aliam solutionem, qua alii vtebantur, vtentes distinctione quasi *tuum*, sit verbum homonymũ; quia dicitur vel tuus pater, vel tuus filius, vel tuus famulus, &c.

9 *Atqui perspicuum* Impugnat eam solutionem: quia vbi verbum est multiplex, vt canis, omnes significationes propriæ sunt: quod hic non contingit, quia (exempli gratiâ) filius illius dicitur impropriè, si ideo illius dicitur, quia est eius famulus, & ille est huius dominus.

10 *Huic similis.* In hac partic. expendit aliud exemplum sophismatis ex accidente ducti: quod tamen non ita potest Latinè concipi vt Græcè: quia phrasis Græca est. Primò ponit sophisma, nempe, Prudentia est scientia malorum, ergo aliquod bonum est malorum, id est, secundum vim Græcæ phrasis, aliquod bonum est in numero malorum, siue aliquod bonum est malum. Secundò cùm ait, *sed hoc esse*, docet non esse soluendum sophisma per distinctionem verbi multiplicis: quia hæc oratio, esse aliquorum, non est ambigua, sed tantùm significat esse in eorũ dominio. Tertiò cùm ait, *Aut si fortè*, ostendit, etiamsi fateamur (id est, hoc dato & non concesso, vt vulgò loquimur) eam orationem esse ambiguam: (quia non semper significat dominium, vt cùm homo dicitur esse animalium, id est, in numero animalium, non in dominio animalium) nihilo magis dictum sophisma solui debere per distinctionem, quasi ex amphibologia ductum sit: quia potiùs ducitur ex eo quod dicitur simpliciter vel secundum quid. prudentia namque non omnimodo dicitur malorum, sed secundum quid, quatenus scilicèt est eorum scientia. Itaque etiamsi demus esse malorum, posse accipi multifariam: tamen non ita accipitur in dicto sophismate. Quartò cùm ait, *sed potius* [*in illa* ,] proponit aliud sophisma, quod magis videtur recipere distinctionem orationis ambiguæ, reuera tamen non recipit, vt intelligamus numquàm hæc sophismata solui per distinctionem. Sophisma est: si dicatur esse mancipium bonum, & esse mancipium huius viri mali, ergo bonum esse mali. Inquit Aristoteles negandam esse consequentiam, non vtendum distinctione. Postremò cùm ait, *Quin ne illud*, ostendit etiã hanc orationem, hominem esse animalium, non esse multiplicem: quia tum demum est oratio multiplex, cùm est omnino eadem oratio in omnibus significationibus: quod hic non contingit, ratione verborum quæ tacitè subaudiuntur. modò enim subauditur, in dominio, modò subauditur, in numero. atqui si hæc exprimerentur, non esset vna oratio ambigua, sed duæ orationes diuersæ, esse in numero animalium, & esse in dominio animalium: ergo idem dicendum est demptis illis vocabulis, in numero, &, in dominio: quoniam ademptio quorundam verborum non reddit orationem ambiguam: alioquin omnis oratio posset fieri ambigua, vt hæc, *Iram cane Dea*, quæ est initium Iliadis, quia præter notam significationem interdum significat totam Iliadem, si quis dicat, Da mihi iram cane Dea, id est, da mihi Iliadem.

IN CAP. XXV. DE SOLVTIONE CAPTIONVM ex eo ductarũ, quod est simpliciter, vel *qua* [illegible].

1 *Argumentationes autem.* Tradit generalem regulam, qua soluamus captiones ex eo ductas, quod est simpliciter, vel non simpliciter: & iubet nos conferre conclusionem sophistæ cum contradictione, id est, cum nostra thesi, quam sophista voluit euertere, & videamus, vtrùm alterutra ex his enunciationibus, an vtraque dicatur non simpliciter, sed secundum quid, seu adiecta quacumque limitatione. nam si vtraque accipiatur simpliciter, certè non est fal-

est fallacia,sed verus elenchus: si verò accipiatur diuersis modis, veluti vna simpliciter, altera secundum quid; vel vna secundum quid,altera secundum aliud: tunc non est contradictio:proinde non est elenchus.

2 *Omnes autem* Deinceps accommodat variis exemplis expositam soluendi rationē. In hac particula proponit quatuor exēpla. Primum tale est: Probat sophista, id, quod non est,esse; quia est secundum quid, putà est opinabile. Sed hæc conclusio, non ens est opinabile, non contradicit tuæ thesi, quod non ens non est: quia in tua thesi accipis esse simpliciter, sophista verò accipit esse secundum quid, seu limitatum, nēpe esse opinabile: nec valet consequentia, est opinabile, ergo est, vt dictum fuit cap. 11.de interpret. part. vlt. Secundum exemplum est: Sophista vult probare id quod est,non esse; quia non est secundum quid: putà concludit bouem non esse, quia non est homo: nam homo est ens. Tertium exemplum est,quo sophista concludit eum, qui peierat, verè iurare.supponit enim aliquem iurasse se peieraturū. quare cùm postea peierat, implet fidem sui iurisiurandi: Verè igitur iurauit:ergo simul verè iurauit, & peierauit. Eadem est fallacia: quia peierauit simpliciter: verè autem iurauit,nō simpliciter,sed secundum quid. Quartum exemplum est: Probat sophista eundē eidem credere, & non credere: vtputà discipulus mathematico credit. Lunam esse minorem terrā, sed non credit Solem esse maiorem terrā:ergo fidē eidē credit,& non credit. Similis est fallacia; quia vtraque enunciatio est vera secundum quid: ita vt diuersarum rerum respectu credat, & non credat. Primò Aristoteles proponit hæc exempla.
Secundò cùm ait, *An neque*, accommodans datam solutionē dictis exemplis, in primis soluit duo prima sophismata, & inquit hæc duo differre,esse quiddā,& esse simpliciter.hinc.n. sumebatur solutio, vt exponere anteuerti:quia (vt mox Aristoteles subiicit)non ens non est simpliciter, sed est aliquid, seu(quod idem valet) est secundum quid, putà est opinabile. Deinde ibi, *neque si liquidò*,soluit tertium sophisma. Duorum reliquorum solutionē breuitatis causā omittit, vt nos eam suppleamus, quoniam est eadem soluendi ratio.

3 *Similis quoque.* Innuit aliud exemplum,quo sophista probat eundem sermonem esse verum & falsum: veluti si quis dicat,Æthiops est niger: aut, Æthiops est albus: quia partim est niger, partim albus; seu potiùs niger simpliciter, albus autē secundùm quid, id est,dentes. Hoc sophisma tunc difficiliùs est,cùm non apparet vtrum magis subiecto insit,putà si res ex dimidia parte sit alba,& ex dimidia sit nigra.

4 *Similiter [se res habet*]Superiora exempla pertinebant ad limitationem illam, secundum quid nunc transit ad alias limitationes similes. & primò inquit eandem esse rationem aliorum limitationum, vt relationis,vel loci, vel temporis. nam siue ad duo fiat relatio, siue alterū accipiatur simpliciter,alterum per relationem ad certum quidpiam: non est contradictio. vtputà vinum est bonum simpliciter, sed est malum febricitanti. Similis est distinctio loci, & temporis. Secundò cùm ait, *omnes enim*, subiungit aliquot exempla. Primum exemplum est, Estne sanitas res bona? vel, Súntne diuitiæ bonæ? ita. Atqui, inquit sophista,hæc sunt mala ei qui malè vtitur, vt imprudenti: ergo eadē sunt bona & mala. Alterum exemplum est, Estne bonum bene valere, vel esse potentem in ciuitate? Vtique. Sed interdū hæc nocent & sunt mala. eadem igitur sunt bona & mala. Tertiò cùm ait, *Sed nihil*, soluit ea sophismata: quia in priori idē erat bonum simpliciter. & malum limitatè,id est, certæ personæ: in posteriori autem exemplo idem erat bonū simpliciter,& malum certo tēpore:hæc verò non sunt absurda, neque contradicentia.

5 *Non quod nollet.* Subiicit aliud exemplum. & primò proponit sophisma. Deinde ibi, *Non [est] enim*, adiungit solutionem. Quod ad sophisma attinet, vult sophista probare bonum esse malum: quia quod vir prudens non vult, id malum est: abiicere autem bonum vir prudens non vult: ergo bonum est malum. Fallacia est: quia non idem est,bonum, & abiicere bonum. bonum enim simpliciter, est bonum: sed bonum cum hac limitatione, quatenus abiicitur, non est bonum, quia boni abiectio est mala.

6 *Similiter soluenda.* Addit aliud exemplum & primò innuit sophista. Deinde ibi:*non enim si fur*, ponit solutionem sophismatis.Inquit sophista, Fur est malus, ergo qui vult capere furem,vult malum. Solutio similis est: quia aliud est fur, aliud, capere furem.

7 *Et morbus.* Addit aliud exemplum. morbus enim est res mala: sed perdere morbum, est res bona. nec propterea

dicendum est rem bonam esse malam: quia aliud est morbus simpliciter, aliud, perdere morbum.

8 *Numquid iustum.* Subiungit aliud exemplum, cuius solutionem ponet part. 11. quoniam autem hæc sunt perspicua, non requirunt nostram interpretationem.

9 *Num iustum est.* Sequitur aliud exemplum. Probat sophista idem esse iustum, & non iustum. nam si iudex res tuas alteri per imperitiam adiudicauerit, iustum est te res tuas habere, & non iustū est te habere contra sententiam iudicis cui ius ciuile stari vult. Hoc sophisma soluetur part. 12. habere enim quemcumque res suas, est iustū simpliciter, sed non est iustū huic. vel (quod idē valet) aliū habere res tuas, non est iustū simpliciter, sed iustum limitatè, id est, secundum sententiam iudicis.

10. *Et vtrùm oportet.* Aliud exemplum perspicuum subiicit, cuius solutio ponetur part. 13.

11 *Non enim.* Cùm in tribus præcedentibus particulis proposuerit tria sophismata, ea deinceps soluit eo ordine, quo proposuit. & primò soluit sophisma positum in part. 8.

12 *Et sua [quemque.]* Secundò soluit falaciam particulæ 9.

13 *Similiter cùm hæc.* Tertiò soluit paralogismum particulæ 10.

IN CAP. XXVI. DE SOLVTIONE CAPTIONVM EX definitione elenchi.

1 *Iis autem.* Declarat rationem soluendi sophismata, quæ peccant contra definitionem elenchi. & inquit conclusionem sophistæ esse conferendam cum contradictione, id est, cum thesi, quam sophista impugnat. nisi enim sit contradictio, non est elenchus: deprehendemus autem non esse contradictionem, quia vel non sunt de eodem vel non secundum idem.

2 *Quòd si quis.* Quia sophista vult nos ducere ad contradictionem: præcipit, vt ab ipso initio, si rem animaduertamus, fateamur vtrumq; simul esse verum. verbi gratiâ, inquit sophista se velle probare idem esse duplum, & non esse duplum, vt ducat nos ad absurditatem, & contradictionem. nos verò dicamus hoc non esse absurdum, ideóque non esse opus, vt sophista in eo probando laboret, quia sine eius probatione id concedimus. Sed ne videamus absurda concedere, idcirco Aristoteles, cùm subdit, *sed concedendum*, monet nos, ne ita concedamus, vt perinde haberi possit, ac si essemus elencho conuicti, id est, non concedamus simpliciter, sed diuerso respectu.

3 *Sunt autem omnes.* Subiicit duo exempla huiusmodi captionum. Primum tale est: Aliquis nouit Coriscum esse Coriscum, & ignorat eundē Coriscum esse musicum: ergo nouit, & non nouit eundem Coriscū sed diuerso respectu: nouit enim, quatenus est Coriscus: non nouit, quatenus est musicus.

4 *Et rursus.* Secundum exemplum est: Sumit sophista duo quanta, quorum vnum est maius altero secundum longitudinem, & minus secundum latitudinem, inde concludit idem eodem esse maius, & minus. Sed hoc non est absurdum: quia longitudo est maior, latitudo verò minor.

IN CAP. XXVII. DE SOLVTIONE CAPTIONVM, quibus petitur quæsitum.

1 *Qvæ verò.* De his captionibus, in quibus petitur quæsitum, dat tria præcepta seu tres modos soluendi. Primum enim, si ab initio hoc vitium percipiamus debemus negare, quod sophista sumit, quāuis probabile videatur: quia non licet sumere, sed oportet probare, quod in quæstione positum est.

2 *Sin [ab initio.]* Secundò monet, vt si non animaduertimus hoc vitium, nisi postquàm sophista perfecit argumentum, tunc saltem vitium indicemus, & ostendamus sophistam nihil probasse, neque aduersus nos elenchum extruxisse: quia petiit quæsitum: qui verò quæsitum petit, nec probat, nec redarguit.

3 *Deinde quòd datum.* Tertiò docet aliam responsionem, qua possumus vti, postquàm sophistæ concessimus, quod non debuimus

buimus concedere, & inde sophista extruxit elenchum: tunc enim dicemus nos id concessisse seu posuisse, non ea mente vt sophista id sumeret pro principio, ex quo argumentaretur, sed potiùs pro eo quod impugnaret, seu de quo disputaret, propterea quod est cum nostra thesi omnino coniunctum. malè igitur sophista, & præter nostrum consensum, id accepit pro principio. Exempli gratiâ sit nostra thesis, omnem scientiam esse bonam: sophista interrogauit, annon ars magica esset mala: idque nos concessimus: inde ille probauit aliquam scientiam esse malam, vt scientiam magicam quid ergo dicemus? nam videmur conuicti. respōdebimus eum petiisse quæsitum: quia cùm in thesi posuimus omnem scientiam esse bonam, etiam asseruimus scientiam magicam esse bonam: sophistæ autem dedimus scientiam magicam esse malam, non quasi principium, quo thesim impugnaret, quandoquidem est coniunctum cum thesi, & in ea continetur, sed quasi concedentes sophistæ, nostram thesim impugnati, si probet scientiam magicam esse malam.

IN CAP. XXVIII. DE SOLVTIONE CAPTIONVM, quæ ducuntur ex consequentibus.

1 *QVæ autem ex consequente.* Dat rationem soluendi paralogismos sumptos ex consequentibus: & inquit nos debere hoc vitium indicare in ipsa argumentatione, nempè sophistam esse argumentatum à consequentibus eo modo, quo consequentia non valet. hi verò modi, quibus consequentia non valet, duo sunt, vt mox Aristoteles declarabit.

2 *Est autem duplex.* Docet duos esse modos rectæ consequentiæ, proinde duos malę cōsequentię. Aut. n. arguitur positiuè, aut destructiuè: & vel ab antecedente ad consequens, vel à consequente ad antecedens. Primus rectus arguendi modus est, si arguatur à positione antecedentis ad positionē consequētis, veluti: Si est homo, est animal: atqui est homo: ergo est animal. Secundus rectus argue ndi modus est ab euersione consequentis ad euersionē antecedentis, veluti: Si est homo, est animal: atqui non est animal: ergo non est homo. Primus prauus arguendi modus est à positione consequentis ad positionē antecedentis, veluti: Si est homo, est animal: atqui est animal: ergo est homo. Alter prauus modus est ab euersione antecedentis ad euersionem consequentis, veluti: Si est homo, est animal: atqui non est homo: ergo non est animal. Obserua duos modos inter se & duos prauos inter se admodum esse affines & coniunctos: adeo vt in re parum intersit, vtro modo quis argumentetur: & semper liceat vnum modum in alterum conuertere in quacumque subiecta materia: vtroque enim modo semper eadem est probandi vis, vel idem vitium.

3 *Vnde & Melissi.* Expositam soluendi sophismatis rationem accommodat ad argumentationem Melissi, de qua dictum fuit suprà cap. 5. part. 8.

IN CAP. XXIX. DE SOLVTIONE CAPTIONVM, quæ non causam accipiunt pro causa.

DEclarat rationem soluendi captiones ex non causa, nempe vt ostendamus, etiam demptâ eâ propositione, quam sophistæ concessimus, nihilominùs ex reliquis propositionibus colligi impossibile ad quod sophista deduxit. sic enim absurdum non colligitur ex nostra concessione, sed ex aliis propositionibus ab ipso sophista assumptis.

IN CAP. XXX. DE SOLVTIONE CAPTIONVM, quæ plures interrogationes pro vna accipiunt.

1 *SEd aduersus.* Ostendit rationem dissoluēdi sophismata ex eo sumpta, quòd plura interrogant quasi vnum: & ait statim esse distinguendum, nec respondendum quasi ad vnam interrogationem, id est, non esse respondendum vna responsione, sed pluribus: quia quot sunt interrogationes, tot debent esse responsiones: & si simul quasi ad vnam interrogationem respondeamus, Ita est, vel, Non est: facilè incidemus in aliquam absurditatem,

vt ostensum fuit suprà capite 5. partic. 11.

2 *Sicuti autem.* Declarat, quando incidemus in absurditatem, si respondeamus simpliciter ad interrogationem multiplicem. Aut enim omnium significationum eadem est ratio: veluti, estne canis corpus: nam in quacumque significatione canem sumas, affirmatio vera erit, negatio falsa: tùncque ex simplici responsione non ducimur ad absurditatem. aut non est omnium significationum eadem ratio: veluti, Latràtne canis? nam de quadrupede vera est affirmatio, falsa negatio: de pisce autem & sydere è contrario vera negatio, falsa affirmatio: túncque non possumus simpliciter respondere, quin falsum aliquid dicamus, aut dicere videamur: quia respondemus, vel saltem respondere videmur de omni cane in quacunque significatione sumatur.

3 *Vt in his.* Subiicit aliquot exempla captionum huiuscemodi. In primo interrogamur de duabus rebus, quarum vna est bona, altera mala siue ergo interrogat vtrùm sit bonũ, an malũ, simpliciter respõdeamus esse bonum, siue esse malum: peccamus: quia sicut vnum est bonum, ita alterum est malum. quare sic hæc pro vno accipias, sophista probabit esse bonum & malum; rursus nec bonum nec malum: quia dum probatum fuit esse bonum, probatum fuit non esse malum: & dum probatum fuit esse malum, simul probatum fuit non esse bonum. idem igitur erit bonum & malum, & neque bonum neque malum. Hæ absurditates per distinctionem vitantur: quia sunt multæ interrogationes, quæ sunt seiungendæ, ita vt separatim ad vnam respondeatur esse bonum, & ad alteram esse malum.

4 *Item res quæque.* Sequitur aliud exemplum. Sumit sophista duas res inter se diuersas, vt aurũ & plumbum: & primùm te interrogat, an vnumquodque sit idem cum seipso, & diuersum ab alio. postquàm ei hoc concessisti de auro, & plumbo: sic argumentatur: Hæc sunt eadem sibi ipsis, & diuersa à se ipsis: ergo idem cum eodem est idem, & non idem. Fallacia hìc est: quia accipiuntur quasi vnũ, quæ sunt duo. dicuntur enim eadem cum seipsis: quia aurum est idem cum seipso, & plumbum est idem cum seipso. rursus dicuntur à seipsis differre: quia aurum à plumbo differt, non aurum à semetipso, nec plumbum à semetipso.

5 *Præterea si quod.* Adiungit aliud exemplum. Inquit Aristoteles, si bonum aliquod fiat malum, & aliquod malum fiat bonum, duas esse res quæ fiunt, id est, quarum altera fit bona, altera mala. Supple, nõ oportet igitur de his interrogare vel respondere, quasi de vna re. hoc est, si sophista interroget, vtrùm hæc fiant bona an mala: non debes simpliciter respondere fieri bona, vel, fieri mala; sed distinguere, & afferre duas responsiones separatas.

6 *Cùmque duo.* Sequitur aliud exemplum planè simile exposito in part. 4. sed ibi sumebatur idem & diuersum: hic verò æquale & inæquale. Sumit enim sophista duas res inter se inæquales: sed vtranque est sibiipsi æqualis: vnde concludit easdem res sibi esse æquales & inæquales.

7 *Incidunt autem.* Ostendit huiusmodi paralogismos posse etiam aliis modis solui. nam (vt etiam in superioribus diximus) fieri potest, vt idem sophisma pluribus vitiis laboret, ideóque ad diuersa captionum genera referatur. Possumus ergo hos paralogismos referre ad homonymiam. quæret enim sophista, vtrùm ambo sint eadem an diuersa, vel vtrùm omnia sint æqualia an inæqualia: & concludit ambo vel omnia talia esse. Atqui dictio *ambo*, vel *omnia*, est homonyma. Vt enim scholastici loquuntur, potest accipi vel collectiuè, vel distributiuè .i. vel significat omnia simul, vel singula per se. Quod ad seriem contextus attinet, primò Aristoteles inquit hos paralogismos posse etiam aliter solui. Secundò cùm ait, *nam & [verbum,]* refert ad homonymiam, ita vt soluat sophisma per distinctionem homonymiæ. Tertiò cùm ait, *sed perspicuum*, ostendit hanc esse commodissimam solutionem, vt dicamus plures interrogationes pro vna accipi: quia nisi concedamus sophistæ, vt possit plures interrogationes pro vna proponere, & nisi concedamus dandam esse vnam responsionem, ille nihil poterit contra nos concludere.

IN CAP. XXXI. DE SOLVTIONE PARALOGISMOrum colligentiũ nugationem.

HActenus docuit solutionem omnium elenchorum sophisticorum, quæ erat prima sophistarum meta: nunc transgreditur ad alias captiones, quæ non faciunt elenchũ, id est, non cogunt nos fateri cõtradicentia, sed deducunt ad alias absurditates, vt ad nugationem, vel solœcismum.

1 *Quod verò ad eas.* Primò explicat rationem

tionem vitandæ nugationis, nempe vt negemus vocabulum separatum significare idem, quod significat coniunctum cum alio. Secundò cùm ait, *vt duplum*, exemplo illustrat hanc solutionem: & inquit nos non debere concedere duplum per se aliud significare, quàm in oratione, duplum dimidij. inde enim sophista colligebat nugationem, suprà cap. 13. partic. 2. Breuissimè autem subiecit elegãtissimam s. tionem, cum ait, *ὅτι ἓν φαίνεται, quoniam vnum [esse] apparet*: quam Alexander non intellexit, quia legit vno verbo *ἐμφαίνεται*. quamuis enim hæc lectio tolerari possit, tamẽ altera, vt magis recepta, ita etiam elegantior mihi videtur. Sensus ergo est, cùm dicitur duplum dimidij, vnum quid dici, id est, vnam rem significari. ergo illud *duplum* per se nihil significat: alioquin vel illud *dimidij*. nihil significaret, vel essent duæ res significatæ. Similem doctrinam dedit de nominibus compositis cap. 2. de interpretatione, particulâ 2. & cap. 4. partic. 3. Tertiò cùm ait, *nam & decem*, confirmat suam sententiam quibusdam perspicuis exemplis. Sicut enim cùm dicimus vno minùs decem, non dicimus decem: & cùm dicimus Socratem non currere, non dicimus eum currere; ita etiam cùm dicimus duplum dimidij, non dicimus duplum, quod per se habeat aliquam significationem separatam. Quartò cùm ait, *duplum verò*, redit ad exemplum sophismatis, id est, ad duplum: & inquit hoc per se nihil significare. Si cui verò hæc sententia falsa videatur: is animaduertat, ideo *duplum* significare, quia subaudimus *dimidij*: hoc autem non est significare per se: quia nihil interest, vtrùm verba exprimãtur, an tacitè subaudiantur: quoniam (vt inquit Philosophus lib. 1. Posteriorum, cap. 10. partic. 7. Logica non tam respicit ad sermonem extremum, quàm internum. Sic in libro de interpretatione audiuimus verbum per se nec affirmare, nec negare. si quis tamen dicat, curro: affirmat: quia subauditur ergo. & si quis interrogatus, quid facit Socrates? respondeat, scribit: affirmat: quoniam ex interrogatione tacitè repetitur & suppletur Socrates. Deinde ait, *aut si [quid.]* Sensus est: Si fortè verbum separatum videatur aliquid significare, tamen non idem significab. t, quod in coniunctione positum. sicut in exemplis suprà dictis, aliud significat decem per se, aliud in oratione, vno minùs decem. Sic dominus fortasse aliquid per se significat, vt quia est titulus honoris: sed non significat idem, quod in oratione, dominus serui.

2 *Neque scientia.* Nugatio à sophistis colligitur (vt expositum est cap. 13.) vel in relatis, vel in genere & specie, vel in affectionibus quæ definiuntur per sua subiecta. postquàm ergo Aristoteles in superiori parte dedit exemplum relatorum: tunc subiicit exemplum generis & speciei. Sophista inquit medicinam esse scientiam rerum salubrium & insalubrium: rursus medicinam esse scientiam. deinde hæc coniungens, colligit medicinam esse scientiam scientiam rerum salubrium & insalubrium. Fallacia est: quia medicina non est idem, quod scientia, sed est eius species. quare scientia per se accepta aliud est quàm scientia rerum salubrium. vnde non est dicendum medicinam esse scientiam scientiam rerum salubrium. scientia namque generaliter accepta, non est scientia rerum salubrium, sed est scientia rei scibilis.

3 *In attributis.* Transit ad tertium membrum, id est, ad eas significationes, quę attribuuntur subiectis, & per ea subiecta definiuntur, id est, quæ attribuuntur subiectis secundo modo dicendi per se, vt expositũ fuit lib. 1. Poster. cap. 4. part 4. His committitur talis fallacia: Simum est nasus curuus: atqui simum est nasus simus: ergo simum est nasus nasus curuus. Fallacia est: quia curuum, aliud significat per se, aliud in oratione, nasus curuus. Quod Aristoteles ostendit: quia curuum per se acceptum, æquè dicitur de varo, ac de simo. proinde ęquè attribuitur cruribus, ac naribus. cùm autem dicitur nasus curuus: tunc idem valet, quod nasus simus. non igitur differt à simo. quapropter non sunt hæc duo sumenda tamquàm diuersa, nasus curuus, & nasus simus: nec dicendum, simum est nasus nasus curuus, vt nasus bis sumatur, id est, ex oratione, nasus simus, & ex oratione nasus curuus.

2 *Praeterea non [est.]* Dat & alteram solutionẽ ad sophisma modò propositum: secũdum quam permittit bis poni nasum in definitione simi, sed in diuersis casibus. inquit enim non esse admittendam definitionem, simum est nasus curuus: quoniam substantia non potest esse genus accidentis: nasus autem est substantia: simum verò est accidens. simum igitur non est nasus curuus. proinde non potest inferri, simum esse nasum nasum curuum. nam si non potest semel dici nasus, multò minùs bis dici poterit. sed definiri debet curuitas nasi: non erit autem nugatio, si sophista colligat nasum simum esse nasum qui habet curuitatem nasi; quia sunt diuersi casus.

IN CAP. XXXII. DE VITANDIS SOloecismis.

ALius sophistarum scopus est soloecismos, cuius vitandi rationem Aristoteles hoc capite docet.

1 *De soloecismis.* Hæc particula continet transitionem. Primò enim inquit, se antea exposuisse, quomodo fiant paralogismi, qui videntur colligere soloecismum: hoc enim exposuit cap. 14. Secundò cùm ait, *quomodo verò*, inquit rationem vitandi soloecismos apparere ex sequentibus exemplis.

2 *Hæ namque omnes.* Primò proponit talem paralogismum: Quod verè dicis, est verè hoc: atqui dicis lapidem: ergo est lapidem. Secundò cùm ait, *An qui dicit*, soluit paralogismum: quia in maiori propositione illud, *hoc*, accipiebatur in recto casu. malè igitur sophista concludit, est lapidem, in quarto casu. Quæ solutio vt clariùs appareat: ostendit Philosophus manifestum vitium, si loco neutri pronominis *hoc*, sumatur masculinum pronomen *hic*: quandoquidem lapis est masculini generis. Si igitur sophista vult concludere, ergo est lapidem: debet maiorem propositionem ita concipere: Quem tu verè dicis, est verè hunc. nemo autem hanc propositionem concedet: quia committit soloecismum. Quòd si dicat sophista, est hic: cogetur concludere, Est lapis. Fallit ergo sophista propter illud pronomen *hoc*, quod æquè potest accipi in recto, & in accusandi casu. Vnde artis huius ignarus non animaduertit aliter accipi in maiore, aliter in conclusione. Tertiò cùm ait, *At [cùm] hic lignum*, vt adhuc apertiùs intelligamus fallaciam in eo consistere, quod dictum fuit, sumit Aristoteles alium terminum generis neutri, id est, loco lapidis sumit lignum, in quo nullus committitur soloecismus: quia sicut pronomen *hoc*, ita etiam nomen *lignum*, cùm sit neutri generis, æquè potest accipi in recto, & in accusandi casu: veluti, quod esse dicis, est hoc: atqui dicis esse lignum: ergo est lignum. Quartò cùm ait, *Si quis autem interroget*, vult ostendere sophistam reuera non concludere soloecismum, sed tantùm videri concludere, quia scilicet videtur respondens concessisse, quod non concessit. quod Aristot. declarat exemplo perspicuo. Nam si sophista ita argumentetur: Hic est Coriscus, ergo hic est hæc: non rectè concludit: quamuis verum ponatur, Coriscum significare hanc, id est, quamuis dicatur hæc Coriscus. Cur autem non rectè concludit, si Coriscus significat hanc? quia hoc non est concessum ab aduersario, nec positum in syllogismo. itaque ex ea sola propositione concessa, hic est Coriscus, non probatur hunc esse hanc, nisi concedatur & assumatur etiam altera propositio; Coriscum esse hanc. Similiter igitur & in exemplo antea dato, sophista malè concludit, ergo est lapidem: quia cùm aduersarius concessit eam maiorē, Quod verè dicis, est hoc, non concessit, est hunc: & nisi hoc concedatur, non potest inferri, est lapidem. Sed quia non animaduertitur differentia inter *hoc*, & *hunc*: idcirco videtur sophista rectè conclusisse.

3 *Num verè dicitur.* Subiicit aliud simile exemplum. & cùm ait, *An non est*, adiungit solutionem.

4 *Nec si quod.* Proponit tertium exemplum, & eius solutionem perspicuam.

5 *Num si tu hoc?* Proponit quartum exemplum. & cùm ait, *An non idem*, adscribit solutionem.

6 *Num enim.* Proponit quintum exemplum. & cùm ait, *An [cùm dicis,]* subiungit solutionem à superioribus non diuersam.

7 *Quòd igitur.* Concludit Philosophus hos paralogismos reuera non efficere soloecismum, sed tantùm videri, ob rationem expositam: ideóque soluendos esse, vt suprà expositum fuit.

IN CAP. XXXIII. DE FACILITATE, VEL DIFFIcultate cognoscendi genus captionis, & respondendi.

HActenus exposuit solutiones paralogismorū sophisticorū. quamquàm omisit breuitatis causâ, paralogismos ducentes ad aliquid falsum, vel inopinabile: quia solutio eorū nihil habet speciale: & ea quæ dicta sunt, sufficiunt ad hos paralogismos dissoluendos. in præsentia, ne quis putet hanc artē esse leuē, aut inanem, ostendit esse quidē aliquos paralogismos, qui facilè dignoscuntur, & solui possunt; sed alios esse admodum difficiles, in quibus dissoluendis doctissimi quique philosophi plurimùm laborant.

1 *Oportet autem.* Diuidit paralogismos in duo genera, inquiens alios facilè cognosci, alios non facilè: quia etiam si intelligamus hos esse syllogismos captiosos, non tamen apparet

apparet in quo captio consistat. Ac fieri potest, vt quamuis cognoscamus aliquem paralogismum, & sciamus eum referri (exempli gratiâ) ad homonymiam; tamen si nobis proponatur idem paralogismus, id est, paralogismus eodem vitio laborans, in aliis terminus; nõ intelligamus huius posterioris paralogismi vitium. Immo fieri potest, vt alij ad aliud captionis genus referant: vt suprà vidimus in aliquot exemplis, in quibus Aristoteles reprobabat aliorum solutiones. Explicans autem huius rei causam Aristoteles in fine particulæ ait, *quia singula, cùm transferuntur, non æquè sunt perspicua.* Translationẽ hìc accipe pro mutatione, vt suprà cap.17. part.21. nã eadẽ est sententia. Sensus est, sæpe nominibus vel orationibus mutatis, videri etiam res seu paralogismos mutari: quod tamen falsum est.

2 *Sicut autem.* Diuisionem in 1. particulâ datam vult variis exemplis confirmare. & primò hoc ostendit in paralogismis ab homonymia sumptis. horũ.n. alij sunt faciles & manifesti, alij difficiles & obscuri. Secundò cùm ait, *similiter & in his*, concludit idẽ esse dicendũ de paralogismo & accidente, & ceteris. Quod attinet ad paralogismos ex homonymia proponit Aristoteles quasdã homonymias euidentes, & quasdã obscuras. Euidẽtium hæc sunt exempla. Primùm est: Vir ferebat per scalas δίφρον. i. scamnum, vel bigam. nã vtrúmque Græco vocabulo significatur. & in altero sensu oratio est vera, nẽpe de scamno: in altero est falsa, nempe de biga. Videtur etiam Græca oratio posse recipere tertiã interpretationem. i. vir ferebatur in biga seu curru palæstræ. nã κλίμαξ est etiam palæstræ genus. Secundum exemplũ est: Verbum στέλλεσθαι, duo significat. i. proficisci, & vela contrahere. Hinc iocus. quærenti enim alicui ποῖ στέλλεσθε. i. quò tenditis? alter quasi interrogatus sit vbi vela contrahitis respondet, ad antennam. Tertium exemplum est: Quærit aliquis, vtra boum antè pariet? id est, vtra prior: ille autem accipiens particulam *ante*, non pro tempore, vt interrogans accipit, sed pro parte corporis anteriore, respondet, neutra antè pariet, sed retrò ambæ. sic ludit homonymia particulę *ante*. Quartum exemplum est: Quærit aliquis, an Boreas sit καθαρός. hoc verbum duo significat, id est, purum, & innocentem: ac Boreas dicitur quidem καθαρός, quatenus serenitatem inducit: sed alter negat eum esse καθαρόν, id est, innocentem: quia est causa frigoris, quo interficitur mendicus, & viator. Quintum exemplum est: Quærit aliquis an ille sit Euarchus: alter respondet nõ esse Euarchum, sed Apollonidem. Hic quoque luditur homonymiá; quoniã Euarchus est nomen proprium: & ratione etymi significat eum qui bene administrat: itẽ Apollonides est nomẽ proprium, & inspecto etymo significat eum qui rem perdit. cùm igitur interrogans respiciat ad nomen proprium, & quærat an sit Euarchus: alter interrogationem sic accipit, quasi quæsierit, an bene administret. vnde quamuis ille appelletur Euarchus, tamen negat eum esse Euarchum, id est, negat eum bene administrare, siue imperare. Hæc sunt exempla homonymiarum, quæ nos fallere non possunt, sed tantùm ioci & risus causâ adhibentur. Aliæ verò sunt difficiles, & obscuræ; vt horum vocabulorum, Vnum, & Ens. inter philosophos enim alij censent esse vocabulà synonyma: alij verò vt ipse Aristoteles, ex homonymia Entis & Vnius soluũt rationes Zenonis, & Melissi. nam Zeno probabat vnumquodque non magis esse id quod est, quàm contrarium; vt album nonmagis esse album quàm nigrum: Melissus autem probabat omnia esse vnum ens immobile, contra quem Aristoteles disputat lib.1. Phys.

3 *Est autem acuta.* Cùm diuiserit paralogismos in faciles & difficiles; quoniam illi negotium nobis non facessunt, hi verò nos dubitare cogunt: nunc docet hos vocari acutos: ac definit argumentationem acutam, quæ dubitare facit, quia quodãmodò mordet seu pungit eum, contra quem proponitur, cùm leuiores illæ & faciliores non pungant, nec afficiant auditorem, sed planè contemnantur.

4 *Dubitatio verò.* Cùm dixerit argumentationem acutam facere vt dubitetur: nunc diuidit hanc dubitationem. alia namque spectatur in syllogismis dialecticis, qui reuera concludunt: alia verò in sophisticis, seu contentiosis, qui decipiunt. Vtramque dubitationem ordine explicabit in sequentibus particulis.

5 *Est autem.* Constituit duo genera argumẽtationum dialecticarum acutarum, quæ nos dubitare faciunt. Primum genus spectatur in iis terminis, in quibus fit conuersio æquè probabilis ac primus syllogismus. Conuersionem nunc accipe, vt lib. 2. Prio. cap. 8. id est, cùm facto syllogismo sumitur propositio conclusioni illius syllogismi repugnans, & adiectâ alterutrâ eiusdẽ syllogismi propositione euertitur altera propositio. Exempli causâ primus syllogismus esto: Omnis mater amat filios: atqui Medea est mater: ergo Medea amat filios. iam fiat conuersio hunc in modũ: Me-

dea non amat filium: Medea autem est mater: ergo aliqua mater non amat filium. Sic conuersa conclusione primi syllogismi, & adiectâ minore euertitur maior. Hi igitur syllogismi sunt sibi inuicem cōtrarij, & ambo constant ex propositionibus probabilibus, & ambo colligunt conclusionem non probabilem, itaque meritò dubitamus, vtrum alteri præferri debeamus.

6 *Secunda* [*est.*] In secundo genere collocantur syllogismi dialectici, qui habēt vtramque propositionem æquè probabilē; sic tamen, vt necesse sit alteturram negare, quia inde efficitur conclusio falsa. vnde meritò dubitamus, vtram propositionem negare debeamus. nam si vna esset probabilior alterâ: sine dubio deberemus eam negare quæ esset minùs probabilis.

7 *Inter litigiosas.* Similiter constituit duo genera litigiosarum argumētationum acutarum, id est, quæ nos dubitare faciunt. In primo genere eas collocat, de quibus dubitatur, an in forma peccēt, néc ne, id est, an concludant, néc ne: sicut contingit, vbi dubitatur num medius terminus sit homonymus: nam si quatuor sint termini propter medij homonymiam, vitiosa est forma: si verò tantùm tres, bona est forma) aut si cōstat eas cōcludere, sed dubitatur, vtrùm solutio sit petēda ex falsitate, an ex distinctione, id est, vtrùm aliqua propositio sit simpliciter neganda tamquàm falsa; an distinctio sit necessaria, quid propositio partim sit vera, partim falsa. Argumentationes igitur, quæ habent has difficultates dicūtur acutè: quia negotium facessunt.

8 *Secunda ex ceteris.* In secundo genere collocat eas argumentationes contentiosas, quas certum est esse soluēdas per negationem, vel per distinctionē: sed ignoratur vtra propositio sit neganda, vel vtri sit distinctio accommodanda; immo vtrùm distinctio sit accommodanda alterutri propositioni, an conclusioni.

9 *Interdum igitur.* Ex dictis colligit paralogismos aliquando esse fatuos & contemnendos: (veluti si propositiones sint manifestissimè falsæ: vt, Omnis lapis est cygnus, omnis homo est lapis, ergo omnis homo est cygnus) interdum verò esse difficiles, non contemnendos: vt quia deest al qua propositio, quæ facilè suppleri potest, nec in ea consistit præcipua vis argumenti.

10 *Sicut autem.* Adiungit aliam diuisionem, quæ communis est argumentationibus, & solutionibus sicut enim solutio modò refertur ad argumentationem, quam omnino dissoluit, modò ad argumentantem, qui non rectè interrogauit; modò ad tempus, quia cùm aliquis non possit argumentum reuera dissoluere, inijcit solutionem quandam, quæ requirit disputationem prolixam, adeo vt intra tempus disputationi destinatum absolui non possit: ita etiam interrogationes & argumentationes modò sunt contra ipsam thesim, quæ quidem sunt optimæ; modò contra respondentem, quæ sunt minùs bonæ, modò referuntur ad tempus, & sunt omnium deterrimæ, id est, cùm opponens, ne videatur in disputatione superatus, & ne videatur eius argumentatio soluta, replicando proponit aliquid, quod requirat longam disputationem, adeo vt tunc temporis absolui nequeat.

IN CAP. XXXIV. QVO CONTINENTVR EPILOGUS & peroratio.

1 *Ex quo igitur.* Hæc particula continet epilogum huius libri de sophisticis elenchis. Primò ait, *Ex quot*, hæc sunt exposita vsque ad caput 12. Secundò ait, *& quomodò falsum*, hæc sunt exposita cap. 12. Tertiò ait, *præterea ex quibus colligitur syllogismus.* Certum est, pro συλλογισμὸς, *syllogismus*, legendum σολοικισμὸς, *solœcismus*, de quo actum fuit cap. 14. Omittit autē Aristoteles cap. 13. in quo dictū fuit de nugatione. Quartò cùm ait, *& quomodo interrogandum*, respicit ad caput 15. Quintò ait, *præterea ad quid vtiles.* hoc fuit expositum cap. 16. Sextò ait, *ac de omni responsione.* hæc sunt exposita cap. 17. & sequentibus.

2 *Reliquum* [*est.*] Proponit quod mox explicabit, id est, se satisfecisse suę promissioni, nempe docuisse, quod proposuit lib. 1. Top. cap. 1. partic. 1.

3 *Instituemus igitur.* Vt ostēdat se docuisse, quod in dicta parti. 1. promisit; repetit, & explanat, ea quæ ibi proposuit. Primò inquit, se instituisse inuenire methodum disputādi contra quamcumque thesim: quoniā hoc est opus siue officium dialectici, & pirastici seu tentatiui. tentatiua namque est pars dialecticæ, vt suprà fuit expositum. Secundò cùm ait, *Quia verò*, ostendit se aliud quoque proposuisse, nimirū vt possimus disputationem subire, ac defendere quamcumque thesim, ne ab opponentibus reprehendamur. & rationem huius secundi instituti declarat, inquiens hæc fieri propter affinitatem, quam sophistica habet cum dialectica,

nam sophista vult videri sciens:oportet igitur etiam eas disputationes tenere, in quibus scientia præ se feratur:& oportet,vt resistamus sophistis, & appareamus illis doctiores. Hæc autem doctrina & scientia magis apparet in thesibus defendendis,quàm in oppugnandis:quod Aristoteles cõfirmat argumento Socratis, qui non solebat theses defendere,sed potiùs interrogare sophistas, & contra eos opponere, quasi vellet ab eis discere: propterea quòd profitebatur se nihil scire:qui verò thesim defendit, se eam thesim scire profitetur.

4 *Declaratum porrò.* Postquàm proposuit dialecticæ instituta : nunc ostendit se ea docuisse:atque ita breuem epilogũ proponit non tantùm libri de sophisticis elenchis, sed etiam librorum Topicorum. & primò ait se docuisse in prioribus libris, id est,in Topicis,ad quot problemata, &c. Hæc exposuit 1.Top.cap.4.& sequentib.nã verba huius epilogi apertè respondent primis verbis illius cap.4 Secundò ait, *& vnde eorum*.hoc exposuit 2.3.4. 5. 6. & 7. libris Topicis. Tertiò ait, *præterea quomodò*. hoc exposuit in primo tractatu 8. Top. id est, tribus primis capitibus. Quartò ait, *nec non de responsionibus*. Has declarauit in secundo tractatu eiusdem libri,id est,à cap. 4. vsque ad 14.Quintò ait, *sed & cetera*. respicit ad dictum cap. 14. in quo egit de exercitatione,necnon ad prima initia,quæ exponuntur tribus primis capitibus primi Topici.hoc enim versu ponit epilogum principij & finis Topicorũ Sextò ait, *Ad hæc de paralogismis*. Hic est epilogus Elenchorum,quem non distinctè proponit,sed nos remittit ad part. t. huius capitis.

5 *Iam verò non oportet.* In sequenti parte huius capitis vult docere se esse primum auctorem huius artis dialecticæ:ideóque si quid prætermiserit,se mereri excusationem; quia nihil simul est inuentum & perfectum, facile autem est,inuentis addere. Primùm igitur in hac part.proponit hoc explicandũ.

6 *Nam eorum.* Priusquàm explicet,quod proposuit,aliquid præmunit,id est,inter artes iam inuentas,quæ sunt vsu hominum receptæ,alias esse antiquitus repertas, & paulatim longo tempore auctas, alias verò nuper repertas,proinde non ita perfectas, nec ita auctas. Exemplum earum, quæ longo tempore perfectæ sunt, multis auctoribus quasi symbolum conferentibus, proponit sermones politicos,id est,rhetoricos: (nam rhetorica Aristotelis magis versatur in rebus politicis,quàm in ornatu sermonis)ac declarat rhetoricæ progressum:quia primis auctorib. successit Tisias, illi Thrasymachus, Thrasymacho,Theodorus, Theodoro alij multi:ac semper posteriores aliquid de suo adiecerunt,ideóque artem perfecerunt. Exemplum autem artis nuper inuentæ non proponit:quia mox in sequen partie.dicturus est hoc accidisse dialecticæ,cuius se auctorem profitetur.

7 *Huius autem.* Inquit se dialectica nihil ab antiquis accepisse, quia nihil illi tradiderunt: proinde se omnium auctorem & inuentorẽ profitetur. Hæc particula non est accipienda de tota logica,sed tantùm de dialectica,quæ in Topicis & Elenchis traditur:mox tamen etiam aliarum logicæ partium mentionem aliquam faciet, id est, in particula 9.

8 *Nam eorum.* Occupat obiectionem quandam:quia potuisset aliquis dicere,fuisse quosdam,qui tradiderũt sermones ad interrogandum & disputandum aptos,nempe qui ex contentiosis disputationibus lucrum accipere solebant. Respondet Aristoteles, eos fuisse Gorgiæ similes,id est, non tradidisse aliquam artem,sed tantùm proposuisse argumentationes ipsas de iis rebus, de quibus frequenter disputatur. quare sicut ille, qui tradit multos calceos, prodest quidẽ, non tamen propterea docet artem efficiendi calceos:ita isti proponendo multas argumentationes,profuerunt quidem,sed argumentandi artem non docuerunt.

9 *Ac de rhetoricis.* Distinctionem ponit inter sua Rhetorica & logica.nam in Rhethoricis fatetur se multa à veteribus accepisse:in logicis autem inquit de ratione syllogismorum cõficiendorum se nihil apud antiquos reperisse; ideóque se coactum multo labore singula inuenire, & in artem digerere.

10 *Si igitur*[*vobis*.]Concludit, si quid in his logicis libris desideretur,sibi vt primo auctori dandam veniam,eorum autem nomine,quæ inuenit & docuit, sibi magnam habendam esse gratiam.

EXEGI opus studiosis omnibus,si modò vtantur,longè vtilissimum.DEVS Optimus Maximus,Pater Domini nostri IESV CHRISTI,Heidelbergensem Academiam,in qua hunc commentarium anno ab hinc quarto dictaui,in pristinum statum,splendorẽ, frequentiam & celebritatẽ restituat:& Nemausensium,qui nunc me ad scholę gubernationem honestissimis cõditionibus vocant,piis consiliis benedicat: Christianáque omnia gymnasia,Reipublicæ atque Ecclesiæ seminaria,sanctissimo suo fauore complectatur.

FINIS.

TYPOGRAPHVS LECTORI S. D.

CVm aliquot paginæ hîc vacaturæ essent: ne in emptione fraudari videaris, visum est duo capita ex PACII Logicis Institutionibus adiicere, quorum alterum est de syllogismis hypotheticis, alterum de methodis. Ideo autem hæc præ ceteris elegimus: quòd hi duo tractatu in logico Aristotelis Organo desiderantur, & apud alios auctores imperfectè habentur. Plura hîc syllogismorum hypotheticorum genera, quàm apud vulgares scriptores, reperies: quoniam hi traditos à veteribus hypotheticorum argumentationum modos prætermiserunt. Methodos etiã multò plures, quàm ab aliis explicentur. de quibus nolo te latêre, Pacium appellatione methodi nihil aliud significare quàm ordinem, qui in quacumque scientiæ parte adhibetur: etsi non ignorat alios inter methodum & ordinem distinguere, nõnullos etiam methodum à viâ doctrinæ seiungere. Ideo autẽ multò plures methodos siue ordines, quàm alij scriptores, ponit: quia illi tantùm vniuersalem totius alicuius scientiæ ordinem considerarũt: vt doctissimus Pacij nostri præceptor IAC. ZABARELLA non semel protestatur. Cuius verba, ne hac de re dubites, subiiciam. Tu ea lege, & Vale.

ZABARELLA LIB. II. DE METHODIS, CAP. VLT.

NOn est autem silentio prætereundum aliud esse ordinem vniuersalem, aliud esse particularem, vniuersalem illum vocamus, quo totam disciplinam disponimus. particularem verò eum, qui in aliqua disciplinæ parte seruatur. Nos quidem de vniuersali tantùm ordine locuti sumus: quia de ordine particulari nulla certa præcepta tradi possunt præter id, quod de ordine vniuersè diximus, nempe illa esse anteponenda, quorum cognitio ad reliquorum cognitionem necessaria sit.

IDEM LIB. II APOLOGIÆ, Cap. 2.

PRimùm quidem hoc omnium dicẽdorum præcipuum fundamẽtum statuendum nobis est, nos de vniuersali tantum ordine loqui, non de particulari. Vniuersalem voco eum, quo tota disciplina disponi dicitur: particularem verò, qui in aliqua tantùm disciplinæ parte consideratur. hoc nisi constituamus, ita multis aliorum cauillis & captionibus expositi sumus, vt conquiescere in ipsa rei veritate nequeamus. hoc idem in postremo quoq; capite secundi libri de methodis protestatus sum: quippe qui nõ ignorans quo philosophandi genere complures vtantur, ea, quæ postea extiterunt, præuidebam fore, qui dicerent plurimas ordinis species esse, nullam disciplinam vno, ac simplici ordine esse traditam, sed in vna parte vnum ordinẽ habere, in alia alium: proinde nulli disciplinæ aliquem certum ordinem attribui posse.

PACIVS CAP. XI. LOGICARVM INSTITVTIONVM, DE SYLLOGISMIS HYPOTHETICIS.

EXpositis syllogismis categoricis, dicendum est de hypotheticis: quorum duo sunt genera. nam alij sunt omnino hypothetici, in quibus vtraque propositio & conclusio quoque hypothetica est: alij verò ex maiore hypothetica & minore categorica colligunt conclusionem categoricam: rectè tamen vocãtur hypothetici: quia probationis vis non in propositione categorica, sed in hypothesi consistit.

2 Prioris generis syllogismi hypothetici similiter conficiuntur, vt categorici, vel in prima figura: vt,

I.

Si est animal, est substantia:
Si est homo est animal: Ergo
Si est homo, est substantia.

II.

Si est animal, non est lapis:
Si est homo est animal: Ergo
Si est homo, non est lapis.

Vel in secunda: vt,

Si est lapis, non est animal:
Si est homo est animal: Ergo
Si est homo, non est lapis.

In tertia autem figura, si tantùm affirmetur nihil concluditur: veluti,

Si est homo, est rationalis:
Si est homo, est animal:
Nihil colligitur.

Sed admiscenda est negatio, hoc modo,

Si est homo, est rationalis:
Si non est homo, est irrationalis: Ergo
Si non est irrationale, est rationale.

3 Secundi generis syllogismi hypothetici subdiuiduntur in duas species. alij namque sunt κατὰ μετάληψιν, id est, secundum transsumptionem: alij κατὰ πρόσληψιν, secundum assumptionem.

4 Secundum

4 Secundum transsumptionem dicuntur, cùm in minore propositione non ponitur aliquis nouus terminus: sed idem terminus, qui positus fuit hypotheticè in maiore propositione, ponitur categoricè in minore: veluti,

Si est animal, est substantia:
Atqui est animal: Ergo
Est substantia.

5 Secundum assumptionem dicuntur, cùm nouus terminus in minore propositione assumitur, qui non fuit positus in maiore: veluti,

I.

Vbi est cadauer, ibi congregantur aquilæ:
Atqui in agro est cadauer: Ergo
In agro congregantur aquilæ.

II.

Qualis poëta est Homerus, talis est Virg.
Atqui Homerus est optimus poëta: Ergo
Virgilius est optimus poëta.

6 Syllogismi, qui fiunt per transsumptionem, aut sunt conditionales, quorum maior propositio est conditionalis: aut alternati, quorum maior propositio est alternata.

7 Conditionalis syllogismus arguit vel à positione antecedentis ad positionem consequentis, vel ab euersione consequentis ad euersionem antecedentis.

8 Prioris generis quatuor sunt modi.

I.

Si est homo, est animal:
Atqui est homo: Ergo
Est animal.

II.

Si est homo non est lapis:
Atqui est homo: Ergo
Non est lapis.

III.

Si non est animal, non est homo:
Atqui non est animal: Ergo
Non est homo.

IV.

Si non est substantia, est accidens:
Atqui non est substantia: Ergo
Est accidens.

9 Secundi generis similiter quatuor sunt modi.

I.

Si est homo, est animal:
Atqui non est animal. Ergo
Non est homo.

II.

Si est homo, non est lapis.
Atqui est lapis: Ergo
Non est homo.

III.

Si non est animal, non est homo:
Atqui est homo: Ergo
Est animal.

IV.

Si non est substantia, est accidens:
Atqui non est accidens: Ergo
Est substantia.

10 Obseruandum est, quod in maiore propositione hypothetica est affirmatum, id in minore hypothetica poni, si affirmetur: vel euerti, si negetur. Rursus quod in maiore est negatũ: id in minore poni, si negetur: vel euerti, si affirmetur. Vt enim negatio affirmationem, ita affirmatio negationem euertit. Caue igitur putes idem esse euertere & negare: quia interdum negans dicitur ponere, & affirmans euertere.

11 Alternati syllogismi vel arguunt à positione vnius ad euersionem alterius, vel ab euersione vnius ad positionem alterius. Hic autem non distinguimus antecedens & consequens: quia omnium eadem est ratio. exempla arguentium à positione vnius ad euersionem alterius, hæc sunto:

I.

Aut est dies, aut nox:
Sed est dies: Ergo
Non est nox.

II.

Aut est dies, aut nox:
Sed est nox: Ergo
Non est dies.

Exempla autem ex vnius euersione colligentium positionem alterius, hæc sunto:

I.

Aut est dies: aut nox.
Sed non est dies: Ergo
Est nox.

II.

Aut est dies aut nox:
Sed non est nox: Ergo
Est dies.

In his exẽplis duo tãtùm sunt termini, dies, & nox. Eadem est ratio, si plures sint termini, modò nullus prætermittatur: veluti,

I.

Aut est albũ, aut nigrũ, aut medij coloris:
Sed nec est album, nec nigrum: Ergo
Est medij coloris.

II.

Aut est album, aut nigrum: aut medij coloris:
Sed non est album: Ergo
Est vel nigrum, vel medij coloris.

III.

Aut est album, aut nigrum, aut medij coloris:
Atqui est album: Ergo
Nec est nigrum, nec medij coloris.

12 Præter hæc syllogismorum hypotheticorum genera quidam ponũt syllogismũ,

quem vocant μετὰ συμπλοκῆς τῆς ἀποφάσεως, id est, cum negationis complexione. sit autem hoc modo.

I.

Non est & dies & nox:
Atqui est dies: Ergo
Non est nox.

II.

Non est & dies & nox:
Sed est nox: Ergo
Non est dies.

Hic syllogismus comparatur syllogismo disiunctiuo arguenti à positione vnius ad euersionem alterius. hic enim à positione ad euersionem rectè arguitur, vt in suprà dictis exemplis.

13 Contrà ab euersione ad positionem non licet arguere: veluti si quis ita argumentetur,

Non est & album & nigrum:
Sed non est album: Ergo
Est nigrum.

Malè argumentatur: quia potest esse aut rubrum, aut virile. Rursus hæc argumentatio non bene concludit,

Non est & videns & cæcum:
Sed non est videns: Ergo
Est cæcum.

Quia lapis nec videt, nec est cæcus.

IDEM EIVSDEM LIBRI CAP. XXII. DE methodis.

1 Methodus est doctrinæ ordo. Itaque ordo latiùs patet, quàm methodus: quippe qui est methodi genus, & in aliis quoque rebus præter doctrinas & scientias spectatur. sed in subiecto argumento, siue dicamus ordinem, siue methodū, nihil interest.

2 Porrò cùm ordo seu methodus esse nō possit, nisi aliqua sint, quæ ea methodo siue ordine disponantur: sciendum est, tria in scientiis spectari, in quibus methodum adhibere oportet. Primum est id, de quo quæritur: alterum est, quod quæritur: tertium est, per quod ad eius quod quæritur cognitionē peruenitur. primum vocatur subiectum: secundum, quæsitum: tertium medium. Exempli gratiâ. si quæratur, an intellectus humanus sit immortalis; & probetur immortalis, quia per se operatur sine organo corporeo: intellectus est subiectum: an sit immortalis, est quæsitum: operari sine corpore, est medium, per quod immortalitas probatur. videamus igitur, quo ordine disponantur subiecta, & quæsita, & media.

3 Quotiescumque duobus subiectis propositis, quæritur, vtrum priori vel posteriori loco tractandum sit: necesse est, ea subiecta vel aliquo modo esse inter se affecta, vel nullo modo. Si nullo modo sint inter se affecta, vt animal, & triangulum: certè in his ordo aut methodus considerari nequit. Sin autem modo aliquo sint inter se affecta: aut alterum habet rationem totius, alterum partis: aut vtrumque habet rationē partis sub eodem toto contentæ. Totum & partem hîc latè accipe: vt totius appellatione contineantur & totum attributiuum, id est genus: & totum integrum, & totum essentiale: itidēmq; partis appellatione cōtineantur & pars subiectiua, id est species; & membrum; & pars essentialis, vt materia & forma. Perspicuitatis ergo subiiciam exempla. Animal & homo dicuntur totum & pars: quoniam animal est genus, quod attribuitur homini; homo est species, quæ subiicitur animali. Rursus homo est integrum: cuius partes, id est membra, sunt, caput, pectus, brachia, crura, &c. Corpus autem naturale est totum quiddam, cuius partes essentiales sunt materia & forma. Necesse igitur est, subiecta ita disponi, vt vel totum parti præponatur, vel pars toti, vel pars parti. Hinc oriuntur septem methodi.

4 Prima est methodus distributiua, qua progredimur a genere ad species. Hac methodo vtitur Aristoteles in physicis. primū enim tractat de corpore naturali generaliter accepto: mox de eius speciebus. id est, de corpore simplici, quod diuiditur in cœlum & quatuor elementa & de corpore mixto: tam imperfecto, vt pluuia, niue, grandine, quàm perfecto; quod partim est inanimatum, vt lapis; partim inanimatum, vt animal & planta.

5 Secunda est methodus inductiua, seu collectiua, à particularibus ad vniuersale: qua vti cogimur, quotiescumque vniuersale notificādum est per inductionem. Hanc methodum Aristoteles adhibet lib. 1. Prior. Analyt. tractatu 1 in tribus syllogismorum figuris inuestigandis & explanandis, nam capite 24. & 25. loquitur de syllogismo communiter accepto, cùm antea singillatim locutus esset de syllogismis puris, de modificatis, & de mixtis, in singulis figuris.

6 Tertia est methodus partitiua, ab integro ad membra. Hac methodo vtitur Arist. dictis capitibus 24. & 25. libri 1. Prior. quatenus ibi resoluit syllogismum in propositiones & terminos, ex quibus constat.

7 Quarta est methodus coagmentatiua, à membris ad integrum. Sic Aristoteles primùm de-

mùm declarat membra animalium in libris de partibus animalium, & in libro de incessu animalium, qui liber est de partibus ad incessum animalium pertinentibus. deinde considerat totum animal in libris de anima & reliquis.

8 Quinta est methodus resolutiua: qua totum in partes essentiales resoluitur. vt Aristoteles 1. Physico resoluit corpus naturale in sua principia, materiam & formam, à toto corpore ad has partes essentiã corporis constituentes progrediens.

9 Sexta est methodus cõpositiua à partibus essentialibus ad totum. Sic Aristoteles expositã animaliũ materiã in libris de partibus animalium, & expositã eorũdem formã in libris de anima, deinceps totum animal, & communes eius affectiones cõsiderat, vt somnum & vigiliam, motum, &c.

10 Septima est methodus adiunctiua, qua pars parti adiungitur. Exempli gratiã, cùm duæ sint species viuentiũ, animalia, & plantæ: alij putant priùs agendum esse de plantis quàm de animalibus, quia plantæ sunt simpliciores, vtpote vitam vegetalem tantùm habentes, cùm animalia etiam sensu prædita sint: alij animalia, tamquàm notiora, præponẽda esse contendunt, quia vita magis est cõspicua in animalibus, quàm in plãtis. mihi hæc posterior sentẽtia probatur. sed vtrouis modo hæc disponuntur, progressus est à specie ad speciem. Sic agẽs Aristoteles de partibus animaliũ, certo ordine eas considerat: & de carne priùs agit, quàm de ossibus: & priùs de capite & capitis partibus, quàm de ventre. Hactenus methodi pertinentes ad subiecta, de quibus aliquid quæritur.

11 Quæsitorum autem methodus vna est, quàm licet vocare inquisitiuam. quæstiones enim de quaque re sunt hoc ordine disponendæ, ac perpurgandæ: vt primò doceatur, quid nomẽ significet, secũdò an res sit, tertiò quid sit, quartò qualis sit, quintò cur talis sit, sextò quotuplex sit. verbi gratiã, in physicis explicãdum est, quid significet hoc verbũ *corpus naturale*: & an sit corpus naturale: & quid sit: & quale sit, putà mobile, locatum, finitum, &c. & cur tale sit: & quotuplex sit, velut simplex, vel mixtũ, &c.

12 In medijs, per quæ quęsitum probatur, duplex methodus notari potest. aut.n. confertur mediũ cum quæsito: aut diuersa media inter se, per quę idẽ quęsitũ probatur.

13 Si medium cum quęsito conferatur: hic progressus à medio ad quęsitum, multiplex est: aut enim demonstratur effectus per causam proximam, vt eclipsis Lunæ per interpositionem terræ: aut effectus per causam remotam, vt parietẽ nõ respirare, quia non est animal: aut causa per effectum, vt planetas propè esse, quia nõ scintillant: aut alia quauis ratione qua situ probatur. Hinc oriuntur tres methodi: demonstratiua, quæ progreditur à causa proxima ad effectum: quasi demonstratiua, à causa remota ad effectum, vel ab effectu ad causam: (nam hæ vocantur impropriè demonstrationes, vt ca. 20 partic. 1. docui) & dialectica, quæ nec ex causa, nec ex effectu, sed per aliud probabile medium concludit.

14 Quòd si plura media, quæ ad idem quæsitum probandum valent, inter se conferantur: sciendum est, media dialectica plerumque demonstratiuis, tamquàm faciliora, ab Aristotele præferri. sed quia ferè pro argumentantis arbitrio hæc media collocãtur: parum habetur ratio methodi. ne tamẽ hæc sola nomine vacet, quoniam in multis rationibus coaceruandis & cumulãdis cernitur, cumulatiua methodus appelletur.

15 Duodecim igitur sunt methodi: quarum septem ad subiectum pertinent, distributiua, collectiua, partitiua, augmentatiua, resolutiua: compositiua, adiunctiua: vna ad quæstiones spectat, inquisitiua: quatuor ad medium respiciunt, demonstratiua, quasi demonstratiua, dialectica, & cumulatiua.

16 De vsu harum methodorũ duo sunt notanda. I. In omnibus methodis progrediẽdum esse à notioribus ad ignotiora. Notiora intellige, quæ ad sequentia notificãda valent: alioqui sæpe contingit, vt obscuriora primo loco doceantur: vt & in Logicis & in Physicis videre est. nam libri Posteriores Analytici Topicis obscuriores sunt: & libri de naturali auscultatione libris Meteorologicis: sed nihilominùs Topicis Posteriora Analytica, & Meteoris libri de naturali auscultatione meritò præponũtur. II. Quamlibet scientiam & artem ita extrui: vt primò constituatur subiectum in quo versatur, vt in Physica corpus naturale, in medicina corpus sanitatis & morbi capax: deinde ordine de eo explicentur quinque illæ quæstiones suprà propositæ, quid nomen significet, an sit, quid sit, quale sit, & cur tale sit. quãquàm si quid horum adeo manifestũ sit vt expositione egere nõ videatur, eius declaratio potest ac solet in scientiis prætermitti, vt Aristoteles docet lib. 1. Poster. cap. 1. partic. 4. & cap. 10. partic. 6. 6. In his autem omnibus enarrandis & confirmãdis adhibetur methodus demonstratiua, vel quasi demonstratiua, vel dialectica, vel ex his methodis plures simul, prout rei subiectę natura requirit.

His absolutis, transgredi oportet ad quęstionem quotuplex sit, atque afferenda subiecti diuisio, speciésque eius eádem ratione explicandæ. Nam cuiuscumque scientiæ capita methodo distributiua ab vniuersalibus ad particularia progrediente constituuntur: huic verò methodo reliquæ methodi accedunt. Sic Aristoteles physicos & alios libros conscripsit. Hæc de methodis, de quibus, vt & de hypotheticis syllogismis, Aristotelis exegesin desideramus, dixisse pro ratione instituti nostri sufficiat.

FINIS.








IHS